VETERA MONUMENTA
HIBERNORUM ET SCOTORUM.

Opera eiusdem Auctoris.

Annales Ecclesiastici, quos post Caesarem S. R. E. Card. Baronium, Od. Raynaldum ac Iac. Laderchium presbyteros Congregationis Oratorii de Urbe ab anno MDLXXII. ad nostra usque tempora continuat Aug. Theiner &c. Romae 1856. III. Vol. fol. (Proprietas S. Congr. de Propaganda Fide.) Venit scut. roman. 18.

Vetera Monumenta Hungariam Sacram illustrantia maximam partem nondum edita ex tabulariis Vaticanis deprompta &c. Romae typis Vaticanis 1859. II. Vol. fol. Venit 100 fr. gall.

Monuments historiques relatifs aux regnes d'Alexis Michaélowitch, Féodor III et Pierre le Grand Czars de Russie, extraits des archives du Vatican et de Naples. Rome, imprimerie du Vatican 1859. I. Vol. fol. Prix 35 francs.

Vetera Monumenta Poloniae gentiumque finitimarum historiam illustrantia &c. Romae typis Vaticanis 1860—1864. IV. Vol. fol. Venit 200 fr. gall.

Codex diplomaticus Dominii temporalis S. Sedis — Recueil de documents pour servir a l'histoire du Gouvernement temporel des États du Saint-Siége extraits des archives du Vatican. — Romae typis Vaticanis 1862. III. Vol. fol. Venit 120 fr. gall.

Vetera Monumenta Slavorum Meridionalium historiam illustrantia &c. Romae typis Vaticanis 1863. I. Vol. fol. Venit 45 fr. gall.

VETERA MONUMENTA

HIBERNORUM ET SCOTORUM

HISTORIAM ILLUSTRANTIA

QUAE EX VATICANI, NEAPOLIS AC FLORENTIAE TABULARIIS

DEPROMPSIT ET ORDINE CHRONOLOGICO DISPOSUIT

AUGUSTINUS THEINER

PRESBYTER CONGREGATIONIS ORATORII, CONSULTOR SS. CONGREGATIONUM INDICIS LIBRORUM PROHIBITORUM, EPISCOPORUM ET REGULARIUM AC SANCTI OFFICII, COLLEGII THEOLOGORUM ARCHIGYMNASII ROMANI, ACADEMIAE PONTIFICIAE ARCHAEOLOGIAE, HERCULANENSIS ALIARUMQUE PLURIUM ACADEMIARUM SOCIUS, TABULARIORUM VATICANORUM PRAEFECTUS ETC. ETC.

AB HONORIO PP. III. USQUE AD PAULUM PP. III.

1216—1547.

ROMAE

TYPIS VATICANIS

1864.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

DOMINO PAULO CULLEN ARCHIEPISCOPO DUBLINENSI

HIBERNIAE PRIMATI S. SEDIS APOSTOLICAE DELEGATO ETC. ETC.

S. P. D.

AUGUSTINUS THEINER

Suavissima adhuc illorum dierum recordatio me tenet, cum Tibure feriis aestivis simul una commorantes, mutuis alternisque sermonibus per amoena viarum inambulantes mirifice delectabamur. Qui autem Hibernorum collegio, ibidem tunc temporis rusticanti, praeeras, iuvenes enim illos in spem Hibernensis Ecclesiae succrescentes iamdudum in Urbe ad omnem virtutum genus pro tua sapientia rite excolebas, facile de his, quae ad institutum tuum pertinere arbitrareris, mecum ita colloquebaris, ut sermo ad tuae patriae res fortunasque evolvendas sponte dilaberetur. Et sane quo amoris ac doloris sensu animum utriusque nostrum affici aequum erat, cum historicas illius gentis vicissitudines, quod ad Religionem potissimum attinet, mente relegeremus, et praesentia malorum intueremur. Quis enim satis demiretur incredibilem illam pietatem immobilemque in catholica fide profitenda constantiam a maioribus acceptam, in qua adeo fixas a primis usque temporibus Hibernenses egerunt radices, ut nullis unquam motibus labefactari vel dimoveri potuerint, cum vel contra tyrannicas leges, vel perversorum hominum vim ac versutias illis perpetuo dimicandum? Id vero quam gloriose contigerit, testatur in primis historia, testes deinde maiores nostri ac nosmetipsi, testes denique universae Europae nationes, quarum uno ore gens Hibernica spectaculum fortitudinis praedicatur; ita ut ferme illa inter ceteras, quae Christiano nomine censentur, martyrum natio haberi et dici iure mereatur.

Hinc profecto, ut reor, vehemens illa in te suborta cupiditas, quam mihi saepius significabas, rogansque stimulos addebas, ut nempe in unum collecta historica monumenta ad istam tuam patriam pertinentia, et in secretioribus Vaticanis tabulariis hactenus asservata in lucem ederentur, utpote qui acerrimo quo polles iudicio probe intelligeres, quanti Ecclesiae Hibernensis interesset.

Nunquam, fateor, amicorum dulcissime, quod tibi erat in optatis sum oblitus, cum ad idem praeterea memet ipsum vehementer ingenio ferri ac rapi quodammodo sentirem, pro ea voluntate, qua semper tuos non minus pietate quam calamitatibus insignes cives sum prosecutus, et prosequar, dum vita manebit.

Verum, ne utriusque nostrum votis hucusque fieret satis, impedimento fuere variae magnique ponderis historicae lucubrationes, quibus expediendis absolvendisque nullam temporis moram intermittendam esse duxi. Sed cum nuper modum atque finem facere mihi constitutum sit imprimendis evulgandisque monumentis historicis de Hungaria, de Slavis Meridionalibus, de Russia et de Polonia, ut deinde, quos divina misericordia mihi faciet reliquos dies, id enim aetatis iam sum, totos insumam in Annalibus Baronianis iterum excudendis, cum eorundem continuationibus, nempe Raynaldianis et Laderchianis: consilium fuit memoratae operum moli veluti coronam monumenta Hibernica contexere, quae, quaeso, veluti lucupletissimos certissimosque testes amoris summi erga Te patriamque tuam mei habere velis.

Interea, non enim fas est, quod maxime interest, praeterire, cum in monumentis Hibernicis colligendis in plura incidissem, quae vetustam Scotorum pietatem testatam posteris reliquerunt, eorumque erga Catholicam Ecclesiam Romanosque Pontifices studium et observantiam singularem, beatissimis volventibus nempe saeculis, antequam susdeque per calamitosum illud sextidecimi saeculi schisma religiosum omnia permiscerentur, ac pessum irent: e re putavi esse eadem Scotica monumenta Hibernicis subiungere. Ad quod ineundum consilium duo potissimum impulerunt. Primo enim mutua officiorum consuetudo, quae in primis praesertim saeculis quo ad res fidei inter utramque nationem intercessit. Deinde illud etiam movit, quod Scotica non secus ac Hibernica monumenta schismatico saeculi decimisexti turbine fuerint in illis regionibus exturbata aut omnino deleta: cum id nimirum novae doctrinae praeconibus conferre videretur.

Insuper cum Henricus octavus quampluribus in rebus tum Hiberniae tum Scotiae suae ingesserit auctoritatis ac potentiae, uti ex hisce monumentis constat, volui et illa subnectere, quae eiusdem Regis divortium cum Catharina Aragonensi respiciunt: ex quo veluti fonte omnia in Anglia defluxerunt mala, quoad eius turpem ab avita fide apostasiam: ex quibus praeterea monumentis novum quoddam ad funestissimum illud facinus lumen accedere videbitur.

Quoad autem consilium, quo in praesenti monumentorum collectione adornanda usi fuimus, cum id omnino sit, quod in ceteris huiusmodi operibus instituimus, idcirco ut quantum de re ibi disseruimus, lector consulat, precamur.

Neminem, qui huiusmodi monumenta vel leviter inspexerit, fugere poterit, quanti intersit ea publici iuris reddidisse. Praeterquam quod praecipua utriusque Nationis tum religiosa tum civilia negotia historica luce magis magisque illustrata patebunt, Scotici praesertim viri ex eisdem perspicere poterunt, qua sapientia Romani Pontifices, quave paterna animi sollicitudine ac voluntate pro ipsorum gentis dignitate ac salute tuenda semper laboraverint.

Utere itaque, praestantissime Praesul, et amice dulcissime, hac qualicumque supellectili litteraria, quae est omnino tua, utpote Te auspice, Te hortatore concinnata. Vale et fave. Romae, ex sanctioribus Vaticanis Tabulariis, die festo SS. Petri et Pauli Apostolorum Anno Domini MDCCCLXIV.

ARGUMENTA.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. III.

EPISTOLAE HONORII PP. III.

4*

1224. 10. April. Iudicibus, ut ecclesiam Moraviensem in locum tutiorem et commodiorem, si id expedire viderint, transferant. Nr. 52. pag. 22.

— 30. „ Archiepiscopo Dublinensi, ut in causa inter monasterium s. Thomae Dublinense, et haeredes R. de Felda vertente canonice procedat sine praeiudicio pupillarum. Nr. 53. pag. 22.

— 2. Maii. Capitulo Cassellensi confirmatur statutum de duodenario canonicorum numero. Nr. 54. pag. 22.

— 9. „ Aboletur denuo iniquum quorundam Anglorum statutum de non admittendis Hibernis ad dignitates ecclesiasticas. Nr. 55. pag. 23.

— 20. Iunii. Episcopus Corkagensis ecclesiae Cassellensi in archiepiscopum praeficitur. Nr. 56. pag. 23.

1225. 25. Febr. Episcopo quondam Artfertensi de pontificalium exercitio indulgetur. Nr. 57. pag. 23.

1226. 13. Ian. Abbati et conventui monasterii de Dunfermelin proventus ecclesiarum de Hales et de Kinglassin Sancti Andreae dioecesis vacaturarum conceduntur. Nr. 58. pag. 23.

— 23. „ Monasterium s. Iacobi apost. et s. Mirini conf. de Passelet (alias Pasleto) ord. sancti Benedicti una cum singulis possessionibus sub beati Petri protectione suscipitur. Nr. 59. pag. 23.

— 28. „ Praelatis Hiberniae, ut collectam faciant in subsidium Caroli Anglorum regis. Nr. 60. pag. 25.

— 7. Maii. Angliae regi, ut archiepiscopo Cassellensi et Limiricensi et Clonensi epis in causa Roberti Travers intrusi Laoniensis praesto sit. Nr. 61. pag. 25.

— 9. „ Iudicibus, ut in praedictum Robertum Travers in Laoniensi ecclesia intrusum procedant. N. 62. p. 25.

— 14. „ Archiepo Dublinensi, ut Angliae regi contra eius castrorum detentores praesto sit. Nr. 63. pag. 26.

EPISTOLAE GREGORII PP. IX.

1227. 24. April. Iudicibus, ut de causa electi Limiricensis inquirant et referant. Nr. 64. pag. 27.

— 13. Iulii. Iudicibus, ut causam electi Imilicensis examinent. Nr. 65. pag. 27.

1228. 15. Dec. Priori et conventui Sancti Andreae in Scotia, ne clericis saecularibus pensiones alterius assignent. Nr. 66. pag. 27.

1229. 29. Nov. Iudicibus, ut in causa, quae inter abbatem et conventum de Dercongal Glasguensis dioecesis et quendam militem vertitur, iuxta formam iuris procedant. Nr. 67. pag. 27.

1231. 3. April. Conventui de Aberdono, ut ad hospitalitatem servandam ecclesiam parochialem de Guldedono suo monasterio unire possint. Nr. 68. pag. 28.

— 11. Dec. Archiepiscopo Cassellensi, ne ecclesiasticos suae provinciae ad iudicium saeculare trahi amplius permittat. Nr. 69. pag. 28.

1233. 18. Febr. Archiepiscopo Armachano, ut cessionem episcopi Conerensis recipiat. Nr. 70. pag. 28.

— 1. April. Archiepiscopo Dublinensi, ut cessionem archiepiscopi Tuamensis recipiat, assignata eidem congrua pensione, et electionem novi praesulis promoveat. Nr. 71. pag. 28.

1234. 23. Oct. Iudicibus, ut archidiacono Leglinensi a suo episcopo iniuste suspenso praebendam et beneficia restitui curent. Nr. 72. pag. 29.

1235. 4. Ian. Regi Scotiae, ut quamdam compositionem inter se et regem Angliae initam servet, et a suis servari iubeat. Nr. 73. pag. 29.

— 4. „ Archiepo Dublinensi, ut de consuetudinibus ab Anglis in Hibernia introductis referat. N. 74. p. 30.

— 8. April. Iudicibus, ut de causa archiepiscoporum Tuamensis et Armachani super Ardachadensi ecclesia inquirant et referant. Nr. 75. pag. 30.

— 24. „ Limiricensi et Imilicensi episcopis, ut cessionem episcopi Artfertensis, congrua pensione sibi assignata, recipiant. Nr. 76. pag. 31.

— 27. „ Archiepiscopo Armachano et episcopo Clonfertensi (alias Cloanfertensi), ut recipiant cessionem episcopi Clonensis. Nr. 77. pag. 31.

— 22. Maii. Episcopo Dunkeldensi, ut de bonis ecclesiae suae prioratum sancti Columbae ord. s. Augustini dotare possit. Nr. 78. pag. 31.

— 25. „ Episcopo Glasguensi, ne una cum clero suo ad iudicium extra Scotiam per litteras apostolicas trahi possit. Nr. 79. pag. 32.

— 29. „ Rossensi episcopo, ut exiles praebendarum suae ecclesiae reditus augere, et novas praebendas instituere possit. Nr. 80. pag. 32.

— 18. Iunii. Gilbertus marescallus comes Pembroch et fratres sui una cum eorum terris in Hibernia et Wallia sub apostolicae sedis protectione recipiuntur. Nr. 81. pag. 32.

— 26. „ Archiepiscopo Armachano, ut cessionem Midensis episcopi vice pontificis recipiat. Nr. 82. p. 32.

1236. 27. April. Regi Scotiae, ut quae regi Angliae promiserit, fideliter adimpleat velut eius ligius. N. 83. p. 33.

— 7. Iulii. Episcopo Moraviensi, ut epum Soderensem a cura ecclesiae Lismorensis exoneret, eidemque alium episcopum praeficiendum curet. Nr. 84. pag. 33.

— 6. Sept. Iudicibus, ut causam electi Dunkeldensis examinent. Nr. 85. pag. 33.

1237. 12. Febr. Archiepiscopis, episcopis etc. Angliae, Walliae et Hiberniae O. sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis legatus apostolicae sedis commendatur. Nr. 86. pag. 33.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. IV.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. IV.

1257. 3. Ian. Iisdem, ut proventus ecclesiae de Fornindrant hospitalitatis officio applicare possint. N. 191. p. 74.
— 18. „ Episcopo Moraviensi, ut quandam ecclesiam parochialem mensae episcopali incorporare possit. Nr. 192. pag. 74.
— 10. Febr. Abbas et conventus de Lyndors ab oneribus in sua ecclesia de Dunde dioec. Brechinensis exempti declarantur. Nr. 193. pag. 74.
— 25. „ Monasterio de Mayo dioec. S. Andreae constitutio Innocentiana de solvendis procurationibus contra avaritiam praelatorum facta confirmatur. Nr. 194. pag. 74.
— 15. Mart. Episcopo Achadensi quarta pars decimarum in sua dioecesi confirmatur. Nr. 195. pag. 75.
— 28. „ Iudicibus, ut de quibusdam litteris pontificis falsificatis inquirant, et falsarios puniat. N. 196. p. 75.
— 3. Apr. Iudicibus, ut de causa, quae inter rectorem ecclesiae de Insula et decanum ecclesiae de Wikeoon dioec. Candidae Casae vertitur, inquirant et referant. Nr. 197. pag. 75.
— 4. „ Magister Thomas Gheroldi canonicus Dublinensis creatur capellanus pontificis. N. 199. p. 76.
— 29. Maii. Walterus ecclesiae Tuamensi, reiecto Iacobo a capitulo electo, praeficitur. Nr. 198. pag. 76.
— 13. Iunii. Fratribus monasterii de Kalko in Scotia, ut propter intemperiem aeris pilleis uti possint. Nr. 200. pag. 76.
— 20. Iulii. Gamelino episcopo Sancti Andreae bonis prius restitutis, de criminibus ei a rege Scotiae obiectis inquiratur et iudicetur. Nr. 201. pag. 77.
— 25. Sept. Magistro Gottifrido de Alatro, ut praedictam sententiam de episcopo Sancti Andreae latam exsequendam curet. Nr. 202. pag. 78.
— 4. Oct. Iudicibus, ut de sententia a cardinale s. Mariae in via lata super questione natalium Morgundi Scoti (conf. supra Nr. 196.) lata inquirant et decernant. Nr. 203. pag. 78.
— 17. „ Regi Scotiae suisque successoribus omnia privilegia sibi et antecessoribus suis concessa innovantur. Nr. 204. pag. 79.
1258. 9. Apr. Fratribus s. Mariae de Gloria Anagninae confirmatur collatio ecclesiae s. Beraci Midensis dioecesis, ab archiepiscopo Armachano ipsis facta. Nr. 205. pag. 79.
— 9. „ Iudicibus, ut fratres s. Mariae de Gloria Anagninae in possessionem ecclesiae ipsis ab archiepo Armachano collatae inducant. Nr. 206. pag. 80.
— 21. Dec. Archiepiscopo Armachano, ut in usum ecclesiae suae 500. marc. sterlingorum mutuum contrahere possit. Nr. 207. pag. 80.
1259. 12. Febr. Canonicis S. Andreae in Scotia, ut Petro nato comitis de Cabaliaca ecclesiam de Chinachim, qua privatus fuerat, quando Friderico II. imperatori adhaeserat, restituere possint. Nr. 208. pag. 81.
— 29. Apr. Archiepiscope Tuamensi facultas datur 2400. marc. sterlingorum mutuum contrahendi in commodum suae ecclesiae. Nr. 209. pag. 81.
— 28. Oct. Episcopo Clonensi, ut quendam Mauritium cum Matilda de Prendelgast in matrimonio remanere permittat. Nr. 211. pag. 82.
— 4. Nov. Archiepiscopo Dublinensi unio decanatus s. Mariae de Peneris cum ecclesia sua conceditur. Nr. 210. pag. 81.
— 3. Dec. Capitulo Lismorensi de novo sententia iam ab Innocentio III. in favorem ipsorum ecclesiae lata confirmatur. Nr. 214. pag. 82.
— 21. „ Ecclesia Sancti Andreae in Scotia una cum suis bonis sub protectione sanctae sedis recipitur. Nr. 212. pag. 82.
— 23. „ Cum archidiacono Waterfordiensi de pluralitate beneficiorum dispensatur. Nr. 215. pag. 83.
— 23. „ Cum Mauritio Guillelmi et eius uxore de matrimonio in quarto consanguinitatis gradu contracto dispensatur. Nr. 216. pag. 83.
— 30. „ Monasterio s. Thomae mart. de Aberbrothoc in Scotia ecclesia de Hautwisil conceditur. N. 213. p. 82.
1260. 9. Ian. Iudicibus, ut quandam sententiam de nonnullis ecclesiis etc. de quibus inter archiepiscopum et capitulum Cassellenses ex una parte, et episcopum et capitulum Lismorenses ex altera lis oriebatur, a pontifice latam exsequantur. Nr. 217. pag. 83.
— 12. „ Episcopo Lismorensi quidam defectus in eius consecratione suppletur. Nr. 218. pag. 84.
— 25. „ Cum Gualtero de Kilkenni canonico Lismorensi super defectu natalium dispensatur. N. 221. p. 85.
— 29. „ Archiepiscopus Dublinensis eiusque successores a certis decimis liberantur. Nr. 219. pag. 85.
— 29. „ Eidem archiepiscopo et suis successoribus tamquam canonicis praebenda de Swerdes conceditur. Nr. 220. pag. 85.
— 3. Febr. Cum Gualtero de Kilkenni super pluralitate beneficiorum dispensatur. Nr. 222. pag. 85.
— 29. „ Lismorensibus, ne in lite, quam habent cum archiepiscopo Cassellensi, nisi apud sedem apostolicam conveniri possint. Nr. 223. pag. 86.
— 18. Maii. Monialibus de Lissomulin Midensis dioec. quaedam donatio confirmatur. Nr. 224. pag. 86.
— 21. „ Regi Scotiae pontifex significat, electionem Glasguensis praesulis se nequaquam mutare posse. Nr. 225. pag. 86.

EPISTOLAE URBANI PP. IV.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. IV.

EPISTOLAE GREGORII PP. X.

1273. 7. Maii. Iudicibus, ut electionem Dunkeldensis praesulis examinent, eamque, si canonica fuerit, confirment. Nr. 255. pag. 103.

1274. 17. Sept. Archiepiscopis et episcopis Hiberniae et Scotiae, ut verbum crucis in terrae sanctae subsidium in suis dioecesibus praedicent. Nr. 257. pag. 103.

— 20. „ Boiamundus de Vitia collector generalis decimae in regno Scotiae pro terra sancta colligendae constituitur cum facultate subcollectores deputandi. Nr. 258. pag. 104.

— 1. Nov. Iudicibus, ut de electione praesulis Cathanensis inquirant, et si eam canonice factam invenerint, confirment. Nr. 259. pag. 164.

— 13. „ Prioribus provincialibus ordinis Praedicatorum et Minorum in Hibernia et Scotia, ut verbum crucis in terrae sanctae subsidium in suis provinciis praedicent, et per suos fratres praedicari procurent. Nr. 260. pag. 105.

1275. 8. April. Iudicibus, ut electionem praesulis Rossensis examinent, eamque, si canonice facta fuerit, confirment. Nr. 261. pag. 106.

— 24. Maii. Iisdem, ut electionem praesulis Brechinensis examinent, eamque canonice factam confirment. Nr. 262. pag. 106.

.... Computus decimae crucis in terrae sanctae subsidium collectae per fratres ord. Praedicatorum in Hibernia. Nr. 263. pag. 107.

.... Computus decimae crucis in regno Scotiae collectae. Nr. 264. pag. 109.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXI.

1276. 28. Sept. Iudicibus, ut de electione praesulis Lechlinensis inquirant, eamque, si canonice facta fuerit, confirment. Nr. 265. pag. 117.

1277. 13. April. Episcopo Cloanfertensi (alias Clonfertensi), ut duobus clericis, qui cum eo in negotio decimae crucis laborent, de beneficiis provideat. Nr. 266. pag. 117.

— 13. „ Eidem, ut percussores clericorum absolvere possit. Nr. 267. pag. 118.

EPISTOLAE NICOLAI PP. III.

1279. 8. Febr. Ioannes de Derlinton ord. Praed. electus Dublinensis, reiecto Fremundo (alias Fromundo) dicto Le Brun, confirmatur. Nr. 268. pag. 118.

— 7. Mart. Constitutio super electione archiepiscopi Dublinensis facienda inter capitula s. Trinitatis et sancti Patricii ecclesiarum Dublinensium. Nr. 269. pag. 119.

— 9. „ Iudicibus, ut electum Cathanensem ad cessionem cogant. Nr. 270. pag. 120.

— 27. Maii. Episcopo Cluanfertensi, ut archiepiscopum Armachanum ob munus visitationis perperam peractum Romam citet. Nr. 271. pag. 121.

— 1. Iulii. Ioanni electo Dublinensi conceditur, ut munus consecrationis ab archiepiscopo Cantuariensi recipere possit. Nr. 272. pag. 122.

— 21. „ Episcopo Londoniensi eiusque collegis, ut Ioanni electo Dublinensi, postquam consecratus fuerit, pallium tradant. Nr. 273. pag. 122.

— 6. Oct. Episcopo Cloanfertensi, ut decanum et capitulum ecclesiae s. Patricii Dublinensis in causa electionis archiepiscopi Dublinensis Romam citet. Nr. 274. pag. 123.

— 27. Nov. Nicolaus de Cusoach electus Darensis confirmatur. Nr. 275. pag. 123.

1280. 21. Maii. Willelmus electus Sancti Andreae confirmatur. Nr. 276. pag. 124.

EPISTOLAE MARTINI PP. IV.

1281. 5. April. Iudicibus, ut cum Hugone de Abernithin Dumblanensis dioecesis eiusque uxore super matrimonio dispensent. Nr. 277. pag. 125.

— 15. Oct. Archiepo Dublinensi eiusque collegae, ut si opus fuerit, praelatos et clericos Angliae ad solvendam crucis decimam censuris ecclesiasticis compellant. Nr. 278. pag. 125.

1282. 7. Mart. Magister Gifredus de Vezano omnium terrae sanctae debitorum receptor in partibus Angliae, Walliae, Scotiae et Hiberniae, exceptis decimis, constituitur. Nr. 279. pag. 126.

1283. 7. Oct. Idem magister Gilfredus archiepiscopo Dublinensi in officio collectoris praedictae decimae subrogatur. Nr. 281. pag. 126.

— 11. „ Archiepiscopus Dublinensis ab officio collectoris decimae terrae sanctae absolvitur, et licentia ad suam ecclesiam eundi datur. Nr. 280. pag. 126.

1284. 1. Mart. Eidem Archiepiscopo Dublinensi licentia testandi, et tribus idoneis tabellionatus officium conferendi datur. Nr. 282. pag. 127.

— 8. „ Berardo camerario, ut pecuniam decimarum terrae sanctae in Anglia et Hibernia collectarum apud diversos mercatores passim depositam Senensibus mercatoribus integre assignari faciat. Nr. 283. pag. 127.

1284. 26. Maii. Regi Angliae respondetur ad petitiones de decima crucis etc. sibi in Anglia, Hibernia et Scotia concedenda. Nr. 285. pag. 128.

— 18. Dec. Willelmus abbas de Aberbrothoc electus Dumblanensis confirmatur. Nr. 284. pag. 128.

EPISTOLAE HONORII PP. IV.

1285. 17. April. Cum Ioanne de Sanford decano Dublinensi super defectu natalium et pluralitate beneficiorum dispensatur, et ut ad quascumque dignitates possit promoveri. Nr. 286. pag. 129.

— 20. „ Regi Angliae respondetur ad ea, quae per nuntios suos super collecta terrae sanctae decimae sibi in regnis Angliae et Scotiae, in Hibernia et Wallia concessa, et aliis dictae terrae subsidiis sedi apostolicae exposuit. Nr. 287. pag. 130.

— 18. Maii. Episcopo Sancti Andreae, ut fratribus ordinis Praedicatorum de Veranyco quandam villam vendat. Nr. 288. pag. 131.

— 30. „ Ioannes de Sanford electus Dublinensis confirmatur. Nr. 289. pag. 132.

— 30. „ Capitulis s. Trinitatis et s. Patricii Dublinensis ius eligendi archiepiscopum Dublinensem iuxta constitutionem Nicolai PP. III. confirmatur. Nr. 290. pag. 132.

— 11. Iunii. Electo Dublinensi, ut sacros ordines a quocumque maluerit catholico episcopo Angliae vel Hiberniae recipere possit. Nr. 291. pag. 133.

— 11. „ Lechlinensi et Fernensi epis, ut alter eorum electo Dublinensi, postquam sacros ordines receperit, munus consecrationis impendat. Nr. 292. pag. 133.

— 12. „ Iisdem, ut electo Dublinensi pallium tradant. Nr. 293. pag. 133.

— 18. „ Electo Dublinensi, ut duobus viris idoneis tabellionatus officium conferre possit. Nr. 294. p. 133.

— 5. Iulii. Regi Scotiae, ne per suos officiales collectiones decimae terrae sanctae turbare etc. permittat. Nr. 295. pag. 133.

— 18. „ Eidem regi, ne Rossensem et Moraviensem episcopos a suis officialibus molestari patiatur, iuraque eorum ecclesiarum tueatur. Nr. 296. pag. 134.

— 8. Oct. Margaritae quondam Alexandri principis Scotiae viduae dotalitium ipsi a rege assignatum confirmatur. Nr. 297. pag. 134.

1286. 12. Iulii. Stephanus episcopus Waterfordiensis ad ecclesiam Tuamensem transfertur. Nr. 298. pag. 135.

— 12. „ Eidem Stephano electo Tuamensi pallium mittitur. Nr. 299. pag. 136.

— 12. „ Aladensi, Elfinensi ac Waterfordiensi epis, ut electo Tuamensi pallium tradant. Nr. 300. p. 136.

— 12. „ Walterus electus Waterfordiensis confirmatur. Nr. 301. pag. 136.

— 12. „ Thomas de Sancto Leodegario electus Midensis confirmatur. Nr. 302. pag. 137.

— 23. „ Eidem electo Midensi, ut sacros ordines et munus consecrationis a quocumque maluerit catholico episcopo sine praeiudicio archiepiscopi Armachani recipere possit. Nr. 303. pag. 138.

— 1. Oct. Guillelmus Clifford praeficitur ecclesiae Imelacensi. Nr. 304. pag. 138.

— 15. „ 11. Nov. Eidem electo Imelacensi, ut a quocumque maluerit catholico antistite sacros ordines et munus consecrationis recipere, et viro idoneo tabellionatus officium conferre possit. Nr. 305. pag. 139.

EPISTOLAE NICOLAI PP. IV.

1288. 13. April. Matthaeus electus Dunkeldensis confirmatur. Nr. 306. pag. 139.

— 29. Oct. Episcopo Imelacensi, ut ad alterum biennium beneficia ecclesiastica, quae tempore promotionis suae obtinebat, retinere possit. Nr. 307. pag. 140.

— 13. Dec. Fratribus de Lundors ordinis s. Benedicti Sancti Andreae dioecesis donatio cuiusdam ecclesiae parochialis ipsis facta confirmatur. Nr. 308. pag. 140.

1289. 7. Febr. Episcopo Sancti Andreae in Scotia et collegae, ut fratribus ord. Praed. de Berwic domum quandam emendi licentiam dent, et pretium eiusdem moderandum curent. Nr. 309. pag. 141.

— 15. Mart. Fratribus de Lundors ordinis s. Benedicti Sancti Andreae dioecesis, ut propter frigus in quibusdam solemnitatibus pileo uti possint. Nr. 310. pag. 141.

— 22. April. Rogerio priori monasterii de Mucinor ordinis s. Augustini Connerensis dioecesis, ut non obstante defectu natalium eidem monasterio praeesse possit. Nr. 311. pag. 142.

— 2. Maii. Willelmus electus Tuamensis confirmatur. Nr. 312. pag. 142.

— 18. „ Cum rectore ecclesiae de Tyrnachtin Tuamensis dioecesis de defectu natalium et de pluralitate beneficiorum dispensatur. Nr. 313. pag. 143.

— 26. „ Willelmo electo Tuamensi, ut a quocumque antistite catholico presbyteratus ordinem recipere possit. Nr. 314. pag. 144.

— 26. „ Clonfertensi et Aladensi episcopis, ut eorum alter electo Tuamensi munus consecrationis impendat. Nr. 315. pag. 144.

— 10. Iunii. Iudicibus, ut cum Roberto dicto Flamingo milite Aberdonensis dioecesis et uxore eius de matrimonio dispensent. Nr. 316. pag. 144.

1289. 10. Iulii. Willelmo electo Tuamensi pallium conceditur. Nr. 317. pag. 144.
— 21. „ Episcopo Waterfordiensi, ut cum Willelmo dicto Lebutill eiusque uxore super matrimonio dispenset. Nr. 318. pag. 145.
— 5. Aug. Electo Tuamensi, ut omnia beneficia, quae tempore promotionis suae obtinebat, ad triennium retinere, ac reditus et proventus beneficiorum vacantium primi anni in solutionem debitorum ecclesiae suae percipere possit. Nr. 319. pag. 145.
— 1. Sept. Archiepo Dublinensi conceditur, ut incendiarios ecclesiarum etc. absolvere possit. N. 320. p. 145.
— 7. „ Episcopo Aberdonensi, ut ad ampliandam ecclesiae suae cathedralis structuram proventus primi anni omnium beneficiorum vacantium per triennium convertere possit. Nr. 321. pag. 146.
— 7. „ Iudicibus, ut cessionem electi Cloanensis (alias Clonensis) recipiant. Nr. 322. pag. 146.
— 5. Nov. Regi Angliae respondetur ad ea, quae per nuntios suos pontifici de tempore passagii ultramarini exposuit, et de decima terrae sanctae (conf. supra Nr. 285. et 287.) in Angliae et Scotiae regnis et in terris Walliae et Hiberniae collecta et colligenda etc. Nr. 323. pag. 146.
— 28. „ De archiepiscopi Armachani iurisdictione in suos suffraganeos quod visitationem. Nr. 324. p. 148.
— 2. Dec. Episcopo Brechinensi licentia datur testandi. Nr. 325. pag. 149.
— 9. „ Archiepiscopo Dublinensi proventus primi anni beneficiorum etc. vacantium usque ad triennium conceduntur. Nr. 326. pag. 149.
— 13. „ Cum Nicolao de Clara archidiac. Dublinensi de pluralitate beneficiorum dispensatur. N. 327. p. 149.
1290. 10. Ian. Regi Angliae, ut decima terrae sanctae in Hibernia, Scotia etc. iuxta verum proventuum valorem solvatur etc. Nr. 328. pag. 150.
— 10. „ Eidem super modo praedictam decimam colligendi. Nr. 329. pag. 150.
— 28. „ Episcopo Sancti Andreae, ut cum Richardo de Nudrif et eius uxore super matrimonio dispenset. Nr. 330. pag. 150.
— 12. Maii. Cum Simone de Ianvilla eiusque uxore super matrimonio dispensatur. Nr. 331. pag. 151.
— 21. Aug. Stephanus electus Cassellensis confirmatur. Nr. 332. pag. 151.
— 9. Sept. Archiepiscopo Dublinensi, ut archidiaconatum Gladensem (supra Glindelacensem), quem archiepiscopus Cassellensis tempore promotionis suae obtinebat, alicui probo viro Hiberno conferat. Nr. 333. pag. 152.
— 9. „ Archiepiscopo Cassellensi, ut cum Waltero Letyng et eius uxore super matrimonio dispenset. Nr. 334. pag. 152.
— 13. „ Fratribus de Lundors ordinis sancti Benedicti Sancti Andreae dioecesis innovatur privilegium a Coelestino PP. III. concessum, inserto eodem privilegio. Nr. 335. pag. 153.
— 24. „ Episcopo Artfertensi, ut cum Donchuch eiusque uxore super matrimonio dispenset. N. 336. p. 154.
— 24. „ Epo Lismorensi, ut cum Lobi Onel eiusque uxore super matrimonio dispenset. Nr. 337. p. 154.
— 7. Oct. Episcopo Sancti Andreae, ut de perversis abbatis monasterii de Avirbrech (Aberbrochoc) actis inquirat, et monasterium reformet. Nr. 338. pag. 155.
— 24. Nov. Episcopo Ardachadensi, ut cum Ioanne de Lamare et Ioanna Legrosse super matrimonio dispenset. Nr. 339. pag. 155.
1291. 9. Maii. Episcopo Clonfertensi, ut cum Rogero Cantewal eiusque uxore super matrimonio dispenset. Nr. 341. pag. 156.
— 15. „ Episcopo Moraviensi, ut cum Andrea monacho de Kenles Cisterciensis ordinis super defectu natalium dispenset, eumque ad omnes ordinis dignitates suscipiendas habilitet. Nr. 340. pag. 156.
— 17. Iulii. Cum Nicolao de Clara archidiacono Dublinensi super pluralitate beneficiorum dispensatur (conf. supra Nr. 327.). Nr. 342. pag. 156.
— 31. „ Episcopo Dumblanensi licentia testandi datur. Nr. 343. pag. 157.
1292. 13. Febr. Iudicibus, ut transcripta privilegiorum hospitali s. Ioannis ordinis s. Augustini Dublinensis a sede apostolica concessorum pro eorum innovationem Romam mittant. Nr. 344. pag. 157.
.... Providetur quibusdam clericis de beneficiis. Nr. 345. pag. 158.

EPISTOLAE BONIFACII PP. VIII.

1295. 2. Ian. Robertus monachus ord. s. Benedicti ecclesiae Clonfertensi in epum praeficitur. Nr. 346. p. 158.
— 13. „ Eidem electo Clonfertensi licentia datur mutuum contrahendi. Nr. 347. pag. 159.
— 18. Nov. Thomas ecclesiae Rossensi in episcopum praeficitur. Nr. 348. pag. 159.
— 23. Dec. Iudicibus, ut rectori ecclesiae de Raynefreu Glasguensis dioecesis super quibusdam iuribus ei debitis iustitiam faciant. Nr. 349. pag. 159.
1296. 26. Ian. Nicolaus ecclesiae Brechinensi in episcopum praeficitur. Nr. 350. pag. 161.
— 21. April. Cum episcopo Clonfertensi super visitatione liminum apostolorum dispensatur. Nr. 351. pag. 160.
— 24. „ Guillelmus ecclesiae Dublinensi praeficitur. Nr. 352. pag. 160.
— 29. „ Adam Cathanensi ecclesiae in episcopum praeficitur. Nr. 353. pag. 161.

EPISTOLA BENEDICTI PP. XI.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. V.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXII.

1326. 1. Mart. Nuntio apostolico in Anglia, moneat archiepiscopos et episcopos Angliae et Hiberniae, ut sedem apostolicam contra rebelles in Italia subventione quadam adiuvent. Nr. 459. pag. 232.

— 31. „ Ioannes canonicus Rossensis ecclesiae Moraviensi in episcopum praeficitur. Nr. 460. pag. 232.

— 19. Iunii. Archiepiscopis et episcopis Hiberniae, ut sedi apostolicae contra rebelles in Italia subventione quadam succurrant. Nr. 462. pag. 233.

— 24. „ David ecclesiae Laoniensi in episcopum praeficitur. Nr. 461. pag. 233.

— 8. Dec. Iudicibus, ut super valore quarundam ecclesiarum, quas Darensis et Clochorensis episcopi etc. ecclesiae Armachanae petunt uniri, inquirant et referant. Nr. 463. pag. 234.

1327. 13. Febr. Archiepiscopo Armachano, ut de iniquis gestis abbatis s. Thomae mart. prope Dubliniam inquirat et referat. Nr. 465. pag. 235.

— 16. „ Guillelmus ex ordine Carmelitarum ecclesiae Midensi in episcopum praeficitur. Nr. 464. p. 234.

— 17. „ Walterus le Rede ecclesiae Corkagensi in episcopum praeficitur, eique munere consecrationis impenso, licentia ad suam ecclesiam eundi datur. Nr. 466. pag. 236.

— 22. „ Archiepo Armachano, ut episcopi et ecclesiae Darensis causam contra comitem Ultoniae eiusque successores de vexationibus et usurpationibus etc. audiat et decernat. Nr. 468. pag. 237.

— 1. Maii. Cum Willelmo comite Ultoniae in Hibernia dispensatur, ut cum aliqua muliere ex Anglia in tertio et quarto gradu sibi coniuncta possit matrimonialiter copulari. Nr. 467. pag. 236.

— 8. Iulii. Electo Cassellensi mittitur palleum. Nr. 469. pag. 237.

— 31. „ Constitutio de uniendis ecclesiis Lismorensi et Waterfordensi. Nr. 470. pag. 238.

— 31. „ Constitutio de uniendis ecclesiis cathedralibus Enachdunensi, Achadensi et Duacensi sedi metropolitanae Tuamensi. Nr. 471. pag. 239.

1328. 1. Aug. Iacobus archidiaconus praeficitur ecclesiae Sancti Andreae in episcopum. Nr. 472. pag. 239.

— 15. Oct. Roberto regi Scotorum idem Iacobus epus Sancti Andreae commendatur. Nr. 473. pag. 240.

— 15. „ Robertus rex Scotiae a sententiis et poenis, quas incurrerat, et processibus contra eum factis ratione belli, quod habebat cum rege Angliae, absolvitur. Nr. 474. pag. 240.

— 31. „ Adam ecclesiae Brechinensi in episcopum praeficitur. Nr. 475. pag. 242.

— 5. Nov. Roberto regi Scotiae conceditur, ut confessor suus semel in articulo mortis plenam ei dare possit absolutionem. Nr. 476. pag. 243.

— 6. „ Eidem regi mandatur, ut Iacobum epum Sancti Andreae habeat commendatum, et castra sua, quae detinere dicitur, ei restituat. Nr. 477. pag. 243.

1329. 15. Mart. Cum Waltero de Duppole clerico Morav. dioec. dispensatur, ut non obstante, quod habeat indicis digitum manus sinistrae mutilatum, possit licite habere beneficium sine cura. N. 478. p. 243.

— 21. „ Clero provinciae Cassellensis, ne praetextu cuiusdam consuetudinis ipsorum archiepiscopo ulterius se opponant, quominus per se vel per alium idoneum anno quolibet suam provinciam visitet. Nr. 479. pag. 244.

— 13. Iunii. Roberto regi Scotiae conceditur, ut ipse et successores sui possint ab episcopo Sancti Andreae, vel ab episcopo Glasguensi et eorum successoribus recipere unctionem et regium diadema. Nr. 480. pag. 244.

— 10. Iulii. Nuntio apostolico in Anglia, ut clericos et laicos Anglos, qui in Scotia tempore interdicti sponsalia solemnizaverint, matrimonia et alia sacramenta divina et ecclesiastica tractaverint, a censuris ideo incursis absolvat. Nr. 481. pag. 245.

— 21. Aug. Alexander praeficitur ecclesiae Aberdonensi in episcopum. Nr. 482. pag. 245.

— 23. „ David regem Scotiae pontifex de obitu Roberti regis eius genitoris consolatur, eique omnia prospera ad bene administrandum regnum adprecatur. Nr. 483. pag. 246.

— 21. Oct. Walterus de ecclesia Corkagensi transfertur ad ecclesiam Cassellensem. Nr. 484. pag. 246.

— 24. „ Rex Scotiae de XII. millibus florenorum auri, quae pater suus camerae apostolicae debebat, solutis absolvitur. Nr. 485. pag. 247.

— 2. Nov. Iudicibus, ut donationem iuris patronatus et advocatiae in ecclesia de Dunbretan Glasguensis dioecesis fatam per Robertum quondam regem Scotiae, et concessionem eiusdem ecclesiae factam per Ioannem episcopum Glasguensem monasterio de Kylwynin confirment. Nr. 486. p. 247.

— 2. „ Iisdem iudicibus, ut unionem per episcopum Glasguensem supradicto monasterio de Kylwynin de quibusdam perpetuis vicariis factam confirment. Nr. 487. pag. 248.

— 2. „ Iisdem iudicibus, ut donationem iuris patronatus cuiusdam parochialis ecclesiae factam per Walterum comitem de Menethet, et concessionem eiusdem ecclesiae factam per Andream episcopum Ergadiensem praefato monasterio de Kylwynin confirment. Nr. 488. pag. 248.

— 13. „ Thomae Ranulphi comiti Moraviae, ut corpus suum post mortem exenteri possit, indulgetur. Nr. 489. pag. 249.

— 24. „ Moraviensi et Rossensi episcopis, ut cum Hugone comite Rossensi et Margareta de Gram uxore sua Sancti Andreae dioecesis super consanguinitate dispensent. Nr. 490. pag. 249.

1329. 24. Nov. Datur potestas Ioanni episcopo Moraviensi dispensandi cum quinque clericis super defectu natalium. Nr. 491. pag. 249.

1330. 5. Ian. Archiepo Armachano, ut, si id sibi opportunum esse visum fuerit, episcopum Corkagensem ad Dunensem, et Dunensem episcopum ad Corkagensem ecclesias transferat. Nr. 492. pag. 249.

— 7. April. Rex Angliae de censu Romanae ecclesiae pro regnis Angliae et Hiberniae debito soluto absolvitur. Nr. 493. pag. 250.

— 4. Maii. Electo Cassellensi mittitur pallium. Nr. 494. pag. 250.

— 4. „ Limiricensi et Imelacensi episcopis, ut electo Cassellensi pallium tradant. Nr. 495. pag. 250.

— 23. Oct. Iacobus epus Sancti Andreae consolatur, et de munere bene gesto commendatur. N. 496. p. 251.

— 23. „ Comiti Moraviae commendantur praedictus episcopus Sancti Andreae et caeteri episcopi ecclesiae Scoticanae. Nr. 497. pag. 251.

1331. 6. Aug. Episcopo Moraviensi, ut illos, qui corpus quondam Roberti regis Scotorum exenteraverunt, et de ipso corpore, prout ipse in testamento suo praeceperat, cor extraxerunt, et in bello contra Sarracenos apud Granatam portaverunt, absolvat a sententiis et irregularitatibus, quas propter hoc incurrerint. Nr. 498. pag. 250.

1332. 2. Aug. Abbati de Dunfermelyn ordinis s. Benedicti Sancti Andreae dioecesis, et eius successoribus conceditur, ut benedictionem episcopalem elargiri possint. Nr. 499. pag. 251.

— 5. Oct. Monasterio de Kylwynin ordinis sancti Benedicti Glasguensis dioecesis dantur conservatores. Nr. 500. pag. 252.

— 24. „ Executoribus testamenti episcopi Sancti Andreae in Scotia datur apocha de duobus milibus florenorum auri et annulo, a defuncto episcopo pontifici dono datis. Nr. 501. pag. 253.

1333. 1. April. Monachis de Kylwynin ordinis s. Benedicti Glasguensis dioecesis confirmatur donatio eis facta per regem Scotiae et epum Glasguensem de parochiali ecclesia de Dunbretan, insertis ipsorum privilegiis. Nr. 502. pag. 253.

— 1. „ Iisdem donatio per episcopum Glasguensem facta de ecclesiis de Kylmernot et de Bech dictae dioecesis confirmatur. Nr. 503. pag. 255.

— 1. „ Abbati de Kylwynin donatio per comitem de Menetheht de iure patronatus parochialis ecclesiae de Kilmachormant Ergadiensis dioecesis facta confirmatur, inserto eiusdem comitis donationis instrumento. Nr. 504. pag. 257.

— 24. Maii. Richardo electo Darensi testandi datur licentia. Nr. 505. pag. 258.

— 5. Iulii. Rex Angliae de censu annuo Romanae ecclesiae soluto pro regno Angliae ac terris Hiberniae absolvitur. Nr. 506. pag. 259.

— 10. Aug. Ioannes electus Clonensis confirmatur. Nr. 507. pag. 259.

— 5. Sept. Mittuntur nuntii apostolici in Scotiam, ut pacem inter Angliae et Scotiae reges reconcilient. Nr. 508. pag. 259.

— 5. „ Iiisdem, ut, si regem Scotiae coram alloqui nequeant, cum eius nuntiis de pace reformanda agant. Nr. 509. pag. 260.

— 5. „ Proceribus ecclesiasticis et saecularibus Angliae et Scotiae, ut nuntiis apostolicis in reconcilianda inter Angliae et Scotiae reges pace praesto esse velint. Nr. 510. pag. 260.

— 5. „ Angliae et Scotiae regibus, ut pacem inter se reconcilient, et nuntios apostolicos sibi missos benigne recipiant et audiant. Nr. 511. pag. 261.

— 18. Oct. Richardus electus Darensis confirmatur. Nr. 512. pag. 261.

1334. 22. Febr. Archiepiscopo Cassellensi, ut processum pontificium contra dogmatizantes in provincia sua promulgandum curet. Nr. 513. pag. 261.

— 28. April. Epo Clonensi prioratus sancti Andreae de Towardereth confertur in commendam. Nr. 514. p. 262.

— 1. Maii. Episcopo Dumblanensi, ut cum Ioanne de Gram et Maria de Metet eius coniuge super matrimonio dispenset. Nr. 515. pag. 262.

— 9. Iunii. Cum Willelmo Darcy et Mathilde de Burgo super matrimonio dispensatur. Nr. 516. pag. 263.

— 4. Iulii. David electus Armachanus confirmatur. Nr. 517. pag. 263.

— 26. „ Eidem electo Armachano munere consecrationis impenso licentia datur redeundi ad ecclesiam suam. Nr. 518. pag. 263.

EPISTOLAE BENEDICTI PP. XII.

1335. 31. Iulii. Nuntii apostolici ad Angliae et Scotiae reges mittuntur, ut inter ipsos pacem reforment. Nr. 519. pag. 264.

— 31. „ Angliae et Scotiae regibus, ut pacem inter se reconcilient, et nuntios apostolicos ea de re missos benigne recipiant et audiant. Nr. 520. pag. 264.

— 31. „ Nuntiis apostolicis ad reges Angliae et Scotiae destinatis dantur litterae passus et procurationis ipsis a clero faciendae. Nr. 521. pag. 265.

1335. 31. Iulii. Regi Franciae, ut Angliae et Scotiae reges ad consilia pacis inducat, neque se permoveri sinat, ut regi Scotiae contra regem Angliae suppetias praestet. Nr. 522. pag. 265.
— 13. Sept. Magister Bernardus Sistre constituitur apostolicae sedis nuntius ac decimarum collector in Angliae, Scotiae, Walliae et Hiberniae partibus. Nr. 523. pag. 266.
— 13. „ Eidem, ut negotia ecclesiam Romanam tangentia per nuntios apostolicos suos antecessores in iisdem partibus inchoata ad finem debitum perducat. Nr. 524. pag. 266.
— 13. „ Eidem, ut a clero tam saeculari quam regulari earum partium censum ecclesiae Romanae debitum exigat, adhibitis etiam, si opus esset, censuris ecclesiasticis. Nr. 525. pag. 267.
— 13. „ Eidem, ut pecuniam sic collectam quibusdam mercatoribus Florentinis apostolicae camerae assignandam tradat. Nr. 526. pag. 267.
— 13. „ Regibus Angliae et Scotiae idem nuntius commendatur. Nr. 527. pag. 267.
— 26. „ Eidem nuntio, ut se informet et referet, quomodo nuntii apostolici sui antecessores munus suum exercuerint. Nr. 528. pag. 267.
— 26. „ Icherio de Concoreto, olim in Angliae, Scotiae, Hiberniae etc. partibus nuntio apostolico et collectori, ut successori suo omnes litteras id munus respicientes assignet. Nr. 529. pag. 268.
— 12. Oct. Nuntio apostolico, ut de conditione, valore, taxatione omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum in Angliae, Scotiae, Walliae et Hiberniae partibus consistentium sese informet et referat. Nr. 533. pag. 270.
— 12. „ Eidem, ut certam partem pecuniae collectae mercatoribus Florentinis societatis Albertorum assignet. Nr. 534. pag. 270
— 25. „ Britius monasterio sancti Petri et Pauli Armachani ordinis sancti Augustini in abbatem praeficitur. Nr. 530. pag. 268.
— 6. Nov. Regi Angliae, ut episcopo Ossoriensi bona, quibus eius ecclesia ab haereticis spoliata fuerat, restitui curet. Nr. 531. pag. 269.
— 6. „ Eidem regi, ut haereticos in Hibernia comprimat, et per suos administros comprimendos curet. Nr. 532. pag. 269.
— 27. „ Collector decimarum etc. in Angliae, (Scotiae,) Walliae et Hiberniae partibus de quadam solutione absolvitur. Nr. 535. pag. 270.
1336. 10. Maii. Nuntio apostolico, ut duos tabelliones pro officio suo exercendo creare possit. Nr. 536. pag. 271.
— 25. „ Regi Franciae, ne in negotio Scotiae temere procedat. Nr. 537. pag. 271.
— 18. Nov. Alanus ecclesiae Artfertensi in episcopum praeficitur. Nr. 538. pag. 271.
— 4. Dec. Regi Angliae, ut cum archiepiscopo Dublinensi, quamvis excommunicato, de negotiis regni per tres menses communicare possit. Nr. 539. pag. 272.
1337. 16. Febr. Ioannes renunciatur episcopus Glasguensis. Nr. 540. pag. 272.
— 28. Iulii. Episcopo Clonensi, et cum Petro Lepoer et eius uxore de matrimonio dispenset. N. 541. p. 273.
— 30. Aug. Archiepo Dublinensi, ut Ioanni Corney de provisione ei facta iustitiam reddat. Nr. 542. p. 273.
1339. 22. Febr. Willelmus ecclesiae Glasguensi in episcopum praeficitur. Nr. 543. pag. 274.
— 21. Iunii. Episcopo Aberdonensi, ut cum Philippo de Meldron et Maria de Eglinton super matrimonio dispenset. Nr. 544. pag. 274.
— 11. Iulii. Episcopo Dumblanensi, ut cum Mauritio de Moravia et Ioanna comitissa de Sarthen super matrimonio dispenset. Nr. 545. pag. 275.
1340. 11. Mart. Episcopo Glasguensi, ut cum Ioanne Stuard et Alitia Mora uxore eius de matrimonio dispenset. Nr. 546. pag. 275.
— 11. Sept. Episcopo Dumblanensi, ut cum Ioanne de Kyndelocthe et eius uxore super matrimonio dispenset. Nr. 547. pag. 275.
1341. 16. Ian. Alanus renuntiatur episcopus Cathanensis. Nr. 548. pag. 276.
— 13. April. Episcopo Rossensi, ut cum Ioanne de Barclay et Margareta de Graam (cf. supra Nr. 490.) super matrimonio dispenset. Nr. 549. pag. 276.
1342. 18. Febr. Willelmus ecclesiae Sancti Andreae praeficitur in episcopum. Nr. 550. pag. 277.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VI.

1342. 29. Nov. Thomas de Fingast episcopus Cathanensis renuntiatur. Nr. 551. pag. 277.
— 1. Dec. Episcopo Cathanensi, ut cum Guillelmo comite Soyirlandiae et Margareta sorore regis Scotiae super matrimonio dispenset. Nr. 552. pag. 278.
1343. 14. Ian. Episcopo Glasguensi, ut cum Ioanne Senescalli et Fynghola de Insulis super matrimonio dispenset. Nr. 553. pag. 278.
— 1. Febr. David regi Scotiae et Mauritio comiti Dessymoniae in Hibernia indulgetur, ut religiosi in domibus eorum hospites sub certis conditionibus carnibus vesci possint. Nr. 554. pag. 279.
— 4. Maii. Cum David de Rupen et Amya comitissa Dessymoniae dispensatur super matrimonio. N. 555. p. 279.

c*

1343. 30. Sept. Archiepiscopo Cassellensi, ut cum quindecim personis dioecesis suae, dummodo Hiberniae sint, super defectu natalium dispensare possit. Nr. 556. pag. 279.
— 25. Oct. Episcopo Glasguensi, ut cum Willelmo de Moravia et Muriella de Cambell super matrimonio dispenset. Nr. 557. pag. 280.
1344. 17. Febr. Episcopo Leghlinensi licentia ad ecclesiam suam redeundi datur. Nr. 558. pag. 280.
— 5. Iulii. Richardus de Pilmor ecclesiae Dunkeldensi in episcopum praeficitur. Nr. 559. pag. 280.
— 14. „ Eidem episcopo Dunkeldensi licentia conceditur mutuum contrahendi. Nr. 560. pag. 281.
— 3. Aug. Nuntio apostolico in Anglia, ne contra archiepiscopum Armachanum de solvendo communi servitio ulterius procedat. Nr. 561. pag. 281.
— 13. Sept. Guillelmus Aberdonensis episcopus renuntiatur. Nr. 562. pag. 282.
— 12. Oct. Episcopo Sancti Andreae, ut cum Ioanne de Dunlgas et Agnete de Grame super matrimonio dispenset. Nr. 563. pag. 282.
— 20. Dec. Martinus ecclesiae Ergadiensi in episcopum praeficitur. Nr. 564. pag. 283.
1345. 20. Maii. Episcopo Sancti Andreae, ut de matrimonio inter Hugonem Giffard et Elisabetha More per verba de praesenti et adhuc impubes contracto, et postea nec rato nec consumato inquirat, et hoc dissolvat. Nr. 565. pag. 284.
1346. 9. Ian. Rodulphus episcopus praeficitur ecclesiae Cassellensi in archiepiscopum. Nr. 566. pag. 284.
— 26. Iunii. Guillelmus Odada renuntiatur episcopus Alladensis. Nr. 567. pag. 285.
— 31. Iulii. Richardus ecclesiae Armachanae in archiepiscopum praeficitur. Nr. 569. pag. 286.
1347. 14. Febr. Nuntio apostolico in Anglia, ut cum praelatis aliisque personis Hiberniae circa residuum decimarum solvendum componat. Nr. 568. pag. 285.
— 9. April. Episcopus Ossoriensis absolvitur a sententiis excommunicationis etc. quibus ab archiepiscopo Dublinensi iniuste impetitus fuerat. Nr. 570. pag. 286.
— 10. „ Iudicibus, ut de iniquis archiepiscopi Dublinensis in episcopum Ossoriensem actis inquirant et referant. Nr. 571. pag. 286.
— 12. Iulii. Archiepiscopo Armachano, ut cum Ioanne Napton et Isabella Iordan super matrimonio dispenset. Nr. 572. pag. 287.
— 29. Aug. Ardachadensi et Clonensi episcopis, ut electo Armachano pallium tradant. Nr. 573. pag. 288.
— 29. Sept. Archiepiscopo Armachano, ut cessionem abbatis monasterii sancti Thomae martyris Dublinensis recipiat. Nr. 574. pag. 288.
— 15. Oct. Duncanus praeficitur ecclesiae Dumblanensi in episcopum. Nr. 575. pag. 288.
— 23. „ Willelmus renuntiatur episcopus Dumblanensis. Nr. 576. pag. 289.
— 22. Nov. Episcopo Glasguensi, ut cum Roberto de Stratgrif et Elisabetha Mox super matrimonio dispenset. Nr. 577. pag. 289.
1348. 22. Oct. Ioannes de Valle ecclesiae Artfertensi in epum praeficitur, reiecto Thoma Makearwil. N. 578. p. 290.
— 21. Nov. Episcopo Moraviensi, ut cum Ioanne de Moravia et Margareta de Grame (conf. supra Nr. 490 et 549.) super matrimonio dispenset. Nr. 579. pag. 290.
1349. 20. Mart. Thomas de Brakenbergh Leghlinensis episcopus renuntiatur. Nr. 580. pag. 290.
— 11. Maii. Simon ecclesiae Cluanensi in episcopum praeficitur. Nr. 581. pag. 291.
— 4. Sept. Ioannes de S. Paulo praeficitur ecclesiae Dublinensi in archiepiscopum, et quaedam conceduntur gratiae. Nr. 582. pag. 291.
— 5. Oct. Willelmus praeficitur ecclesiae Midensi in episcopum. Nr. 583. pag. 291.
— 18. Dec. Simon ex ordine Praedicatorum renuntiatur episcopus Darensis. Nr. 584. pag. 292.
1350. 17. Febr. Philippus ecclesiae Brechinensi in episcopum praeficitur. Nr. 585. pag. 292.
— 3. Mart. Rogerius de Cradok renuntiatur episcopus Waterfordiensis. Nr. 586. pag. 293.
— 19. April. Willelmus ecclesiae Fernensi in episcopum praeficitur. Nr. 587. pag. 293.
— 14. Iunii. Episcopo Sancti Andreae, ut cum Ioanne de Insulis et Margareta nata seneschalli Scotiae super matrimonio dispenset. Nr. 588. pag. 294.
— 3. Nov. Alexander ecclesiae Rossensi in episcopum praeficitur. Nr. 589. pag. 294.
— 19. „ Ioannes Aberdonensis episcopus renuntiatur. Nr. 590. pag. 294.
1351. 11. Ian. Archiepiscopo Armachano, ut licentia ordinariorum quatuor ecclesias curatas in Hibernia suae mensae incorporare possit. Nr. 591. pag. 295.
— 11. „ Iudicibus, ut archiepiscopo Armachano licentiam dent permutandi quasdam terras easque suae mensae uniendi. Nr. 592. pag. 295.
— 9. Mart. Alexandro episcopo Rossensi, ut M. flor. mutuum contrahere possit. Nr. 593. pag. 296.
— 1. Iunii. Decano ecclesiae sancti Patritii Dublinensis, ut retentis beneficiis ecclesiasticis per quinquennium iuri civili in quodam studio generali incumbere possit. Nr. 594. pag. 296.
— 8. „ Robertus episcopus olim canonicus Waterfordiensis ecclesiae Alladensi praeficitur in episcopum. Nr. 595. pag. 296.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VI.

1358. 16. Dec. Ecclesia Duacensis antea sedi Tuamensi unita in pristinum statum restituitur, eique Nicolaus in episcopum praeficitur. Nr. 635. pag. 313.

1359. 7. Nov. Regi Scotiae Guillelmus de Grenlau nuntius et collector generalis in Scotia commendatur. Nr. 636. pag. 314.

— 2. Dec. Comiti de Donglas et senescallo Scotiae idem nuntius commendatur. Nr. 637. pag. 314.

— 31. „ Thomas ecclesiae Candidaecasae in episcopum praeficitur. Nr. 638. pag. 314.

1360. 23. Mart. Iudicibus, ut in causa praetensae unionis ecclesiae Enagdunensis sedi Tuamensi factae archiepiscopum et capitulum Tuamenses ad curiam Romanam citent. Nr. 639. pag. 315.

— 18. April. Episcopo Dumblanensi, ut cum Ioanne de Drumondo et Margarita comitissa de Meneteht super matrimonio dispensare possit. Nr. 640. pag. 315.

— 11. Maii. Episcopo Cathayensi, ut post consecrationis munus susceptum ad ecclesiam Cathayensem se conferat. Nr. 641. pag. 316.

— 8. Nov. Stephanus decanus ecclesiae Limiricensi in episcopum praeficitur. Nr. 642. pag. 316.

1361. 20. Febr. Episcopo Sancti Andreae, ut cum Roberto de Lewugston et Elisabetha de Gordon super matrimonio dispenset. Nr. 643. pag. 317.

— 18. Iunii. Walterus decanus Aberdonensis praeficitur ecclesiae Dumblanensi in epum. Nr. 644. pag. 317.

— 9. Sept. Episcopo Dumblanensi, ut cum Roberto de Stratherne et Margarita comitissa de Mentheht super matrimonio dispenset. Nr. 645. pag. 317.

1362. 9. Ian. Episcopo Ossoriensi licentia datur ad suam ecclesiam redeundi. Nr. 648. pag. 318.

— 14. „ Willelmus archidiaconus Leghlinensis episcopus renuntiatur. Nr. 649. pag. 319.

— 21. Maii. Episcopo Lismorensi, ut cum Colino Cambel et Catharina Loom super matrimonio dispenset. Nr. 650. pag. 319.

— 17. Iunii. Georgius archiepiscopus Cassellensis renuntiatur. Nr. 651. pag. 319.

— 4. Iulii. David canonicus ecclesiae Imelacensi in episcopum praeficitur. Nr. 652. pag. 320.

— 8. „ Archiepiscopo Cassellensi, ut de statu ecclesiae Cathayensis, an cathedralis unquam fuerit, et episcopos habuerit, se informet et referat. Nr. 646. pag. 318.

— 23. „ Cum Archibaldo de Donglas et Ioanna de Moravia super matrimonio dispensatur. N. 647. pag. 318.

EPISTOLAE URBANI PP. V.

1362. 23. Dec. Alexander archidiaconus episcopus Moraviensis renuntiatur. Nr. 653. pag. 321.

1363. 17. Febr. Thomas canonicus ecclesiae Dublinensi in archiepiscopum praeficitur. Nr. 654. pag. 321.

— 20. „ Thomas archidiaconus episcopus Fernensis renuntiatur. Nr. 655. pag. 322.

— 3. Mart. Episcopo Aberdonensi confirmantur certae decimae a rege Scotiae sibi concessae, inserto regio diplomate. Nr. 656. pag. 322.

— 12. „ Archiepiscopo Dublinensi de novo provisio de se facta confirmatur, non obstante errore datae, qui in priores litteras irrepserat. Nr. 658. pag. 323.

— 1. April. Eidem archiepiscopo, ut de administratione hospitalis pauperum iuxta Dubliniam inquirat, eiusque priorem, si culpabilis sit, amoveat, et alium eligi faciat et confirmet. Nr. 657. pag. 323.

— 16. Iunii. Thomas ecclesiarum Lismorensis et Waterfordensis invicem unitarum (conf. supra Nr. 619. et 630.) episcopus declaratur. Nr. 659. pag. 324.

— 24. „ Eidem episcopo Lismorensi, ut super statu et conditione ecclesiae Cathayensis se informet et referat. Nr. 660. pag. 324.

— 5. Sept. Regi Scotorum, ut thesaurarius ecclesiae Moraviensis debitum praeceptoriae hospitalis s. Ioannis Hierolymitani in Scotia proventum magistro eiusdem ordinis persolvat, efficiat. Nr. 661. p. 325.

— 5. „ David de Mar thesaurario ecclesiae Moraviensis super eodem argumento. Nr. 662. pag. 325.

— 27. Oct. Richardus monasterio de Albotractu Corkagensis dioecesis in abbatem praeficitur. N. 663. p. 326.

1364. 9. Iulii. Iudicibus, ut moneant, adhibitis etiam censuris ecclesiasticis, monachos de Dunfermelin ordinis s. Benedicti Sancti Andreae dioecesis, ne a clericis pro pedagio portus regii plus exigant quam a saecularibus. Nr. 664. pag. 326.

— 30. Sept. Episcopo et capitulo ecclesiae Aberdonensis confirmatur quaedam donatio eis a rege Scotiae facta, inserto regio diplomate. Nr. 665. pag. 326.

— 14. Oct. Iudicibus, ut causam matrimonii, quae inter Walterum Cusak et Ioannam de Tuyt Midensis dioecesis vertitur, examinent et canonice decidant. Nr. 666. pag. 327.

— 13. Nov. Thomas monasterio s. Thomae mart. prope Dubliniam ordinis s. Augustini in abbatem praficitur. Nr. 667. pag. 328.

1365. 4. Ian. Ioanni electo Tuamensi, ut electionem Mauritii Macneill ad abbatiam de Cluantuaigrit ordinis s. Augustini Elfinensis dioecesis, si canonice factam invenerit, confirmet. Nr. 668. pag. 328.

— 5. „ Eidem electo Tuamensi, ut electionem Donati Macscarrayg in abbatem monasterii s. Augustini Elfinensis dioecesis, si eandem canonice factam repererit, confirmet. Nr. 669. pag. 328.

1365. 8. Mart. Thomae electo Cassellensi, qui a Tuamensi ecclesia ad Cassellensem III. Kal. Martii translatus fuit, pallium mittitur. Nr. 670. pag. 329.

— 6. Iunii. Regi Angliae, ut censum annuum pro regnis suis Angliae et Hiberniae Romanae ecclesiae debitum, ab anno 1333. propter bellorum expensas non amplius solutum, pace tandem instaurata, persolvat. Nr. 671. pag. 329.

— 24. Sept. Archiepiscopo Cassellensi, ut monasterio sancti Fimbarii de Antro ordinis s. Augustini Elfinensis dioecesis virum idoneum in abbatem praeficiat. Nr. 672. pag. 329.

— 29. Nov. Episcopo Sancti Andreae, ut cum Thoma de Erskine et Maria de Dunglas super matrimonio dispenset. Nr. 673. pag. 330.

1366. 27. Nov. Dionysius praeficitur monasterio de Buellio Elfinensis dioecesis in abbatem. Nr. 674. pag. 330.

1367. 14. April. Walterus canonicus praeficitur ecclesiae Glasguensi in episcopum. Nr. 675. pag. 331.

— 7. Dec. Episcopo Sodorensi, ut priori provinciali fratrum Minorum in Hibernia licentiam concedat conventum Minorum in parochia s. Columbae in insula Moraviae fundandi. Nr. 676. pag. 331.

1368. 22. Dec. Archidiacono Manniae, ut causam, quae inter vicarium parochialis ecclesiae s. Lupi in Mannia et monachos de Russyn ordinis Cisterciensis Sodorensis dioecesis de congrua portione vertitur, examinet et decidat. Nr. 677. pag. 332.

1369. 19. Febr. Richardus prior ecclesiae Dunensi in episcopum praeficitur. Nr. 679. pag. 332.

— 19. „ Stephanus a Limiricensi ecclesia ad Midensem transfertur. Nr. 680. pag. 333.

— 21. „ Malcolmus canonicus Cathanensis episcopus renuntiatur. Nr. 681. pag. 333.

— 16. Mart. Archiepiscopo Armachano, ut priori de Parva Malvervia Wigorniensis et prioratui s. Birgitae Dublinensis dioecesum bona violenter ablata restitui curet. Nr. 682. pag. 334.

— 21. April. Petrus Curiath ecclesiae Limiricensi in episcopum praeficitur. Nr. 678. pag. 332.

— 16. Iunii. Conventui de Cambuskyneth ordinis s. Augustini Sancti Andreae dioecesis quaedam donatio ipsi a rege Scotiae facta, inserto regio diplomate, confirmatur. Nr. 683. pag. 334.

.... Excerpta ex libro computus decimarum etc. Hugonis Pelegrini et Ioannis de Cabrespino, earundem decimarum etc. in Hibernia sub Clemente VI., Innocentio VI. et Urbano V. collectorum. Nr. 684. pag. 335.

EPISTOLAE GREGORII PP. XI.

1371. 30. Ian. Regi Scotiae pontifex significat, se oratores suos omni benevolentia recepisse, attestatur ipsi se omnem favorem regno et rebus suis impendere, et commendat negotia reginae Scotiae. Nr. 685. pag. 341.

— 10. Febr. Alexander canonicus ecclesiae Ossoriensi in episcopum praeficitur. Nr. 686. pag. 341.

— 3. Mart. Philippus Petri episcopus Leglinensis renuntiatur. Nr. 687. pag. 342.

— 14. „ Priori de Coval Darensis dioecesis, ut Ioannem Frauthon priorem s. Petri Villaenovae Midensis dioecesis a quibusdam censuris absolvat. Nr. 688. pag. 342.

— 9. Maii. Alexander canonicus praeficitur ecclesiae Rossensi in episcopum. Nr. 689. pag. 342.

— 29. Iulii. Archiepiscopo Tuamensi, ut se informet et referat de oratorio quodam a Carthusiensibus fratribus ordinis Minorum in Kevelechin Elfinensis dioecesis consignando. Nr. 690. pag. 343.

— 24. Sept. Episcopo Sancti Andreae, ut cum Iacobo comite de Douglas et Margareta nata regis Scotorum super matrimonio dispenset. Nr. 691. pag. 343.

— 15. Nov. Confirmatur monasterio de Deer in Buchania Cisterciensis ordinis Aberdonensis dioecesis unita parochialis ecclesia de Foverne, ipsi ab episcopo Aberdonensi concessa, inserto donationis instrumento. Nr. 692. pag. 343.

— 17. „ Eidem monasterio unio ecclesiae parochialis de Kynnedor, ipsi ab eodem episcopo concessa, confirmatur, inserto donationis instrumento. Nr. 693. pag. 345.

1372. 1. Ian. Episcopis Scotiae quaedam confirmatur concessio circa eorum decentium bona a Roberto rege in pleno parlamento facta. Nr. 694. pag. 346.

— 30. Iunii. Ecclesiam s. Ioannis Baptistae extra Dubliniam visitantibus, eique manus adiutrices porrigentibus quaedam indulgentiae conceduntur. Nr. 695. pag. 346.

— 6. Oct. Henricus decanus Laoniensis renuntiatur Finaborensis episcopus. Nr. 696. pag. 346.

— 22. „ Cornelius Ocyghernygh praeficitur ecclesiae Artfertensi in episcopum. Nr. 697. pag. 347.

— 25. Nov. Monasterio de Kylwynin ordinis s. Benedicti Glasguensis dioecesis confirmatur donatio iurispatronatus in quibusdam ecclesiis a nonnullis nobilibus facta. Nr. 698. pag. 347.

1373. 16. Mart. Nuntio apostolico in Scotia, ut qui non solverint decimas ad id censuris ecclesiasticis compellat. Nr. 699. pag. 348.

— 30. „ Episcopo Ergadiensi, ut cum Duncano nato Walteri Aulani et Helena Cambel super matrimonio in tertio et quarto affinitatis gradu inito dispenset. Nr. 700. pag. 348.

— 6. April. Ioannes Ocortran episcopus Clochorensis renuntiatur. Nr. 701. pag. 349.

EPISTOLAE URBANI PP. VI.

EPISTOLAE BONIFACII PP. IX.

1389. 10. Nov. Franciscus de Capponago collector generalis in Hibernia cum amplissimis facultatibus constituitur. Nr. 734. pag. 366.

1397. 7. Iulii. Ioannes Foxe canonicus Dublinensis cum iisdem facultatibus constituitur collector in Hibernia. Nr. 735. pag. 367.

EPISTOLAE GREGORII PP. XII.

1407. 12. Mart. Ioannes Foxe collector in Hibernia compellitur ad computum reddendum. Nr. 736. pag. 368.

1408. 13. Aug. Littera credentialis data episcopo Waterfordiensi circa convocationem concilii generalis pro tollendo schismate. Nr. 737. pag. 368.

EPISTOLA IOANNIS PP. XXIII.

1413. 3. Mart. Thomae Dublinensi, Ioanni Tuamensi, Nicolao Armachano et Richardo Cassellensi archiepis etc. ut ad concilium generale Pisanum continuandum pro tollendo schismate veniant. N. 738. p. 369.

EPISTOLAE MARTINI PP. V.

1418. 27. Febr. Datur littera passus nuntiis apostolicis et collectoribus Scotiae. Nr. 739. pag. 370.

1423. 17. Aug. Datur littera passus abbati de Pasleto ordinis Cluniacensis Glasguensis dioecesis. N. 741. p. 371.

— 13. Sept. Iudicibus, ut in archiepiscopum Dublinensem et epum Fernensem, aliosque praelatos et ecclesiasticos Hibernos schismatis fautores censuris ecclesiasticis animadvertant. Nr. 742. pag. 371.

1425. 17. Sept. Simon de Teramo et Ioannes de Opizis constituuntur nuntii apostolici et collectores in Hibernia et Scotia. Nr. 740. pag. 370.

EPISTOLAE EUGENII PP. IV.

1431. 17. Nov. Nuntio apostolico et collectori in Anglia, Scotia et Hibernia dantur solitae facultates. N. 743. p. 372.

1435. 21. April. Petro de Monte legationis et collectoriae officium extenditur ad Hiberniae insulam. Nr. 744. p. 372.

— 8. Maii. Guillelmus Croyser archidiaconus Thendaliae in ecclesia Glasguensi, beneficiis ecclesiasticis a rege Scotorum per instigationem episcopi Glasguensis iniuste privatus, in integrum restituitur. Nr. 745. pag. 373.

1436. 10. Iulii. Episcopo Glasguensi et abbati sancti Thomae martyris de Aberbrothoc conceditur subsidium caritativum mille ducatorum auri, quos episcopo Urbinati nuntio apostolico in Scotia dederant. Nr. 746. pag. 375.

1439. 27. Dec. Guillelmus Croyser constituitur nuntius apostolicus in Scotia, eique datur facultas episcopum Glasguensem a censuris absolvendi. Nr. 747. pag. 375.

1444. 7. Oct. Episcopo Imelacensi provisio de se ad dictam sedem iam facta denuo innovatur, excluso Roberto de Anglia. Nr. 749. pag. 376.

1445. 7. Mart. Andreae de Munroy archidiacono Rossensi datur pensio annua super fructibus mensae ecclesiae Rossensis. Nr. 748. pag. 375.

1446. 15. Iulii. Cum David Lyndesay super pluralitate beneficiorum dispensatur. Nr. 750. pag. 376.

EPISTOLAE NICOLAI PP. V.

1447. 28. Iulii. Episcopo Sancti Andreae, ut omnes Scotiae praelatos et ecclesiasticos, qui concilio Basileensi adhaeserint et Ferrariam venire noluerint, a censuris absolvat et in integrum restituat. Nr. 751. p. 377.

— 29. Oct. David Monypenny clerico Brechinensi datur expectativa beneficii ecclesiastici vacantis vel vacaturi in dioecesi Sancti Andreae. Nr. 752. pag. 378.

1448. 6. Aug. Ioanni episcopo Dunkeldensi innovatur provisio de se facta, et conferuntur omnia privilegia, quibus doctores studii generalis Sancti Andreae gaudent. Nr. 753. pag. 379.

— 13. „ Fundatio quatuor capellaniarum in ecclesia Dunkeldensi ab epo facta confirmatur. Nr. 754. p. 379.

1450. 5. Maii. Laurentio Pyot conceditur cantoria ecclesiae Moraviensis cum annexis canonicatu et praebenda eiusdem ecclesiae per modum novae provisionis. Nr. 755. pag. 380.

— 22. Dec. Ioanni Atholiae clerico Dunkeldensis dioecesis confertur parochialis ecclesia de Conuayth Sancti Andreae dioecesis. Nr. 756. pag. 381.

1451. 4. Ian. Parochialis ecclesia de Hamilton Glasguensis dioecesis erigitur in collegiatam. Nr. 757. pag. 382.

— 7. „ Erectio studii generalis in civitate Glasguensi. Nr. 758. pag. 382.

— 5. Febr. Confirmatio et approbatio collegii tredecim professorum seu S. Salvatoris fundati ab Iacobo episcopo in civitate Sancti Andreae. Nr. 759. pag. 383.

— 27. „ Revocatur unio plurimorum beneficiorum monasteriis concessa in civitate et dioecesi S. Andreae, ut disiuncta pauperibus clericis litterarum studio incumbentibus conferantur. Nr. 760. pag. 385.

EPISTOLAE CALIXTI PP. III.

EPISTOLAE PII PP. II.

1462. 17. Iulii. Iudicibus, ut Guillelmo Gordon de canonicatu ecclesiae beatae Mariae capellae regiae nuncupatae Sancti Andreae, et praebenda de Strabok in eadem provideant. Nr. 822. pag. 443.

— 27. „ David electo Moraviensi conceditur, ut a quocumque maluerit antistite catholico munus consecrationis recipere valeat. Nr. 823. pag. 443.

— 30. „ Iudicibus, ut Andreae Lesly clerico Aberdonensi canonicatum ecclesiae Moraviensis et praebendam de Spyne in eadem conferant. Nr. 824. pag. 443.

— 31. „ Iudicibus, ut Richardo Wyly de archidiaconatu ecclesiae Brechinensis provideant. Nr. 825. p. 444.

— 31. Aug. Ioanni Stronge rectoria parochialis ecclesiae de Callan alias Ralbride Ossoriensis dioecesis confertur. Nr. 826. pag. 445.

1463. 31. Ian. Geraldus de Geraldinis canonicus Clonensis ecclesiis Corkagensi et Clonensi unitis in episcopum praeficitur. Nr. 827. pag. 447.

— 29. Mart. Richardo Wyly rectoria parochialis ecclesiae de Kyunel Sancti Andreae dioecesis confertur. Nr. 828. pag. 448.

— 14. April. Iudicibus, ut de pravis actis a coadiutore episcopi Corkagensis in ipsum commissis inquirant, eundem coadiutorem amoveant, et episcopum in pristinum statum reponant. Nr. 829. pag. 449.

— 14. Iulii. Archiepiscopo Tuamensi, ut Bernardum Oheadra decanum ecclesiae Achadensis ab excessibus per eum patratis absolvat. Nr. 830. pag. 449.

— 30. „ Mauritius Macdomichayd confertur prioratus de Casdara ordinis sancti Augustini Elfinensis dioecesis. Nr. 831. pag. 450.

— 16. Sept. Iudicibus, ut David Weric ecclesiam parochialem de Cleuguhim Glasguensis dioecesis conferant. N. 832. pag. 451.

— 13. Nov. Mariae reginae Scotorum altare portatile et quaedam aliae gratiae conceduntur. Nr. 833. pag. 451.

1464. 12. Mart. Iudicibus, ut David Fitzmoris rectoriam parochialis ecclesiae de Randbarad Artfertensis dioecesis conferant. Nr. 834. pag. 452.

— 30. Iulii. Archiepiscopo Cassellensi, ut Dermicium Yhiffirnan monasterio sanctae Mariae de Surio Cisterciensis ordinis Lismorensis dioecesis in abbatem praeficiat. Nr. 835. pag. 452.

.... Providetur quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis et aliis gratiis. Nr. 836. pag. 453.

EPISTOLAE PAULI PP. II.

1468. 22. Febr. Iudicibus, ut erectionem ecclesiae s. Aegidii in oppido Edimburgensi in collegiatam per eiusdem oppidi magistratus factam auctoritate apostolica confirment. Nr. 837. pag. 455.

— 28. Sept. Iudicibus, ut Thomam Clinton (alias Clintonen) in possessione decanatus ecclesiae Dublinensis tueantur. Nr. 838. pag. 456.

— 4. Oct. Ecclesiae collegiatae beatae Mariae de Dunglas Sancti Andreae dioecesis perpetua vicaria parochialis ecclesiae de Enerwyk dictae dioecesis unitur. Nr. 839. pag. 457.

1469. 21. Ian. Willelmo Ydonhyn monasterio de Surio Cisterciensis ordinis Lismorensis dioecesis in abbatem praeficitur. Nr. 840. pag. 458.

— 4. Febr. Iudicibus, ut monasterio sancti Brogani de Motalia ordinis sancti Augustini Lismorensis dioecesis Roricum Ycamayn eiusdem canonicum in abbatem praeficiant. Nr. 841. pag. 459.

— 25. „ Collegio Sancti Salvatoris in oppido Sancti Andreae conceduntur privilegia studii generalis eiusdem oppidi circa promovendos ad gradus academicos. Nr. 842. pag. 460.

— 28. Mart. Thomae Scot lepra tacto conceditur facultas sibi constituendi coadiutorem in perpetua vicaria parochialis ecclesiae de Pemponch Glasguensis dioecesis. Nr. 843. pag. 460.

— 15. April. Iudicibus, ut episcopo Clonfertensi fratribus ordinis Minorum de observantia conventum fratrum Conventualium relictum conferendi licentiam concedant. Nr. 844. pag. 460.

— 9. Maii. Iudicibus, ut Thaddaeo Isullynayn et Mauritio Stake clericis quasdam decimas et alia bona prioratus s. Catharinae Waterfordensis dioecesis sub annuo censu concedant. Nr. 845. pag. 461.

— 14. Iulii. Ioannes Capello de Verona ex ordine Servorum beatae Mariae iurium, fructuum etc. camerae apostolicae debitorum in Hibernia collector constituitur. Nr. 846. pag. 462.

1470. 30. April. Ecclesia collegiata sancti Aegidii in oppido Edimburgensi, petente rege Scotorum, una cum sua clero ab iurisdictione episcopi Sancti Andreae eximitur, et sanctae sedi immediate subiicitur. Nr. 847. pag. 463.

— 10. Dec. Archiepiscopo Cassellensi, ut episcopum Corkagensem et Clonensem contra molestationes Willelmi Roche tueatur. Nr. 848. pag. 464.

1471. 11. Ian. Regi Scotiae Guillelmus Fergusii collector decimarum et aliorum proventuum commendatur. Nr. 849. pag. 464.

— 11. April. Eidem regi Scotiae super provisione abbatum de Abbirbroth et Melros. Nr. 850. pag. 465.

— 26. Maii. Eidem regi, ut Addunlop laico Glasguensis dioecesis in recuperandis haereditariis suis bonis, quibus inique spoliatus fuerat, praesto esse velit. Nr. 851. pag. 465.

EPISTOLAE SIXTI PP. IV.

1472. 17. Aug. Episcopatus Sancti Andreae in Scotia archiepiscopali dignitate decoratur. Nr. 852. pag. 465.

— 22. Dec. Mensae archiepiscopali Sancti Andreae unitur prioratus de Petyveynne ord. s. Augustini eiusdem dioecesis. Nr. 853. pag. 468.

1473. 26. Febr. Eidem mensae archiepiscopali quaedam ecclesiae parochiales uniuntur. Nr. 854. pag. 469.

— 26. „ Archiepiscopo Sancti Andreae subiiciuntur quaedam monasteria et ecclesiae suae dioecesis, sublata eisdem exemptione, qua antea gaudebant. Nr. 855. pag. 470.

— 3. April. Capella regia B. Mariae in civitate Dunclinensi erigitur in collegiatam, unito eidem prioratu de Coldingham ordinis s. Benedicti Sancti Andreae dioecesis. Nr. 857. pag. 472.

— 27. Iulii. Alizona Hom monasterio de Northberwyk Cisterciensis ordinis Sancti Andreae dioecesis, reiecta Elisabetha Forina, praeficitur. Nr. 856. pag. 471.

1474. 10. Febr. Annus Iubilaeus, Angliae et Hiberniae iam concessus, etiam regno Scotiae ad instantiam eiusdem regis et episcopi Glasguensis conceditur. Nr. 859. pag. 474.

— 14. „ Thomas episcopus Aberdonensis una cum clero suo ab omni iurisdictione archiepi Sancti Andreae eximitur, et sedi apostolicae immediate subiicitur. Nr. 858. pag. 473.

— 15. Mart. Ioanni Stak episcopo Artfertensi innovantur litterae suae provisionis, datis eidem insuper conservatoribus contra suos molestatores. Nr. 760. pag. 476.

— 25. April. Episcopo Glasguensi, ut cum Iacobo Hamylton et Maria Stewart super matrimonio dispenset. Nr. 861. pag. 477.

— 5. Dec. Nuntio apostolico, ut de excessibus archiepi Sancti Andreae inquirat et referat. Nr. 862. pag. 478.

1478. 9. Ian. Patricius archiepiscopus Sancti Andreae dignitate episcopali a pontifice privatur. Nr. 863. pag. 479.

— 11. Mart. Erigitur prope ecclesiam parochialem de Lesuarde Sancti Andreae dioecesis hospitale sub invocatione B. Mariae Consolationis de Lesuarde. Nr. 865. pag. 482.

— 11. „ Dantur executores et conservatores hospitali B. Mariae de Lesuarde nuper erecto. Nr. 866. p. 483.

— 17. „ Ecclesiae S. Salvatoris Sancti Andreae dioecesis adiungitur canonicatus cum praebenda in ecclesia parochiali de Lesuarde erigenda. Nr. 867. pag. 483.

— 17. „ Roberto Blakadir canonicatus cum praebenda in ecclesia de Lesuarde nuper erecta confertur. Nr. 868. pag. 484.

— 4. April. Hospitali ecclesiae de Lesuarde (alias Lessuarde) Sancti Andreae dioecesis quaedam indulgentiae conceduntur. Nr. 864. pag. 481.

1479. 17. April. Episcopo Artfertensi conservatores contra quosdam nobiles suae dioecesis bona episcopatus invadentes conceduntur. Nr. 869. pag. 484.

— 4. Aug. Guillelmus abbas B. Mariae de Lera praeficitur ecclesiae Ardakadensi in episcopum. N. 870. p. 486.

— 5. „ Hospitali de Dunglas Sancti Andreae dioecesis quaedam conceduntur indulgentiae. Nr. 871. p. 487.

1482. 30. Dec. Archiepiscopo Cassellensi, ut Waterfordenses ad recipiendum Nicolaum episcopum Lismorensem compellat. Nr. 872. pag. 487.

1483. 13. April. Robertus electus ab ecclesia Aberdonensi ad Glasguensem transfertur et in episcopum praeficitur. Nr. 873. pag. 488.

— 3. Maii. Iudicibus, ut capitulo Dublinensi decimas, quas fratres prioratus de Kylmaynan Dublinensis dioecesis indebite occupant, restitui curent. Nr. 874. pag. 490.

— 12. „ Iacobo comiti Dessimoniae confirmatur iuspatronatus super prioratu B. Mariae de Belloloco ordinis s. Augustini Artfertensis dioecesis. Nr. 875. pag. 491.

— 20. „ Datur littera passus Roberto episcopo Glasguensi. Nr. 876. pag. 491.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VIII.

1584. 17. Nov. Georgio episcopo Dunkeldensi datur littera passus. Nr. 878. pag. 493.

1485. 5. Febr. Ecclesia parochialis de Athuaryg Tuamensis dioecesis in collegiatam erigitur. Nr. 779. pag. 493.

— 8. „ Parochialis ecclesia s. Nicolai in oppido Galwyc Enachdunensis dioecesis erigitur in collegiatam. Nr. 877. pag. 492.

— 8. Iulii. Ioannes Dummore praeficitur ecclesiae Limiricensi in episcopum. Nr. 880. pag. 495.

— 5. Aug. Legato sedis apostolicae, ut pacem inter Iacobum regem Scotiae et regnicolas omnimodis reconciliet. Nr. 881. pag. 496.

1487. 31. Mart. Roberto epo Glasguensi, ut in dioecesi sua subsidium caritativum exigere possit. Nr. 882. p. 499.

— 10. Iunii. Iudicibus, ut de vita, moribus, morte et miraculis Margaritae quondam reginae Scotiae se informent et referant. Nr. 883. pag. 499.

— 23. „ Iudicibus, ut hospitale B. Mariae prope villam de Abodour Dunkeldensis dioecesis sororibus tertii ordinis sancti Francisci de poenitentia nuncupati assignent pro educatione filiarum pauperum. Nr. 884. pag. 500.

1488. 25. Maii. Robertus epus Glasguensis una cum suo clero et dioecesi ab omni iurisdictione archiepiscopi Sancti Andreae eximitur, et sanctae sedi immediate subiicitur. Nr. 885. pag. 502.

— 21. Iulii. Odo episcopus Rossensis contra Thaddaeum intrusum declaratur legitimus eiusdem ecclesiae episcopus. Nr. 886. pag. 503.

1490. 2. Ian. Archiepiscopo Sancti Andreae, ut confestim Romam veniat. Nr. 887. pag. 504.

— 12. Maii. Archiepiscopo Tuamensi conceduntur amplae facultates in prohibitis gradibus matrimonialibus dispensandi. Nr. 888. pag. 504.

1491. 9. Ian. Episcopatus Glasguensis in archiepiscopatum erigitur, eidemque Dunkeldensis, Dumblanensis, Candidaecasae, nec non Lismorensis episcopi assignantur suffraganei etc. Nr. 889. pag. 505.

1492. 18. Iulii. Episcopo Corkagensi et Clonensi dantur conservatores contra nobiles quosdam bona ipsius episcopatus invadentes. Nr. 890. pag. 506.

.... Constituuntur collectores in Hibernia et Scotia. Nr. 891. pag. 507.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. VI.

1493. 25. Ian. Iudicibus, ut Malachiae Ychellyd canonico Elfinensi quosdam proventus etc. parochialium ecclesiarum ad monasterium beatorum Petri et Pauli apostolorum de Innocentia Elfinensis dioec. pertinentium ad vitam sub annuo censu locare possint. Nr. 892. pag. 507.

— 27. Mart. Quibusdam iudicibus, petentibus archiepiscopo Cassellensi et abbate monasterii beatae Mariae de Mayo etc. praecentor Artfertensis in certis litibus iudex adiungitur. Nr. 893. pag. 508.

1494. 14. Dec. Willelmo epo Aberdonensi super sua praefectione, translatione ac defectu natalium. N. 894. p. 508.

1496. 5. Maii. Episcopo Dunkeldensi confirmatur locatio terrarum de Fordeli 'd mensam suam episcopalem pertinentium Elisabethae Arnot facta. Nr. 895. pag. 509.

PONTIFICATUS LEONIS PP. X

1513. 26. Febr. Henricus VIII. rex Angliae pontifici Polydorum Vergilium, collectorem in Anglia, Romam redeuntem commendat. Nr. 896. pag. 510.

— 12. Mart. Idem rex Leoni PP. X. fratres ordinis Minorum de observantia impense commendat, petitque, ut eos contra molestationes fratrum ordinis Minorum Conventualium in Germania, Belgio et Hollandia tueri velit. Nr. 897. pag. 510.

— 28. Sept. Idem rex Leoni X. iterum de supremo pontificatu adepto gratulatur, oratores suos ad obedientiam eidem praestandam se missurum, et expeditionem contra Turcas pro viribus adiuvare promittit. Nr. 898. pag. 511.

— 12. Oct. Idem rex pontificem de amplissima a Scotis relata victoria, de regis, S. Andreae archiepiscopi ac nonnullorum Scotiae episcoporum in eadem pugna interitu, ac de matrimonio inter sororem suam et Castellae principem certiorem reddit, petitque, ut ecclesiam Sancti Andreae dignitate metropolitana exuere, et ecclesiae Eboracensi veluti suffraganeam subiicere, et in praeficiendis ecclesiae Scoticanae episcopis suum consilium expetere velit, necnon sibi licentiam impertiri cadaver misere interempti Scotorum regis Londinum deferendi, ibique in ecclesia sancti Pauli regia honorificentia sepeliendi. Nr. 899. pag. 511.

— 10. Nov. Idem rex pontifici Thomam Cheyny suum oratorem commendat. Nr. 900. pag. 512.

1514. 28. Ian. Idem rex pontifici, ut designatum a regina Scotorum archiepiscopum Sancti Andreae confirmare velit. Nr. 901. pag. 513.

— 7. Maii. Idem rex cum pontifice de iniuriis eius nuntiis in Scotia illatis gravissime conqueritur, spondetque, si in votis ipsius esset, impiam Scotorum audaciam ob hasce iniurias, utpote sanctae apostolicae sedi irrogatas, valida armatorum manu retundere paratissimum se fore. Nr. 902. pag. 513.

— 12. Aug. Idem a pontifice petit, ut episcopum Lincolniensem purpura condecoret. Nr. 903. pag. 514.

1515. 18. Iunii. Idem rex petit a cardinali Iulio de Medicis, ut confirmationem electorum Clonensis et Herefordiensis apud pontificem urgere velit, adiecto processu consistoriali de ecclesia Herefordiensi. Nr. 904. pag. 514.

— 18. „ Idem rex Angliae pontifici, ut designatum Cluanensem confirmare velit. Nr. 905. pag. 515.

— 15. Iulii. Idem cum pontifice de christianorum principum in promovenda contra Turcas expeditione socordia conqueritur, petitque, ut iidem ad id gladio spirituali cogantur, seque promptissimum ad quaeque sacrificia praestanda spondet. Nr. 906. pag. 515.

— 27. Sept. Idem pontifici, ut nominatum Clochorensem confirmare velit. Nr. 907. pag. 516.

— 30. „ Idem rex pontifici de dignitate cardinalitia archiepiscopo Eboracensi collata effusissime grates reddit. Nr. 908. pag. 516.

— 29. Dec. Idem rex pontifici supplicat, ut credat, quae sibi episcopus Wigorniensis suo et cardinalis Eboracensis nomine exponet. Nr. 909. pag. 517.

1516. 16. Febr. Idem rex Angliae pontificem de morte Aragonum regis soceri sui certiorem reddit. N. 910. p. 517.

1516. 26. April. Idem pontifici, ut nominatum Herefordiensem (vide processum consistor. supra Nr. 904.) confirmare velit. Nr. 911. pag. 517.

— 28. Maii. Idem rex pontifici pro ecclesia Herefordiensi vacante Carolum Bothe archidiaconum Buchinghamensem iterum proponit. Nr. 912. pag. 517.

— 3. Iunii. Cardinalis Eboracensis, defuncto episcopo Nigropontano suo suffraganeo, alium cum eadem charactere a pontifice petit. Nr. 913. pag. 518.

— 9. Nov. Processus consistorialis super confirmatione electi Cluanensis. Nr. 914. pag. 518.

1517. 18. Ian. Rex Angliae pontifici, ut designatum ep̄um Landavensem confirmare velit. Nr. 915. pag. 519.

— 24. Mart. Instrumentum resignationis episcopi Rossensis. Nr. 916. pag. 519.

— 1. Maii. Rex Scotiae per ducem Albaniae pontifici solitam obedientiam praestat. Nr. 917. pag. 520.

— 17. Iulii. Rex Angliae pontifici, ut resignationem episcopi Rossensis approbare, et ecclesiae Rossensi abbatem S. Mariae de Fontevivo, retenta abbatia, praeficere velit. Nr. 918. pag. 220.

— 24. „ Scotiae gubernator pontifici, ut Andream Stewart ecclesiae Cathanensi praeficere velit. N. 919. p. 520.

— 26. „ Rex Angliae pontifici, ut nominatum Ardachadensem confirmet: processus consistorialis pro eius confirmatione. Nr. 920. pag. 520.

— 17. Aug. Scotiae gubernator preces pro confirmando abbate de Calco innovat. Nr. 921. pag. 522.

— 25. „ Idem Scotiae gubernator pontifici, ut archiep̄o Glasguensi abbatiam de Aberbrothoc in commendam conferre velit. Nr. 922. pag. 522.

— 25. „ Idem gubernator pontifici Iacobum Cottis oratorem suum commendat. Nr. 923. p. 522.

— 25. „ Idem Scotiae gubernator pontifici supplicat, velit aetate pupillari regis Scotiae durante privilegia regibus alias circa res ecclesiasticas concessa illibata conservare. Nr. 924. pag. 523.

— 25. „ Idem pontifici preces pro conferendo prioratu Candidaecasae fratri suo innovat. N. 925. p. 524.

— 2. Oct. Processus consistorialis pro monasterio de Arbroth, sive Aberbrothoc, sub invocatione s. Thomae martiris ordinis s. Benedicti S. Andreae dioecesis. Nr. 926. pag 524.

— 9. „ Processus consistorialis pro monasterio S. Mariae de Calco ordinis sancti Benedicti Sancti Andreae dioecesis. Nr. 927. pag. 526.

— 29. „ Processus consistorialis super resignatione episcopi Rossensis, et confirmatione electi ad eandem ecclesiam. Nr. 928. pag. 528.

— . . . . Informatio super monasterio de Calco et Thoma Ker promovendo in abbatem. Nr. 929. p. 530.

1518. 28. Febr. Angliae rex pontifici gratias agit de quibusdam per episcopum Wigorniensem sibi significatis. Nr. 930. pag. 531.

— 29. April. Idem rex pontifici, ut a se designatum ep̄um Assavensem confirmare velit. Nr. 931. pag. 531.

— 8. Dec. Idem Angliae rex pontifici significat, se quinquennales inducias ratas habere, ad idque Gallorum regem inducturum, salvis anterioribus foederibus. Nr. 932. pag. 531.

1519. 18. Aug. Idem rex cum pontifice de revocatione cardinalis Campegii amice conqueritur, cui eundem impense commendat. Nr. 933. pag. 532.

1520. 21. Ian. Idem rex pontifici per episcopum Wigorniensem suum oratorem quaedam exponenda curat. Nr. 934. pag. 532.

1521. 21. Maii. Idem rex Iulio cardinali de Medicis vacantem ep̄atum Wigorniensem confert. N. 935. p. 533.

— 21. „ Idem rex pontifici spondet nihil a se relictum iri, quominus omnes principes christianos ad haeresim Lutheranam radicitus evellendam excitet, mittitque ei librum a se contra Lutherum conscriptum. Nr. 936. pag. 533.

— 21. „ Cardinalis Eboracensis pontifici regis Angliae haeresis Lutheranae expugnandae studium impense extollit, eique de legationis officio sibi collato grates reddit. Nr. 937. pag. 533.

PONTIFICATUS HADRIANI PP. VI.

1523. 22. Febr. Rex Angliae Hadriano PP. VI. cardinalis Campegii miram in perfungenda sua legatione dexteritatem impense commendat, petitque, ut eumdem suum et regni protectorem benigne semper audiat. Nr. 938. pag. 534.

— 22. „ Idem pontifici de legatione cardinali Eboracensi collata gratias agit. Nr. 939. pag. 534.

— 23. „ Idem rex a pontifice petit, ut Petro Vannes, cardinali Eboracensi a secretis, collectoris officium in Anglia conferre velit. Nr. 940. pag. 535.

— 24. „ Cardinalis Eboracensis pontifici de munere legationis sibi collato grates reddit. Nr. 941. p. 535.

— 24. „ Idem cardinalis pontifici de amantissimis litteris sibi datis grates reddit, eique regem Angliae ob excelsum suum in avitam fidem animum impense commendat. Nr. 942. pag. 536.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VII.

1523. 13. Dec. Dux Albaniae regni Scotiae gubernator a pontifice petit, ut Ioannem Beynstonn Eduardo ep̄o Orchadensi eius fratri in coadiutorem concedat. Nr. 943. pag. 537.

1526	2. Ian.	Rex Angliae pontifici Ioannem Rossellum oratorem suum commendat. Nr. 978. pag. 552.
—	3. „	Cardinalis Eboracensis pontifici de bulla confirmatoria collegii Oxoniensis sibi missa grates reddit, petitque, ut in eadem quaedam nomina a scriptore perperam scripta corrigantur. N. 979. p. 553.
—	11. „	Regi Scotiae, ut regnum suum a labe et haeresi Lutherana immune conservet. Nr. 980. pag. 553.
—	10. April.	Angliae rex archiepiscopum Sancti Andreae pontifici impense commendat. Nr. 981. pag. 554.
—	16. „	Cardinalis Eboracensis pontifici de propenso erga se animo, deque indulgentiis capellae B. Mariae loci sui natalis concessis grates reddit. Nr. 982. pag. 554.
—	3. Maii.	Rex Angliae pontifici grates reddit de Gambara nuntio ad se misso, doletque, quod Melchiorem Langum alterum nuntium revocet. Nr. 983. pag. 554.
—	28. Iulii.	Cardinalis Eboracensis pontifici, ut collegium Oxoniense a se fundatum quibusdam gratiis augeat. Nr. 984. pag. 555.
—	4. Sept.	Idem cardinalis pontifici significat se ac regem eius studio res christianas componendi pro viribus obsecundaturos. Nr. 985. pag. 555.
1527.	5. Ian.	Rex Angliae pontifici Staphyleum episcopum Galliarum regis et suum oratorem enixe commendat. Nr. 986. pag. 556.
—	10. Iulii.	Rex Angliae cum cardinali Rodulpho de urbis clade, et de atrocissimis iniuriis summo pontifici illatis conqueritur, ipsique significat se cum Gallorum rege consilia de liberando pontifice communicaturum. Nr. 989. pag. 558.
—	5. Dec.	Cardinalis Eboracensis pontificem de luctuosissimo urbis excidio consolatur. Nr. 990. pag. 559.
—	6. „	Rex Angliae pontifici intimum sui animi dolorem de urbis excidio exponit, commendatque ipsi impensissime per oratorem suum negotium (ut videtur, matrimonii sui). Nr. 991. pag. 559.
—	31. „	Dux Albaniae pontificem in luctuoso urbis excidio consolatur, eumque de calamitosa Scotiae conditione certiorem reddit. Nr. 992. pag. 559.
1528.	7. Ian.	Cardinalis Eboracensis gratulatur pontifici de libertate recuperata post urbis excidium, commendatque ipsi negotia regis. Nr. 988. pag. 557.
—	8. „	Rex Angliae gratulatur pontifici de eius liberatione, commendatque ipsi negotia sua (ut videtur, matrimonii). Nr. 987. pag. 556.
—	19. Febr.	Rex Angliae pontifici de recuperata valetudine gratulatur. Nr. 993. pag. 560.
—	25. „	Idem rex pontifici significat, se votis ipsius obsecundantem ordini hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani 20,000. coronarum pro expeditione contra Turcas donasse. Nr. 994. pag. 561.
—	31. Maii.	Angliae rex commendat pontifici Alexandrum Douglas promovendum ad episcopatum Moraviensem in Scotia. Nr. 995. pag. 561.
—	31. „	Idem rex pontifici ordinem hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani impense commendat. N. 996. p. 561.
—	12. Dec.	Rex Angliae pontifici iterat preces pro conferenda episcopo Wigorniensi dignitate cardinalitia. Nr. 997. pag. 562.
—	15. „	Pontifex commendat regi Angliae cardinalem Campegium legatum, et Franciscum Campanum circa negotia publica christianitatis et privata ipsius regis in causa matrimonii missos. N. 998. p. 562.
—	15. „	Cardinali Eboracensi super eodem. Nr. 999. pag. 563.
1529.	20. Maii.	Rex Angliae commendat pontifici Willelmum Benet oratorem suum, quem Stephano Gardiniaro suffecerat. Nr. 1000. pag. 563.
—	20. „	Idem rex pontifici gratias agit de Sylvestro Dario in auditorem Rotae recepto, eumque negotia quaedam regni sui expositurum commendat. Nr. 1001. pag. 563.
—	29. Aug.	Pontifex regi Angliae significat se decisionem causae suae matrimonialis usque ad festum nativitatis Domini venturum suspendisse, declaratque censuras in inhibitione contentas quoad personam regis nullas. Nr. 1002. pag. 564.
—	1. Sept.	Cardinalibus legatis in Anglia pontifex significat se causam matrimonialem regis ad se advocasse, neque intentionem suam extitisse regi censuras infligere. Nr. 1004. pag. 565.
—	30. „	Angliae rex per litteras et per cardinalem Campegium Romam redeuntem cum pontifice conqueritur de iis, quae in causa sui matrimonii dirimendi acta fuerint, deque poenis ecclesiasticis sibi inflictis, petitque, ut causa ista novo aequiorique examini subiiciatur. Nr. 1003. pag. 564.
—	5. Oct.	Idem rex pontifici episcopum Wigorniensem suum oratorem commendat. Nr. 1005. pag. 565.
—	6. „	Pontifex Angliae regi dolorem exponit, quod non possit sine detrimento suae regisque conscientiae ipsi in causa matrimoniali complacere. Nr. 1006. pag. 566.
—	6. „	Cardinali Eboracensi super eodem. Nr. 1007. pag. 566.
—	7. „	Pontifex regi Angliae significat, advocasse ad se causam matrimonii, et illam suspendisse usque ad festum natalis Domini, et prohibitionem de non habendo uxorem fratris esse iuris positivi. Nr. 1008. pag. 566.
—	11. Nov.	Regi Angliae, ut una cum Caesare et Galliarum rege arma contra Turcas movere velit, et paci in Italia reconciliandae incumbat. Nr. 1009. pag. 567.

PONTIFICATUS PAULI PP. III.

1545. 20. Maii. Idem gubernator pontificem de gloriosa ab Anglis relata victoria, deque iniquis archiepiscopi Glasguensis in regnum molitionibus certiorem reddit. Nr. 1068. pag. 616.

— 6. Iulii. Cardinalis Sancti Andreae pontificem de bello in conventu Strivilingiano contra regem Angliae, avitae fidei et Scotorum hostem, decreto certiorem reddit. Nr. 1069. pag. 616.

— 6. „ Idem cardinalis pontificem de iniquis archiepiscopi Glasguensis facinoribus certiorem reddit, eique per oratores suos processum contra eundem instructum transmittit. Nr. 1070. pag. 617.

— 21. Dec. Idem Alexandrum Thedaldinum suum nuntium commendat pontifici. Nr. 1071. pag. 617.

1546. 1. Sept. Scotiae gubernator pontificem ac sacrum cardinalium collegium de impia caede cardinalis Sancti Andreae, deque afflictissimis regni ab Anglis invasi rebus certiores reddit, petitque per oratorem suum subsidium ad repellendos Anglos fidei hostes. Nr. 1072. pag. 618.

— 15. „ Iacobus Mariae Stuart reginae Scotorum tutor et gubernator pontifici, ut causam rectoriae de Strabrok in rota Romana decisam de novo ab ipsa rota examinari iubeat. Nr. 1073. pag. 620.

1547. 31. Iulii. Idem Scotiae gubernator pontifici, ut Iacobum Hamylton designatum archiepiscopum Glasguensem confirmare velit. Nr. 1074. pag. 620.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. III.

I.

Argumenta epistolarum Innocentii PP. III. annorum III. IV. et XVIII. et XIX. quae iniuria temporum deperierunt, de rebus Hibernicis, excerpta ex rubricellis Regesti dictorum annorum, a nobis inter vetera monumenta Slavorum meridionalium primum editis, Romae, typis Vaticanis, 1863. in fol. pag. 47—70.

Anni III.

Epistola 47. Regi Anglorum respondendo ad ea, que pro Episcopo Sancti Andee postulavit.

Ep. 61. Regi Scothorum super concessione privilegiorum ecclesie Scothicane concessorum.

Ep. 68. Episcopo Sancti Andree super remissione culpe facienda cuidam clerico sue diocesis, qui ab extraneo prelato fuerat ordinatus.

Ep. 174. Regi Conactie respondendo ad dubia, que movebat de maleficis ab ecclesiis extrahendis.

Ep. 215. Archiepiscopo Armachano et Cluanfordensi et Duacensi Episcopis super eiectione intrusi in ecclesiam Arferdensem, ac suspensione Archiepiscopi Casellensis, qui ipsum intrusit et consecravit, ac institutione veri electi ad ecclesiam memoratam.

Anni IV.

Ep. 219. Archidiacono Sancti Andree respondendo ad quasdam questiones, super quibus postulaverat edoceri.

Ep. 226. Universis clericis Cathedralium ecclesiarum Regni Conactie, quod Regium assensum in suis electionibus intervenire non recusent.

Ep. 227. Regi Conactie, quod huiusmodi gratia sibi concessa nullatenus abutatur.

Annorum XVIII. et XIX.

Ep. 132. Archiepiscopo et Capitulo Dublinensibus confirmatur quedam ordinatio, facta per bone memorie Iohannem Paperonum presbit. Cardinalem Legatum, super ordinatione sedis metropolitane in ecclesia Dublinensi.

Ep. 135. Prelati per Iberniam constituti reprehenduntur, quia inepte et inconsulte procedunt in decisionibus causarum, et absque consilio peritorum: mandatur eis, quod decetero non procedant in talibus decisionibus nisi de consilio peritorum.

Ep. 136. Archiepiscopo Dublinensi mandatur, ut cassatis conspirationibus et coniurationibus in Regno Ibernie contra Regem Anglorum attemptatis, si reperiat aliquos contra ipsum Regem insurgere, ad desistendum ipsos compellat.

Ep. 137. Iudicibus mandatur, ut clericos et personas ecclesiasticas, qui non verentur communicare cum excommunicatis, qui contra Regem Anglorum dñum suum insurrexerunt, puniant canonica censura.

Ep. 138. Regi Conachie scribitur et hortatur, ut constitutiones ordinatas in sancta synodo studeat observare, et quod electiones Episcoporum et Abbatum a clericis facere permittat.

Ep. 147. Iudicibus mandatur, ut quamdam sententiam latam pro Archiepiscopo Tuamensi et contra Archidiaconum Maionensem executioni demandent.

Ep. 181. Archiepiscopo Dublinensi et eius suffraganeis confirmantur nonnulla bona et possessiones, et definiuntur in littera, et conceduntur eidem Archiepiscopo multa privilegia.

EPISTOLAE HONORII PP. III.

II.

Archiepiscopo Armachano, ut archiepiscopo Tuamensi ecclesias violenter ereptas restituat. Reg. orig. An. I. epist. 9.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri Armachano Archiepiscopo, salutem etc. Olim venerabili fratri nostro ... Thuamensi Archiepiscopo, et tibi apud sedem apostolicam constitutis a bone memorie Innocentio papa, predecessore nostro, audientia benigna concessa, idem Thuamensis proposuit coram eo, quod tu Ardachadensi et Kenanensi episcopatibus, pertinentibus ad eius metropolim, ipsum per violentiam spoliaras, et de Kellmedoin, Kellbeneoim, Kelltulach, Enachemaisc, Kellmidoni, Cruachpatric, Achadabair, Odun et Turlacha ecclesias a suis predecessoribus in diocesi Thuamensi constructas et etiam consecratas, necnon possessiones ipsarum tibi usurpare contendens, ipsum super eisdem indebite molestabas: quare super predictis episcopatibus beneficium restitutionis exposcens, super aliis petiit te ab eius molestatione compesci. Lite vero super hiis legitime contestata, idem predecessor noster dilecto filio magistro Gregorio capellano nostro testium receptionem et examinationem committens, quia sicut ex eius tandem accepit relatione fideli, probatum non extitit, quod tu Thuamensem predictis episcopatibus spoliasses, te sententialiter super possessorio dumtaxat absolvit, questione proprietatis alterutri partium reservata. Verum quia eundem Thuamensem esse constitit in possessione iura episcopalia in predictis ecclesiis exercendi, que secundum etiam confessionem tuam sunt in diocesi Thuamensi, prohibuit, ne tu ipsum super eisdem ecclesiis et earundem pertinentiis inquietes. Ne igitur sepedictus Thuamensis occasione verborum illorum, eorundem videlicet pertinentiis in villis et ecclesiis supradictis plus usurpare presumat, quam sibi a canonibus ratione iuris episcopalis permittitur: Nos volentes indempnitati tue paterna sollicitudine precavere, insinuatione presentium declaramus, predictam clausulam ad illa debere restringi, que iuri episcopali noscuntur annexa. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostre declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc presumpserit attemptare, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Perusii III. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

III.

Archiepiscopo Dublinensi, ut vagantes religiosos ad observantiam regularis disciplinae compellat. Reg. An. I. epist. 33.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Cure pastoralis sollicitudinem, quam in te vigere prospicimus, in domino commendantes, auctoritate tibi presentium indulgemus, iuxta quod a nobis humiliter postulasti, ut religiosos in diversis cellulis tue provincie commorantes, ubi propter defectum temporalium conversis vagantibus non observatur ordinis disciplina, deliberatione provida in unum possis locum idoneum congregare, ordinis observantiam de religiosorum et prudentum virorum consilio instituens in eodem, religionis professos per diversa loca vagantes ad monasteria sua redire per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo. Datum Laterani IIII. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

IV.

Rex Scotiae monetur, ne in regem Angliae conspiret. Reg. An. I. ep. 169.

Honorius episcopus etc. Illustri Regi Scotie et complicibus suis, spiritum consilii sanioris. Multum fame vestre derogat et saluti, quod a fidelitate vestri domini naturalis, et a devotione Romane ecclesie matris vestre secuti conspiratorum perfidiam recessistis, non erubescentes simul utrumque relinquere, qui pro eorum utrolibet observando debueratis, si exegisset necessitas, carceres et exilia sustinere. Monemus igitur discretionem vestram, rogamus et obsecramus in domino, per apostolica vobis scripta firmiter precipiendo mandantes, quatenus karissimi in Christo filii nostri H. Regis Anglie illustris innocuam respicientes etatem, et ad ipsam Romanam ecclesiam, in cuius iniuriam est huiusmodi conspiratio attemptata, debitum respectum habentes, ad ipsius Regis fidelitatem, et devotionem apostolice sedis, relicto impiorum consilio, redeatis, non obstantibus iuramentis illicitis prestitis Lodovico: quia si conversi ad dexteram revocaveritis provide, quod improvide attemptastis, vobis nostram ac apostolice sedis gratiam et favorem specialiter pollicemur, nichilominus ad gratiam ipsius Regis integre rehabendam, et iura vestra insuper consequenda apostolicum vobis auxilium promittentes. Datum Laterani XVI. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Nobilibus viris Roberto de Ros et complicibus suis, Lewelino et baronibus Quinqueportuum et eorum complicibus, comitibus Guarannie, de Clare, de Arundel et Rugerio Bigot.

V.

Archiepiscopo Dublinensi, ut rebelles Hibernos ad obedientiam regis Angliae redire compellat. Reg. An. I. epist. 172.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Non iam magis militia, quam malitia dici potest vita hominum super terram, cum frigescente caritate sic habundet iniquitas, ut non solum deseviat par in parem, sed

etiam contra dominum subditus erigere se presumat, sicut in regno Anglorum evenisse cernimus et dolemus, illis karissimum in Christo filium nostrum H. Anglie Regem illustrem naturalem dominum suum, vinculo fidelitatis abrupto, nequiter impugnantibus, qui pro eius honore tuendo usque ad mortem deberent utique decertare: usque adeo autem invaluit malitia perfidorum, ut nonnulli etiam de regno Hybernie in consilium abierint eorundem, et ponentes suam cum impiis et infidelibus portionem, non solum dolos contra Regem concinnare studeant memoratum, verum etiam assertis eundem iniuriis lacescere non formident. Quoniam igitur ad occurrendum tribulationibus dicti Regis multiplex quidem ratio nos inducit, quippe cum ecclesie Romane vassallus, ac pupillus, ac crucesignatus existat, et tam ipsum quam regnum eius custodie nostre ac apostolice sedis commiserit clare memorie pater eius positus in extremis: fraternitati tue, de cuius fide ac prudentia gerimus fiduciam specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus illos, qui de prefato regno Hibernie in iam dicti Regis devotione persistunt, ad eam ferventius animare studeas sollicite ac sollerter, et eos, qui abalienati retrorsum conversi a dextera in sinistram a fidelitate regia recesserunt, ad eandem studeas, quibuscumque modis expedire videris, revocare. Nos enim agendi ea, que ad hoc esse cognoveris necessaria, liberam tibi concedimus auctoritate presentium potestatem, ratas habituri sententias, quas rationabiliter tuleris in rebelles. Datum Laterani XVI. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

VI.

Iudicibus, ut de iis, quae ab epo S. Andreae perperam acta fuerint, inquirant. Reg. An. I. epist. 424.

HONORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Epo, et dilectis filiis Magistro I. de Heduno et S. de Lindesia canonicis Dunkeldensibus, salutem etc. Dilectus filius Eustatius canonicus Sancti Andree de Scotia in nostra presentia constitutus nobis denuntiando monstravit, quod cum venerabilis frater noster Episcopus Sancti Andree de mandato bone memorie I. pape predecessoris nostri Cathanensem episcopum consecrarit, et ille, prout tenebatur, paratus fuerit exhibere illi predicti predecessoris nostri nomine fidelitatis et obedientie iuramentum, idem non solum illud recipere recusavit, verum etiam ad sedem apostolicam appellando, ne iuramentum illud prestaret, penitus contradixit. Preterea mandati apostolici fines excedens, A. et H. ad Dumblanensem et Brekinensem ecclesias electorum, licet sint filii sacerdotum, electionem absque apostolice sedis dispensatione confirmans, ipsos in episcopos consecravit, et in tantam prerupit presumptionis audaciam, quod litteras eiusdem predecessoris nostri optentas super correctione ecclesie Sancti Andree propriis manibus non est veritus cancellare, ac correctionem ipsius ecclesie de apostolico faciendam mandato primo, secundo et tertio impedivit, et etiam quendam hominem capituli eiusdem ecclesie pro eo, quod quosdam de capitulo laborantes pro correctione predicta receperat in hospitium, fecit carceri mancipari, Kelledeos quoque de Sancto Andrea ab executoribus a prefato predecessore nostro concessis, exigente iustitia, vinculo excommunicationis astrictos post appellationem ad sedem apostolicam legitime interpositam presumpsit absolvere, ac in quosdam de capitulo post provocationem legitimam pluries excommunicationis sententiam promulgare, et non solum appellationibus rationabiliter ad sedem apostolicam impositis deferre contempnit, sed et appellantes excommunicationis mucrone percellit. Villam insuper de Clerkentono ad capitulum pertinentem post appellationem ad sedem apostolicam legitime interpositam occupavit, ipsi capitulo, ut id fieri permitterent, promissionem faciens vitio simoniace pravitatis infectam, quo multipliciter noscitur irretitus: ac cum esset episcopus Glascuensis, antequam ipsius postulatio esset per sedem apostolicam approbata, ad prefatam ecclesiam Sancti Andree se transtulit, et amministrationi tam spiritualium quam temporalium temere se immiscens, sabbato quatuor temporum in Septembre, cum eius postulatio precedenti quarta feria fuerit celebrata, in eadem ecclesia ut ipsius episcopus ordines celebravit. Litteras etiam apostolicas eidem et aliis directas contempnens, obedientiam et reverentiam sedi apostolice debitam non impendit, ex eo sumens audaciam delinquendi, quod, ut publice protestatur, nullus in regno Scotie contra eum aliquid audeat attemptare. Et licet idem canonicus tam per se, quam per venerabiles fratres nostros Glascuensem et Moraviensem episcopos, et religiosos alios ipsum pluries caritative monuerit, ut super hiis et aliis excessibus corrigeret semetipsum, idem id efficere non curavit. Cum igitur hec, si vera sint, non debeamus conniventibus oculis pertransire, discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus ad prefatam ecclesiam accedentes, et habentes pre oculis solum deum, gratia, odio et timore postpositis, audiatis et inquiratis, appellatione postposita, super hiis et aliis, que proposita fuerint contra eum, et que ipse ad excusationem suam duxerit proponenda, et que inveneritis, fideliter redigentes sub sigillis vestris ad nostram presentiam remittatis, assignantes eidem terminum competentem, quo per se vel responsalem idoneum nostro se conspectui representet, ut per vestram relationem instructi, eo presente, prout procedendum fuerit in ipso negotio, auctore domino, procedamus. Testes autem, qui super ammonitione premissa fuerint nominati, si se gratia, favore vel odio subtraxerint, per censuram ecclesiasticam compellatis veritati testimonium perhibere. Ad hec autem, cum predictus canonicus utpote regularis non habeat proprium, volumus et mandamus, ut in prosecutione predicti negotii faciatis eidem in moderatis expensis a prefata ecclesia provideri. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, et alia iuris remedia compescendo. Quod si non omnes hiis exequendis interesse poteritis, tu, frater episcope, ea exequenda cures. Datum Laterani V. Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno primo.

VII.

Archiepiscopus Dublinensis legatus sedis apostolicae ad reconciliandos Hibernos cum rege Angliae constituitur. Reg. An. I. epist. 421.

Honorius episcopus etc. Venerabilis fratri ... Dublinensi Archiepiscopo, apostolice sedis legato, salutem etc. Videntes et dolentes indignationis ollam in regno Anglie flante aquilone succensam, que circumquaque varaginis sue flammas effundens illos cum Chaldeis, qui eam succendunt, incendit et circumpositas regiones involvit, et in remotarum partium et maxime terre sancte furet irreparabile detrimentum. Quia nequivimus in tempore occurrere, succurrere post causam cogimur vulneratam, interesse nostrum principaliter prosequendo, tum quia regnum predictum ad Romanam ecclesiam pertinet pleno iure, quo perditionis filii eam, dei timore postposito, contempta excommunicationis sententia tam in invasores, quam in adiutores et fautores eorum in generali concilio sollempniter promulgata, spoliare contendunt: tum quia vidimus animarum multarum, quarum nobis est cura commissa, periculum manifestum: tum etiam quia terre sancte succursus, ad quem inspirante domino aspirat populus christianus, ex hoc enormiter prepeditur. Audito igitur, quod flamma ignis huiusmodi usque in Hiberniam rapiatur, eam in superbia fumi convolvens, dum quidam propria malitia excecati contra carissimum in Christo filium nostrum H. Regem Anglorum illustrem, pupillum et orphanum crucesignatum cure sedis apostolice derelictum, se infideliter erigentes, fideles eius impie persecuntur: Nos volentes illuc manum dirigere adiutricem, si forte dominus infundens misericordie sue rorem, furorem ignis deprimat sevientis, te, de cuius fide et prudentia plenam in domino fiduciam obtinemus, pleno tibi concesso legationis officio, ad partes ipsas duximus destinandum, ut tam super reformanda pace, quam super succursu regis predicti statuas, prout secundum deum videris expedire. Quocirca fraternitatem tuam monemus et hortamur attente per apostolica scripta mandantes, quatenus iniunctum tibi legationis officium ita studeas exequi fideliter et prudenter, ut qui te honoravimus in partem sollicitudis assumendo, in nobis honorem, plenitudinem potestatis, et apud deum meritum et apud homines tibi compares nomen bonum. Nos enim sententiam, quam rationabiliter tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore domino firmiter observari. Datum Laterani iii. Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno primo.

VIII.

Armachano electo, ut cuidam presbytero de homicidio nequiter accusato absolutionem impendat. Reg. An. II. epist. 550.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio ... Electo Armachano, salutem etc. Constitutus in presentia nostra T. presbiter Armachane diocesis humili nobis relatione monstravit, quod cum Hel et quidam alii eiusdem diocesis, cum coram te, dum adhuc esses in archiaconatus officio constitutus, de homicidii crimine detulissent, quatuor testes corruptos pecunia, quorum tres adhuc erant in annis minoribus, producentes, tu purgationem cum quinquagesima et octava manu presbiterorum diocesis eiusdem et lingue ipsi presbitero indixisti: quare idem presbiter, quia in diocesi memorata tot sacerdotes ipsius lingue non poterant inveniri, nec aliunde licebat ei compurgatores habere, sentiens se iniuste gravari, nostram audientiam appellavit. Tu vero eius appellatione contempta, ipsum ab officio et beneficio motu proprio suspendisti: unde nobis humiliter supplicabat, ut super hoc providere sibi de benignitate sedis apostolice dignaremur. Dum igitur pene non exasperande sint, sed potius mitigande, per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus ab eo de canonica purgatione cum septima sacerdotum manu infra terminum competentem prestanda, sufficienti cautione recepta, ipsi iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas. Alioquin dilectis filiis sancte Marie et sancti Thome Abbatibus, et Priori sancte Trinitatis Dublinensis damus nostris litteris in mandatis, ut eidem iuxta prescriptam formam absolutionis beneficium impendentes, et iniuncto sibi, quod de iure fuerit iniungendum, audiant, si quid fuerit questionis, et appellatione remota canonico fine decidant, facientes, quod decreverint, auctoritate nostra firmiter observari. Datum Ferentini Kalendis Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

IX.

Iudicibus, ut de statu ecclesiae Maionensis inquirant et referant. Reg. An. II. ep. 730.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Clocorensi, et dilectis filiis ... Abbati sancte Marie de Kaenenos Midensis diocesis et ... Archidiacono Ardochadensi, salutem etc. Accedens ad nostram presentiam dilectus filius ... procurator ecclesie Maionensis proposuit coram nobis, quod cum ab antiquo eadem ecclesia fuerit cathedralis, bone memorie I. tituli sancti Stephani in Celiomonte presbiter cardinalis, qui tunc in partibus Ybernie legationis officio fungebatur, Tuamensis capituli versutia circumventus, Maionensem ecclesiam tamquam simplicem parrochialem adiudicavit contra omnem iustitiam Tuamensi. Cumque processus huiusmodi fuisset per ven. fratrem nostrum ... Armachanum archiepiscopum, et coniudices suos a sede apostolica delegatos legitime revocatus, tandem canonici Maionenses archidiaconum suum in pastorem concorditer elegerunt. Qui cum venisset ad presentiam felicis recordationis I. pape predecessoris nostri, prosecuturus ius electionis sue dumtaxat, cum venerabili fratre nostro ... Tuamensi archiepo reproba paccione colludens, passus est fraudulenter sopitam reviviscere questionem, in qua falso procuratorem se asserens, de statu cepit ecclesie litigare, sic totus accedens ad desideria Tuamensis, quod partem eius ad victoriam procurata confessione produxit, ultro confessus predicti legati processum de revocatione non habita mentione. Ceterum quia pernitiosum nimis et detestabile videretur exemplo tali commento statum alicuius cathedralis ecclesie interverti: procurator predictus multum suppliciter institit, et cum multa instantia supplicavit, ut super hiis

aperire provisionis apostolice oculum dignaremur. Nos autem licet non immerito propter auctoritatem late sententie difficiles fuissemus a principio supplicanti, tamen quia se obtulit claris probationibus ostensurum, quod Maionensis ecclesia cathedralis extiterat ab antiquo, et in causa ipsa legatus fuerat circumventus, eiusque processus postmodum revocatus, quodque dictus archidiaconus falsus extitit procurator, et cum adversa parte conclusit, ne de nimio possemus rigore redargui, in hoc tandem condescendimus post nos nimium acclamanti, ut videamus, quam, qualem quantamque fidem facere poterit de premissis. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis predicto Tuamensi et aliis, qui fuerint evocandi, audiatis diligenter quicquid hinc inde fuerit propositum coram vobis, que inveneritis, fideliter in autentica scripta redacta sub vestris inclusa sigillis ad sedem apostolicam remittentes, prefixo partibus termino competenti, quo per se vel procuratores idoneos super hiis nostro se conspectui representent, quod canonicum fuerit, auctore domino, recepture. Testes autem etc. Quod si non omnes, tu, frater episcope, cum eorum altero etc. Datum Laterani v. Kalendas Decembris, Pont. nostri anno secundo.

X.

Iudicibus, ut de causa archidiaconi Laoniensis ad eandem ecclesiam electi inquirant, electionem, si ea canonice facta fuerit, confirment, electo intruso. Reg. An. II. epist. 784.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Tuamensi et Cluanfertensi et Enechdunensi Epis, salutem etc. Accedens ad presentiam nostram dilectus filius D. archidiaconus Laoniensis ecclesie nobis humiliter intimavit, quod ecclesia ipsa pastore vacante, ipsius capitulum eum in epum suum canonice ac concorditer elegerunt, super quo etiam exhibuit decretum eiusdem capituli singulorum subscriptionibus roboratum. Verum ... Waterfordensis, ... Imilicensis et ... Limiricensis episcopi Robertum Travers per potentiam G. de Marisco iustitiarii Ybernie, avunculi sui, violenter in ecclesiam ipsam post electionem intrusum consecrare in eius episcopum presumpserunt, post appellationem ad nos legitime interiectam, in executionem presumptionis huiusmodi pretendentes, quod electio de dicto Roberto presumpta per quendam subdiaconum, quem venerabilis frater noster ... Cassellensis archiepiscopus metropolitanus loci, tunc ad apostolicam sedem venturus, procuratorem suum reliquerat, fuerat confirmata. Unde postulabat instanter, ut prefatum intrusum removentes ab ecclesia memorata, et pro sue presumptionis excessus canonice punientes episcopos antedictos, confirmaremus electionem de ipso archidiacono celebratam. Licet autem idem archidiaconus nobis multas litteras exhibuerit, per quas ei perhibebatur testimonium de predictis, et que ipsum de vita et scientia commendabant: quia tamen pro parte altera nullus comparuit coram nobis, et contra illam absentem et indefensam non erat taliter procedendum, ipsius archidiaconi preces exaudiri nequivimus in hac parte. Volentes autem eidem in iure suo, sicut tenemur, adesse, causam huiusmodi vestro duximus examini committendam, discretioni vestre per apostolica scripta mandantes, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis, que hinc inde duxerint proponenda, si vobis constiterit de premissis, humano amore et mundano timore postpositis, prefatum intrusum ab ipsa ecclesia penitus amoventes, examinetis electionem factam de archidiacono memorato, et si eam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, illam auctoritate nostra, sublato cuiuslibet contractus et appellationis obstaculo, confirmetis, et facientes ipsum pacifica eiusdem ecclesie possessione gaudere, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, prefato archiepiscopo iniungatis, ut eidem munus consecrationis impendat, sicut ad eum noscitur pertinere. Prefatos autem episcopos, si vobis constiterit, eos post legitimam appellationem intrusum consecrasse predictum, pro tante temeritatis excessu suspensos ad nostram presentiam transmittatis, ut et iidem in pena culpe quantitatem agnoscant, et hiis, quibus presumptio fuit in scandalum, sit punitio in exemplum. Testes autem etc. Nullis litteris obstantibus harum tenore tacito a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes, duo vestrum etc. Non obstante constitutione concilii generalis, qua cavetur, ne quis ultra duas dietas extra suam diocesim ad iudicium trahi possit. Datum Laterani Nonis Ianuarii, Pontificatus nostri anno secundo.

In. e. m. Cluamfertensi, Enechdunensi et Fumwarrensi Episcopis pro G. can. Artfertensis ecclesiae.

XI.

Archiepiscopo Dublinensi pontifex significat, se causam electorum Artfertensis et Laoniensis quibusdam commissariis examinandam tradidisse. Reg. An. II. epist. 914.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Archiepiscopo Dublinensi, apostolice sedis legato, salutem etc. Litteras fraternitatis tue consueta benignitate recepimus, et ea, que super negotio Artfertensis et Laoniensis ecclesiarum nobis significasti per illas, notavimus diligenter. Sane hii, qui ad ipsarum ecclesiarum regimen ante ordinationem illorum, de quibus nobis scripsisti, asserunt canonice se electos, ad presentationem nostram estate preterita venientes, coram nobis graviter sunt conquesti, quod cum ad predictarum ecclesiarum regimen canonice fuissent electi a capituli earundem, officialis venerabilis fratris nostri .... Cassellensis archiepiscopi, de quo in tuis fecisti litteris mentionem, quosdam in ecclesiis ipsis per potentiam laicalem intrusos fecit in earum episcopos, reclamantibus earundem capitulis, consecrari: super quo licet litteras ostenderent diversorum, nos tamen ipsos per quatuor menses et ultra fecimus expectare, si forsan adversarius aliquis compareret, ac demum nemine comparente, quosdam de fratribus nostris eisdem concessimus auditores: qui cum ea, que proposuerunt coram eis, et per testimoniales litteras astruere conabantur, nobis fide-

liter retulissent, nos licet postularent instanter, ut revocato, quod factum fuerat per officialem predictum, dignaremur electiones, que de ipsis facte fuerant, confirmare, quia tamen nemo pro parte altera comparebat, contra illam absentem et indefensam non duximus aliter procedendum, sed negotia ipsa sub certa forma commisimus, per quam partes utreque suam poterunt iustitiam obtinere: unde licet nuntii tui ad hoc diligenter institerint et prudenter, commissiones tamen super hiis factas non duximus revocandas. Datum Laterani II. Kalendas Martii, Pont. nostri anno secundo.

XII.

Episcopo Fernensi, ut litem quamdam super terris etc. cum Anglise marescallo coram archiepiscopo Dublinensi eiusque coniudicibus amicabiliter componat, adiuncto mandato super hoc archiepo Dublinensi dato. Reg. An. II. epist. 1224.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo Fernensi, salutem etc. Cum pactum pacis actus dicatur, quam debet quilibet amplexari, tutius est lites sopiri amicabili pactione, quam iudicio diffiniri. Quia interdum multa solent etiam executionem sententie prepedire, ideoque fraternitatem tuam monemus et hortamur attente per apostolica scripta mandantes, quatenus ad componendum cum nobili viro W. marescalco Anglie super causa, que inter te ac ipsum coram venerabili fratre nostro ... Archiepiscopo Dublinensi et eius coniudicibus auctoritate apostolica vertitur, te facilem studeas exhibere, cum nos eidem super hoc nostras litteras dirigamus, quia nolumus, ut inter vos materia remaneat litigandi, que non solum partibus, sed etiam aliis posset esse dampnosa. Datum Laterani VII. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. W. Marescalco Anglie.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Archiepiscopo Dublinensi, apostolice sedis legato, et dilectis filiis eius coniudicibus a sede apostolica delegatis in causa, que inter venerabilem fratrem nostrum Fernensem Episcopum et nobilem virum W. Marescallum Anglie super terris et rebus aliis noscitur agitari, salutem etc. Cum causa, que inter venerabilem fratrem nostrum... Fernensem Episcopum et nobilem virum W. Marescallum Anglie vertitur, vobis sit a sede apostolica delegata: quia et vobis commodius et partibus erit securius, ut compositione quam iudicio terminetur, discretionem vestram monendam duximus et hortandam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ad componendum amicabiliter inter eos interponatis sollicite partes vestras, mandatum apostolicum, quamdiu ad tractatum pacis videbitur oportunum, interim suspendentes, processuri ex tunc, si compositio non poterit provenire, iuxta priorum continentiam litterarum. Datum ut supra.

XIII.

Episcopis Scotiae pontifex annuntiat, Robertum de S. Germano clericum a se, precibus regis Francorum permoto, a crimine rebellionis in regem absolutum fuisse. Reg. An. II. epist. 1160.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Sancti Andree, et universis aliis Episcopis Scotie, salutem etc. Miserator et misericors dominus, qui misertus miserie hominis nullum ita miserum derelinquit, ut suas contineat erga ipsum miserationes in ira, que super omnia opera eius existunt: sed miserando maxime suam nobis omnipotentiam manifestat in filio prodigo peccatori, quilibet qui post lapsum adicit, ut resurgat, magnam venie spem promittit, et in patre ipsius miseriam miserante memoriale nobis tribuit miserationis exemplum, cum non solum occurrerit revertenti filio, sed eidem contulerit stolam primam. Huius igitur pii patris vestigia, cuius locum in terris gerimus, imitantes, pietatis viscera continere non potuimus, cum dilectus filius Magister Robertus de Sancto Germano clericus, qui post greges sodalium pro facto Anglie excommunicatorum a nobis in longinquam dissimilitudinis regionem abierat, ad cor suum humiliter est reversus, nostreque ianuam miserationis pulsando clamaret, ut quia coram nobis peccaverat et in celum, nec erat vocari filius noster dignus, quasi unum ex nostris mercennariis faceremus eundem: quapropter licet ob facti gravitatem predicti non immerito fuissemus commoti adversus clericum memoratum, quia tamen humane fragilitatis miseriam, et quod nostra dissimulantur a patre misericordiarum peccata propter penitentiam attendentes, moti sumus misericordia super ipsum, eidem ad preces karissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris, et instantiam nuntiorum, quos ad apostolicam sedem propter hoc nobilis vir L. primogenitus eius transmisit, iuxta formam ecclesie beneficium fecimus absolutionis impendi, ipsumque in plenam gratiam apostolice sedis admisimus, nichil ei de suis beneficiis subtrahendo, nisi iam a legato subtracta fuerint et collata. Datum Rome apud S. Petrum VII. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

XIV.

Moraviensibus, ut episcopo suo a sententia excommunicationis absoluto obediant. Reg. An. III. epist. 102.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo et universo clero et populo Moraviensibus, sal. etc. Et verbera patris et ubera matris apostolica sedes habens, sic corripit filios delinquentes, ut correctos consolationis reficiat ubertate, ne si virge passim parceret, filios videretur odisse, dum eos relinquens proprie voluntati curam negligeret eorundem: quia et dominus tunc vehementius est iratus, cum erga delinquentes signa continet irascentis, qui quos diligit, corripit et castigat, ut castigatos uberiori gratia prosequatur. Unde licet venerabilis frater noster ... Moraviensis episcopus pro eo, quod tempore turbationis Regnorum Anglie ac Scotie graviter nos et ecclesiam Romanam in multis offendit, eius senserit disciplinam, dum vinculo excommunicationis astrictus, cum litteris dilecti filii nostri G. tituli sancti Martini presbiteri cardinalis, apostolice sedis legati ad nostram presentiam personaliter laboravit: Nos tamen, qui propter hoc iuste commoti fuimus contra eum, nequeuntes in ira misericordie oblivisci, eidem

in corde contrito, et humiliato spiritu veniam flagitanti iuxta formam ecclesie munus fecimus absolutionis impendi, et cum requireremus ab eo sub debito iuramenti, quod nobis prestiterat, utrum post interdictum legati predicti divina officia celebrasset, de quo ipsum habebamus valde suspectum, idem id negavit omnino: unde ipsum cum nostre gratie plenitudine remittentes, vestre universitati per apostolica scripta mandamus, quatenus ei tamquam epo et pastori animarum vestrarum in hiis, que ad dominum pertinent, intendatis humiliter et devote. Datum Laterani Nonis Novembris, Pont. nostri anno tertio.

XV.

Electo Norvicensi, ut pacem inter Angliae et Scotorum reges initam nomine sedis apost. vel confirmet vel reprobet. Reg. An. III. epist. 111.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Pandulfo Norvicensi Electo, camerario nostro, apostolice sedis legato, sal. etc. Karissimus in Christo filius noster Alexander Rex Scotorum illustris nobis fecit humiliter supplicari, ut compositionem, que inter clare memorie W. patrem suum et inclite recordationis I. Regem Anglie olim pro bono pacis super diversis articulis intervenit, prout in eiusdem Regis Anglie litteris plenius continetur, quarum transcriptum sub sigillis venerabilium fratrum nostrorum ... Sancti Andree,... Dunkeldensis et ... Catavensis Eporum nobis extitit presentatum, confirmare vel infirmare, sicut esset faciendum de iure, auctoritate apostolica dignaremur. Quia igitur in tanto negotio non nisi maturo est consilio procedendum, nos de circumspectione tua plenam in domino fiduciam obtinentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus predicte compositionis tenorem et circumstantias singulas inspiciens diligenter, eam auctoritate nostra sub apostolica obedientia confirmare vel infirmare procures, sicut de iure videris expedire. Datum Laterani IIII. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

XVI.

Cancellario regis Scotorum remittitur, ne ad curiam veniat ad se purgandum de rebellione in regem, et poenitens delicti absolvitur et restituitur in officium et beneficia. Reg. An. III. epist. 110.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Willelmo de Bosco, cancellario karissimi in Christo filii nostri A. Regis Scotorum illustris, salutem etc. Etsi nonnulle sint culpe, in quibus est culpa relaxare vindictam, illius tamen licet immeriti vicarii constituti, qui parcendo maxime ac miserando suam omnipotentiam manifestat, libenter in cunctis nostris actibus misericordiam amplexamur, penitentibus, qui culpas proprias humiliter recognoscunt, misericorditer ignoscendo, ut misericordes a domino misericordiam consequamur, et alii misericordiam consecuti sciant se ad miserandum aliis debitores. Sane cum sicut dilectus filius noster G. tituli sancti Martini presbiter cardinalis, apostolice sedis legatus, suis nobis litteris intimavit, te a vinculo excommunicationis, quo tuis culpis exigentibus eras astrictus, pro eo videlicet, quod karissimo in Christo filio nostro A. Regi Scotorum illustri domino tuo adversus karissimum in Christo filium nostrum ... Regem Anglie, ac suos contra sententias apostolice sedis prestiteras consilium, auxilium et favorem, ad multam et multorum instantiam absolvisset, precipiens tibi, ut suspensus ab officio et beneficiis nostro te conspectui presentares: quia tu propter debilitatem corporis, quam cadendo de equo fractis tribus costis diceris incurrisse, proponebas te non posse laborem itineris sustinere, asseverans instanter cum testimoniis plurimorum, quod prefato domino tuo te subtrahere non potueras, nisi te ac genus tuum exilio exponere voluisses, cardinali prefato humiliter supplicasti, ut laborem itineris tibi remittens, illum in penam aliam commutaret; sed ipse tuis petitionibus nequaquam annuens in hac parte, inter alia, que tibi fuerant iniungenda, precepit, ut propter hoc ad presentiam nostram nuncium mitteres specialem, remissionem itineris et relaxationem suspensionis humiliter petiturum, et recepturum vice tui nostrarum beneplacita iussionum. Nos igitur ..... nuncio tuo, quem propter hoc ad nos misisti, recepto, sperantes, ut ubi habundavit delictum, cognoscens gratiam habundare, non solum reddaris in similibus cautior, verum etiam in ecclesie Romane fide ac devotione te studeas decetero totaliter exercere, tibi non solum laborem itineris remittimus, verum etiam suspensionis sententiam relaxamus, restituentes te ad officium et beneficia de habundantis gratia pietatis. Quocirca discretionem tuam monemus et hortamur attente per apostolica scripta mandantes, quatenus decetero te apostolice sedis beneplacitis studeas coaptare, quod non solum non inveniaris, quod absit, ingratus, verum etiam de gratia in gratiam provehi merearis. Datum Laterani II. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Episcopo Sancti Andree.

XVII.

Doctoribus studii Parisiensis, ut magistrum Matthaeum de Scotia promoveant ad magistratus honorem in theologia. Reg. An. III. ep. 112.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis Petro de Capua, W. de Ponte Arce et Riccardo Anglico doctoribus Parisiensibus, salutem etc. Si abscondens talentum creditum sibi a domino redarguitur, prohibens volentem illud proferre in medium, et ad utilitatem publicam exercere arguendus pari ratione videtur. Sane nostris fuit auribus intimatum, quod cum divina benignitas dilecto filio Magistro Mattheo de Scotia scientie talentum sic larga manu concesserit, ut in theologia docere valeat atque velit, dilectus filius ... cancellarius Parisiensis occasione cuiusdam privilegii de certo numero doctorum theologie habendorum Parisiis olim a sede apostolica impetrati, eum cathedram magistralem ascendere non permittit, licet privilegium ipsum non fuerit hactenus, sicut asseritur, continue observatum. Ne igitur idem magister creditum sibi talentum occultare compellatur invitus, quod in communi deductum, multis potest cum incremento proprio erogari, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus

magistrum diligenter examinetis eundem, et si eum idoneum repereritis ad docendum in facultate predicta, moneatis cancellarium memoratum, ut id faciendi licentiam benigne concedat eidem. Quod si facere non curaverit, vos ei auctoritate nostra eandem licentiam tribuatis, presertim si alias factum fuit contra privilegium memoratum. Quod si non omnes, duo vestrum etc. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

XVIII.

Rex Scotorum eiusque successores sub protectione sedis apostolicae recipiuntur, confirmanturque vetera ecclesiae Scoticanae privilegia. Reg. An. III. epist. 124.

Honorius episcopus etc. Karissimo in Christo filio Alexandro illustri Scotorum Regi, eiusque successoribus imperpetuum, salutem etc. Cum universi fideles apud sedem apostolicam patrocinium invenire debeant et favorem, illos tamen specialius convenit eius protectionis munimine confoveri, quorum fidem ac devotionem in pluribus est experta, ut ad ipsius dilectionis fervorem tanto amplius provocentur, et eius reverentie devotiori affectione subdantur, quanto benevolentie ipsius et gratie pignus se noverint certius assecutos. Eapropter, karissime in Christo fili, reverentiam ac devotionem, quam ad Romanam ecclesiam a longis retro temporibus te ac predecessores tuos habuisse cognovimus, attendentes presentis scripti pagina ad exemplar felicis recordationis Celestini et Innocentii, predecessorum nostrorum, Romanorum Pontificum districtius inhibemus, ut cum Scoticana ecclesia sedi apostolice sicut filia specialis nullo medio sit subiecta, in qua hee sedes episcopales esse noscuntur: Ecclesia videlicet Sancti Andree, Dumblanensis, ecclesia Glascuensis, Dunkeldensis, Brechinensis, ecclesia Aberdensis, ecclesia Muravensis, ecclesia Rosensis et ecclesia Katensis, nemini liceat, nisi Romano Pontifici, vel legato ab ipsius latere destinato, in Regnum Scotie interdicti vel excommunicationis sententiam promulgare, et si promulgata fuerit, decernimus non valere. Adicimus etiam, ut nullus decetero, qui de Scotie Regno non fuerit, nisi quem apostolica sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, ut controversie, que fuerint in Regno ipso de possessionibus eius exhorte, ad examen extra Regnum positorum iudicum non trahantur, nisi ad Romanam fuerit ecclesiam appellatum. Si qua vero scripta contra huius libertatis statutum apparuerint impetrata, vel imposterum istius concessionis mentione non habita contigerit impetrari, nullum tibi tuisve successoribus, vel ipsi Regno circa huius prerogative concessionem preiudicium generetur. Preterea libertates et immunitates tam tibi, quam Regno tuo, et ecclesiis in eodem Regno constitutis, ab ecclesia Romana concessas et hactenus observatas, ratas habemus et eas futuris temporibus illibatas manere sanccimus, salva tamen sedis apostolice auctoritate. Nulli ergo etc. incursurum etc. Amen. Datum Laterani per manum Ranerii sancte Romane ecclesie vicecancellarii XI. Kalendas Decembris, Indictione VII., Incarnationis dominice anno MCCXVIII., Pontificatus vero domini Honorii pape tertii anno tertio.

XIX.

Episcopo S. Andreae, ut electum ad ecclesiam Brechinensem confirmare possit. Reg. An. III. epist. 179.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Epo Sancti Andree, salutem etc. Presentate nobis dilectorum filiorum capituli Brechinensis ecclesie litere continebant, quod eorum ecclesia pastoris solacio destituta, ipsi prout moris est convenientes in unum, sancti spiritus gratia invocata, dilectum filium Gregorium, eiusdem ecclesie archidiaconum, virum scientia et moribus adornatum sibi elegerunt canonice ac concorditer in pastorem: unde nobis humiliter supplicarunt, ut eidem Electo faceremus munus consecrationis impendi. Nos igitur de discretione tua gerentes fiduciam pleniorem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de ipsius electionis modo, eligentium studiis, et electi meritis veritate plenius inquisita, si electionem ipsam inveneris de persona ydonea, que tanto congruat oneri et honori, canonice celebratam, ipsam auctoritate nostra confirmes, et adiunctis tibi duobus vel tribus convicinis Episcopis eidem Electo munus consecrationis impendas. Datum Laterani XVIII. Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri anno tertio.

XX.

Episcopus S. Andreae et sui successores canonice intrantes una cum ecclesiae possessionibus sub protectione apostolicae sedis recipiuntur. Reg. An. III. epist. 180.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo Sancti Andree eiusque successoribus canonice substituendis imperpetuum, salutem etc. Ideo sumus ad universalis ecclesie regimen, licet insufficientibus meritis, providentia superne dispositionis assumpti, ut circa universum corpus ecclesie aciem debeamus nostre considerationis extendere, et fratribus et Coepiscopis nostris tam hiis, qui prope sunt, quam qui longe, apostolicum suffragium exhibere, ne alicui propter remotionem locorum apostolice sedis desit providentia vel tutela. Eapropter, venerabilis in Christo frater Episcope, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam Sancti Andree, cui auctore domino, preesse dinosceris, ad exemplar felicis recordationis Alexandri et Innocentii, predecessorum nostrorum, Romanorum Pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia impresentiarum iuste et canonice possidet etc. usque firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant: in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, in Fith, Kilrimund cum tota Shira, Derversin, Hutredmunesin, Insulam Lohlevenoh cum appenditiis suis, Munemel, Tervieth, Morcambus, Methkil, Kilcumcath, Muccard, Pethgober cum terris

ecclesiarum Strathtsihten, Rascolpin, Cas, Dulbrudot, Russin, Losse, et iuxta Perth, Lungportin, in Mareth Buhham, Muncmusch, Cuisamuel, Elon cum terris ecclesiarum suarum et omnibus pertinentiis suis, in Laodonia, Listone, Egglesmanekin, Keldeleth, Raththeu, Lessuade, Wedale, Clerkintun, Tmingham cum appendiciis suis, Broccesmuthe. Possessiones autem et redditus, qui sunt in Can et Cunevet ad mensam Episcopi deputati, sicut eos impresentiarum iuste ac pacifice possides, tibi et successoribus tuis auctoritate apostolica nichilominus confirmamus. Insuper etiam presenti pagina tibi duximus indulgendum, ut possessiones et bona commisse tibi ecclesie, si qua illicite alienata sunt vel distracta, tibi liceat legitime revocare: liceat quoque tibi in ecclesia Sancti Andree, cum Prior vacaverit, eum sine contradictione qualibet instituere, sicut hactenus predecessores tui et tu ipse fecistis, et ipsius excessus, si quando excesserit, digne corrigere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam perturbare etc. usque fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum, pro quorum etc. usque profutura, salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona etc. usque districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesie etc. usque eterne pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Ranerii sancte Romane ecclesie vicecancellarii XIIII. Kalendas Ianuarii, Indictione VI., Incarnationis dominice anno M.CC.XVIII., Pontificatus vero domini Honorii pape III. anno tertio.

XXI.

Sedis apostolicae legato, ne iudices in causa episcopi S. Andreae amplius procedere permittat. Reg. An. III. epist. 196.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio ... Norwicensi Electo, apostolice sedis legato, salutem etc. Licet sedes apostolica ea, que attemptata contra deum perferuntur, ad ipsam dissimulare non debeat, ne sic incentivum tribueret delinquendi, excommunicatorum tamen vocem utpote funestam interdici oportet potius quam audiri. Unde cum, sicut venerabili fratre nostro ... Episcopo Sancti Andree referente accepimus, Eustatius canonicus Sancti Andree vinculo excommunicationis astrictus ad ... Dunkeldensem episcopum, et coniudices suos excommunicatione ligatos super multis obtinuerit denuntiationis litteras contra ipsum: nos nolentes eundem episcopum a tali et coram talibus conveniri, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si tibi constiterit ita esse, inquisitoribus eisdem auctoritate nostra inhibeas, ne procedere super predicta inquisitione presumant. Datum Laterani X. Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri anno tertio.

XXII.

Iudicibus, ut de vita episcopi Moraviensis inquirant et referant, eumque Romam citent. Reg. An. III. epist. 275.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis ... de Cupre, ... de Scone et ... de Dumfermelin Abbatibus S. Andree diocesis, salutem etc. Dilecti filii ... archidiaconus et ... cancellarius Moraviensis ecclesie per suas nobis litteras denuntiare curarunt, quod eorum .... episcopus, querens in grege sibi commisso solummodo lac et lanam, interdum octavam et interdum tertiam partem suorum reddituum ab eis pro arbitrio sue voluntatis extorquet, nichilominus ab eisdem pecuniam nomine procuratoris extorquens, licet eorum ecclesiis visitatoris officium non impendat, et non attendens, quod dominus a templo vendentes columbas eiecit, ab ordinandis non solum pecuniam recipit, sed etiam exigit et extorquet, alias eos collectis frequentibus intollerabiliter aggravando, ac male collectam pecuniam penis dissipans et dispergens, illam cum mulierculis, quarum est contubernio infamatus, prodigit et consumit, legitima quoque matrimonia pecunia mediante dissolvit, et non legitima tolerat, non propter penitentiam, sed propter pecuniam peccata dissimulans subditorum, qui super hiis et aliis sic publica laborat infamia, ut factus sit odor mortis in mortem, quibus se odorem vite in vitam debuerat exhibere. Et licet iidem archidiaconus et cancellarius ipsum caritative monuerint iam frequenter, ut reformaret in melius vitam suam, nichil tamen proficere potuerunt. Nolentes igitur hoc sub dissimulatione transire, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si famam prefati episcopi super predictis inveneritis esse lesam, inquiratis super hiis sollicite veritatem, et tam ea, que inveneritis, quam que idem epus ad sui excusationem proponet, nobis sub vestris sigillis inclusa fideliter transmittatis, prefigentes ipsi episcopo terminum competentem, quo se nostro conspectui representet pro meritis recepturus. Quod si non omnes etc. Datum Laterani III. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno tertio.

XXIII.

Electo Norwicensi, apostolicae sedis legato, ut Iustitiarium Hiberniae ad reddendam regi Angliae villicationis suae rationem compellat. Reg. An. III. epist. 317 (397).

Honorius episcopus etc. Dilecto filio P(andulfo) Norwicensi Electo, camerario nostro, apostolice sedis legato, salutem etc. Mirari cogimur et moveri, quod sicut ex parte Karissimi in Christo filii nostri H. Regis Anglorum illustris nobis extitit intimatum, cum nobili viro ... Iustitiario Hybernie olim nostris dederimus litteris in mandatis, ut ad presentiam Regis eiusdem accedens, et de redditibus et aliis, que de bonis eius perceperat, redderet rationem, idem consilio inconsulto seductus, non solum accedere hactenus contempsit ad eum, verum etiam presumit eidem multipliciter adversari, non attendens, quod preter infidelitatis notam, quam exinde inviolabiliter contrahit, grave sibi potest periculum imminere, maxime cum causam Regis eiusdem propriam reputemus. Ut igitur offensam redimat precedentem et gratie se coaptet, de qua ipsum non convenit desperare, iterum sibi dedimus in mandatis, ut ad presentiam Regis eiusdem indubitanter accedens, et villicationis sue reddat debitam rationem. Ne vero memorati

Regis iustitiam negligere videamur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus Iustitiarius mandatum nostrum contempserit adimplere, tu eum ad id per ecclesiasticam censuram, appellatione remota, compellas. Datum Laterani vi. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

XXIV.

Eidem, ut Hiberniae praelatos ad servitia regi Angliae debita persolvenda compellat. Reg. An. III. epist. 318.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio P. Norwicensi Electo, camerario nostro, apostolice sedis legato, salutem etc. Suam ad nos karissimus in Christo filius noster H. Rex Anglorum illustris querimoniam destinavit, quod prelati ecclesiarum de Hibernia servitia, in quibus ratione regalium et feudorum, que habent ab ipso, nec non alia debita, in quibus ex aliis causis tenentur eidem, tamdiu maxime toto tempore guerre indebite subtraxerunt, nec adhuc super hiis satisfecerunt eidem. Nolentes igitur predicti Regis iustitiam deperire, quam tenemur favorabiliter confovere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus predictos ecclesiarum prelatos, ut super hiis eidem Regi debitam satisfactionem impendant, et de cetero ea sine difficultate persolvant, moneas attentius et inducas, eos ad id, si videris expedire, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellens. Datum Laterani iv. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

XXV.

Eidem, ut causam Gilberti electi Artfertensis examinet, et si electionem canonice factam invenerit, eandem confirmet, reiecto electo intruso. Reg. An. III. epist. 320.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio P. Norwicensi Electo, camerario nostro, apostolice sedis legato, salutem etc. Accedens olim ad presentiam nostram dilectus filius G. canonicus Artfertensis ecclesie nobis humiliter intimavit, quod ecclesia eadem pastore vacante, ipsius Capitulum eum in episcopum suum canonice ac concorditer elegerunt, super quo etiam exhibuit decretum eiusdem capituli singulorum subscriptionibus roboratum. Verum ... Waterfordensis, ... Imilicensis et ... Limiricensis episcopi Iohannem presbiterum Limiricensis diocesis, per potentiam G. de Marisco iustitiarii Ybernie violenter in ecclesiam ipsam post eius electionem intrusum, consecrare in eius episcopum presumpserunt, post appellationem ad nos legitime interiectam, in excusationem presumptionis huiusmodi pretendentes, quod electio de dicto Iohanne presumpta per quendam diaconum, quem venerabilis frater noster .... Cassellensis Archiepus metropolitanus loci, tunc ad apostolicam sedem venturus, procuratorem suum reliquerat, fuerat confirmata: unde postulabat instanter, ut prefatum intrusum removentes ab ecclesia supradicta, et pro sue presumptionis excessu canonice punientes episcopos antedictos, confirmaremus electionem de ipso canonice celebratam. Licet autem idem canonicus nobis multas litteras exhibuerit, per quas ei perhibebatur testimonium de predictis, et que ipsum de vita et scientia commendabant: quia tamen pro parte altera nullius comparuit coram nobis, et contra illam absentem et indefensam non erat taliter procedendum, ipsius canonici preces exaudire nequivimus in hac parte. Volentes autem eidem in iure suo, sicut tenebamur, adesse causam huiusmodi venerabilibus fratribus nostris ... Cluanfertensi, ... Enechdunensi et ... Finwarrensi Episcopis duximus committendam, ipsis per apostolica scripta mandantes, ut vocatis, quos vocandos viderent, et auditis, que hinc inde ducerent proponenda, si de premissis constaret eisdem, humano amore ac mundano timore postpositis, prefatum intrusum ab ipsa ecclesia penitus amoventes, examinarent electionem factam de canonico memorato, et si eam invenirent de persona idonea canonice celebratam, illam auctoritate nostra, sublato cuiuslibet contractus et appellationis obstaculo, confirmarent, et facientes ipsum pacifica eiusdem ecclesie possessione gaudere, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Archiepiscopo iniungerent memorato, ut eidem munus consecrationis impenderet, sicut pertinere noscebatur ad ipsum. Prefatos autem episcopos, si constaret eisdem, ipsos post appellationem legitimam intrusum consecrasse predictum, pro tante temeritatis excessu suspensos ad nostram presentiam destinarent, ut et iidem in pena culpe cognoscerent quantitatem, et hiis, quibus presumptio fuit in scandalum, esset punitio in exemplum, nullis litteris obstantibus predictarum litterarum tenore tacito a sede apostolica impetratis. Prefati vero iudices, sicut per suas nobis litteras intimarunt, tribus edictis, iuris ordine in omnibus observato, prefatum Iohannem, qui se tunc gerebat pro episcopo Artfertensi, ad suam presentiam citaverunt, exhibiturum, quod super hiis ordo poposceret rationis. Iamdicto autem Iohanne nec ad primam, nec secundam, nec tertiam citationem etiam per se vel responsalem idoneum comparente, sed sicut videbatur, ut mandatum nostrum eluderet, quasdam appellationes frivolas per humiles interponente personas, sicut tandem per allegationes partis adverse fuit declaratum in iure, iidem iudices, quamquam de rigore iuris possent procedere contra eum, ad convincendam tamen eiusdem Iohannis malitiam quartam diem ei pro peremptorio termino assignarunt, canonicis Artfertensis ecclesie ad eundem terminum evocatis: verum memoratus I. mandatum apostolicum parvipendens, et tam de sua presumptione, quam de laicali confidens potentia, nec personaliter comparuit coram eis, nec pro se responsalem idoneum destinavit, quodam gartione dumtaxat, qui minas ex parte iustitiarii tam ipsis iudicibus quam Electo et electoribus eius inferret, ad eorum presentiam destinato. Ceterum iam dictis canonicis Artfertensibus tamquam obedientie filiis statuto termino comparentibus coram eis, ac gratia, odio et timore postpositis, constanter asserentibus se, nullo de contingentibus omisso, sepefatum G. in maiori Artfertensi ecclesia canonice ac concorditer in Artfertensem episcopum elegisse: ipsi, tam de idoneitate ipsius Electi,

quam de modo electionis et eligentium studiis veritate diligentius indagata, cum invenissent electionem ipsam unanimem et concordem, et quod ex adversa parte nil obiectum fuisset, quod electionem eiusdem Giliberti impedire valeret, tandem post ammonitiones et citationes varias de dicti Iohannis intrusione ac contumacia certiores effecti, electionem ipsius G. utpote canonice celebratam auctoritate apostolica confirmarunt, possessionem Artfertensis episcopatus adiudicantes eidem. Unde postulabant a nobis, ut cum metropolitanus suus sibi munus consecrationis impendere non curarit, illud ei de benignitate sedis apostolice impendere dignaremur. Licet autem nominati iudices ipsius negotii seriem, sicut superius est expressum, per suas nobis litteras intimarint, nos tamen volentes per te, de quo fiduciam gerimus pleniorem, de premissis inquiri diligentius veritatem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis, quos videris evocandos, si iudices ipsos inveneris legitime processisse, ipsorum sententiam executioni demandans, et faciens eam auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, firmiter observari, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, iniungas archiepiscopo sepefato, ut eidem Electo munus consecrationis impendat, sicut ad eum noscitur pertinere. Prefatos autem episcopos, si tibi constiterit, eos post legitimam appellationem intrusum consecrasse predictum, pro tante temeritatis excessu suspensos ad presentiam nostram transmittas, ut iidem in pena culpe quantitatem cognoscant, et hiis, quibus presumptio fuit in scandalum, sit punitio in exemplum. Testes autem etc. Non obstante constitutione concilii generalis etc. Datum Reate xvii. Kalendas Augustri, Pontificatus nostri anno tertio.

XXVI.

Reginaldus rex Insularum offert insulam Man ecclesiae Romanae, et eam recipit a dicta ecclesia in feudum sub censu annuo XII. marc. sterlingorum. Reg. An. III. epist. 629.

Sanctissimo patri et domino H(onorio) dei gratia summo Pontifici Reginaldus Rex Insularum commendationem cum osculo pedum. Noverit sancta paternitas vestra, quod nos, ut participes simus bonorum, que sunt in ecclesia Romana, ad monitionem et exhortationem dilecti patris domini P. Norwicensis Electi, camerarii et legati vestri, dedimus et obtulimus ei nomine ecclesie Romane et vestro, et catholicorum successorum vestrorum Insulam nostram de Man, que ad nos iure hereditario pertinet, et de qua nulli tenemur aliquod servitium facere, et deinceps nos et heredes nostri in perpetuum tenebimus in feodum dictam Insulam ab ecclesia Romana, et faciemus ei per hoc homagium et fidelitatem, et in recognitionem dominii nomine census nos et heredes nostri in perpetuum annuatim solvemus ecclesie Romane duodecim marcas sterlingorum in Anglia apud Abbatiam de Furnis Cisterciensis ordinis in festo Purificationis beate Marie. Et si non esset ibi aliquis ex parte vestra vel successorum vestrorum, deponentur dicte duodecim marche per nos et heredes nostros penes abbatem et conventum ecclesie Romane nomine. Hanc donationem et oblationem dictus dominus legatus recepit ad voluntatem et beneplacitum vestrum, et post receptionem factam ab eo sic, ipse dominus legatus dictam Insulam dedit michi et heredibus meis in feodum perpetuo possidendam et tenendam nomine ecclesie Romane, et me inde per anulum aureum investivit. Sciat igitur paternitas vestra, quod ad mandatum dicti legati iuravi observare et tenere inviolabiliter predicta pro me et heredibus meis perpetuo. Et iuravi, quod super hoc securitatem faciam per meipsum et heredes meos et homines Insule, quam dictus legatus vel alius de mandato vestro petierit a me, bona fide et sine fraude, et in huius rei testimonium has litteras patentes fieri fecimus. Hiis testibus C. Bangorensi Episcopo de Wallia, officiali de Man, Iohanne clerico, Ivone filio Hollwed, Magistro Ivone, Holano Senescallo dñi Regis de Man. Supplicamus autem sanctitati vestre, quod privilegium illud et petitionem, quam aliis Regibus censualibus et vassallis ecclesie Romane conceditis, nobis mittat sanctitas vestra: Nos enim parati sumus omnia predicta secundum mandatum vestrum servare. Interfuerunt autem huic nostre donationi de familia domini legati Magister Petrus de Collemedio domini pape capellanus, Magister Ardingus Papiensis eiusdem dñi subdiaconus, Magister Petrus de Babutio, Magister Iacobus scriptor domini pape, presbiter Lucas de Wytsando domini legati capellanus, Pandulfus nepos ipsius domini legati, thesaurarius Cicestrensis, Magister Iohannes de Venafro, Stephanus nepos domini Stephani Basilice duodecim apostolorum presbiteri Cardinalis, Martinus Cicestrensis senescallus domini legati, Contradus clericus domini Gregorii de Crescentio sancti Theodori diaconi Cardinalis, Rusticus et Iohannes de Londono scriptores domini. Actum Londini in domo militie Templi x. Kalendas Octobris, anno dñi m.cc.xix. Et ne super hiis aliquando possit dubitari, has litteras fieri fecimus et sigillo nostro muniri.

XXVII.

Archiepiscopo Dublinensi, ut causam electi Laoniensis reassumat et canonice finiat. Reg. An. IV. epist. 593. (Conf. supra Nr. X. et XI.)

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, apostolice sedis legato, salutem etc. Accedens olim ad presentiam nostram dilectus filius D. Archidiaconus Laoniensis ecclesie nobis humiliter intimavit, quod ecclesia ipsa pastore vacante, ipsius capitulum eundem in episcopum suum canonice ac concorditer elegerunt, super quo etiam exhibuit decretum eiusdem capituli singulorum subscriptionibus roboratum. Verum Waterfordensis, Imilicensis et Limiricensis episcopi Robertum Travers per potentiam G. de Marisco iustitiarii Ibernie, avunculi sui, violenter in ecclesiam ipsam post eius electionem intrusum, consecrare in eius episcopum presumpserunt post appellationem ad nos legitime interiectam, in excusationem presumptionis huiusmodi

pretendentes, quod electio de dicto Roberto presumpta per quendam subdiaconum, quem venerabilis frater noster ... Cassellensis archiepiscopo metropolitanus loci, tunc ad apostolicam sedem venturus, procuratorem suum reliquerat, fuerat confirmata: unde postulavit instanter, ut prefatum intrusum removentes ab ecclesia memorata, et pro sue presumptionis excessu canonico punientes episcopos antedictos, confirmaremus electionem de ipso archidiacono celebratam. Licet autem idem archidiaconus multas nobis litteras exhibuerit, per quas ei perhibebatur testimonium de predictis, et que ipsum de vita et scientia commendebant: quia tamen pro parte altera nullus comparuit coram nobis, contra illam absentem et indefensam non duximus taliter procedendum. Volentes tamen ipsi archidiacono in iure suo, quantum ratio permittebat, adesse, causam huiusmodi venerabilibus fratriqus nostris ... archiepiscopo Tuamensi et ... Cluamfertensi et ... Enechdunensi epis duximus committendam, mandantes eisdem, ut vocatis, quos cognoscerent evocandos, et auditis, que hinc inde ducerent proponenda, si fides eis fieret de premissis, humano amore ac mundano timore postpositis, prefatum intrusum ab ipsa ecclesia penitus amoventes, examinarent electionem factam de archidiacono memorato, et si eam invenirent de persona ydonea canonice celebratam, illam auctoritate nostra, sublato cuiuslibet contractus et appellationis obstaculo, confirmarent, ac facientes ipsum pacifica eiusdem ecclesie possessione gaudere, Contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo, iniungerent iam dicto archiepiscopo Cassellensi, ut eidem munus consecrationis impenderet, sicut ad eum noscitur pertinere. Prefatos vero episcopos, si eis constaret, illos post legitimam appellationem intrusum consecrasse predictum, pro tante temeritatis excessu suspensos ad nostram presentiam destinarent. Nuper autem idem archidiaconus litteras nobis exhibuit iudicum predictorum continentes, quod ipsi, cum de ydoneitate persone et canonica electione prefati archidiaconi, ac manifesta intrusione iam dicti R. eis plenarie constitisset, electionem de ipso archidiacono celebratam, amoto sepedicto R., de prudentum virorum consilio confirmarunt, mandantes Cassellensi predicto, ut eundem in Laoniensem epum consecraret. Exhibuit quoque nobis idem archidiaconus litteras ipsius archiepiscopi Cassellensis, quibus fatebatur, se de illo consecrando mandatum predictorum iudicum recepisse, sed asserens se longum exilium pro libertate Cassellensis ecclesie sustinentem in partibus Gallie commorari, supplicabat, ut electum consecraremus eundem, vel faceremus ab alio consecrari, aut saltem aliquibus episcoporum Gallie, ut eidem in eius consecratione assisterent, mandaremus. Quamvis autem idem archidiaconus id ipsum cum instantia postularet supplicans, ut prefatum R. faceremus ab ipsa ecclesia, cui per violentiam incubat, amoveri, et nos eius compateremur laboribus et expensis: quia tamen apostolica sedes ab hominibus illius gentis falsas litteras exhibentibus aliquando fuit in casu simili circumventa, eundem ad te, qui veritatem poteris plenius indagare, duximus transmittendum, fraternitati tue sub obtestatione divini iudicii precipiendo mandantes, quatenus habens pre oculis solum deum, de processu supradictorum iudicum, vocatis, qui fuerint evocandi, sollicite ac diligenter inquiras, et si inveneris eos legitime processisse, ipsorum processum non differas executioni mandare, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus litteris, si que forsitan apparuerint super hoc a sede apostolica fallaciter impetrate, ac iniungas Cassellensi predicto, ut ea, que pertinent ad plenam ordinationem Laoniensis ecclesie circa ipsum archidiaconum, sicut ad eum pertinet, exequatur, si poterit per se ipsum, vel saltem super hoc committat aliis in Ybernia vel in Anglia vices suas. Quod si forsan prefatos iudices inveneris perperam processisse, audias, que utraque pars pro electione sua duxerit proponenda, et quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris etc. Testes autem etc. Non obstante constitutione de duabus dietis etc. Sic autem sollicite, diligenter et pure in negotio ipso procedas, ne de indigno favore prefati R. seu aliorum hominum tue gentis, a quibus Ybernienses se gravissime ac iniquissime opprimi conqueruntur, notabilis reddi possis, cum in huiusmodi (negotio) cessare debet acceptio personarum. Datum Viterbii IIII. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno quarto.

XXVIII.

Iudicibus, ut episcopum Waterfordensem ab usurpata ecclesia Lismorensi amoveant, eamque legitime electo restituant. Reg. An. IV. epist. 609.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepo Cantuariensi, sancte Romane ecclesie Cardinali, et ... Episcopo Rossensi, et dilecto filio P. Norwicensi Electo, camerario nostro, apostolice sedis legato, salutem etc. Venerabilis frater noster R. Lismorensis episcopus in nostra proposuit presentia constitutus, quod cum bone memorie Thoma Lismorensi episcopo viam universe carnis ingresso, clerici ecclesie Lismorensis, ad quos electio de iure spectabat, a karissimo in Christo filio nostro ... Rege Anglorum illustri obtenta licentia eligendi, eum canonice ac concorditer elegissent, ac postmodum predicto Rege ipsius electioni assensum benivolum impendente, venerabilis frater noster ... Cassellensis Archiepiscopus metropolitanus loci, qui tunc in Anglia pro ecclesie sue negotiis morabatur, ipsius electionem confirmans, munus consecrationis impendisset eidem, idem epus cum predictorum Regis et Archiepiscopi litteris ad suum episcopatum revertens, ipsius plenam possessionem tam in temporalibus quam in spiritualibus est adeptus. Demum vero prefato episcopo episcopatus sui plena possessione gaudente, R. Waterfordensis episcopus, contra quem bone memorie I. papa predecessor noster tempore generalis concilii, cum sibi per archiepiscoporum et episcoporum Ybernie assertionem constaret, episcopatum ipsum ab eodem epo per violentiam detineri, diffinitivam sententiam promulgarat, eidem super hoc perpetuum silentium imponendo, de sententia ipsa non faciens mentionem, a

predicto Rege per subreptionem super restitutione sibi facienda, eo pretextu videlicet quod eṗpatum ipsum prius detinuerat occupatum, quasdam litteras impetravit, quarum occasione idem Waterfordensis predictum Lismorensem episcopatu suo per laicalem fecit potentiam, pretermisso iuris ordine, spoliari, et contra iamdicti predecessoris nostri sententiam temere veniens, episcopatum ipsum detinet occupatum, non sine apostolice sedis iniuria et Lismorensis ecclesie lesione. Quia vero tante temeritatis excessum relinquere nolumus incorrectum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, remoto a prefato episcopatu quolibet illicito detentore, ipsum cum fructibus inde perceptis restituatis prefato epo Lismorensi, et faciatis eundem pacifica ipsius possessione gaudere, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Et ne sepefatus Waterfordensis de presumptione huiusmodi commodum se gaudeat reportasse, ipsi auctoritate apostolica iniungatis, ut infra certum tempus prefigendum a vobis nostro se conspectui representet, super premissis omnibus in nostra presentia responsurus. Testes autem etc. Non obstante constitutione concilii generalis, qua cavetur, ne quis ultra duas dietas extra suam diocesim ad iudicium trahi possit. Quod si non omnes etc. Datum Viterbii IIII. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno quarto.

XXIX.

Apostolicae sedis legato, ut per commissarios Scotos inlqua episcopi Glasguensis acta examinari faciat, et de his referat. Reg. An. IV. epist. 641.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Pandulfo Norwicensi Electo, camerario nostro, apostolice sedis legato, salutem etc. Cum hii, qui ministri Christi et dispensatores ministeriorum dei, quemadmodum et deberent esse, creduntur, suum ministerium inhonorant, illud pravis actibus deformando, dolore in occulto confodimur et rubore confundimur in aperto, quia et delinquere alios, et nomen suum faciunt in populis blasphemari: unde nos, qui tenemur universalis ecclesie curam gerere generalem, libenter hiis remedium, quod possumus, adhibemus, vel corrigibiles in mansuetudine corrigendo, vel castigando pena debita pertinaces. Sane dilectus filius Magister Willelmus de gremio Glasguensis ecclesie clericus sua nobis insinuatione monstravit, quod venerabilis frater noster... Glasguensis episcopus non attendens, quod secundum apostolum nemo sibi debet honorem assumere, nisi vocatus a domino tamquam Aaron, cum esset clare memorie ... Regis Scotie capellanus, dedit Philippo de Valone dicti Regis camerario centum marcas, et longe maiorem summam Regine promisit, ut procurarent, quod Rex episcopatum Glasguensem daret eidem, sicque factum est, ut nulla electione interveniente canonica in eṗum est promotus. Preterea olim apud sedem apostolicam constitutus tempore concilii generalis dedit quadraginta marcas Magistro Radulfo Malovicino canonico Glasguensi, ut prebendam suam resignaret eidem, quam suo conferens cappellano, ab eo statim post institutionem decem marcas extorsit. Ad hec visitando diocesim, hiis, que ad episcopale officium pertinent, fere omnino neglectis, procurationes superfluas et indebitas exigit et extorquet, et alias torquet subditos exactionibus insuetis. De singulis autem ecclesiis nomine synodalium quatuor solidos recepit contra canonica instituta, et clericos et laicos delinquentes, non ut errata corrigat, sed ut sue satisfaciat avaritie, pecuniaria pena mulctat, appellationibus ad sedem apostolicam interpositis non solum deferre contempnens, verum etiam involvens excommunicationis vinculo appellantes. Decedentibus quoque canonicis in ecclesia cathedrale, nepotes et consanguineos suos illitteratos et minus idoneos substituit contra canonicas sanctiones. Alios autem pupillos et minores in parrochialibus ecclesiis instituere non veretur. Quosdam vero familiares suos uxores aliorum publice detinere non sine scandalo sustinet, et cum possit, negligit castigare. Alias etiam circa curam pastoralis regiminis se gerit usque adeo negligenter, quod Glasguensis ecclesia, que olim gaudebat copia peritorum, et possessionibus et redditibus habundabat, nunc consilio et viribus destituta, succumbit insurgentibus ex adverso, ipso minime resistente, qui divitiis affluentibus cor opponens negligit famam suam, propter quod fit populo in dirisum, non sine gravi Glasguensis ecclesie detrimento. Cum igitur hec nos non deceat relinquere indiscussa, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus causam ipsam iuxta prescriptam formam aliquibus viris discretis in Scotia, quia prudentum virorum illius provincie notitiam non habemus, nec indulgentie, quam karissimus in Christo filius noster ... Rex Scotie illustris habere dinoscitur, ne quis extra Regnum Scotie vocetur in causam, volumus derogari, auctoritate nostra committas, qui vocatis, quos viderint evocandos, inquirant super hiis omnibus, appellatione remota, diligentius veritatem, et que invenerint, fideliter nobis rescribant, ut ex eorum relatione sufficienter instructi procedamus exinde, prout secundum deum viderimus procedendum. Datum Viterbii VII. Idus Decembris, Pont. nost. anno quarto.

XXX.

Episcopo et capitulo Lismorensibus confirmatur sententia ab Innocentio PP. III. in favorem ecclesiae Lismorensis lata. Reg. An. IV. epist. 637.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... R. Epo et dil. fil. Capitulo Lismorensibus, sal. etc. Ea que iudicio sunt sedis apostolica terminata, obtinere debent robur perpetue firmitatis, ne si, quod absit, ea recidivis questionibus contingeret impugnari, dubitari de iudicio videretur. Sane cum olim tempore concilii generalis inter bone memorie T. Lismorensem Electum et venerabilem fratrem nostrum R. Waterfordensem Episcopum coram fel. memorie I. papa, predecessore nostro, questio mota fuisset super eo, quod idem Waterfordensis dicebat non esse Lismorensem ecclesiam cathedralem, tandem predictus predecessor noster a vicinis Archiepiscopis et Episcopis, tunc apud sedem apostolicam constitutis, inquirens super hoc diligentius veritatem, ex testificationibus

eorum instructus, quod cathedralis esset, sicut ab antiquo fuisse constabat, sententialiter definivit, faciens eundem Electum in Urbe a venerabili fratre nostro D. Cassellensi Archiepo metropolitano vestro in episcopum consecrari, quod quidam etiam de fratribus nostris se testantur memoriter retinere: Quare nobis humiliter supplicastis, ut latam super hoc ab eodem predecessore nostro sententiam ratam habentes, apostolico dignaremur munimine roborare. Vestris igitur iustis precibus inclinati, sententiam ipsam ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere. Si quis autem etc. Datum Viterbii v. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

XXXI.

Iudicibus, moneant principem Insularum, ut a molestando episcopo suae ditionis desistat. Reg. An. IV. epist. 608.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Karleolensi, et dilecto filio P. Norwicensi Electo, camerario nostro, apostolice sedis legato, salutem etc. Venerabilis frater noster ... Epus Insularum in nostra proposuit presentia constitutus, quod bone memorie N. Insularum Epo predecessore suo viam universe carnis ingresso, dilecti filii Conventus de Furnesio, ad quos Insularum Episcopi electio pertinebat, convenientes in unum, invocata spiritus sancti gratia, ipsum in episcopum Insularum unanimiter et concorditer elegerunt, ac ipsum cum decreto electionis confirmandum ad venerabilem fratrem nostrum ... Dublinensem Archiepiscopum metropolitanum loci, legatum sedis apostolice, transmiserunt, per suas litteras humiliter supplicantes, ut electione confirmata ipsius, impenderet munus consecrationis eidem: qui examinata electione pariter et electo, cum ei de ydoneitate persone ipsius ac electione canonica constitisset, electionem confirmavit eandem, sibi munus consecrationis impendens, ac eum ad episcopatum Insularum cum litteris destinavit, dans abbatibus, prioribus, archidiaconis et universo clero Insulane diocesis in mandatis, ut eum tamquam patrem et pastorem animarum suarum recipientes humiliter et devote, honorem ac obedientiam sibi debitam exhiberent. Princeps autem terre ipsius, et quidam alii diocesis Insulane non attendentes, quod laicis quamvis religiosis super ecclesiis vel personis ecclesiasticis nulla est attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ut cum impedirent, quominus possessionem ipsius eppatus obtinere valeret, ne ipsum reciperent, clero prohibuere prefato, alias sibi et ecclesie sue dampna gravia et iniurias irrogandi. Quia vero fratrum et coepiscoporum nostrorum gravamen indebitum conniventibus oculis pertransire nec volumus, nec debemus, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus prefatum principem et alios, ut a presumptione huiusmodi desistentes, nullatenus per se vel per alios impediant, quominus predictus episcopus episcopatus sui pacifica valeat possessione gaudere, competenter satisfacientes sibi de dampnis et iniuriis irrogatis, moneatis prudenter et efficaciter inducatis, et si necesse fuerit, ipsos ad hoc per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, sicut iustum fuerit, compellatis. Non obstante constitutione concilii generalis etc. Datum Viterbii v. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno quarto.

XXXII.

Iudicibus, ut causam inter quendam militem et conventum s. Mariae de Dumdraman ord. Cisterciensis dioec. Candidae Casae vertentem canonice dirimant. Reg. An. IV. epist. 659.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Sancti Andree et .... Dunkeldensi Archidiaconis, et Magistro Iohanni canonico Dunkeldensi, salutem etc. Nicolao militi ac fratri E. monacho monasterii sancte Marie de Dumdraman Cisterciensis ordinis, diocesis Candide Case, apud sedem apostolicam constitutis, dilectum filium nostrum S. sancti Adriani diaconum cardinalem concessimus auditorem, in cuius presentia miles proposuit nominatus, quod cum ... Abbatem et conventum dicti monasterii pro eo, quod super quadam possessione ac rebus aliis iniuriabantur eidem, coram ... Abbate de Gedeworde et coniudicibus suis auctoritate apostolica traxisset in causam, quia iidem Abbas et conventus sibi respondere nolentes, sub pretextu cuiusdem frivole appellationis in crastinum beati Andree apostoli interiecte, recesserunt contumaciter a presentia iudicum predictorum, ipsi eundem militem causa rei servande in possessionem rei petite mittendum sententialiter decreverunt. Venerabili fratri nostro ... Episcopo Candide Case ac ... Priore de Insula super hoc executoribus sibi datis, per quos cum in dicta possessione corporaliter fuisset inductus, parte altera procurante, fuit eiectus per violentiam ab eadem, alias sibi super hominibus, animalibus et aliis rebus suis dampnis plurimis irrogatis: unde cum dictus monachus super premissis a milite nominato coram eodem Cardinali conventus fuerit, quod non nisi ad impetrandum et contradicendum procurator fuerat institutus, sicut ex litteris dictorum Abbatis et conventus constitit evidenter, supplicavit humiliter idem miles, ut contra ipsos tamquam contumaces procedere deberemus, ac dare aliquibus in mandatis, qui eosdem pro eo, quod ad prosequendam appellationem emissam procuratorem minus idoneum destinarunt, ipso eandem personaliter prosequente, in resarciendis sibi dampnis et expensis legitimis condempnantes, eo prius, sicut iustum fuerit, restituto, causam audiant super hiis, que contra sepedictos Abbatem et conventum prefatus miles rationabiliter duxerit proponenda. Ad hec memoratus monachus proposuit ex adverso, quod cum sepenominatus miles coram predictis iudicibus eosdem Abbatem et conventum super quadam possessione, ac rebus aliis traxisset in causam, prout superius est expressum, iidem excipiendo coram eisdem iudicibus proponere curaverunt, se ad respondendum dicto militi in eorum presentia non teneri, tum quia ultra duas dietas ad iudicium trahebantur contra instituta concilii generalis, tum quia littere, per quas conve-

niebantur, ab excommunicato fuerant impetrate: sed cum sepedicti iudices has legitimas exceptiones eorum admittere noluissent, dicti Abbas et conventus, sentientes in hiis indebite se gravari, nostram audientiam appellarunt, iidemque huiusmodi eorundem appellatione contempta processerunt in dicta causa perperam contra eos. Quapropter memoratus monachus postulavit, ut revocato in irritum quicquid post appellationem premissam attemptatum fuerat contra Abbatem et conventum predictos, causam eandem delegaremus aliquibus terminandam, qui eisdem a dicto milite dampna resarciri, et expensas, quas in causa eadem coacti sunt facere, propter ipsam restitui facientes, excommunicationem prolatam in ipsum usque ad satisfactionem condignam facerent inviolabiliter observari. Quia vero nobis super premissis non potuit fieri plena fides, de assensu militis et monachi predictorum discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si vobis constiterit dictos Abbatem et conventum appellationi sue supradictum terminum prefixisse, cum ad prosequendum eandem sufficientem procuratorem non miserint, memorato milite ipsam personaliter prosequente, ipsos ad restituendas expensas a tempore appellationis factas eidem militi condempnantes, eodemque, sicut iustum fuerit, primitus restituto, audiatis causam, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, inviolabiliter observari. Testes autem etc. Nullis litteris obstantibus praeter assensum partium a sede apostolica impetratis. Quod si non omnesetc. Datum Viterbii viii. Kalend. Martii, Pontificatus nostri anno quarto.

XXXIII.

Conventus s. Thomae martyris in Scotia una cum possessionibus suis sub protectione apostolicae sedis recipitur. Reg. An. IV. epist. 757.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati et Conventui sancti Thome martyris in Scotia, sal. etc. Cum a nobis petitur etc. Eapropter etc. usque concurrentes assensu. Monasterium sancti Thome martyris, et personas inibi dño famulantes cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum, prestante domino, iustis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Turfred et de Inverhugim, de Aberkerdover, de Havetwisel, de Munifoth, de Aberruthi, de Stratitteen, de Moriaus et de Kerimur ecclesias et Glaskelem et de Kendeldures terras, terram inter Heikar et Kaledove, terram de Ballisac, totum nemus de Trostauch, unam annuam marcham argenti nobis a clare memorie Fergen comite de Bukam pia liberalitate concessam, et unam annuam et dimidiam marcam argenti in Piscaria de Hur, necnon homines, terras, pascua, possessiones, libertates et immunitates et alia bona vestra, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, et in autenticis episcoporum diocesanorum, Regum, comitum et aliorum patronorum vestrorum plenius dicitur contineri, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre protectionis et confirmationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Viterbii iii. Idus Maii, Pontificatus nostri anno quarto.

XXXIV.

Archiepiscopo Dublinensi, ne se de caetero gerat pro legato, cum sit concordia inter Anglos et Hibernos reformata. Reg. An. IV. ep. 800.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Cum olim Anglie ac Ibernie Regnis turbatis pro turbatione sedanda tibi legationis officium in partibus Ybernie duxerimus committendum, pace nunc in Regnis eisdem per dei gratiam reformata, expedire non credimus, ut te de legationis officio intromittas, cum quod necessitas pro remedio reperit, cessante necessitate, cessare debeat pariter, quod urgebat. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus illud devote relinquens, te non geras decetero pro legato: nos enim venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis Ibernie nostris dedimus litteris in mandatis, ut tibi tamquam legato amodo non intendant. Datum apud Urbemveterem ii. Nonas Iulii, Pontificatus nostri anno quarto.

XXXV.

Mittitur legatus sedis apostolicae in Hiberniam et Scotiam, et commendatur Hibernis et regibus Scotiae et Hiberniae. Reg. An. V. epist. 13 et 14.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus ac aliis ecclesiarum prelatis, et omnibus Christifidelibus per Yberniam constitutis, salutem etc. Apostolatus officium, quod nos debitores constituit universis, exposcit, ut nostre sollicitudinis aciem non solum ad prope positos, sed et ad longe positos extendamus: quare necesse est, ut imminentia nobis onera dividamus in alios, cum humana non patiatur infirmitas, ut ea portemus omnia per nos ipsos. Quia igitur in partibus vestris multa vitiorum germina pullulare dicuntur, que falce apostolici moderaminis convenit amputari, nos dignum ducentes illuc aliquem de latere nostro mittere, qui aspera in vias planas, et pravia in directa convertat: ecce misimus ad vos dilectum filium magistrum Iacobum, capellanum et penitentiarium nostrum, apostolice sedis legatum, virum scientia et religione probatum, et nobis ac fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, concessa sibi plenaria potestate, ut evellat et destruat, edificet atque plantet, prout queque secundum datam sibi a deo prudentiam evellenda viderit et plantanda. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus ipsum tamquam apostolice sedis legatum recipientes hilariter et honeste tractantes, ac reverenter intendentes et obedientes eidem, eius salubria monita et statuta recipiatis humiliter et irrefragabiliter observetis. Alioquin sententiam, quam rationabiliter tulerit in rebelles, precipimus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum apud Urbemveterem ii. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

Honorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... Regi Scotie, salutem etc. Apostolatus officium etc. viderit et plantanda. Ideoque Serenitatem tuam attente rogandam duximus et hortandam, quatenus ipsum tamquam apostolice sedis legatum pro reverentia beati Petri et nostra recipiens hilariter et honorifice pertractans, ac a subditis tuis ei obedientiam et reverentiam exhiberi faciens, sicut decet, et impendens ei consilium et auxilium oportunum, sic eum favore regio prosequaris, quod commissum sibi legationis officium ad honorem et profectum tuum, et Regni tui, auctore domino, valeat laudabiliter exercere. Datum ut supra.

In e. m. scriptum est Regibus Ultonie, Corcaie, Limrith, Connatie, Insularum cuilibet per se.

XXXVI.

Sedis apostolicae legato, ut iniquum Anglorum statutum de non admittendis Hibernis quantumvis litteratis ad dignitates ecclesiasticas omnino irritum declaret et aboleat. Reg. An. V. epist. 24.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Iacobo Capellano et Penitentiario nostro, apostolice sedis legato, salutem etc. Pervenit ad audientiam nostram, quosdam Anglicos inaudite temeritatis audacia statuisse, ut nullus clericus de Ibernia, quantumcumque litteratus et honestus existat, ad aliquam dignitatem ecclesiasticam assumatur. Nolentes igitur tante temeritatis et iniquitatis abusum surdis auribus pertransire, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus statutum huiusmodi publice denuntians irritum et inane, ac inhibens ipsis Anglicis, ne vel inherere illi, vel simile decetero attemptare presumant. Ibernienses clericos, quibus vite ac scientie merita suffragantur, denunties ad ecclesiasticas dignitates, si electi canonice fuerint, libere admittendos. Datum apud Urbemveterem viii. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

XXXVII.

Eidem legato, ut causam prioris et conventus Sancti Andreae de Scotia audiat et decidat. Reg. An. V. epist. 20.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Iacobo Capellano et Penitentiario nostro, apostolice sedis legato, salutem etc. Ex parte dilectorum filiorum ... Prioris et Conventus Sancti Andree de Scotia fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum adversus ... Episcopum suum et quosdam clericos de S. Andrea, qui Keledei vulgariter appellantur, ac magistros H. de Melcburne, Adam Ovidium et Adam de Scone ac Henricum de Weles et Roger de Huntinfeld clericos, necnon ... Epum et ... Archidiaconum Dumblanensem et ... Priorem de Man, D. de Pert militem, Hugonem de Nidin et Henricum dominum de Inchetort, et quosdam alios clericos et laicos Sancti Andree Aberdonensis et Dumblanensis diocesum super ecclesiis, possessionibus, pensionibus, aliisque redditibus, libertatibus, prediis, prebendis terris, molendinis, iure patronatus, iniectione manuum violenta in quosdam ipsorum, et rebus aliis multiplices habeant questiones, super quarum quibusdam licet diverse commissionis littere a sede apostolica emanarint, propter tamen desidiam iudicum, seu adversariorum versutiam ius suum hactenus assequi nequiverunt, eorum providere iuri pariter et quieti, questiones ipsas tuo examini committendo, misericorditer dignaremur. Nos igitur tanto libentius favorem apostolicum impendentes, Priori et fratribus memoratis, quanto eorum ecclesia maiori dicitur religione florere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis supradictis et aliis, quos duxerint nominandos, et auditis, que hinc inde duxerint proponenda, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernas et facias, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Porro si alicuius predictarum commissionum obtentu ad receptionem testium est processum, eorum depositiones tibi facias exhiberi, quantum de iure debuerint valituras. Quod si forte auctoritate commissionum ipsarum alique sententie sunt prolate, ipsas confirmes vel infirmes, appellatione remota, sicut de iure fuerit faciendum. Testes autem etc. Non obstantibus litteris impetratis hactenus, vel decetero tacito tenore presentium a sede apostolica impetrandis. Datum apud Urbemveterem vii. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

XXXVIII.

Eidem legato, ut pravas quasdam Anglorum contra Hibernos consuetudines omnino abolendas curet, Anglosque censuris ecclesiasticis compellat, ut Hibernos iisdem iuribus, quibus ipsi fruuntur, gaudere sinant. Reg. An. V. epist. 22.

Honorius episcopus etc. Dil. filio Magistro Iacobo Capellano et Penitentiario nostro, apostolice sedis legato, salutem etc. Venerabilis frater noster ... Archiepiscopus Cassellensis exposuit coram nobis, quod in provincia sua detestande consuetudinis vitium per Anglorum insolentiam inolevit, quod videlicet si Anglicus aliquid de suis ammittat, et iurat illud ab aliquo Iberniensi furtim sibi esse surreptum, sex Anglicis iuramento firmantibus, quod credunt eius verum existere iuramentum, Ibernienses licet innocentes sint, et bone opinionis ac vite, suamque super obiecto crimine innocentiam per triginta testes vel plures sint purgare parati, ad restitutionem coguntur nichilominus tamquam fures. Si vero aliquod Ibernienses ammittunt, et pro certo sciunt, quod Anglicus surripuit illud eis, idque suis velint astruere iuramentis, Anglici eorum iuramenta recipere contradicunt, et sic utroque casu conculcata iustitia, ecclesiis ac eorum hominibus grave preiudicium generatur. Cum igitur pondus et pondus, mensura et mensura utrumque sit abominabile apud dominum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus non obstante prefata consuetudine, vel potius corruptela, quam censemus penitus abolendam, dictis Anglicis expresse inhibeas, ne talia decetero attemptare presumant, sed prorsus ab huiusmodi perversitate cessantes, pusillum et magnum pari permittant iudicio iudicari, et examinari divitum causas et pauperum equa lance, cum in iudicio divinitus interdicta sit acceptio personarum. Quod si contra prohibitionem tuam per abu-

sionem huiusmodi aliquos presumpserint molestare, tu presumptionem ipsorum auctoritate nostra compescas. Datum apud Urbemveterem vi. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

XXXIX.

Iudicibus, ut causam prioris et conventus Sancti Andreae examinent et decidant. Reg. An. V. epist. 21.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Dunkeldensi Episcopo, et dilectis filiis Magistro Iacobo Capellano et Penitentiario nostro, apostolice sedis legato, et ... Abbati de Dumfermelin S. Andree diocesis, salutem etc. Oblata nobis dilecti filii .... Prioris Sancti Andree conquestio patefecit, quod cum idem olim propter iniurias et oppressiones varias, quibus ipsum et suos eorum Episcopus affligebat, ad nostram audientiam appellasset, et cum H. de Dimde canonico suo arripuisset iter causa prosequendi appellationem suam ad sedem apostolicam veniendi, cum infirmitate corporis et aliis incommodis impeditus, iamdictam appellationem personaliter prosequi non valeret, iamdictum canonicum suum causa prosequendi appellationem premissam ad nostram presentiam destinavit. Episcopus vero prefatus, ut sic saltem ipsum et suos posset amplius aggravare, ad venerabilem fratrem nostrum ... Dumblanensem epum et coniudices suos contra prefatum H. super eo, quod dicebat, eundem de hiis, que pro fabrica ecclesie Sancti Andree perceperat, nolle sibi reddere rationem, apostolicas litteras impetravit, qui, citatoriis litteris ad ecclesiam memoratam transmissis, prefatum H. absentem ex causa prefata contumacem reputantes pro eo, quod se ipsorum conspectui minime presentavit, in eundem, licet eius absentia per procuratorem ipsius Prioris, quem specialiter causa tangebat, et alium concanonicum suum in premissorum iudicum presentia sufficienter excusata fuisset, de facto excommunicationis sententiam promulgarunt, nichilominus in superiorem et capitulum ecclesie supradicte pro eo, quod ad mandatum ipsorum sepefatum canonicum excommunicatum, sicut etiam nec debebant, minime nuntiarunt, suspensionis, et in ipsam ecclesiam interdicti sententias promulgantes. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictas sententias nullas esse penitus nuntiantes, audiatis causam, et appellatione remota, fine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Alioquin partes ad priorum etc. appellantem etc. Quod si non omnes his interesse poteritis, duo vel unus ea exequi curet. Datum apud Urbemveterem quinto Idus Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

XL.

Sedis apostolicae legato, ut pacem inter Angliae et Scotiae reges nuper initam consolidare, et denarium b. Petri in Anglia colligi et ad Templarios Parisienses transmitti curet. Reg. An. V. epist. 35.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio P. Norwicensi Electo, camerario nostro et apostolice sedis legato, salut. etc. Quod sicut per tuas nobis litteras intimasti, parentela inter carissimos in Christo filios nostros H. Anglorum et Scotie Reges illustres sollempniter est contracta, merito nobis placet, maxime si, ut speramus, pax inter utriusque Regna exinde integra solidetur. Ceterum discretionem tuam rogandam duximus attentius et monendam, per apostolica scripta mandantes, quatenus negotiis Regis et Regni Anglie diligenter intendens, pacem studeas omnimodis conservare, quia id honori tuo maxime noscitur expedire. Preterea cum nuper quicquid habuimus in camera miserimus in subsidium terre sancte, propter quod multis tenemur debitis obligati, denarium beati Petri et censum ecclesie Romane debitum, ac vicesimam colligi facias diligenter et efferri de Anglia, ac ipsa omnia tui sigilli munimine, sicut expedire videris, consignata Parisius (sic) penes Templarios et Hospitalarios caute deponere studeas et prudenter, quantitatem omnium singillatim tuis nobis litteris rescripturus. Iacobum autem, quem officio scriptorie privavimus, nolebamus aliquo modo recipere, sed ad quorumdam importunam instantiam fecimus ei munus absolutionis impendi, precipiendo eidem sub pena prestiti iuramenti, ut ad te quantocius satisfacturus accedens, tuis pareat omnino mandatis. Datum apud Urbemveterem xv. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno quinto.

XLI.

Archiepiscopo Dublinensi, ut postulationem factam per capitulum Ossoriense, si canonica fuerit, confirmet. Reg. An. V. epist. 52.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Dublinensi Archiepiscopo, salutem etc. Cum dilecti filii Capitulum Ossoriense, olim eorum ecclesia viduata pastore, et dilectum filium P. canonicum suum in episcopum postulassent, suis nobis litteris supplicantes instanter, ut cum ipso super defectu natalium, qui obsistebat eidem, de soluto genito et soluta, dignaremur misericorditer dispensare, multis ecclesiarum prelatis, et quibusdam etiam de fratribus nostris supplicantibus et laudabile testimonium perhibentibus pro eodem, cum ipso duximus dispensandum: ita tamen quod illa vice postulationem non reciperet de se factam. Nuper autem idem Capitulum dilectos filios Willelmum cancellarium et Magistrum G. canonicum suos ad nostram presentiam destinantes, nobis iterum instantius supplicarunt, ut postulationi facte de ipso, cui adhuc totis desideriis insistebant, annuere dignaremur, cum crederent per eum ecclesiam ipsam in spiritualibus et temporalibus profecturam. Ne igitur videremur profectum eiusdem ecclesie prepedire, vel promotioni eius obsistere, qui delicta parentum honestate vite, ac talento scientie creditur laudabiliter redemisse, fraternitati tue, de qua plenam obtinemus fiduciam, per apostolica scripta mandamus, quatenus persone ac rei circumstantiis circumspectis postulationem ipsam examinans diligenter, si alias est de persona idonea canonice celebrata, eam auctoritate nostra confirmes. Datum apud Urbemveterem ii. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno quinto.

XLII.

Sancti Andreae et Brechinensi episcopis, ut si legatus sedis apostolicae in regno Scotiae non fuerit, ipsi cum Thoma clerico regis dispensent ad plura beneficia obtinenda. Reg. An. V. epist. 256.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Sancti Andree et ... Brechinensis Episcopis, et dilecto filio ... Abbati de Scona Sancti Andree diocesis, salutem etc. Qui bene meritos cupimus invenire, libenter honoramus inventos, ut virtus meritorum dignis premiis comitata clarior elucescens letos suos efficiat possessores, et alios ad bonorum actuum studia efficaciter exhortentur. Sane cum olim fuerit in concilio Lateranensi, quod et postmodum in generali extitit renovatum, ut nullus diversas dignitates ecclesiasticas, aut plures parrochiales ecclesias reciperet contra sacrorum canonum instituta: ita tamen quod circa sublimes et litteratas personas possit super hoc per sedem apostolicam dispensari. Nuper karissimus in Christo filius noster ... Rex Scotorum illustris, et quidam ecclesiarum prelati suis nos litteris suppliciter exhorarunt, ut cum dilectus filius Thomas de Striuelin clericus suus, cui vite honestas et talentum scientie laudabiliter suffragantur, non habeat, unde honeste valeat sustentari, ut plura huiusmodi beneficia recipere valeat, dignaremur cum eo misericorditer dispensare. Nos igitur bonis benefacere cupientes, dilecto filio Magistro Iacobo, cappellano et penitentiario nostro, apostolice sedis legato nostris dedimus litteris in mandatis, ut persone meritis provide circumspectis, dispenset super hoc auctoritate nostra cum eo, prout secundum deum viderit expedire. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si legatus in Regno Scotie inventus non fuerit, vos id, sublato appellationis obstaculo, auctoritate apostolica efficere procuretis. Quod si non omnes etc. Datum Laterani xviii. Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri anno quinto.

XLIII.

Episcopo Glasguensi, ut religiosos suae dioecesis, qui sententias excommunicationis per eum latas non observent, per subtractionem beneficiorum coerceat. Reg. An. V. epist. 368.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo Glasguensi, salutem etc. Cum enormes excessus relinqui non debeant impuniti, ne forte trahantur a presumptoribus in exemplum: nos, qui licet immeriti super universam ecclesiam pastoralis officii sollicitudinem exercemus, summo debemus studio providere, ne, quod contra disciplinam ecclesiasticam attemptatur, in derogationem ipsius remaneat incorrectum. Oblata siquidem nobis ex parte tua petitio continebat, quod cum in canonicos de Gedeworde, et quosdam alios religiosos tue diocesis pro suis dumtaxat excessibus excommunicationis aut interdicti sententias rationabiliter promulgaris, iidem in ventum elationis erecti, sententiis ipsis temere vilipensis, divina non verentur officia celebrare in plurimorum scandalum et suarum perniciem animarum. Ne igitur tante temeritatis excessus, si remanserit impunitus, similia committendi quibuslibet tribuat incentivum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus talium et similium contumaciam per subtractionem beneficiorum suorum, quousque resipuerint, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra studeas cohercere. Datum Laterani vi. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno quinto.

XLIV.

Episcopo Karleolensi, ut concessiones ecclesiarum contra statuta concilii generalis in Scotia factas revocandas curet. Reg. An. V. epist. 390.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Karleolensi, salutem etc. Insinuante dilecto filio ... abbate de Iederd Glasguensis diocesis nostris est auribus intimatum, quod quidam predecessorum suorum quasdam ecclesias tue diocesis non vacantes, viventibus adhuc rectoribus earundem, filiis ipsorum in etate minus legitima constitutis contra statuta Lateranensis concilii concesserunt, et autentico scripto sui capituli confirmarunt in ecclesie sue preiudicium et gravamen. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus concessiones et confirmationes huiusmodi contra dicti statuta concilii temere attemptatas, inquisita et cognita veritate, cures canonice revocare. Contradictores etc. Testes autem, si favore, vel odio, vel timore se subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas veritati testimonium perhibere. Nullis litteris veritati et iusticie preiudicantibus etc. Datum Laterani v. Idus Februarii, Pontificatus nostri anno quinto.

XLV.

Archiepiscopo Dublinensi ordinatio quarundam dignitatum in sua ecclesia facta confirmatur. Reg. An. V. epist. 450.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Que pro ecclesiarum decore ac divini nominis cultu provide ordinantur, apostolico decet munimine roborari, ut inconcussam obtineant firmitatem. Cum igitur in ecclesia tua decanatum, precentoriam, thesaurariam, cancellariam et alias personatus provide ordinaris, certis redditibus hiis, qui sustinebunt onus officiorum huiusmodi, deputatis: nos tuis precibus inclinati, ordinationem ipsam, sicut pie ac provide facta est, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Laterani ii. Nonas Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

XLVI.

Legato sedis apostolicae, ut quasdam consuetudines in Hibernia, ad quas abolendas archiepiscopus Casseliensis litteras apostolicas obtinuerat, examinet et de his referat. Reg. An. V. epist. 590.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Iacobo Capellano et Penitentiario nostro, apostolice sedis legato, salutem etc. Quanto iustus petentium precibus faciliorem prebemus assensum, tanto quilibet debet accuratius cavere, ne sub pretextu a nobis iustitiam postulandi, nostram confidentiam circumveniens calumpniam machinetur in nostram et publici

iuris iniuriam manifestam. Sane karisismus in Christo filius noster H. Rex Anglorum illustris suis nobis nuntiis et litteris intimavit, quod venerabilis frater noster ... Cassellensis archiepiscopus, suggerens olim nobis, quod ipse possessiones ecclesie Cassellensis a quampluribus iniuste detentas, et specialiter villam novam de Cassello, et possessiones alias eiusdem ecclesie, quibus eam nobilis vir G. de Marisco iustitiarius Ybernie, ac eius complices indebite spoliarant, adhuc non potuit rehabere, quamvis Rex super hoc fuisset monitus diligenter, ad eundem Regem nostras litteras impetravit, ut sibi restitui faciens tam villam predictam quam alia, quibus erat contra iustitiam spoliatus, eum in iustitiis et libertatibus suis defenderet et foveret, ita quod ipsum merito commendare possemus, et te, cui negotium ipsum commisimus, non oporteret aliquatenus laborare. Fuit autem nuper coram nobis ex parte Regis responsum, quod libenter volebat archiepiscopum et ecclesiam eius defendere ac favere, dummodo sui iuris non incurreret detrimentum. Sed licet idem archiepiscopus in hoc iustitiam pretendere videatur, gravem tamen Regi eidem iniuriam molitur inferre. Nam cum de antiqua et approbata consuetudine sit obtentum, immo commune Regni Anglie ac Ybernie ius existat, ut nullus infra etatem legitimam constitutus super hiis, que pater suus tempore mortis pacifice possidebat, donec viginti et unum annum compleat, valeat conveniri, et constet, quod clare memorie I. pater eius tempore mortis sue in quasi possessione pacifica huiusmodi iuris erat et rerum ab archiepiscopo petitarum, non debebat hoc Regi negari, quod nec maioribus Regni nec minoribus denegatur. Alio quoque idem Rex se super hoc iure tuetur, quod cum res huiusmodi sint feudales, super hiis non nisi coram paribus curie sue conveniri debeat. Fuit etiam ex parte ipsius Regis propositum coram nobis, quod ab eo tempore, quo Anglici de mandato apostolice sedis intrantes Yberniam, ipsam ecclesie Romane obedientie subiecerunt, habito respectu ad Ybernienium feritatem, ne ulterius exprimatur, necessitate ac utilitate pensatis, extitit introductum et hactenus pacifice observatum, ut si forte Yberniensis furtim subripuerit aliquid Anglico, et iuraverit Anglicus cum sex aliis Anglicis, rem sibi fuisse ab Yberniensi subreptam, Yberniensis ad restitutionem rei subrepte cogatur. Sed predictus archiepiscopus malitiose subticens causas, quare hoc fuerit introductum et firmiter stabilitum, ad eundem Regem litteras impetravit, ut non obstante consuetudine huiusmodi, vel potius corruptela, quam decernebamus potius abolendam, Anglicis inhibere, ne talia presumerent decetero attemptare, presumptores regia potestate compescens: quare fuit nobis ex parte Regis ipsius supplicatum instanter, ut non permitteremus aliquid contra dictam consuetudinem immutari, cum id fieri non posset sine utriusque gentis irreparabili detrimento. Preterea suggerentibus predicto archiepiscopo et suffraganeis eius, quod Barones et alii laici in eorum diocesibus constituti, possessiones ecclesiarum suarum pro maiori parte detinent contra iustitiam occupatas, et de paucis earundem relictis, licet a Rege nec illas, nec regale aliquod habeant, ipsi et eorum homines coram seculari coguntur iudice respondere. Nos eidem Regi direximus scripta nostra, ut abusiones huiusmodi faceret aboleri, et restitui possessiones eisdem a laicis occupatas, dato nihilominus tibi nostris litteris in preceptis, ut vocatis, qui essent vocandi, exequereris, sicut iustum esset, sublato appellationis impedimento, premissa. Ad quod fuit ex parte Regis predicti responsum, quod cum possessiones ille laice sint, et teneatur ex antiqua et approbata consuetudine, immo ex utriusque Regni lege, super huiusmodi, si vertatur etiam questio inter dominos et vassallos, in foro suo cuilibet conquerenti facere iustitiam exhiberi, ita quod non nisi coram ipso potest alius alium convenire. Hiis dumtaxat exceptis, que in puram elemosinam sunt collata, non debeat super hiis Rex sua iurisdictione privari, paratus omni petenti exhibere iustitie complementum. Ad hec sepedicto archiepiscopo conquerente, quod Anglici quidem, in eius provincia commorantes, ecclesiarum et clericorum possessiones iniuste occupant, et munitiones construunt in eisdem, et decedentibus Anglicis, qui possessiones ecclesiarum et clericorum sue provincie sub annuo censu tenent, Ballivi Regis possessiones ipsas occupant violenter, et tamdiu fructus percipiunt eorundem, donec defunctorum heredes perveniant ad etatem, licet prelati ecclesiarum, ad quos possessiones pertinent, percipere debeant fructus ipsos. Nos eidem Regi direximus scripta nostra, ut iniuste subtracta restitui faciens ecclesiis et clericis supradictis, Ballivos suos et alios ab huiusmodi gravaminibus et pressuris tradita sibi compesceret potestate: unde super hiis fuit ex parte Regis responsum, quod cum in Ybernia possessiones tam clericorum, quam Baronum et aliorum pro eo, quod sine castris munite, quasi continue inter Anglicos et Ybernienses guerra durante, reddantur Anglicis inhabitabiles, provide fuit statutum tam a clericis quam a laicis, ut nisi illi, qui huiusmodi possessiones haberent, infra certum terminum in eis castra fundarent, liceret Regi extunc munitiones erigere in eisdem: unde archiepiscopus nimis astute nitebatur statutum huiusmodi abolere in grave ipsius Regis dispendium et iacturam, et in alio articulo talem suppresserat veritatem, quam si expressisset, nequaquam super eo potuisset litteras impetrare. Nam cum ab omnibus tam prelatis quam clericis per Angliam et Yberniam constitutis inviolabiliter observetur, ut si vassallus alicuius domini, herede minore viginti unius anni relicto, decedant, dñus heredem cum omnibus bonis suis sub custodia sua usque ad predictam tenens etatem, de omnibus rebus mobilibus et redditibus pro sua voluntate disponat. Rex in hoc gaudet privilegio speciali, quia si talis heres habeat feudum a Rege, licet sit vassallus alterius cuiusque, sive episcopi, sive altarius clerici aut laici, Rex omnium possessionum illius custodiam abtinebit: quare decedentibus Anglicis, qui possessiones ecclesiarum et clericorum dicte provincie tenent, non ad annuum censum, sicut archiepiscopus

asserit, cum nequaquam temporales conductores existant, rite Ballivi Regis ipsius defunctorum heredes cum possessionibus ipsis recipiunt et custodiunt, donec perveniant ad etatem. Subsequenter quoque idem archiepiscopus nobis conquestus extitit, quod cum felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, ... abbati de Ioriponte ac eius collegis suis dedisset litteris in mandatis, ut possessiones ecclesie sue, alienatas a predecessoribus suis in ipsius ecclesie lesionem, studerent ad ius et proprietatem eiusdem ecclesie legitime revocare, iustitiarii Regis et quidam alii Anglici commorantes in provincia Cassellensi eos in negotio ipso procedere minime permittebant, ne de possessionibus ipsis se aliquatenus intromitterent, artius inhibendo, et super quibusdam terris, quibus se asserebant a quibusdam prelatis Ybernie indebite spoliatos, ipsos trahebant in causam sub iudice seculari, coram quo duodecim Anglicis iuramento firmantibus id, quod illi asserunt de ipsis possessionibus verum esse, contra prelatos ipsos promulgabatur sententia, et ita per abusum huiusmodi gravem incurrebant ecclesie iugiter lesionem: unde nos Regi scripsimus sepedicto, et iustitiarios ipsos et alios a prefatis gravaminibus tradita sibi potestate compescens, prelatos eosdem et alios viros ecclesiasticos non sineret fori sui privilegio spoliari, nec perverti iudicium predicto iuramentorum abusu, quem tamquam iuri contrarium censebamus penitus abolendum. Fuit autem ex parte Regis ad predicta responsum, quod cum tam in regno Anglie, quam in regno Ybernie dissensiones multiplices, et varie questiones super variis spoliationibus et detentionibus iugiter orirentur, de communi consilio et consensu tam ecclesiarum prelatorum, quam aliorum magnatum, necnon aliorum maiorum et minorum provida fuit deliberatione statutum, ut ad inveniendum facilius veritatem et iustitiam plenius declarandam, eligantur quatuor boni viri, qui iurant, se duodecim alios, quos fideliores et prudentiores esse credunt, ad questionem sopiendam subortam fideliter electuros, et sic quod electi duodecim prestito iuramento (sic), quod fideliter veritatem inquirent et iudici referant. Iudex secundum relata iudicat et facit firmiter observari, nisi forte ad querelam illius, contra quem iudicatum est, per viginti quatuor aliorum iuratorum inquisitionem contrariam reprobetur: unde statutum huiusmodi eo personis ecclesiasticis videtur amplius expedire, quo artius tenentur aliis iustitiam observare. Ne igitur sepedictus Rex infra etatem positus exinde aggravetur, quem tamquam sub speciali apostolice sedis protectione positum debemus ab oneribus relevare, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis principibus utriusque Regni tam ecclesiasticis quam secularibus, inquiras super hiis omnibus diligentius veritatem, et si, ut ex parte Regis propositum est, hoc inveneris vera esse, nequaquam litterarum nostrarum auctoritate procedas, presertim cum idem Rex, quamdiu fuerit infra etatem positus, non debeat conveniri. Datum Laterani XIIII. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto.

XLVII.

Iudicibus, ut presbytero, qui per mensem in monasterio fuit, dent optionem, utrum in saeculo an religione manere malit. Reg. An. V. ep. 577.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis ... de Melros et de Neubotle Abbatibus et ... Priori de Melros Cisterciensis ordinis Glasguensis et sancti Andree diocesum, salutem etc. Significavit nobis R. pauper presbiter, quod cum monasterium quoddam ordinis Cisterciensis intrasset in probatorio cum novitiis commorando, idem vix facta ibi mora per mensem a se ipso factus fuit pene penitus alienus, ita ut oporteret eundem vinculis alligari, unde ab abbate ac fratribus eiusdem loci licenciatus, exinde cum eorum litteris dimissoriis non facta professione recessit: Quare nobis humiliter supplicavit, ut ipsum non permitteremus occasione huiusmodi molestari. Nos igitur ipsum proprie conscientie relinquentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, in eius optione ponatis, an sub regulari observantia velit domino in aliquo monasterio famulari, vel malit in seculo remanere. Quod si non omnes etc. Datum Laterani VIIII. Kalendas Maii, Pont. n. anno quinto.

XLVIII.

Iudicibus, ut causam matrimonii Alani comestabularii regni Scotiae audiant. Reg. An. VI. epist. 331.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Eboracensi Archiepiscopo et ... Karleolensi et ... Oxonensi Episcopis, salutem etc. Olim dilectus filius frater Iacobus capellanus et penitentiarius noster, tunc apostolice sedis legatus, et Epi quamplures Regni Scotie suis nobis litteris intimarunt, quod nobilis vir Alanus Comestabularius Regni eiusdem eo gradu consanguinitatis et affinitatis sue attineret uxori, quod sine mortali peccato illi non posset carnaliter commisceri. Idem quoque legatus, quid esset in huiusmodi causa facturus, per suas nos duxit litteras consulendos. Quare moti ex hiis pariter et inducti legato ipsi scripsimus, ut predicti Regni convocatis Epis, quos crederet evocandos, communicato quoque illorum et aliorum prudentum consilio, si constaret eidem computatis canonice gradibus et distinctis, quod predicti vir et uxor in gradu sibi prohibito attinerent, super hoc faceret, prout secundum deum prospiceret expedire. Sane cum procurator ipsius nobilis cum obtentis a nobis super hoc litteris remearet, quoniam ad legatum eundem applicuit, cum in itinere foret ad nostram presentiam redeundi, ad nos infecto negotio iterum est reversus, suppliciter postulans et humiliter ac instanter exposcens, ut ne sustinuisset in vacuum tot labores, negotium ipsum viris decretis committere dignaremur. Nos autem licet favore matrimonii hac sicut alia vice difficiles aliquandiu fuissemus, ne tamen negaremus iustitiam, in qua sumus omnibus debitores, et quam fieri super hoc procurator ipse attentius postulabat, fraternitati vestre in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus habituri pre oculis solum deum, et reddituri de hoc in die districti examinis rationem, convocatis episcopis et aliis viris honestis, quos videritis evocandos, audiatis causam,

in qua cum omni circumspectione ac diligentia processuri, nichil unquam de contingentibus omittendo, ut circumveniri et tandem redargui non possitis. Cum huiusmodi factum ex causis quibusdam, quas audivimus, non valeamus non habere suspectum, cum ea, qua decet, maturitate consilii, appellatione postposita, faciatis, quod secundum deum et animarum salutem fuerit faciendum. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu ea, frater archiepe, cum eorum altero etc. Datum Anagnie III. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno sexto.

XLIX.

Iudicibus, ut in episcopi Cathanensis interfectores severe animadvertant, regique Scotorum horum impietatem ulciscendi studio flagranti presto sint. Reg. An. VII. epist. 75.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Sancti Andree, ... Glaswensi, ... Dunkeldensi et ... Dumblanensi Epis, salut. etc. Nunc scimus vere, quod karissimus in Christo filius noster ... Rex Scotorum illustris ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum traditam sibi a domino exerceat potestatem, cum commissas in regno suo nequitias non patiatur impunitas. Iam plene cognoscimus, quod libertatem ecclesiasticam diligat, cum sue auctores iniurie prosequatur. Iam revera ipsum dei fatemur adletam (athletam), cum ad vindicandum sanguinem christi eius, qui de terra clamat ad ipsum, regalibus negotiis pretermissis, intendat. Audito quidem ex litteris vestris, quam abhorrendum facinus, quamque detestabile malum dudum sit in regno suo patratum, noster expavit animus, cor contremuit, et aures ex ipsius orribilitate facinoris timuerunt, sed ex earundem litterarum intellecto tenore, quam animose idem Rex insurrexerit contra huius sceleris patratores, dolorem, quem nobis facti atrocitas intulit, pro magna parte sensimus ex sua diligentia mitigatum. Eedem sane littere continebant, quod orta inter recolende memorie A. Cathanensem episcopum ex parte una, et parrochianos suos ex altera super decimis et aliis Katanensis ecclesie iuribus questione, ipsaque in presentia Regis ipsius mediantibus quibusdam personis ecclesiasticis amicabili compositione sopita, cedente tandem episcopo ad propria, ipsoque Rege in Angliam pro arduis Regni sui negotiis properante, iidem parrochiani tamquam moti adversus eum, quia ecclesie sue causam egerat contra ipsos, in pastorem pium lupi rapaces, in patrem degeneres filii, ac in Christum dominum diaboli satellites irruentes, eum vestibus propriis spoliatum, cesum, lapidatum et bipenni vulneratum ad mortem, in coquina propria eius interitus nimis avidi cremaverunt. Rex vero prefatus, qui proficiscens in Angliam iam ad extrema Regni sui pervenerat, hoc audito, dolens et ex tanta perversitate sceleris conturbatus, ad vindicandam tam crudelem episcopi dicti mortem, et ad male perdendum malos, qui eundem episcopum sic perdiderant, prorsus omissis, que ipsum trahebant, negotiis, se protinus exercitibus suis collectis accincxit, aperte insinuans, quod eum iniuria Christi angat, et sue zeletur ecclesie libertatem, pro cuius defensione mortem subiit epus memoratus. Nos ergo iuxta postulationem vestram ipsius Regis super hoc excellentiam commendantes, ac prosequentes actionibus gratiarum eum per scripta nostra monuimus, ut assumptum propositum ulciscendi deo et ecclesie super hoc illatam iniuriam ulciscendo taliter prosequatur, quod pro eo ipsa teneatur ecclesia dei misericordiam implorare, ut semper sit, ubicumque ambulat, ipse secum et in eternum stabiliat regnum suum, faciatque sibi nomen grande, ac ab omnibus inimicis suis ei requiem largiatur. Cum autem, sicut in litteris continebatur eisdem, vos huiusmodi iniquitatis auctores et fautores eorum publice denuntiaveritis excommunicationis sententie subiacere: Nos, quod super hoc a vobis factum est, approbantes, et penam augere volentes eorum, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsorum terris, si quas habent, districto ecclesiastico interdicto subiectis, tam prefatam excommunicationis sententiam, quam ipsum interdictum districtissime faciatis usque ad satisfactionem congruam observari. Datum Laterani Idibus Ianuarii, Pontificatus nostri anno septimo.

L.

Regi Mannie, ut pauperes ditionis suae ecclesias dotare velit. Reg. An. VII. epist. 76.

Honorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... illustri Regi Mannie, salutem etc. Ad hec Rex regum et dominus dominantium Iesus Christus, a quo tibi concessam temporalem debes recognoscere potestatem, ad Regni te solium sublimavit, ut ecclesias et loca religiosa per tuum Regnum existentia diligas et honores, munificentie tue manum eis tam liberaliter quam ylariter porrigendo, et alia in eis pietatis opera exhibendo. Cum igitur, sicut nostris est auribus intimatum, quedam ecclesie Regni tui, quarum omnium es patronus, non habere terram liberam asserantur: Serenitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, quatenus cum indecens omnimodis videatur, ut ecclesie memorate competenti dote penitus sint expertes, ipsarum cuilibet saltim triginta passus terre iuxta canonicas sanctiones in liberam elemosinam extra cimeterium a parte qualibet earundem, ad domos clericorum faciendas ibidem, liberaliter largiaris, ut eedem pro te teneantur dei misericordiam implorare, ut semper sit, ubicumque ambulaveris, ipse tecum, suamque tibi concedit gratiam in presenti, et gloriam in futuro. Datum Laterani XIII. Kalendas Februarii, Pont. nostri anno septimo.

LI.

Rex Insularum sub protectione beati Petri veluti feudatarius ecclesiae Romanae suscipitur. Reg. An. VII. epist. 164.

Honorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Reginaldo Regi Insularum illustri, salutem etc. Prompte fidei et prone devotionis affectus, quem erga Romanam ecclesiam studes in effectu laudabiliter exhibere, digne meretur, ut personam tuam sincera benevolentia complectentes te speciali sedis apostolice

gratia prosequamur, tuis supplicationibus favorabiliter annuendo. Sicut enim transmisse nobis tue littere protestantur, bonorum, que fiunt in ecclesia Romana, particeps esse cupiens, ad exhortationem venerabilis fratris nostri P. Norvicensis Episcopi, tunc Electi et apostolice sedis legati, ei ecclesie Romane nomine ac nostro Insulam de Man, que ad te iure hereditario pertinebat, nullumque de ipsa servitium facere tenebaris, donasti liberaliter et irrevocabiliter tradidisti, recipiens eandem Insulam ab ecclesia Romana in feudum, et pro ea nobis fidelitatis et homagii exhibens iuramentum. Ad recognitionem quoque dominii ecclesie Romane tu, et heredes tui annuatim duodecim marcas sterlingorum in Anglia apud monasterium de Furnis in festo Purificationis beate Virginis persolvetis, que omnia iurasti te fideliter servaturum. Nos igitur habentes hec rata et grata, tuis supplicationibus inclinati, personam et terram tuam cum omnibus, que impresentiarum rationabiliter possides, aut in futurum iustis modis prestante domino poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani x. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno septimo.

LII.

Iudicibus, ut ecclesiam Moraviensem in locum tutiorem et commodiorem, si id expedire viderint, transferant. Reg. An. VIII. epist. 401.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo Cathanensi, et dilectis filiis ... Abbati de Kinlos Moraviensis diocesis et ... Decano Rosmarchinensi, salutem etc. Veniens ad presentiam nostram venerabilis frater noster ... Moraviensis Epus sepe nobis exposuit, et nostris frequenter auribus inculcavit, quod ipsius sedes preter id, quod est in loco guerris imminentibus minus tuto, in tam solitario loco consistit, ut nulla ibi contingant venalia repperiri, unde plerumque fit, ut clericis pro emendis sibi necessariis longius accedentibus, divinorum cultus officiorum non modicum impeditur: quare idem Episcopus cum multa precum instantia postulavit a nobis, ut sedem eandem ad locum transferri habiliorem, scilicet ecclesiam sancte Trinitatis iuxta Elgin, karissimo in Christo filio nostro ..... Illustri Rege Scotie, ac Moraviensi Capitulo hoc ipsum, ut dictus Episcopus asserit, affectantibus, mandaremus. Nos itaque de discretionis vestre prudentia in domino confidentes, per apostolica vobis scripta mandamus, quatinus vocatis, quos videritis evocandos, proviso etiam, que necessitas vel utilitas fieri hoc exposcat, pensatis insuper circumstantiis universis super translatione huiusmodi, auctoritate apostolica faciatis, quod secundum deum et utilitatem et honestatem Moraviensis ecclesie cognoveritis expedire. Quod si non omnes etc. Dat. Laterani IIII. Idus Aprilis, an. VIII.

LIII.

Archiepiscopo Dublinensi, ut in causa inter monasterium s. Thomae Dublinensis, et haeredes R. de Felda vertente canonice procedat sine praeiudicio pupillarum. Reg. An. VIII. epist. 410.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Ex parte dilectorum filiorum ... Abbatis et Conventus Monasterii sancti Thome Dublinensis fuit propositum coram nobis, quod cum inter ipsos ex parte una et Nicolaum de Felda laicum ex altera super quadam terra, que fuit quondam R. patris dicti N., in laicali curia questio verteretur, et ipsi prefato N., qui se defuncti heredem asserens eandem terram sibi iure vendicabat hereditario, obiecissent, quod non esset legitimo matrimonio procreatus, demum super legitimitatis articulo coram te questione suborta et pene discussa, ita quod iam aliud non restaret, nisi ut sententia proferretur, pupille quedam, que in causa nunquam alias apparuerant, per tutorem proprium asserentes sibi posse preiudicium generari, si predicto N., quem et ipse non esse legitimum proponebant, sententiam proferri contingeret, cum easdem prefatus defunctus de uxore legitima suscepisset, ac contra huiusmodi sententiam eis secundum Regni consuetudinem restitutio non daretur, ne ultra procederes, ad nostram audientiam appellarunt, propter quod supersedisti sententiam promulgare: sicque causa ipsa in dictorum Abbatis et Conventus dispendium remansit hactenus indecisa, unde super hoc sibi petierunt a nobis misericorditer provideri. Ne igitur ex dilatione huiusmodi dictum Monasterium sui iuris sustineat detrimentum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad iustam super hiis sententiam preferendam previa ratione procedas sine preiudicio pupillarum, quarum indempnitati precaveas modis omnibus, quibus videris expedire. Datum Laterani II. Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno octavo.

LIV.

Capitulo Cassellensi confirmatur statutum de duodenario canonicorum numero conditum. Reg. An. VIII. epist. 469.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo Cassellensi, salutem et ap. ben. Ecclesiarum utilitati ac tranquillitati consulitur, cum numerus personarum domino famulantium in eisdem earum facultatibus provide coaptatur. Cum ergo duodenarium canonicorum numerum in ecclesia vestra, pensatis eius facultatibus, duxeritis statuendum: Nos vestris precibus inclinati, statutum huiusmodi, sicut provide factum est, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, inhibentes, ne quis ad maiorem numerum vos compellat invitos, nisi forsan adeo excrescerent ipsius ecclesie facultates, quod etiam numerus personarum videretur merito ampliandus, salvo in omnibus apostolice sedis mandato. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare etc. Dat. Laterani VI. Nonas Maii, Pontificatus nostri anno octavo.

LV.

Aboletur denuo iniquum quorundam Anglorum statutum de non admittendis Hibernis ad dignitates ecclesiasticas. Reg. An. VIII. epist. 468. (Vide supra num. XXXVI. pag. 16).

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis Clero Yberniensi, salutem etc. Sicut ea, que rite ac laudabiliter fiunt, decet per sedem apostolicam roborari, ut solidius in sui roboris firmitate consistant, sic ea, que temere ac illicite presumuntur, infirmari convenit per eandem, ne processu temporis robur indigne firmitatis assumant. Sane nostris est iam frequenter auribus intimatum, quosdam Anglicos inaudite temeritatis audacia statuisse, ut nullus clericus de Ybernia, quantumcumque honestus et litteratus existat, ad aliquam dignitatem ecclesiasticam assumatur: Nolentes igitur tante presumptionis et iniquitatis abusum sub dissimulatione transire, statutum huiusmodi, omni iuris et honestatis auxilio destitutum, presentium auctoritate decernimus irritum et inane, discrictius inhibentes, ne quis vel inherere illi vel decetero simile attemptare presumat. Nulli etc. nostre constitutionis et inhibitionis etc. Si quis etc. Datum Laterani VI. Kalendas Maii, P. n. an. octavo.

LVI.

Episcopus Corcagiensis ecclesiae Cassellensi in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. VIII. epist. 486.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo quondam Corcagiensi in Archiepiscopum Cassellensem electo, salutem etc. Cum olim fuisses ad Cassellensem ecclesiam postulatus, nos postulatione huiusmodi non admissa, non persone tue vitio, sed processus, dilectum filium Magistrum M. Scotum ad regimen assumpsimus ecclesie memorate, qui cum idem regimen, dum linguam terre illius ignorare se diceret, spontaneus resignasset, de alio nobis fuit ad eandem ecclesiam postulatio presentata, que cum antequam ad partes illas hec pervenire potuerint, presumpta fuisset, merito eam sprevimus et duximus penitus repellendam. Quia vero periculosum erat eidem ecclesie, si pastoris maneret solatio diutius destituta, te, quem ipsi utilem et ydoneum reputavimus, de consilio fratrum nostrorum, preficiendum ei ex officio nostro providimus ad eius curam et sollicitudinem assumendum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad karissimum in Christo filium nostrum I. Illustrem Regem Anglie pro eius assensu cum litteris nostris accedas, venturus ad nostram presentiam palleum, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, cum illud ea, que decuerit, instantia postulaveris, recepturus. Datum Laterani XII. Kalendas Iulii, P. n. anno octavo.

In e. m. Archiepo Cantuariensi et Regi Anglie, ut eundem electum Cassellensem accipiant.

LVII.

Episcopo quondam Artfertensi de pontificalium exercitio indulgetur. Reg. An. IX. epist. 190.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri E... Episcopo quondam Artfertensi, salutem etc. Cum episcopatum Artfertensem in manibus nostris cedendo loco, non ordini spontaneus resignaris, presentium tibi auctoritate concedimus, ut de diocesanorum licentia pontificale possis officium exercere, cum fueris requisitus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc. Datum Laterani v. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno nono.

LVIII.

Abbati et conventui monasterii de Dunformelin proventus ecclesiarum de Hales et de Kinglassin S. Andreae dioecesis vacaturarum conceduntur. Reg. An. X. epist. 189.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii de Dunformelin, salutem etc. Ex relatione vestra plenius intelleximus, quod cum ad divini cultus augmentum Monasterium vestrum tam numero personarum, quam et nobiliori structura fabrice duxeritis augmentandum, pro sustentatione fratrum et hospitum vobis non sufficiunt facultates, quin plerunque propter hoc subire vos oporteat onera debitorum. Unde cum multa precum instantia postulastis, ut dignaremur vobis ad hospitalitatem precipue conservandam, quod in de Hales et de Kinglassin ecclesiis vestris Sancti Andree diocesis, quas a veris patronis vobis concessas et confirmatas per loci diocesanum de Capituli sui assensu pacifice obtinetis, cedentibus vel decedentibus eorum personis, proventus ipsarum possitis in usus vestros convertere, liberum tunc de nostra promissione habendo ingressum in ecclesias memoratas. Nos vero laudabile in vobis hospitalitatis studium favorabiliter prosequentes, devotioni vestre, auctoritate presentium, concedimus postulata: sic tamen ut honesta habeant sustentationem ecclesiarum ipsarum vicarii, quos diocesano epo, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus respondeant, presentetis. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Reate Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno decimo.

LIX.

Monasterium s. Iacobi apost. et s. Mirini conf. de Passelet ord. sancti Benedicti una cum singulis eius possessionibus sub beati Petri protectione suscipitur. Reg. An. X. epist. 185.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis Willelmo Abbati Monasterii sancti Iacobi apostoli et sancti Mirini confessoris de Passelet, eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis imperpetuum, salutem etc. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis enervet. Eapropter, dilecte in domino fili, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, et monasterium sancti Iacobi apostoli et sancti Mirini confessoris de Passelet, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum deum et beati Benedicti regulam, atque institutionem Cluniacensium fratrum in eodem monasterio etc. us-

que observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis, prestante domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum capella de Locwinnoc et aliis pertinentiis suis de Invirwic, de Leggardewde, de Katkert, de Ruthirglen, de Curmanoc, de Polloc, de Meornes, de Neston, de Kilberchan, de Villa Hugonis, de Kilhelan, de Hirskin, de Kilmalcolme, de Invirkip, de Prestiuc, de altera Prestiuc, de Daliel, de Cragin, de Turneberige ecclesias cum capellis et aliis pertinentiis suis; et totam illam terram, que iacet ex utraque parte aque Kert, sicut bone memorie Gualterius filius Alani, dapifer Regis Scotie, fundator monasterii vestri, vestris predecessoribus assignavit, et carucatam terre, quam quondam Grunketel tenuit, que nunc dicitur Arkilliston, et carucatam terre inter Kert et Grif, que nunc Insula appellatur, et totam terram de Drep, quam quondam Willelmus filius Maiduse a vestro monasterio ad firmam tenuit, et carucatam terre apud Hunteleie, quam bone memorie Willelmus Rex Scotie vobis cambiavit cum terra, quam habuistis in Hatstanisden, et carucatam terre, quam nobilis mulier Eschiva de Molla vobis contulit intuitu pietatis, et piscariam super aquam Clud inter Perthec et Insulam, et annuum redditum dimidie marce argenti, quem percipitis ex firma de Burgo Reinfrui, et molendinum eiusdem Burgi, et unum Tohstum plenarium in Reinfrui, et unum Rece ad Salmonem, et terram apud Rainfru iuxta molendinum vestrum, ubi olim quidam vestrum habitaverunt, et unam carucatam terre apud Invirwic, cum communi pastura eiusdem ville, et totum molendinum de Invirwic preter annuum redditum unius marce argenti, quam redditis ex eodem, et unam salinam in Kalmir, et totam terram de Prestiuc cum pertinentiis suis, que nunc dicitur Villa Monachorum, et terram de Moniabroc, sicut in instrumentis donatorum dicitur contineri; et annuum redditum quinque marcarum argenti, quam percipitis apud Machelm, et molendinum de Passelet cum sua plenaria secta, quod a nobili viro Waltero filio Alani, Senescallo Regis Scotie, monasterii vestri patrono, tenetis ad perpetuam firmam, et annuum redditum duarum celdrarum farine ex firma eiusdem molendini, quam idem Senescallus vobis contulit intuitu pietatis, et medietatem piscarie in exitu laci de Lochwinnoc, cum libertate piscandi in ipso lacu, quotiens idem Senescallus, vel heredes eius facient ibidem piscari, prout in instrumento inde confecto dicitur contineri; et totam terram de Pennild, que nunc dicitur Fulton, cum pertinentiis suis, quam vobis quondam Henricus de Sancto Martino de assensu domini sui vobis contulit intuitu pietatis, et terram inter Mach et Kaldoiter cum suis pertinentiis, et partem illam terre, ubi molendinum de Passelet situm est, per certas metas a dicto Senescallo vobis assignatam, et terram ultra Kert inter Espedar et Aldepatric, sicut idem Senescallus vobis dedit, cum omnibus libertatibus et asiamentis in foresta ipsius de Passelet et Senecathir, prout in ipsius litteris dicitur contineri; et terram apud Carnebro, quam habetis ex dono quondam Vitredi filii Pagani, et terram apud Orde ex dono quondam Walterii Murdac, et annuum redditum unius celdre frumenti, quam percipitis ex donatione nobilis viri Patricii comitis de Dumbar; ex dono bone memorie Roberti de Londoniis, fratris Regis Scotie, annuum redditum unius celdre frumenti et dimidie marce argenti apud Cadiou; ex dono bone memorie Philippi de Valons annuum redditum unius marce argenti apud Killebride; ex dono nobilis viri M. comitis de Levenas piscariam super Leven, sicut in eiusdem litteris dicitur contineri; ex dono quondam Thome filii Thancardi terram apud Moderval, quam vobis contulit intuitu pietatis; ex dono quondam Radulfi de Cler terram, que vocatur Garin; ex dono nobilis viri Dunkani de Carric totam terram de Crosragmol, et Sutheblan cum pertinentiis suis; et unam carucatam terre in Hybernia apud Dunmals, que vocatur Tibiror; et omnes decimas mense, reddituum et eschaetarum eiusdem nobilis, prout in eius litteris dicitur contineri; preterea Sache et Soche, Thol et Them et Infangghuthef et alias libertates a prefatis Willelmo Rege Scotie, et Waltero Senescallo, ac eorum successoribus iuste vobis concessas, cum predictis terris, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, quam propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit sine Abbatis sui licentia, nisi artioris religionis obtentu, ab eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Illud districtius inhibentes etc. usque censemus. Licitum preterea sit vobis in causis propriis, sive civilem sive criminalem contineant questionem, fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium ius vestrum valeat in aliquo deperiri. In parrochialibus vero ecclesiis, quas habetis, liceat vobis sacerdotes diocesano Episcopo presentare, quibus si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Cum autem generale terre etc. Crisma etc. Prohibemus etc. Sepulturam quoque eiusdem loci liberam esse omnino decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc eiusdem

loci Abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel maior pars fratrum consilii sanioris secundum dei timorem et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Sub excommunicationis insuper pena districtius inhibemus, ne quis ab electo vestro, qui pro tempore fuerit, pro benedictione ipsius, vel pro deducendo seu locando eum in sede sub obtentu alicuius consuetudinis palafridum seu capam sericam seu aliquod aliud, cum symoniacam sapiat pravitatem, exigere audeat vel extorquere presumat. Libertates et immunitates a Regibus, principibus et aliis personis tam ecclesiasticis, quam mundanis rationabiliter Monasterio vestro concessas, et antiquas et rationabiles consuetudines hactenus observatas integras illibatasque manere presenti decreto sancimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum cenobium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra et illibata serventur eisdem, pro quorum gubernatione ac sustentatione, salva sedis apostolice auctoritate et diocesani Episcopi canonica iustitia etc. usque generalis. Si que igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore etc. usque ultioni. Cunctis autem eidem loco etc. usque pacis inveniant. Amen. Datum Reate per manus Magistri Guidonis domini pape notarii, x. Kalendas Februarii, Indictione xiiii. Incarnationis dominice Anno Millesimo ducentesimo vigesimo quinto, Pontificatus vero domini Honorii pape III. anno decimo.

LX.

Prelatis Hiberniae, ut collectam faciant in subsidium Caroli Anglorum regis. Reg. An. X. epist. 178.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepis et Epis, et dil. filiis Abbatibus, Prioribus, et aliis Prelatis ac Rectoribus ecclesiarum in Hybernia constitutis, sal. etc. Non leditur libertas ecclesiastica, sed defenditur, cum defensori eius, statu rerum et temporum exigente, subsidium liberaliter exhibetur. Cum ergo Karissimo in Christo filio nostro K. Regi Anglorum Illustri multa immineant necessariarum onera expensarum, ac propter hoc sibi mandavimus a clero Anglie subsidium exhiberi, Universitatem vestram solicite hortamur per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus cum Regnum Hybernie ad ipsum pertinere noscatur, ac per hoc eidem incumbat defendere vestrarum ecclesiarum libertates et iura, vosque deceat sibi, cum exposcere videtur necessitas, liberaliter subvenire, collectam, pensatis singularum ecclesiarum facultatibus, faciatis ad expensarum ipsius Regis onera supportanda, cum consilio Venerabilis fratris nostri ... Archiepiscopi Dublinensis aliquos viros note prudentie ac probate fidei eligentes, qui pecuniam recipiant pro subventione huiusmodi colligendam, eamque assignent ipsi Archiepiscopo et duobus aliis, qui ad hoc ydonei videbuntur, per eos ad expensas ipsius Regis, que videbuntur ei et Regno suo magis necessarie, ministrandam, mandatum nostrum taliter impleturi, quod ipsum Regem ad vestrum et ecclesiarum vestrarum favorem per hoc specialiter inclinetis, gratamque vicissitudinem ab eo expectare possitis tempore opportuno. Nolumus autem, quod exhibitio subventionis huiusmodi trahatur ad consequentiam, vel preiudicium generet ecclesiastice libertati. Datum Reate v. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno decimo.

LXI.

Angliae regi, ut archiepiscopo Cassellensi et Limiricensi et Clonensi epis in negotio intrusi Laoniensis praesto sit. Reg. An. X. epist. 268.

Honorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... Regi Anglie illustri, salutem etc. Quia iudicium tenetur diligere honor Regis, decet magnitudinem tuam fovere iustitiam, ut in iudicium convertatur. Cum igitur sub certa forma scribamus Ven. fratribus nostris ... Archiepiscopo Cassellensi et ... Limiricensi et ... Clonensi Episcopis super eo, quod Robertus Travers intrusus dicitur in Laoniensi ecclesia, et ei per violentiam incubare: Serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra reverentia, necnon et amore iustitie per te ac fideles tuos iudicibus predictis assistas, in eo maxime, quod per ipsos mandamus eundem propter dilapidationis vitium, pendente negotio, ab administratione Laoniensis ecclesie removeri, et interim administrationem huiusmodi alio idonee persone committi. Sic autem super hoc et aliis potenter assistas tam memoratis iudicibus, quam in prosecutione iuris sui capitulo eiusdem ecclesie commissa fuerit a iudicibus supradictis, quod conatus illius, quantumcunque violentus existat, effectum non habeat, sed iustitie potius, quam idem hactenus impediendo delusit, cedere videatur. Datum Laterani Nonis Maii, Pont. nostri anno decimo.

LXII.

Iudicibus, ut in praedictum Robertum Travers in Laoniensi ecclesia intrusum procedant. Reg. An. X. epist. 269.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Cassellensi, et ... Limiricensi et ... Clonensi Episcopis, salutem etc. Ex parte dilectorum filiorum Laoniensis capituli nostris fuit auribus intimatum, quod bone memorie David archidiacono Laoniensi electo ab eis in episcopum canonice ac concorditer, dum ipsorum ecclesia tunc pastore vacaret, Robertus Travers presbiter, qui perversus ex suis actibus predicatur, non vocatus a dño tanquam Aaron, sed sibi honorem assumens, ipsis reclamantibus et invitis, se in eandem ecclesiam pro pastore ipsius per laicalem impressionem procuravit intrudi, et demum in pontificem consecrari. Quare decreto electionis ipsius archidiaconi, quod erat singulorum de capitulo subscriptionibus roboratum, nobis exhibi-

to, Venerabili fratri nostro .... Tuamensi Archiepō et collegis suis per litteras nostras iniunximus, ut si hoc ita esse constaret, amoto a Laoniensi ecclesia Roberto predicto, electionem examinarent eandem, et si eam repperirent celebratam canonice et de persona idonea, confirmarent, consecratores eiusdem presbiteri suspensos ad Romanam ecclesiam transmittendo: qui mandatum nostrum fideliter exequentes, cognita super hoc diligentius veritate, dicta electione per sententiam confirmata, eundem presbiterum ab eadem ecclesia removerunt, sed memorato Roberto se ad nos appellasse mendaciter asserente, ac dilecto filio fratri I. capellano et penitentiario nostro, tunc apostolice sedis legato, a nobis causa commissa, idem habito prudentum virorum consilio, rite pronuntiatum fuisse a dictis iudicibus iudicavit, et perpetuo silentio imposito sacerdoti, alterum consecrari fecit in epūm ad ecclesiam memoratam. Cumque iamdictus sacerdos, ut quocumque modo effectum posset impedire iustitie, ad Venerabilem fatrem nostrum ... Bathoniensem Episcopum et collegas suos quasdam a nobis litteras obtinuerit, et postea reliquus ad nostram presentiam accessisset: nos, revocatis predictis litteris, peremptorie citavimus dictum Robertum nostro se conspectui personaliter presentandum, certis super hoc executoribus deputatis, qui exigente ipsius contumacia, ludibrio habentis, ut dicitur, citationem huiusmodi, et apostolice sedis auctoritate et nostra, in ipsum excommunicationis sententiam protulerunt. Quod ipse pertinaciter sustinens, nec in termino sibi prefixo, nec post illum, licet per annum et amplius expectatus a nobis, per se vel per aliquem nobis se presentare curavit, reliquo apud sedem apostolicam, dum ibi non sine incommoditate multiplici expectaret, carnis debitum infra predictum terminum exolvente. Nos autem providentes eundem presbiterum propter dilapidationis vitium, de quo non mediocriter est notatus, amovendum, pendente negotio, ab administratione Laoniensis ecclesie, cui tanquam intrusus incubare proponitur, et in usus illicitos consumere bona eius, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eum ab administratione ipsius ecclesie amoventes, interim fideli persone, potenti ac idonee administrationem huiusmodi committatis. Deinde ipso ad vestram presentiam convocato, si comparuerit, audiatis negotium, et si commode fieri poterit, appellatione postposita, fine canonico terminetis, facientes etc. processuri nihilominus contra eundem presbiterum, quantum de iure poteritis, si se contumaciter absentarit, et si comparuerit, dummodo posse per vos terminari negotium nimis difficile videatur, remissuri ad nos illud sufficienter instructum, prefigendo partibus terminum competentem, quo sacerdos ipse per se, ac capitulum per procuratorem idoneum compareant coram nobis, iustam, dante domino, sententiam recepture. Quod si contingat per vos terminari negotium, et contra sacerdotem, ut creditur, sententiam promulgari, capitulo eiusdem ecclesie detis auctoritate nostra licentiam eligendi. Ad hec volumus et mandamus, ut ea, que de bonis Laoniensis ecclesie inveneritis a prefato Roberto alienata in eiusdem ecclesie preiudicium, vel distracta, ad ius et proprietatem ipsius legitime revocetis, dilecto filio I. Abbati monasterii sanctorum apostolorum Petri et Pauli de Forgio, qui pro facto eiusdem ecclesie ad sedem apostolicam personaliter laboravit, in iustis et moderatis expensis de bonis ipsius ecclesie satisfieri nihilominus facientes, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescendo, Nullis litteris obstantibus etc. si que apparuerint a sepedicto Roberto a sede apostolica impetrate. Quod si non omnes etc. Datum Laterani vii. Id. Maii, Pontificatus nostri anno decimo.

LXIII.

Archiepiscopo Dublinensi, ut Angliae regi contra eius castrorum detentores presto sit. Reg. An. X. epist. 271.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri .... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Cum castra quedam Hibernie ad demanium .... illustris Regis Anglie, ut dicitur, pertinentia contra voluntatem detineantur eiusdem, sicut ex parte sua fuit propositum coram nobis: fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsorum castrorum illicitos detentores, ut ea ipsi Regi vel eius nuntiis sine difficultate resignent, moneas efficaciter et inducas, eos ad id, si monitis acquiescere non curaverint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate, compellens. Datum Laterani ii. Idus Maii, Pontificatus nostri anno decimo.

EPISTOLAE GREGORII PP. IX.

LXIV.

Iudicibus, ut de causa electi Limiricensis inquirant et referant. Reg. An. I epist. 50.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Enachdunensi et ... Cloanfertensi Episcopis, et dilecto filio ... Abbati de Parvacella Enachdunensi, salutem etc. Nuper ab olim bone memorie Honorio papa predecessore nostro extitit intimatum, quod ... Limiricensis episcopus invenitur in pluribus minus habens: de ipso enim inter cetera dicitur, quod de illegitimo est matrimonio procreatus, in quo, si verum est, attendere debuisset, quod non dant radices altas spuria vitullamina, nec stabile sibi collocant firmamentum. Preterea non per ostium, sed aliunde, per symoniacam videlicet pravitatem intravit, sicut escam panis plebem domini devorans, ut conscendisse pestilentie cathedram merito videatur. Sic quoque munere caret scientie, ut dici ei possit et debeat, tu scientiam repulisti, et ego, ne fungaris sacerdotio, te repellam. Ad hec in beneficiis ecclesiasticis, que offerenda sunt gratis, quoniam in promotione sua spiritus sancti gratiam, que vendi non potest, sub pretio redigere didicit, non veretur multotiens committere symoniam, metropolitano suo videlicet venerabili fratri nostro archiepo Cassellensi obedientiam et reverentiam, quas ipse a suis subditis exigit, non impendit, cum sciens, quis aliis se prepositum moleste ferre non debeat, aliquem sibi esse prelatum, sed et oblivioni tradidisse videtur privilegium sedis apostolice, cui venerandi canones omnem servari honorificentiam voluerunt: appellationibus enim ad metropolitanum, vel ad sedem apostolicam interpositis deferre contempnit, immo graviter ad animum revocans, si quando appellatur ab ipso, irremediabiliter prosequitur appellantes, cum ad minus scire deberet Romanam ecclesiam aliarum omnium esse matrem, que ita prelatis aliis a Romano Pontifice vices suas credidit, ut in partem sint vocati sollicitudinis, non in plenitudine potestatis. Verum licet frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem appellationem, tamen cui ipse non defert, et que ad subsidium oppressorum non opprimentium est inventa, sepe post illata gravamina subditis, ut liberius in eos desoviat, interponit. Cum vero tot et tanta nos dissimulare non deceat, ne alienam culpam per dissimulationem propriam faceremus: sequentes formam litterarum, quas idem predecessor noster super hoc providerat destinandas, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus super hiis, an ita se habeant, inquiratis sollicite veritatem, quod inveneritis nobis fideliter rescribentes, ut per vestram relationem instructi, prout procedendum fuerit, securius procedere valeamus. Non obstante constitutione concilii generalis, qua cavetur etc. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc. Datum Laterani octavo Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno primo.

LXV.

Iudicibus, ut causam electi Imilicensis examinent. Reg. An. I. ep. 127.

Gregorius etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepo Cassellensi et .... coniudicibus suis, sal. etc. Cum causam electionis, in Imilicensi ecclesia de magistro Iohanne Cancellario eiusdem ecclesie celebrate, ad petitionem ... Decani et Capituli Imilicensis vobis, fratres Archiepiscope et Episcope, et venerabili fratri nostro ... Tuamensi Archiepiscopo sub certa forma duxerimus committendam, volentes, ut causa sine suspitione procedat, ad petitionem magistri Philippi, nuntii Carissimi in Christo filii nostri ... Illustris Regis Anglorum, predicto Tuamensi ab eiusdem cause cognitione submoto, te, fili Archidiacone, loco eius duximus subrogandum. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus in eadem causa iuxta prescriptam formam ratione previa procedatis. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc. Datum Anagnie tertio Idus Iulii, Pontificatus nostri anno primo.

LXVI.

Priori et conventui Sancti Andreae de Scotia, ne clericis saecularibus pensiones amplius assignent. Reg. An. II. ep. 73.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Priori et Conventui S. Andree de Scotia, salutem etc. Cum, sicut ex parte vestra fuit expositum coram nobis, de redditibus ad mensam vestram spectantibus tot pensiones clericis secularibus sint collate, quod vix de residuo potestis commode sustentari, et hospitalitatem solitam exercere, ne quod aliis est remissio, vobis sit tribulatio: discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus monasterium vestrum decetero pensionibus huiusmodi non gravetis, sed decedentibus, qui habent a vobis huiusmodi pensiones, studeatis eas ad usus vestros, sicut convenit, revocare. Datum Perusii decimo octavo Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri anno secundo.

LXVII.

Iudicibus, ut in causa, quae inter abbatem et conventum de Dercongal Glasguensis dioecesis et quendam militem vertitur, iuxta formam iuris procedant. Reg. An. III. epist. 98.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... de Melros et ... de Driburch, Abbatibus et ... Priori de Melros Glasguensis et Sancti Andree diocesum, salutem etc. Dilecti filii ... Abbas et Conventus de Der-

congal sua nobis petitione monstrarunt, quod cum F. miles Glaswensis diocesis ipsos a possessione quarundam terrarum, in quam fuerant per iudices a sede apostolica delegatos inducti, per violentiam eiecisset, et quosdam alios graviter vulnerasset, post diversas commissiones hinc inde obtentas ... Decanus Glaswensis et eius college in eundem militem, exinde satisfacere contumaciter contempnentem, excomunicationis sententiam auctoritate apostolica promulgarunt. Et quia idem miles, excommunicatione contempta, in sua contumacia persistebat, predicti Abbas et Conventus ad nos litteras apostolicas impetrarunt, ut ipsos in possessionem reduceretis eandem et reductos defendere curaretis. Postmodum quoque prefati Abbas et Conventus venerabili fratri nostro .... Epo Glaswensi nostris obtinuerunt dari litteris in mandatis, ut nisi prenominatus miles ad monitionem ipsius Episcopi rediret ad mandatum ecclesie, ac super hiis, pro quibus excomunicatus existit, satisfaceret competenter contra eum nobili viri Alani de Galwetia Constabularii Scotie, cui super hoc etiam scripseramus, auxilium invocaret. Cumque vos memoratum militem ad nostram presentiam citassetis, quia idem miles, qui per triennium et amplius in excommunicatione dampnabiliter perstitit, coram vobis excepit, quod post obtentas ad vos litteras supradicti Abbas et Conventus ad prenominatum Episcopum, prout premissum est, alias impetrarant, vos in commisso vobis negotio procedere omisistis in eorundem Abbatis et Conventus preiudicium et gravamen, licet dicto Episcopo nulla fuerit conditio demandata, sed mandatum sibi fuerit, ut intenderet ad rebellionem ipsius militis castigandam. Ne igitur istorum iustitiam propter illius cavillosa diffugia deperire contingat, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus exceptione huiusmodi non obstante, in eodem negotio iuxta formam vobis traditam sine more dispendio, ratione previa, procedatis. Quod si non omnes etc. Datum Perusii III. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

LXVIII.

Conventui de Aberdono, ut ad hospitalitatem servandam ecclesiam parrochialem de Culdedono suo monasterio unire possit. Reg. An. V. ep. 9.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui de Aberdono ordinis s. Benedicti, salutem etc. Ut hospitalitatem uberius exercere possitis, quam passim advenientibus, sicut intelleximus, exhibetis, et apostolice sedis gratiam, quam promereri curastis pro devocione sibi a vobis exhibita, in persona dilecti filii nostri I. tituli sancte Praxedis presbiter Cardinalis plenius sentiatis: Nos eiusdem supplicationibus annuentes, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ecclesiam de Culdedono, quam a Monasterio vestro, ad cuius donationem pertinet, dinoscitur obtinere, post decessum vel renuntiationem ipsius in proprios usus ad hospitalitatem servandam convertere valeatis, portione congrua secundum facultates ipsius ecclesie vicario reservata, ut ipsius possit et debeat onera sustinere, et tam diocesanus Episcopus iure suo, quam eadem ecclesia debitis obsequiis non fraudetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Laterani III. Nonas Aprilis, P. n. anno quinto.

LXIX.

Archiepiscopo Cassellensi, ne ecclesiasticos suae provinciae ad iudicium saeculare trahi amplius sinat. Reg. An. V. epist. 160.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Cassellensi et suffraganeis suis, salutem etc. Cum secundum sanctiones canonicas clerici nedum inviti, sed etiam voluntarii seculare iudicium subire non possint, pro eo quod non est personale huiusmodi beneficium, ut ei renuntiare quis valeat, sed potius toti ordini ecclesiastico constat esse concessum, dignum esse dinoscitur, ut sedes apostolica cunctarum ecclesiarum mater libertatem ecclesiasticam, que principaliter ab ipsa procedit, illibatam debeat conservare. Quia vero, sicut ex parte vestra recepimus, vos et subditos vestros sepe contigit contra libertatem eandem trahi invitos ad iudicium laicorum: nos volentes predicte libertatis privilegium obtinere vigorem et inviolabilem firmitatem, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne tracti a personis secularibus, vel etiam voluntarii respondere in seculari iudicio presumatis. Nulli ergo etc. Datum Reate III. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno V.

LXX.

Archiepiscopo Armachano, ut cessionem episcopi Conerensis recipiat. Reg. An. VI. epist. 328.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Venerabilis frater noster E. Conerensis Episcopus humili nobis insinuatione monstravit, quod olim ecclesia Conerensi pastoris solacio destituta, Canonici eiusdem ecclesie ipsum tunc Archidiaconum eorundem, filium sacerdotis et in sacerdotio genitum, in suum pastorem et Episcopum elegerunt. Cumque quorundam Canonicorum suorum devictus instantia, defectus huiusmodi non ignarus, electioni de se facte consentiens, a te, qui loci Metropolitanus existis, confirmationis tempore requisitus falso dixerit, se de legitimo matrimonio procreatum, confirmari obtinuit, et tandem in Episcopum consecrari, et iam episcopatus Conerensis per quinquennium curam gessit. Cum igitur res sit exemplo perniciosa, quod per obreptionem huiusmodi quis ascendat ad apicem dignitatis, mandamus, quatenus recepta cessione ad eodem Epo vice nostra, ipsum ad hoc, si opus fuerit, auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, compellens, imponas ei propter hoc penitentiam competentem, quam sue saluti videris expedire. Dat. Anagnie XII. Kal. Martii an. VI.

LXXI.

Archiepiscopo Dublinensi, ut cessionem archiepiscopi Tuamensis recipiat, assignata eidem congrua pensione, et electionem novi praesulis promoveat. Reg. An. VII. epist. 9.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Ex parte

venerabilis fratris nostri ... Archiepiscopi Tuamensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse ad senium iam deductus et naturali robore destitutus ita impotens sit effectus, ut nequeat ulterius officium exequi presulatus, ne, quod absit, ecclesia Tuamensis sub umbra ipsius declinantis in vesperam patiatur in spiritualibus et temporalibus detrimentum, eius resignatione mrecipi, et provideri de pastore ipsi ecclesie, ac fieri sibi de bonis episcopalibus provisionem congruam mandaremus. Nos igitur dicti Archiepiscopi precibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, ipsius resignatione vice nostra recepta, iniungas Capitulo Tuamensi, ut sibi personam idoneam, honestatis et scientie titulis insignitam, necnon in spiritualibus et temporalibus circumspectam, que tanto congruat oneri et honori, infra terminum in generali concilio diffinitum provideant per electionem canonicam in pastorem. Preterea volumus et mandamus, ut Archiepō memorato post cessionem suam de bonis epālibus facias iuxta sufficientiam facultatum ecclesie provisionem congruam assignari. Contradictores etc. Dat. Laterani Kalendis Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo.

LXXII.

Iudicibus, ut archidiacono Leglinensi a suo episcopo iniuste suspenso praebendam et beneficia restitui curent. Reg. An. VIII. epist. 275.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati s. Marie et ... Priori s. Iohannis Dublinensis, sal. etc. Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum dudum quidam familiares venerabilis fratris nostri ... Episcopi Leglinensis archidiaconum Leglinensem, instigante humani generis inimico, ausu sacrilego letaliter vulnerassent, et ut excusationem in peccatis haberent, mendaciter de crimine adulterii infamassent eundem, nominatus episcopus, qui compati debuisset eidem et persequi tante iniquitatis actores, sibi offerenti, recuperata sanitate, purgationem canonicam super crimine sic obiecto, ut archidiaconatum et prebendam annexam eidem in ipsius manibus resignaret, iniunxit. Quod cum idem archidiaconus facere noluisset, dictus episcopus addens afflictionem afflicto, tam archidiaconatu quam prebenda et omnibus bonis suis ipsum non convictum, nec confessum motu proprio spoliavit, mandans eum a domo, in qua morabatur, expelli, et sibi familiarium et amicorum suorum communionem insuper interdici, necessariis pene penitus subtractis eidem. Unde ipse tali necessitate coactus iuxta petitionem et desiderium episcopi supradicti de facto concessit, ut episcopus ipse ad vitam suam archidiaconatum eius cum prebenda teneret, quindecim marcas argenti sibi pro eis annis singulis soluturus: quam concessionem idem archidiaconus, si fieri posset, honeste se servaturum promisit, interposito iuramento renuntians, quod nullas super hoc a sede apostolica contra eum litteras impetraret. Quare fuit a nobis humiliter postulatum, ut ei providere super hiis de benignitate sedis apostolice dignaremur. Nos igitur, sicut convenit, attendentes, quod iuramentum, non ut esset iniquitatis vinculum, sit inventum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si res ita se habet, Episcopum antedictum ad relaxandum huiusmodi iuramentum, et ut archidiaconatum et prebendam iam dicta cum fructibus perceptis ex eis archidiacono restituat memorato, monitione previa, sublato appellationis impedimento, auctoritate nostra previa ratione cogatis. Testes etc. Quod si non omnes etc. tu, frater episcope etc. Datum Perusii x. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno octavo.

LXXIII.

Regi Scotiae, ut quamdam compositionem inter se et regem Angliae initam servet, et a suis servari faciat. Reg. An. VIII. epist. 287.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro ... Illustri Regi Scotie, sal. etc. Si tua, ut credimus, Celsitudo consideret, quod Karissimo in Christo filio nostro ... Illustri Regi Anglie vinculo specialis dilectionis astringimur, teque sincera diligimus et amplectimur caritate, per consequens recognosces, quod nec debemus, nec possumus preterire maxime requisiti, quin ad pacem inter te ac ipsum perpetuo conservandam perpetuo intendamus, et opem impendamus ac operam efficacem, sperantes et fiduciam firmam habentes, quod utrique Regno de huiusmodi concordia magna debeat utilitas provenire. Sane idem Rex in nostra nuper fecit presentia recitari, quod iamdudum inter clare memorie H. avum et I. patrem suum ex parte una, et W. Scotie Regem ex altera compositio amicabilis intercessit, per quam ipse W. predictis avo et patri, ac eidem Regi, et tu patri et sibi ligium homagium et fidelitatem fecistis, que tenentur successores tui, Comites, Barones Scotie ipsi et suis successoribus exhibere, ac Comites et Barones predicti esse cum Regibus Anglie contra Reges Scotie, si compositionem eandem forsitan non servarent, quod si unius homines fugerint ad Regnum alterius metu criminum commissorum, ille ac homines sui eos in terra sua receptare non debent, et utriusque Regis homines terras, quas in Regno alterius ante compositionem habuerant, obtinebunt. Unde idem Rex nobis humiliter supplicavit, ut prefatam compositionem apostolico dignaremur munimine roborare. Quocirca serenitatem regiam rogandam duximus propensius et hortandam, quatenus ad ea, que pacis sunt, intentionem tuam dirigens, et ea prudenter evitans, que ad scandalum vel discordiam pertinerent, predictam compositionem, sicut provide facta fuit, et ab utraque parte sponte recepta, studeas observare, maxime cum dicatur paci et tranquillitati utriusque Regni plurimum expedire. Datum Perusii ii. Nonas Ianuarii, Pont. nostri anno octavo.

In e. m. Archiepiscopo Eboracensi et Episcopo Carleolensi. Si Karissimi etc. usque roborare. Quare etc. usque expedire. Quocirca mandamus, quatenus eundem Regem ad id moneatis attentius et inducere procuretis. Quodsi non ambo etc. Dat. ut sup.

LXXIV.

Archiepiscopo Dublinensi, ut de consuetudinibus ab Anglis in Hibernia introductis referat. Reg. An. VII. ep. 389.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Ex parte karissimi in Christo filii nostri ... Illustris Regis Anglie fuit nuper propositum coram nobis, quod cum olim ad petitionem bone memorie ... Archiepiscopi Cassellensis super quibusdam consuetudinibus Ybernie, quas intollerabiles esse dicebat, felicis recordationis H. papa predecessor noster dilecto filio I. quondam capellano nostro, tunc ibidem apostolice sedis legato, sub certa forma litteras destinasset, idem postmodum per iterata scripta illi mandavit, ut vocatis utriusque Regni principibus tam ecclesiasticis quam etiam secularibus, de hiis, que Rex ipse in contrarium proposuerat, diligenter inquirens, si ea vera esse constaret, prefato archiepo et aliis prelatis Ybernie firmiter prohiberet, ne super hiis ulterius Regem ipsum et Iustitiarios ac Ballivos ipsius presumerent molestare. Quia vero propter eius recessum nullus, ut dicitur, fuit processus habitus per eundem, prefatus Rex devote ac humiliter supplicavit, ut easdem consuetudines, ex causa utili et necessaria introductas, apostolico dignaremur munimine roborare. Quocirca mandamus, quatenus vocatis eisdem principibus super prefatis consuetudinibus veritate sollicite inquisita, quod inveneris, nobis fideliter referre procures, non permittens interim Regem ipsum et Ballivos suos super rationabilibus et approbatis illius terre consuetudinibus temere molestari. Molestatores huiusmodi etc. Constitutione de duabus dictis etc. non obstante. Datum Perusii II. Nonas Ianuarii, Pontificatus nostri anno octavo.

LXXV.

Iudicibus, ut de causa archiepiscoporum Tuamensis et Armachani super Ardachadensi ecclesia inquirant et referant. Reg. An. IX. ep. 14.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepo Dublinensi, ... Epo Ossoriensi, et dil. filio ... Priori Omnium Sanctorum Dublinensis diocesis, sal. etc. Venerabilis frater noster Iozelinus Epus in nostra proposuit presentia constitutus, quod dudum bone memorie I. tituli sancti Stephani in Celiomonte presbiter Cardinalis, dum in partibus illis legationis officio fungeretur, omnes episcopatus Ybernie diliberatione provida limitavit, ecclesiam Ardachadensem constituens suffraganeam ecclesie Tuamensi, et ex tunc ipsa ecclesia Tuamensis in quasi possessione iuris metropolitici predicte Ardachadensis ecclesie permansit diutius, successive pluribus in ipsius eppos sine interruptione aliqua per Tuamenses archiepiscopos consecratis. Postmodum inter venerabilem fratrem nostrum ... quondam Tuamensem, et bone memorie E. Armachanum archiepiscopos tempore concilii generalis coram felicis recordationis I. papa, predecessore nostro, super eodem iure questione suborta, idem Tuamensis propter ipsius Armachani contumaciam manifestam, qui tamquam de suo iure diffisus subire tunc defensionis onera non curavit, auctoritate ipsius predecessoris nostri in predicti iuris quasi possessionem inductus, ac post annum parte altera in sua contumacia perdurante, verus possessor effectus, ad venerabilem fratrem nostrum ... Finoverensem Epum eiusque collegas super possessione huiusmodi obtinenda, proprietatis questione supradicto Armachano Archiepiscopo reservata, apostolicas litteras impetravit, qui cognitis cause meritis diffinitivam pro Tuamensi prefato sententiam promulgarunt. Cumque idem Tuamensis bone memorie M. priorem de Inesmor in Ardachadensem Episcopum consecrasset, Ioseph archidiaconus Ardachadensis, licet tunc in ipsius consecratione in diaconatus officio ministrarit, postmodum tamen deductus in invium reprobe voluntatis, ad bone memorie L. Archiepiscopum Ardmachanum accedens, falsoque proponens, quod ad eiusdem Ardachadensis ecclesie regimen fuisset electus, electionem, quam proposuit de se factam, a venerabili fratre nostro ... Episcopo Clonensi eiusque collega auctoritate ipsius Archiepiscopi obtinuit confirmari, et eo interim decedente, ac venerabili fratre nostro .... Clochorensi Episcopo in Ardmachanum Archiepiscopum postulato, eius auctoritate, licet ipsius postulatio nondum fuisset admissa, de facto, cum de iure non posset, se fecit non sine symonie vitio consecrari, et in quandam partem Ardachadensis episcopatus intrudi per potentiam laicalem. Ceterum dicto M., qui verus erat ecclesie Ardachadensis episcopus, viam universe carnis ingresso, quondam Magairy archidiaconus eiusdem ecclesie, ad cuius regimen canonice fuit electus, per iamdictum Tuamensem Archiepiscopum sibi obtinuit confirmationis et consecrationis munus impendi. Quo infra annum sublato de medio, prefatus intrusus totam ipsius ecclesie possessionem occupans, bona eius diripuit et distraxit, meliorem partem eorum bone memorie R. Midensi Epo, cuius defendebatur auxilio, et quibusdam aliis terras et possessiones eiusdem ecclesie concedendo: super quo cum prior et canonici de Kilbixi, prout spectabat ad ipsos, contra eum ad priorem sancti Iohannis extra novam portam Dublinie et coniudices suos apostolicas littetas impetrassent, ipsi comperto, quod idem Ioseph nec electus canonice, nec a suo metropolitano rite fuerat confirmatus, electionem ipsius, exigente iustitia, cassaverunt: qua cassata et executione a dictis iudicibus dicto Ardmachano super hoc demandata, de facto, cum de iure non posset, contra formam mandati apostolici quadam pecunie summa, et quibusdam procurationibus symoniace receptis, iterato in dictum episcopatum intrusit eundem. Verum ecclesia ipsa diu pastoria solacio destituta, nec ab invasoris periculo liberata, et potestate de providendo ei de pastore ad dictum Tuamensem lapsu temporis devoluta, ipse prafatum I. monachum sancte Marie iuxta Dubliniam ad regimen eius assumpsit, et in episcopum consecravit, dicto Ardmachano G. presbiterum Ardachadensis diocesis vinculo, ut dicitur, excommunicationis astrictum de facto in Ardachadensem episcopum non sine symonie vitio, ut dicitur, confirmante, qui armatorum multitudine congregata domos episcopales

et quoddam castrum ipsius Ardachadensis ecclesie incendio devastavit, quandam eius turrim lapideam destruendo, et dei timore postposito, in episcopum ipsum insurgens, dum pararetur ad divina officia celebranda, eum et suos, nisi sibi providissent fuge remedio, ut presumitur, occidisset. Demum idem Ardmachanus dictum Tuamensem super iure prefato coram .... Abbate de Truin et eius coniudicibus per quasdam litteras per ... predecessorem suum a sede apostolica impetratas, quibus per duodecim annos usus non fuerat, quamquam iudicum ipsorum copiam habuisset, trahens in causam, processum prefati Finoverensis episcopi et coniudicum eius, post appellationem ab ipso Tuamensi ad sedem apostolicam interiectam, procuravit perperam revocari: sicque dictus episcopus a sede propria miserabiliter exulare coactus, ad nostram presentiam properavit, in quem dictus Ardmachanus de facto, cum de iure non posset, excommunicationis, ut dicitur, sententiam promulgavit, religiosis et aliis tam diocesis quam provincie sue sub pena excommunicationis nihilominus inhibendo, ne ipsum recipere in suis ecclesiis attemptarent, prohibitione simili et excommunicationis promulgatione a venerabili fratre nostro ... Midensi episcopo, ipsius Ardmachani suffraganeo, per diocesim suam factis, qui etiam a iamdicto G. intruso episcopatus sui sibi parte concessa, graves ei persecutiones intulit, nec desistit inferre, quasi credat esse licitum animus affligere depressorum. Quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum idem episcopus non habeat, unde iudiciali tramite causam huiusmodi prosequatur, super hiis providere Ardachadensi ecclesie, cui ex hoc videtur desolationis imminere periculum, ex officii nostri debito dignaremur. Cum igitur ecclesiarum regiminis cura nobis immineat generalis, nos relaxari facientes per fratrem Arnulfum ordinis fratrum Minorum, penitentiarium nostrum, dictam excommunicationis sententiam ad cautelam, iuratoria tamen ab ipso Episcopo cautione recepta, quod ecclesie mandato parebit, si eam constiterit iuste latam, mandamus, quatenus quibuslibet exceptionibus, si que fuerint ad negotii retardationem obiecte, et appellatione cessantibus, super premissis et aliis hoc negotium contingentibus, inquirentes ex officio vestro sollicite ac plenissime veritatem, vocatis tamen, qui propter hoc fuerint evocandi, que inveneritis, nobis per scripta vestra fideliter exponatis, prefigentes partibus terminum peremptorium competentem, quo per procuratores idoneos nostro se conspectui representent, ut per vestram relationem instructi possimus super premissis oportunum remedium adhibere. Si qui autem malitiose se duxerint opponendos, quo minus mandatum possitis apostolicum adimplere, eos monitione previa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellatis, Invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Testes autem, si se favore vel odio vel timore subtraxerint, per censuram etc. compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes etc. Datum Perusii vi. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno nono.

LXXVI.

Limiricensi et Imilicensi episcopis, ut cessionem episcopi Ardfertensis, congrua pensione sibi assignata, recipiant. Reg. An. IX. ep. 68.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Limiricensi et ... Imilicensi Episcopis, sal. etc. Prudenter agnoscens venerabilis frater noster .... Episcopus Ardfertensis dei misericordiam in flagellis, et attendens, quod non solum adeo confectus senio, sed etiam longa et insanabili, sicut creditur, infirmitate confractus, quod pastorale nequit officium adimplere, nobis per litteras suas humiliter supplicavit, ut cum oneri pontificalis officii cedere sit paratus, cessionem huiusmodi recipere dignaremur. De vestra igitur circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus consideratis circumstantiis universis, si Ardfertensi ecclesie expedire videritis, recipientes cessionem ipsius episcopi vice nostra, et eidem episcopo de bonis eiusdem ecclesie iuxta facultates ipsius pro sustentatione sua provisionem congruam assignantes, faciatis ecclesie supradicte per electionem canonicam de persona idonea provideri. Contradictores etc. Datum Perusii viii. Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno nono.

LXXVII.

Archiepiscopo Armachano et episcopo Cloinfertensi, ut recipiant cessionem episcopi Cloniensis. Reg. An. IX. ep. 40.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Ardmachano et .... Episcopo Cloinfertensi, salutem etc. Venerabilis frater noster H. Cloniensis episcopus per suas nobis litteras humiliter supplicavit, ut cum confectus senio, infirmitate gravatus, et proinde destitutus viribus onus officii parstoralis nequeat sustinere, timeatque, ne Cloniensem ecclesiam in prave nationis medio constitutam gubernare non valens, obesse videatur potius quam preesse, licentiam sibi cedendi concedere dignaremur. Nos igitur, qui pro sollicitudine animarum defectibus hiis tenemur occurrere, ac per apostolicam caritatem cum infirmantibus infirmari, passionibus eius debito compatientes affectu, mandamus, quatenus, si vobis constiterit de premissis, ei pontificalibus reservatis, vice nostra cessionem recipientes ipsius, faciatis sibi iuxta facultates ecclesie Cloniensis de bonis eius congrue provideri. Contradictores etc. Et quia idem Epus in monasterio de Benedictione dei, ubi prius professionem fecit, manere desiderat, orationibus vacaturus, ... Abbatem et Conventum eiusdem monasterii attentius, eisdem ex parte nostra mandantes, ut ipsum, postquam a dicta prelatione fuerit absolutus, ad eorum monasterium accedentem benigne recipere ac honeste tractare procurent. Datum Perusii v. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno nono.

LXXVIII.

Episcopo Dunkeldensi, ut de bonis ecclesiae suae prioratum sancti Columbae ord. s. Augustini dotare possit. Reg. An. IX. ep. 77.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Dunkeldensi, salutem etc. Ex parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum auctoritate

sedis apostolice in prioratu ecclesie sancti Columbe de Insula ordinis sancti Augustini, tue diocesis, de novo crearis Abbatem, ut per ipsius sollicitudinis interventum ibi regularis observantia fortius vigeat, et locus ipse uberiori gaudeat libertate, tibi, quod non obstante iuramento, quod de possessionibus ecclesie tue non alienandis inconsulto Romano pontifice prestitisti, predicte ecclesie sancti Columbe ad sustentationem eorum, qui ibidem dño famulantur, aliqua de bonis ecclesie Dunkeldensis, que tempore tuo sunt per dei gratiam in centum marcharum argenti annuo redditu augmentata, de assensu Capituli tui conferre liceat, indulgere misericorditer dignaremur. Benignum igitur precibus tuis impartientes assensum, fraternitati tue, quod id tibi secundum canonicas sanctiones facere liceat, dum tamen aliqua de bonis ecclesie Dunkeldensis a predecessoribus tuis alienata non fuerint, auctoritate predicta indulgemus. Datum Perusii xi. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno nono.

LXXIX.

Episcopo Glasguensi, ne una cum clero suo ad iudicium extra Scotiam per litteras apostolicas trahi possit. Reg. An. IX. ep. 78.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Glasguensi, salutem etc. Non modicum ecclesie utilitati consulitur, si prelatus ipsius per longa terrarum spatia litigiorum dispendio non vexetur, quia ecclesie sue profectibus nequit intendere, qui recedere ab ea et in remotis compellitur partibus litigare. Hinc est, quod ecclesie tue dispendiis cupientes occurrere, tibi et successoribus tuis et clericis tue diocesis auctoritate predicta indulgemus, ut per litteras apostol. non possitis inviti extra Scotiam conveniri, nisi de indulgentia huiusmodi eedem fecerint littere mentionem, aut aliquid factum fuerit, per quod huiusmodi indulgentie derogetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Perusii viii. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno nono.

LXXX.

Rossensi episcopo, ut exiles praebendarum suae ecclesiae redditus augere, et novas praebendas instituere possit. Reg. An. IX. epist. 83.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Rossensi Episcopo, salutem etc. Petentis desiderium, quod divini nominis auget cultum, eo propensius exaudire nos convenit, quo magis ex hoc, qui honorari se in ministris asserit, honoratur. Cum igitur, sicut tua nobis exhibita petitio continebat, adeo exiles in Rossensi ecclesia sunt prebende, quod quatuor solis canonicis, qui eas obtinent, propter ipsarum tenuitatem residere non valentibus in eadem, ipsa in divinis patitur detrimentum, et per dei gratiam in terra ipsius facultates excreverint, quod in ea cum canonicorum numero augeri potest et debet ipsa taxatio prebendarum: nos fraternitatis tue precibus inclinati, augmentandi prebendas tenues et de novo ibidem alias ordinandi, aliqua ordinatione contraria non obstante, si sit etiam per sedem apostolicam confirmata, prout expedire videris, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Perusii iiii. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno nono.

LXXXI.

Gilebertus marescallus comes Pembroch et fratres sui una cum eorum terris in Hibernia et Wallia sub apostolicae sedis protectione recipiuntur. Reg. An. IX. epist. 115.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Gileberto Marescallo Comiti Pembroch, Waltero et Anselmo fratribus, salutem etc. Dignum est et conveniens, ut Romanam ecclesiam matrem omnium et magistram universi fideles filiali venerentur affectu, et ipsa tamquam pia mater benemeritos sua benignitate confoveat et in benedictionibus prosequatur: specialiter autem viris precellentibus, qui se sibi exhibent humiles filios et devotos, eo libentius favoris sui presidium debet impendere, quo plures eorum exemplo ad eius reverentiam provocantur. Eapropter, dilecti in domino filii, sinceritate vestre devotionis inspecta, vestris supplicationibus inclinati, personas vestras cum terris, quas in Ybernia habetis et Wallia, sub beati Petri et nostra protectione etc. usque communimus, districtius inhibentes, ut cum Petri gladius, quo debent corrigi delinquentes, non sit irrationabiliter exercendus, nullus in vos excommunicationis, nisi canonica monitione premissa, aut interdicti in easdem terras, si fuerit delegatus, sine speciali apostolice sedis mandato, vel etiam ordinarius iudex, paratis vobis, ut tenemini, satisfacere, audeat sententias promulgare, quas si secus prolate fuerint, decernimus irritandas. Nulli ergo etc. nostre protectionis et inhibitionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Perusii xiiii. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno nono.

LXXXII.

Archiepiscopo Armachano, ut cessionem Midensis episcopi vice pontificis recipiat. Reg. An. IX. ep. 138.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ardmachano, salutem etc. Venerabilis frater noster ... Midensis Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse conscientiam lesam habens ex eo, quod in morte cuiusdam malefactoris consensit in iuventute adhuc simplex clericus constitutus, velit cedere oneri ac honori pontificalis officii, ad quod propter hoc reputat se indignum, ipsum ab onere sollicitudinis pastoralis absolvere dignaremur, facientes eidem, ne in opprobrium episcopalis dignitatis mendicare cogatur, de bonis episcopalibus, que ipse ad opus Midensis ecclesie suo tempore plurimum augmentavit, unde congrue sustentari valeat, provideri. Quocirca mandamus, quatenus inquisita super hiis plenius veritate, si rem inveneris ita esse, cessionem ipsius recipias vice nostra, et ei de redditibus episcopalibus apostolica auctoritate provideas, unde competenter valeat sustentari, ea temperamenti equitate servata, ut sibi competens vite subsidium conferas, et tribulationem Midensi ecclesie non infligas. Datum Perusii vi. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno nono.

LXXXIII.

Regi Scotiae, ut quae regi Angliae promiserat, fideliter adimpleat veluti eius ligius. Reg. An. X. ep. 65.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro ... Illustri Regi Scotie, sal. etc. Regalis celsitudo requirit, ut quo magis honore preminet, eo diligentius servet in suis actibus puritatem. Intelleximus siquidem, karissimo in Christo filio nostro H. illustri Rege Anglie intimante, quod cum homo ligius sis ipsius, et ei fidelitatis prestiteris iuramentum, quo te principaliter astrinxisti, quod in suum et Regni Anglie detrimentum nichil penitus attemptares, tu id, unde mirari compellimur, non observas, plura in honoris sui dispendium moliendo. Quia vero dictum Regem tamquam specialem apostolice sedis filium paterno affectu diligimus, teque veluti nobis et ecclesie Romane devotum sincera complectimur caritate, propter quod eo ardentius inter vos esse cupimus unitatis vinculum, quo amplius nos gravaret discordia et vehementius conturbaret: Excellentiam tuam rogandam duximus propterea et hortandam, quatenus Regi prefato ea, in quibus teneris eidem, studeas plenius observare, ita quod ex hoc ipsius Regis dilectionem uberius merearis, et nos tibi magis constituas in tuis oportunitatibus favorabiles et benignos. Datum Viterbii v. Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno decimo.

LXXXIV.

Episcopo Moraviensi, ut epum Sodrensem a cura ecclesiae Lismorensis exoneret, eidemque alium episcopum praefici faciat. Reg. An. X. ep. 135.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri.... Epo Maraviensi, sal. etc. Venerabilis frater noster ... Episcopus Sodrensis nobis humiliter supplicavit, ut cum olim episcopatum Lismorensem, qui propter malitiam temporis ad multam paupertatem devenerat, sedes apostolica sibi duxerit commendandum, et propter frequentes infirmitates ipsius curam gerere nequeat utriusque, ipsum exonerare ab imposito sibi huiusmodi onere dignaremur. Ipsius[que] itaque supplicationibus inclinati, fraternitati tue mandamus, quatenus eundem episcopum a cura et sollicitudine ecclesie Lismorensis absolvens, facias eidem ecclesie provideri per electionem canonicam de persona idonea in episcopum et pastorem. Contradictores etc. Datum Reate Nonis Iulii, Pontificatus nostri anno decimo.

LXXXV.

Iudicibus, ut causam electi Dunkeldensis examinent. Reg. An. X. ep. 218.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Glasguensi, ... Dumblanensi et Brechinensi Episcopis, salutem etc. Dilecti filii ... Decanus et Capitulum Dunkeldenses suis nobis litteris et nuntiis intimarunt, quod nuper ecclesia Dunkeldensi vacante, ipsi convenientes in unum de futuri substitutione pontificis tractaturi, spiritus sancti gratia invocata, quinque ex eis providendi viduate ecclesie de pastore potestatem unanimiter contulerunt: qui, tractatu prehabito diligenti, dilectum filium Galfridum canonicum eiusdem ecclesie, virum, ut asserunt, morum honestate conspicuum, scientia insignem et providentia circumspectum, in suum episcopum et pastorem concorditer postularunt: quorum postulationem sollempniter publicatam universi ac singuli approbantes, nobis per eosdem nuntios et litteras duxerunt humiliter supplicandum, ut cum super defectu natalium, quem de soluto patitur et soluta (genitum), secum sit per sedem apostolicam dispensatum, quamquam per dispensationem huiusmodi episcopalem sibi non liceat absque nostra speciali licentia recipere dignitatem, postulationem eandem admittere de benignitate sedis apostolice dignaremur. Quamvis igitur predicti nuntii sollicite super hoc institerint et prudenter, et nos pro ipsa ecclesia libenter, quod cum deo possumus, facere intendamus: nolentes tamen, ut aliquid de contingentibus omittatur, mandamus, quatenus de modo postulationis, studiis postulantium, et postulati meritis veritate diligentius inquisita, si postulationem ipsam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, illam, si cum eo constiterit dispensatum, prout superius est expressum, vel dispensatum non est, vos, si prescriptis fulcitur meritis, dispensantes nichilominus cum eodem auctoritate apostolica admittatis, et faciatis eidem obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, ac munus consecrationis impendi, recepturi ab eo postmodum pro nobis et Romana ecclesia fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinetis. Alioquin ea non admissa, faciatis ipsi ecclesie de persona idonea per electionem canonicam provideri. Contradictores etc. Quod si non omnes etc. Datum Rome viii. Idus Septembris, Pont. nostri anno decimo.

LXXXVI.

Archiepiscopis, episcopis etc. Angliae, Walliae et Hiberniae O. s. Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis legatus apostolicae sedis commendatur. Reg. An. X. ep. 368.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, et aliis ecclesiarum Prelatis per Angliam, Walliam et Yberniam constitutis, salutem etc. Summi regis magisterio eruditi, qui etsi ubique stabilis det cuncta moveri, facit tamen spiritus suos angelos et ministros, et inclinata celorum altitudine, ut hominem redimeret, factus homo, discipulos, quos elegit, in universum mundum misit evangelium predicare, ac ministerio sedis apostolice, quam matrem cunctorum fidelium et magistram deus in se ipso lapide angulari fundavit, insufficientibus meritis deputati, dum necesse habemus levare oculos in circuitu, et considerare filios de longe venientes, nec eos possumus corporaliter visitare, accrescente affectui, quod conspectui denegatur, per alios, de quibus indubitatam fiduciam gerimus, illos ad salutem erudire scientes, huiusmodi sollicitudinem exercemus, cupiendo adoptionis pro-

lem, quam Christo sponsa eius ecclesia genoravit, eidem incolumem conservare, ut et ipsa de sui fecunditate in domino glorietur. Ecce igitur magnum et honorabile membrum ecclesie, amicum dei, dilectum filium nostrum O. sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem, virum morum honestate conspicuum, preditum scientia litterarum et providentia circumspectum, quem inter ceteros fratres nostros admodum carum habemus pro suorum excellentia meritorum, in Angliam, Walliam et Yberniam, commisso sibi plene legationis officio, de latere nostro providimus destinandum, ut cum in hac hora undecima cultores simus in vinea domini constituti, vice nostra ut diligens cultor evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet, prout queque ipsi dominus ministrabit. De quo utique, cum ei adsit puritas conscientie, et presto sit iudicium rationis, malitiam odiat et innocentiam tueatur, speramus firmiter, quod recta regens et dirigens indirecta, aspera convertet in plana. Porro licet salvatoris exemplo, quod uni ex minimis nostris fit, nobis fieri reputemus, quia tamen illos volumus propensius honorari, qui per se honorabiles in parte assumpte sollicitudinis honorant in nobis plenitudinem potestatis: Universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ipsum apostolice sedis legatum tamquam personam nostram, vel potius nos in eo, recipientes cum debita reverentia et honore, illius monitis et mandatis plenarie ac humiliter intendere procuretis, ita quod idem ad gloriam dei et animarum profectum iniunctum sibi ministerium exequi valeat inoffense, nosque devotionem vestram possimus exinde commendare. Alioquin sententiam, quam tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore deo, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Interamni II. Idus Februarii, Pontificatus nostri anno decimo.

LXXXVII.

Eidem legato, ut pacem inter Angliae ac Scotiae reges reconciliandam studeat. Reg. An. XI. epist. 1.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio O. sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono Cardinali, apostolice sedis Legato, salutem etc. Cum karissimus in Christo filius noster ... Illustris Rex Anglie de Illustri Rege Scotie iustam habere se asserat materiam conquerendi: nos ianuam claudi discordie cupientes, per pacem, si datum desuper fuerit, finem providimus negotio imponendum, ut inter eos possit mutue dilectionis vinculum conservari. Sperantes igitur firmiter per te, veluti angelum pacis et consilii, fructum provenire salutis, mandamus, quatinus de pace ipsorum studeas habere tractatum, sicut discretio tua negotio viderit expedire. Datum Viterbii VIIII. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo.

LXXXVIII.

Regibus Angliae et Scotiae super eodem argumento. Reg. An. XI. ep. 2.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro ..... Illustri Regi Anglie, salutem etc. Cum de ... Illustri Rege Scotie habere te asseras iustam materiam conquerendi, nos per pacem, si datum desuper fuerit, finem imponi negotio cupientes, ut inter te ac ipsum mutue dilectionis vinculum conservetur, per dilectum filium nostrum O. sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem, apostolice sedis legatum, providimus haberi super compositione tractatum, sperantes firmiter per eundem veluti Angelum pacis et consilii fructum provenire salutis. Quocirca serenitatem regiam monemus propensius et hortamur, quatinus exhortationibus, consiliis et monitis eius salubribus intendas humiliter et devote, ita quod pax, actore deo, valeat provenire. Datum Viterbii VI. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno duodecimo.

In e. m. ... Illustri Regi Scotie.

LXXXIX.

Iudicibus, ut reditus ecclesiasticos procuratoris ecclesiae Glasguensis sequestrent, eidemque ecclesiae ad tempus assignent. Reg. An. XI. ep. 10.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Dunkeldensi, et dilectis filiis ... Abbati de sancta Cruce et ... Priori de Scona Sancti Andree diocesis, salutem etc. Cum sicut ex parte venerabilis fratris nostri ... Episcopi et dilect. fil. capituli Glasguensium fuit propositum coram nobis, Patricius clericus Glasguensis diocesis, olim procurator eorum ad sedem apostolicam destinatus, minus fideliter, immo nimis infideliter agens, in mille octingentis marcis et amplius preter usuras et accessiones Glasguensem ecclesiam obligarit, de quibus nichil fuit in utilitatem ecclesie predicte conversum, quamquam satisfacere exinde creditoribus sint compulsi: nos indempnitati eiusdem ecclesie paterna sollicitudine consulere cupientes, mandamus, quatenus, si est ita, universos redditus ipsius P. ecclesiasticos fideliter colligentes, ipsos tamdiu predictis Episcopo et capitulo faciatis auctoritate nostra integre assignari, donec de predicta pecunia cum iustis et moderatis expensis, ac debita restauratione dampnorum ipsis ex dictis proventibus fuerit plenarie satisfactum; proviso, ut si alicui beneficiorum suorum cura imminet animarum, faciatis ibidem per vicarium idoneum deserviri, assignata ei de proventibus ipsius ecclesie pro sustentatione sua congrua portione. Contradictores etc. Quod si non omnes etc. tu ea, frater episcope etc. Datum Viterbii Nonis Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo.

XC.

O. sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis et legatus apostolicus in Anglia mittitur in Scotiam, et regi valde commendatur. Reg. An. XI. ep. 46.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio O. sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Illud maxime in desiderio gerimus, ut cunctis ecclesiis apostolice provisionis sollicitudine succurrentes, si qua in eis preteritis sint deformata temporibus, reformemus. Sed quoniam aliquem posse simul diversas partes contingere, et distantibus a se provinciis sine distantia tem-

poris personaliter imminere, locorum separatio refugit et natura humanis indulta corporibus non permittit, viris deum timentibus et potentibus in opere ac sermone vices nostras committimus, ut sicut nostro vicinis, sic eorum ministerio ecclesiis procul positis nostre servitutis officium impendamus. Hinc est, quod cum circa Regnum Scotie eo maiorem curam gerere teneamur, quo fortius ecclesia Scoticana Romanam ecclesiam solam matrem et metropolitanam nullo medio recognoscit, cupientes, ut que nos singularem patrem in spiritualibus obtinet, specialem a nobis recipiat consolationis effectum, tibi in Regno predicto plenum legationis officium duximus committendum, libera tibi potestate concessa, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, quecumque noveris expedire. Quocirca mandamus, quatinus, preeunte divine pietatis auxilio, in eisdem ecclesiis errata corrigas, et deformata reformes, recta regens et dirigens indirecta, legationem pro Christo susceptam sic studeas iuxta datam tibi a domino gratiam laudabiliter exercere, quod exinde tibi acquiras premium apud dominum, et de tuis operibus divina potentia glorietur. Datum Viterbii Nonis Maii, Pontificatus nostri anno undecimo.

Gregorius episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio nostro ... Illustri Regi Scotie, salutem et apostolicam benedictionem. Cum universis ecclesiis apostolice provisionis sollicitudine succurrere, et reformare, si qua in eis preteritis sunt deformata temporibus, teneamur, dilectum filium nostrum O. sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem, virum experte providentie et magna morum preditum honestate, legatum ex nostro latere in Angliam duximus destinandum. Verum postquam recessit a nobis, nos consultius attendentes, quod cum circa Regnum Scotie eo maiorem curam gerere teneamur, quo fortius ecclesia Scoticana Romanam ecclesiam solam matrem et metropolitanam nullo medio recognoscit, indignum existeret, nisi que nos singularem patrem in spiritualibus obtinet, specialem a nobis reciperet consolationis affectum, eidem Cardinali in dicto Regno Scotie legationis officium motu proprio duximus committendum, quia relinquere conscientia salva nequivimus, quin eidem Scoticane ecclesie per dictum legatum apostolice visitationis solatium mitteremus, ne a nobis affectione materna spoliari se crederet, si nobis ecclesiam visitantibus Anglicanam, Regnum Scotie sic in vicino positum expers visitationis apostolice remaneret. Celsitudinem igitur tuam, quam inter ceteros principes christianos specialis prerogativa dilectionis amplectimur, rogandam duximus attente et hortandam, quatinus eundem legatum ob reverentiam Ihesu Christi, apostolice sedis et nostram plena mentis ilaritate suscipiens, ipsum vel potius nos in eo, per quem illa speramus fieri, quibus grandis honor et utilitas tibi et Regno tuo valeat procurari, sic studeas honorare, quod exinde merito tibi deum propitium, nosque tuis constituas utilitatibus debitores. Datum Viterbii vi. Idus Maii, Pontificatus nostri anno undecimo.

XCI.

Glasguensi et Dunkeldensi episcopis super translatione ecclesiae Dumblanensis et capitulo instituendo. Reg. An. XI. ep. 129.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Glasguensi et .. Dunkeldensi Episcopis, salutem etc. Venerabilis frater noster .... Episcopus Dumblanensis in nostra proposuit presentia constitutus, quod cum olim ecclesia Dumblanensis per centum annos et amplius vacavisset, fere omnia bona eius fuerunt a personis secularibus occupata, et licet processu temporis fuissent in ea plures Episcopi instituti, per simplicitatem tamen et incuriam eorundem non solum revocata non fuerunt taliter occupata, verum etiam reliquie, que occupantium manus effugerant, alienate sunt fere penitus et consumpte, propter quod nullus idoneus induci poterat ad onus huiusmodi assumendum, pene per decem annos eadem ecclesia iterum pastoris solacio destituta. Cumque nos postmodum, intellecto miserabili statu eius, venerabilibus fratribus nostris ... Sancti Andree et ... Brechinensi Episcopis, ac tibi, frater Dunkeldensis, provisionem ipsius duximus committendam, tu et iidem Episcopi sperantes dictam ecclesiam per iamdictum Episcopum posse de lacu miserie respirare, ipsum eidem ecclesie prefecistis: quam supradictus Episcopus invenit adeo desolatam, quod non repererit, ubi posset caput in cathedrali ecclesia reclinare, nullumque collegium erat ibi, sed in ecclesia ipsa discoperta quidam capellanus ruralis divina officia celebrabat. Ipsius quoque Episcopi redditus sunt adeo tenues et exiles, quod vix per dimidium annum potest exinde congrue sustentari. Quia vero instantia nostra cotidiana est omnium ecclesiarum sollicitudo continua, mandamus, quatinus ad eandem ecclesiam personaliter accedentes, si rem inveneritis ita esse, quartam partem decimarum omnium ecclesiarum parrochialium Dumblanensis diocesis faciatis, si absque gravi scandalo fieri poterit, prefato Episcopo assignari, ut ipse de vestro et proborum virorum consilio, reservata sibi de ipsis pro sustentatione sua congrua portione, ... Decano et Canonicis, quos ibidem per vos institui volumus et mandamus, assignet. Alioquin assignata ipsi Epo quarta decimarum omnium ecclesiarum eiusdem diocesis, que a secularibus personis detinentur, sedem episcopalem ad monasterium sancti Iohannis Canonicorum regularium predicte diocesis transferatis, eligendi Episcopos, cumecclesia ipsa vacaverit, Canonicis ipsis in posterum potestate concessa. Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles etc. Dat. Viterbii iii. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno undecimo.

XCII.

Iudicibus, ut de causa electi Clochorensis inquirant et referant. Reg. An. XI. epist. 165.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Laoniensi et ... Ardachadensi Episcopis, et dilecto filio ... Abbati sancti Thome Dublinensis, salut. etc. Constitutus in presentia nostra venerabilis frater noster ... Archiepus Ardmacanus (sic) sua nobis petitione monstravit, quod cum Clochorensi ecclesia metropo-

litico iure sibi subiecta vacante, N. monachus, tunc prior monasterii Mellifontis, se in Clochorensem Epūm a quibusdam clericis ipsius ecclesie uxoratis, et uno canonico regulari gestante habitum secularem, contemptis ... Decano, ... Cantore et ... Cancellario eiusdem ecclesie, per laicalem potentiam non absque symonie vitio eligi procurasset, dictus prior, eodem Ardmacano loci metropolitano contempto, super confirmatione electionis huiusmodi ad venerabilem fratrem nostrum ... Tuamensem Archiepiscopum eiusque collegas nostras litteras impetravit, quem Tuamensem Archiepiscopum idem Ardmacanus habens ea ratione suspectum, quod bona ecclesie Ardmacane detinens occupata, eius est adversarius manifestus, ad huiusmodi suspitionem probandam arbitros petiit sibi dari, quos quia dicti Iudices ei concedere contra iustitiam denegarunt, ipse nostram audientiam appellavit, qua contempta, dictus Tuamensis et eius coniudices ad confirmationem et consecrationem dicti prioris, de ipsius electionis processu non cognito, processerunt in ipsius et ecclesie Ardmacane preiudicium et gravamen. Cumque idem Archiepūs Ardmacanus super appellatione sua ad venerabilem fratrem nostrum ... Fernensem Episcopum eiusque collegas nostras litteras impetrasset, iidem Iudices ... Abbati sancte Marie de Kenelles et suis collegis in huiusmodi negotio vices suas totaliter commiserunt, qui cum predictus Archiepūs Ardmacanus, se non tamen ante consecrationem memorati prioris, verum etiam ante confirmationem ipsius propter causam expressam superius appellasse, et causam ipsam legitime probaverit coram eis, quicquid post appellationem eandem per predictos Tuamensem Archiepiscopum et eius collegas factum perperam fuerat, in irritum revocantes, contra ipsum N. diffinitivam sententiam, cognitis cause meritis, promulgarunt in eum, postmodum eidem diffinitive contumaciter parere nolentem excommunicationis sententiam proferentes. Sed dictus prior tanquam ab abysso desperationis absortus sententiam huiusmodi vilipendens, et detinens eandem ecclesiam taliter occupatam, divina celebrare, immo quantum in eo est, potius prophanare, presumit in anime sue periculum eiusque preiudicium et scandalum plurimorum. Ex parte vero venerabilis fratris nostri ..... Clochorensis Epī fuit propositum ex adverso, quod cum ecclesia Clochorensi vacante, Decanus et clerus Clochorensis, prout spectabat ad eos, electionem de ipso, invocata spiritus sancti gratia, canonice ac concorditer celebrassent, ac ipsam, consentiente postmodum populo Clochorensi, a predicto Armachano loci metropolitano tamquam canonicam petivissent cum instantia confirmari: quia idem Archiepiscopus id malitiose facere pro sue voluntatis arbitrio differebat, ut vacante ecclesia Clochorensi iura ipsius ecclesie posset sibi liberius vendicare, ac unire ipsam ecclesie Armacane, idem Episcopus tunc electus propter hoc ad apostolicam sedem appellans, negotium electionis sue venerabili fratri nostro ... Tuamensi Archiepiscopo eiusque collegis obtinuit delegari, qui sollicite mandatum apostolicum exequentes, de processu electionis legitime cognito, electionem predictam sententialiter confirmarunt, et iuxta suscepti formam mandati munus postmodum consecrationis impenderunt eidem. Quorum processum licet prefatus Archiepūs Armacanus, deliberato suffraganeorum suorum et Capituli Armacani consilio et assensu, duxerit acceptandum, ac ipsum in suffraganeum suum admittens, obedientiam et reverentiam debitam a prelatis et clericis ac laicis subiectis ecclesie Clochorensi per litteras suas patentes sibi mandaverit exhiberi: nichilomnus tamen Archiepūs ipse prestitum in hoc satagens de facto, cum de iure non posset, mutare consensum, pro eo videlicet, quod idem Episcopus causam, quam predecessor suus super episcopali iurisdictione prioratus de Luvede, et aliarum ecclesiarum, inter aquam de Carlinford et mediam aquam de Boin consistentium, coram venerabili fratre nostro ... Cluanensi Episcopo et suis collegis bone memorie ... Armacano Archiepiscopo auctoritate apostolica moverat, inceperat prosequi, prout tenebatur de iure tamquam successor oneris et honoris, conficto quod a predicto Tuamensi et suis coniudicibus legitime appellarat, et quod ipse ac capitulum Clocorense fuerant in predicta electione contempti, super hoc ad venerabilem fratrem nostrum ... Fernensem Episcopum eiusque collegas nostras contra eum litteras impetravit, quibus ... Abbati sancte Marie de Kenles suisque coniudicibus committentibus in huiusmodi negotio totaliter vices suas: iidem demum subdelegati, prout erant, prefato Archiepiscopo plus debito favorabiles, utentes proprie voluntatis arbitrio plus quam iure, ipso Episcopo in remotis agente, supradicti Archiepiscopi Tuamensis et collegarum eius processum perperam revocarunt, et iniquam diffinitivam amotionis contra eum, et in ipsum, cum ad eius pervenit notitiam, ad nostram audientiam appellantem excommunicationis sententias protulerunt. Quare petebatur a nobis, ut cum littere, quarum auctoritate subdelegati processere predicti, de dictorum Tuamensis et collegarum eius processu ab eodem Armacano, consentientibus suis suffraganeis, acceptato, prout superius est expressum, nullam fecerint mentionem, et ex hoc nulle fuerint ipso iure, dictorum subdelegatorum inordinatum processum earum auctoritate presumptum, et quicquid ex eo secutum est vel ob ipsum in irritum revocari, et confirmari sepedicti Archiepiscopi Tuamensis et collegarum eius processum, ac eundem Armacanum Archiepūm a tam evidenti compesci malitia mandaremus. Quia vero nobis non constitit de premissis, mandamus, quatenus, vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, que inveneritis, per vestras nobis litteras fideliter intimetis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi, procedamus exinde, prout de iure fuerit procedendum, prefixo partibus termino peremptorio competenti, quo personaliter vel per procuratores idoneos nostro se conspectui representent, iustam super premissis, auctore domino, sententiam recepture. Quod si non omnes etc. Datum Viterbii XII. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno undecimo.

XCIII.

Iudicibus, ut pacem inter comites de Pembroch et barones Hiberniae initam observari procurent. Reg. An. XI. ep. 207.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus .... Archiepiscopo Dublinensi et .... Epo Midensi, et dilecto filio ... Archidiacono Cenonensi Midensis diocesis, salutem etc. Nobiles viri Mauricius filius Geroldi, Gualterus de Lasci, Riccardus de Burgo, Gualterus de Riddelford, et alii Barones Ybernie sua nobis petitione monstrarunt, quod cum olim inter ipsos ex parte una, et nobiles viros Gilebertum Marescallum Comitem de Pembroc, ac Gualterum et Anselmum fratres Darensis diocesis ex altera pro eo, quod contra bone memorie Riccardum Marescallum Comitem de Pembroc fratrem ipsorum karissimo in Christo filio nostro ... Illustri Regi Anglie fideliter adheserunt, hostiles et graves discordie hinc inde exorte fuissent, tandem mediantibus dicto Rege, necnon quam pluribus Archiepiscopis et Epis, et quibusdam aliis Anglie Ibernieque Nobilibus amicabilis inter eos sub certa forma pax extitit reformata. Verum cum quidam ex ipsis signum crucis acceperint, et alii sint illud suscipere et se in subsidium terre sancte transferre parati, nisi timerent adversariorum potentiam, qui contra huiusmodi pacem in ipsorum recessu bona et terras eorum expugnare proponunt, sibi supplicarunt sedis apostolice providentia provideri. Cum autem de fratrum nostrorum consilio duxerimus statuendum, ut ne dictum subsidium valeat impediri, pax in toto orbe servetur, mandamus, quatenus dictam pacem, sicut provide dicto Rege mediante facta est, et ab utraque parte sponte recepta esse dinoscitur, faciatis per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, inviolabiliter observari, proviso, ne in terras dicti Marescalli et fratrum eius excommunicationis etc. Nullis litteris veritati etc. Quod si non omnes etc. Datum Viterbii viii. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno undecimo.

XCIV.

Legato sedis apostolicae, ut de causa translationis episcopi Laoniensis ad sedem Casellensem inquirat, et si eam canonice factam invenerit, confirmet. Reg. An. XI. epist. 267.

Gregorius episcopus servus etc. Dilecto filio O. sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Dilectorum filiorum ... Decani et Capituli ecclesie Cassellensis exhibita nobis petitio continebat, quod ecclesia ipsa pastoris solatio destituta, ipsi ex superhabundanti a Nobili viro Iustitiario Ybernie, vices Karissimi in Christo filii nostri Anglie Regis illustris (gerenti), cuius adire presentiam commode non valebant, eligendi seu postulandi licentiam, quamquam ad hoc nec de iure, nec etiam de consuetudine tenerentur, sepius postularunt. Cumque postmodum nequeuntes petitam super hoc licentiam obtinere, ne dicta ecclesia, que graviter erat in spiritualibus et temporalibus iam collapsa, gravius sub vacatione diutina laberetur, sicut moris est, convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, Venerabilem fratrem nostrum ... Laoniensem Epum, suffraganeum ipsius ecclesie, in suum Archiepiscopum canonice ac concorditer postularunt. Sed dictus Rex proponens ad ipsum, cuius et non alterius assensus fuerat requirendus, tam ex consuetudine, quam ex indulto sedis apostolice pertinere, quod in electionibus et postulationibus sit eius licentia primitus requirenda, denegavit postulationi facte de dicto Episcopo, quem sibi presentaverant, consentire. Quare dictus Decanus et procuratores eiusdem Capituli nobis humiliter supplicarunt, ut ecclesie supradicte, que in partibus tam remotis existit, curaremus paterna providentia subvenire. Quocirca mandamus, quatenus tam super hiis, que fuerunt ab eodem Rege proposita, vel de iure duxerit proponenda, quam etiam super modo postulationis, postulantium votis, et postulati meritis cognita diligentius veritate, si postulationem eandem inveneris de persona idonea concorditer et canonice celebratam, memoratum Regem secundum datam tibi a deo prudentiam ex parte nostra diligenter moneas et inducas, ut eidem postulationi assensum facilem pro nostra et apostolice sedis reverentia largiatur: ita quod ex hoc ei, super quo sibi per tuas patentes litteras facias cautionem, nullum in posterum preiudicium generetur, et ex tunc prefatum Episcopum auctoritate nostra a vinculo, quo ecclesie Laoniensi tenetur, absolvens, eum dicte Cassellensi concedas ecclesie in pastorem, sibique facias in spiritualibus et temporalibus responderi. Alioquin ea rite repulsa, facias ipsi ecclesie Cassellensi de persona idonea per electionem seu postulationem canonicam provideri. Contradictores etc. usque compescendo Datum Laterani xii. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno undecimo.

XCV.

Eidem legato, ut de excessibus epi Limiricensis inquirat. Reg. An. XI. epist. 434.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio O. sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. In tantum clamor de nefandis artibus .... Limiricensis Episcopi iam ascendit, quod dissimulare illos ulterius salva conscientia non valemus. Cum enim olim insinuato felicis recordationis H. pape predecessori nostro, ac nobis postmodum, quod idem Episcopus inventus est in pluribus minus habens, ac fuerat de illegitimo matrimonio procreatus, quodque ingressum habuerat non per ostium, sed aliunde, per simoniacam videlicet pravitatem, ac scientie dono carens, sicut escam panis plebem domini devorat, ut presit potius quam ut prosit, atque gratiam sancti spiritus, que vendi non potest, non venialiter venalem exponens in conferendis ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis non veretur committere pluries symoniam, alia multa committendo enormia, que longum esset presentibus explicari. Nos eiusdem predecessoris nostri litteris, quas propter hoc direxerat, inherentes, super hoc venerabilibus fratribus nostris .... Enachdunensi et .... Cluanfertensi Episcopis, et dilecto filio .... Abbati de Parvacella

Enachdunensis diocesis sub certa forma direximus scripta nostra. Verum quia iidem Episcopi et Abbas, faciente nequitia et potentia dicti Episcopi, subire inquisitionem huiusmodi tamquam male sibi conscii renitentis, in commisso sibi negotio procedere nequiverunt, prout eorundem Episcoporum et Abbatis exhibite nobis littere continebant: nos nolentes hec indiscussa relinqui, ne dissimulando ea culpam eius propriam efficere videamur, mandamus, quatenus, si est ita, in negotio ipso procedas iuxta directarum ad prefatos Episcopos et Abbatem continentiam litterarum. Datum Laterani III. Nonas Martii, Pontificatus nostri anno undecimo.

XCVI.

Eidem, ut crucesignatos in regno Scotiae ob iustas causas a voto crucis absolvat. Reg. An. XII. epist. 13.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio O. sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Carissimus in Christo filius noster ... Illustris Rex Scotie tamquam princeps Catholicus, quem zelus terre nativitatis Ihesu Christi comedit, vehementer de ipsius terre subsidio cogitans, nobis significare curavit, quod nonnulli milites et alii de regno suo propter paupertatem, alii ob senectutem, quidam vero propter debilitatem, quam plures etiam ob infirmitatem nequeunt personaliter exequi votum, quod assumpto crucis signaculo de transeundo in eiusdem terre subsidium emiserint: quare nobis supplicavit instanter, ut, cum iidem parati sint redimere vota sua, super hoc providere salubriter curemus. De tua itaque circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus tales a voto crucis absolvas, recepta prius ab eis sufficienti et idonea cautione, quod omnes expensas, quas facturi essent in eundo, morando et redeundo, in manibus tuis assignent, alias laborem itineris pietatis operibus compensando, illam indulgentiam habituri, que transeuntibus in ipsius terre subsidium in generali concilio est concessa: et que receperis pro huiusmodi redemptione votorum, personis ad transeundum et bellicandum idoneis, prout idem Rex, qui plene novit personarum merita regni sui, predicte terre necessitati et utilitati viderit expedire, concedas, proviso prudenter, ne fraudis commentum aliquod intercedat. Datum Laterani II. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno duodecimo.

XCVII.

Archidiacono Rossensi concessio quarundam praebendarum archidiaconatui suo ab episcopo facta confirmatur. Reg. An. XII. epist. 176.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Roberto Archidiacono Rossensi, salutem etc. Cum a nobis petitur, quod etc. usque effectum. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, olim Archidiaconatus Rossensis nullam haberet certam prebendam in ecclesia Rosmankina, de qua posset honeste iuxta dignitatem Archidiaconalis officii sustentari: Venerabilis frater noster Rossensis Episcopus ecclesiam de Fortherdino et Capellam de Lesselino cum pertinentiis earundem, nec non terras et decimas bladi ecclesiarum de Ederdover, Longibride et Lemnalare pleno iure spectantes ad ipsum, Capituli sui accedente consensu, in prebendam tibi et Archidiaconatui Rossensi in perpetuum provida liberalitate concessit, prout in ipsorum Epi et Capituli litteris confectis super hoc proponis plenius contineri. Nos igitur tuis precibus inclinati, quod ab eisdem Epo et Capitulo super hoc provide factum est, et in alicuius preiudicium non redundat, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis etc. Datum Anagnie Idibus Iulii, Pontificatus nostri anno duodecimo.

XCVIII.

Priori et conventui ecclesiae S. Andreae de Scotia sibi potestas iterum eligendi episcopum restituitur. Reg. An. XII. epist. 385.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori et Conventui ecclesie Sancti Andree de Scotia, salutem etc. Cum presentatam nobis postulationem, de venerabili fratre nostro .. Episcopo Dunkeldensi celebratam a vobis, non vitio persone, sed pro eo non duxerimus admittendam, quia hoc nec urgens necessitas, nec evidens utilitas exposcebat, restituentes vobis potestatem iterum eligendi, mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, vobis de persona idonea, que tanto congruat oneri et honori, providere per electionem canonicam studeatis. Datum Laterani II. Idus Februarii, Pont. nostri anno duodecimo.

XCIX.

Iudicibus, ut electionem in ecclesia Aberdonensi factam examinent, eamque, si canonice celebrata fuerit, approbent. Reg. An. XIII. ep. 79.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Glasguensi, ... Moraviensi et Cathanensi Episcopis, salutem etc. Dilecti filii Stephanus et Riccardus clerici procuratores dilectorum filiorum Decani et Capituli Aberdonensis ecclesie cum eorundem literis ad sedem apostolicam accedentes, sua nobis relatione monstrarunt, quod eadem ecclesia destituta pastore iidem iuxta morem, convocato clero civitatis Aberdonensis, convenientes in unum in quatuor de Capitulo et tres de clero fide dignos eligendi sibi Episcopum transtulerunt unanimiter potestatem. Qui implorato ac obtento consensu regio, dilectum filium ... Abbatem de Aberbredac diocesis Sancti Andree, virum, sicut asserunt, providum et discretum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in patrem et pastorem suum, invocata spiritus sancti gratia, canonice ac concorditer elegerunt: quorum electioni Decanus, Capitulum et clerici predicti assensum benivolum prestarunt. Quare a nobis humiliter postulabant, ut cum Electus ipse propter viarum discrimina pro confirmationis et consecrationis munere accedere nequeat obtinendo, electionem ipsam ratam et gratam habentes, illam curaremus auctoritate apostolica confirmare. Quia vero per relationem procuratorum ipsorum nobis de premissis non potuit fieri plena fides, negotium ipsum vestro duximus examini

committendum fraternitati vestre per apostolica scripta mandantes, quatenus de modo electionis, electi meritis, et eligentium studiis veritate diligentius inquisita, si prefatam electionem inveneritis de persona idonea canonice celebratam, eam auctoritate apostolica confirmetis, et munus consecrationis electo impendentes eidem, ab ipso iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, iuramento recepto, faciatis ei a clero et populo civitatis et diocesis Aberdonensis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Alioquin electione iamdicta, iustitia exigente, cassata, faciatis Aberdonensi ecclesie de persona idonea, que tanto congruat oneri et honori, per electionem canonicam in Epum provideri, iuxta prescriptam formam in aliis processuri. Contradictores etc. Formam autem iuramenti, quod ille prestiterit, nobis de verbo ad verbum sub sigillis vestris transmittere procuretis. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc. Datum Laterani xv. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

C.

Iudicibus, ut de causa electi ecclesiae S. Andreae de Scotia inquirant et referant. Reg. An. XIII. ep. 133.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Glasguensi, ... Cathanensi et ... Brechinensi Epis, salutem etc. Postulatione facta pridem de venerabili fratri nostro Dunkeldensi Epo in vacante ecclesia Sancti Andree de Scotia, que ad nos nullo medio pertinet, non admissa, et dilectis filiis ... Priori et Conventui eiusdem ecclesie a nobis iterum eligendi potestate concessa, ipsi, prius a Carissimo in Christo filio nostro ... Illustri Rege Scotie iuxta morem petita et obtenta eligendi licentia, vocatis omnibus, qui debebant et poterant evocari, prefixa electioni die, convenientes in unum vota sua in dictum Priorem et quatuor alios ex eisdem Canonicis contulerunt, qui pari voto et unanimi voluntate dilectum filium Magistrum David de Bernham subdiaconum, Camerarium Regis eiusdem, virum utique genere nobilem, ornatum moribus et scientia, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in suum Episcopum elegerunt. Nos quidem electionem ipsam, cui dictus Rex assensum suum prebuisse dicitur, examinari sicut convenit facientes, quia per Magistrum Riccardum Vairement canonicum secularem et procuratorem eiusdem ecclesie, uno canonicorum sublato de medio, et altero gravi infirmitate detento, qui propter hoc cum ipso Ric. ad presentiam nostram destinati fuerant, de premissis fieri non potuit plena fides, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita de modo electionis, studiis[que] eligentium, et electi meritis diligentius veritate, si electionem ipsam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, ipsam auctoritate apostolica confirmantes, faciatis eidem electo obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, ac munus consecrationis impendi, recepturi ab eo prius pro nobis et ecclesia Romana fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Forma autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinetis. Alioquin eadem electione rite cassata, faciatis ipsi ecclesie de persona idonea per electionem canonicam provideri. Contradictores etc. Quod si non omnes etc. Datum Anagnie Kalendis Octobris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

CI.

Archiepo Casselleusi mittitur pallium. Reg. An. XIII. epist. 137.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Cassellensi, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet pontificalis officii, ex parte tua fuisset a nobis per dilectos filios Symonem Canonicum et David Clericum Cassellenses ea, qua decet, instantia postulatum: nos benigne tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum venerabilibus fratribus nostris ... Imilicensi et ... Artferdensi Episcopis per eos, recepto ab ipsis corporaliter iuramento, quod illud sibi fideliter assignabunt, duximus destinandum, ut illud tibi iuxta formam, quam eisdem sub bulla nostra mittimus, assignare procurent, et a te nostro et ecclesie Romane nomine iuxta formam, quam sibi sub bulla eadem dirigimus, fidelitatis solite recipiant iuramentum. Tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in eiusdem privilegio continentur, pre oculis habiturus, ut quod huiusmodi signo exprimitur, sic in te per exhibitionem operis exponatur, quod et divine benedictionis gratia et favore sedis apostolice dignus iugiter habearis. Datum Anagnie xi. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

CII.

Iudicibus, ut in causa, quae vertitur inter monasterium de Dundraiuan et Nicolaum militem et Ceciliam uxorem eius, procedant. Reg. An. XIII. epist. 249.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati de Driburc et de Driburch et ... de Kalkou Prioribus Sancti Andree diocesis, salutem etc. Dilecti filii ... Abbas et Conventus Monasterii de Dundraynan Cisterc. ordinis sua nobis petitione monstrarunt, quod licet causa, que inter ipsos ex parte una, et Nicolaum militem ac Ceciliam uxorem eius Candidecase diocesis ex alia, super quibusdam possessionibus et rebus aliis ad dotem ipsius Cecilie spectantibus, ut dicebant, vertitur, post diversas commissiones hinc inde ad iudices diversos obtentas, fuit amicabili compositione sopita: tamen iidem Nicolaus et Cecilia asserentes, quod eandem sibi valde dampnosam metu quondam Alani ipsorum domini parti alteri nimis favorabilis iniissent, super irritatione illius ad ... Abbatem de Tunkelanda eiusque coniudices apostolicas litteras impetrarint, quibus I. Canonico de Dunklanda et collegis ipsius ad certum diem subdelegantibus causam ipsam, quia dicti subdelegati R. filium dictorum N(icolai) et C(ecilie) pro eis contra dictos Abbatem et Conventum, proponentes id fieri non debere, in testem contra iustitiam admittebant, ipsi primo

ad eosdem Iudices, et tandem ab eis nolentibus gravamen huiusmodi revocare, nostram audientiam appellantes, ad vos super hoc apostolicas litteras impetrarunt. Demum vero dicti N(icolaus) et C(ecilia), pendente lite huiusmodi, coram vobis mendaciter suggerentes, quod causa ipsa in eorum preiudicium per viginti annos et amplius protracta fuisset, super eadem per quendam procuratorem suum sub certa forma contra eosdem Abbatem et Conventum ad ... Decanum Eboracensem et ipsius coniudices nostras litteras reportarunt, de predictis litteris ad vos directis, et processu per eas habito non facientes aliquam mentionem. Cumque postmodum eidem Abbati, pro se ac Conventu predicto propter hoc in nostra presentia constituto, dilectum filium nostrum R. sancti Eustachii diaconum Cardinalem concesserimus auditorem, tandem eodem Abbate ac procuratore partis alterius in eius presentia constitutis, petiit Abbas ipse, obtentas ad eosdem Eboracenses litteras revocari, et causam ad vos ea ratione remitti, quia per falsi suggestionem et suppressionem veri fuerant impetrate; et quod ipsi Iudices Eboracenses per sex dietas distant a Monasterio memorato, nec non quod eisdem Abbati et Conventui propter viarum discrimina, et consanguineorum partis adverse potentiam, ad ipsorum presentiam securus non patet accessus, et quod nos easdem litteras minime dedissemus, si dictus procurator in eisdem litteris expressisset, quod prefata compositio fuisset a partibus sponte recepta et pacifice observata. Hiis quidem et aliis, que hinc inde coram dicto Cardinale fuere proposita, diligenter auditis, eidem per confessionem procuratoris eiusdem constitit, prefatam compositionem intervenisse infra dictos viginti annos, quibus eadem causa fuisse prorogata proponitur, et quod ipsa compositio per quatuordecim annos in vita et triennium post mortem dicti Alani, cuius metu dicti N(icolaus) et C(ecilia) eandem initam fuisse dicebant, fuit a partibus pacifice observata, et quod a vobis in causa ipsa recessum aliquatenus non fuisset, nec non quod in litteris impetratis ad Eboracenses eosdem de appellatione prefata, et obtentis ad vos litteris nulla mentio haberetur, et quod etiam Eboracenses ipsi ultra sex dietas, infra quas plurima sunt periculosa loca, a Monasterio ipso distarent: premissis autem ab eodem Cardinale coram nobis prudenter ac fideliter recitatis, idem de speciali mandato nostro obtentas ad eosdem Eboracenses litteras revocavit, et causam ipsam ad vos remittendam fore decrevit. Quocirca mandamus, quatenus in eadem, non obstantibus iam dictis litteris impetratis ad Eboracenses eosdem, iuxta formam vobis traditam, appellatione postposita, ratione previa procedatis. Quod si non omnes etc. Datum Laterani XIII. Kalandas Februarii, Pont. nostri anno tertiodecimo.

CIII.

Iudicibus, ut episcopum Ossoriensem ad debitam residentiam in eius ecclesia cogant. Reg. An. XIV. epist. 69.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo, ... Decano et ... Archidiacono Cluanensibus, salutem etc. Venerabilis frater noster ... Archiepus Dublinensis nobis significare curavit, quod venerabilis frater noster ... Ossoriensis Episcopus suffraganeus suus, non attendens quam periculosum sit gregi sollicitudini sue commisso cura pastorali carere, diu extra suam diocesim pro sue voluntatis libito morem traxit, nec ad eam, licet auctoritate nostra sepe dicatur monitus diligenter, redire procurat, in proprie salutis dispendium, ecclesie sue preiudicium, et commissarum sibi periculum animarum. Nolentes igitur hec, si vera sunt, sicut nec debemus, sub dissimulatione transire, mandamus, quatenus, si est ita, prefatum Episcopum ad residentiam in ecclesia sua debitam faciendam, monitione premissa, per subtractionem proventuum Episcopalium, appellatione remota, cogatis. Quod si non omnes etc. Datum Laterani XV. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

CIV.

Iudicibus, ut de causa unionis ecclesiarum Armachane et Clocorensis inquirant et referant. Reg. An. XIV. epist. 177.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Cassellensi, et dilectis filiis ... de Valle Salvatoris et ... de Geriponte Abbatibus Cisterciensis ordinis Ossoriensis diocesis, sal. etc. Significavit nobis dilectus filius ... Electus ecclesie Armachane, quod cum ipse, a dilecto filio nostro O. sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinali, apostolice sedis legato, vocatus ad eiusdem ecclesie regimen, ad eius presentiam accessisset, et se ordinationi ac dispositioni sue commisisset in omnibus, tandem non absque dolore percepit dictam ecclesiam esse magis quam credi valeat desolatam, diripientibus bona ipsius prelatis et baronibus regionis, inter quos licet eiusdem suffraganei ipsi hostes gravissimi sint inventi, tum quondam Episcopus Clocorensis pridem de hac luce sublatus, qui eiusdem ecclesie protector debebat esse precipuus, presertim cum ipsius diocesis excepta fuerit de Armachana, durior inter alios persecutor accessit, fere omnes possessiones et proventus ipsius ecclesie, quam per commissiones multiplices a sede apostolica, veritate tacita, impetratas, multiplici vexatione gravavit per secularem potentiam occupando. Quare bone memorie Archiepiscopus Armachanus ad apostolicam sedem accedens, ad eundem legatum nostras obtinuit litteras continentes, ut revocatis omnibus processibus habitis per commissiones easdem, si compositio inter partes provenire non posset, causam debito fine decidere procuraret. Demum vero, prefato Archiepiscopo sublato de medio, prius quam ad propria perveniret, memorato legato causam huiusmodi ad petitionem eiusdem Electi sub priori forma duximus committendam. Super qua ipso, convocatis partibus, volente procedere, dictus Clocorensis Episcopus diem clausit extremum. Verum cum super discrimine, quod Armachana et Clocorensis ecclesie inter se ad invicem propter mutuam discordiam patiuntur, non possit, ut asserit idem Electus, nisi per unionem earum salubriter provideri, maxime cum in eis aliquando fuerit una sedes, et ipse adeo sint in temporalibus

diminute quod vix earum uni sufficerent redditus utriusque: nobis sepe dictus electus humiliter supplicavit, ut ecclesias ipsas unire de circumspectione sedis apostolice curaremus. Cum itaque in huiusmodi negotio sit maturitate previa procedendum, discretioni vestre, de qua in dño fiduciam plenam gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super premissis diligentius veritate, quod inveneritis, nobis sub sigillis vestris fideliter rescribatis, ut super hoc, quod expedire viderimus, auctore domino, disponamus. Quod si non omnes etc. tu, frater etc. Datum Laterani xvii. Kal. Decembris, P. n. anno xiiii.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. IV.

CV.

Iudicibus, ut examen litis inter monasterium de Dundrainan et militem quendam S. Andreae dioecesis in Scotia vertentis reassumant et terminent. Reg. An. I. epist. 44.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Archidiacono, ... Decano Laudonie et ... Magistro scolarum de Betewic Sancti Andree diocesis, salut. etc. Sua nobis dilecti filii ... Abbas et conventus monasterii de Dundrainan Cisterciensis ordinis petitione monstrarunt, quod causa, que inter ipsos ex parte una, et Nicolaum de Culenes militem et Ceciliam uxorem eius Candide Case diocesis ex altera, super quibusdam possessionibus et rebus aliis ad dotem ipsius Cecilie spectantibus, ut dicebant, vertuntur, post diversas commissiones hinc inde ab apostolica sede ad iudices diversos obtentas, fuit amicabili compositione sopita: et licet ratione compositionis eiusdem multa de bonis ipsius monasterii eisdem Nicolao et Cecilia concessa fuerint, quorum proventus per viginti annos, quibus eadem compositio observata fuerat, in usus proprios converterunt; tamen ipsi mendaciter asserentes, quod eadem compositio sibi valde dampnosa metu quondam Alani eorum domini parti alteri nimis favorabilis inita extitisset, super ipsius irritatione ad ... Abbatem de Tunglanda suosque coniudices apostolicas litteras impetrarunt: quibus I.. Canonico de Tunglanda et eius collegis ad certum diem subdelegantibus causam ipsam, dicti Abbas et conventus ex sufficienti gravamine ad prefatos iudices, et demum ab eis gravamen ipsum revocare nolentibus, ad sedem apostolicam appellantes, ad .... Abbatem de Driburc et eius coniudices apostolicas litteras impetrarunt. Cumque dicti Nicolaus et Cecilia mendaciter suggerentes, quod causa in eorum preiudicium per viginti annos et amplius protracta fuisset, super eadem per quendam procuratorem suum sub certa forma contra ipsos ad ... Decanum et eius coniudices Eboracenses apostolicas litteras impetrassent, de predictis litteris ad prefatos Abbatem de Driburc et eius coniudices directis, et processu per eos habito non facientes aliquam mentionem, ac felicis recordationis Gregorius papa, predecessor noster, eidem Abbati de Dundrainan pro se ac conventu predicto, in eius presentia constituto, bone memorie R. sancti Eustachii diaconum Cardinalem super hoc concesserit auditorem: eidem Cardinali per confessionem eiusdem procuratoris constituit, prefatam compositionem intervenisse infra dictos viginti annos, quibus eadem causa fuisse prorogata proponitur, et quod ipsa compositio per quatordecim annos in vita, et triennium post mortem dicti A., cuius metu fuisse inita dicebatur, fuerit a partibus pacifice observata, et quod ab eisdem Abbate de Driburc et coniudicibus suis recessum per aliquem modum legitimum non fuisset, necnon quod in litteris impetratis ad Eboracenses eosdem de obtentis litteris ad supradictos Abbatem de Driburc, et eius coniudices mentio non fiebat, et quod etiam ipsi Eboracenses ultra sex dietas, infra quas sunt plurima periculosa, distantes eos ad iudicium traherent a monasterio memorato. Hiis autem a dicto predecessore nostro diligenter auditis, idem Cardinalis de ipsius speciali mandato revocavit litteras ad eosdem Eboracenses obtentas, et decrevit causam eandem fore ad ipsos .... Abbatem de Driburc et eius coniudices remittendam. Verum eisdem predecessore prefato causam huiusmodi per suas litteras remittente, cognitis cause meritis, eisque pro sepedictis Abbate et conventu de Dundrainan promulgantibus diffinitivam sententiam, que non fuit appellatione vel aliqua legitima provocatione suspensa, prefati Nicolaus et Cecilia super eodem negotio contra ipsos ad .... Archidiaconum Eboracensem suosque coniudices predicti predecessoris litteras impetrarunt: coram quibus ex parte dictorum Abbatis et conventus fuit excipiendo propositum, quod cum littere de premissis, que per confessionem procuratoris partis alterius Cardinali prefato constiterant, et dictis causis revocationis litterarum ad supradictos Decanum Eboracensem et eius coniudices directarum, ac etiam de remissione cause per predecessorem eundem ad eosdem Abbatem de Driburc suosque collegas facta, et de processu ipsorum nullam facerent mentionem, per eas huiusmodi veritate tacita impetratas conveniri de iure non poterant, nec debebant. Et quia iudices ipsi has eorum exceptiones

admittere contra iustitiam denegarunt, iidem Abbas et conventus sentientes indebite se gravari, duxerunt ad sedem apostolicam appellandum. At illi, legitima eorum appellatione contempta, in quosdam ex eis suspensionis et excommunicationis sententias promulgantes, partem alteram in predictorum possessionem induci mandarunt in eorum preiudicium et gravamen. Quocirca mandamus, quatenus si dictas suspensionis et excommunicationis sententias inveneritis post appellationem huiusmodi esse latas, denunciantes eas penitus non tenere, ac revocato in statum debitum, quicquid post appellationem eandem constiterit temere attemptatum, vel compositionem eandem, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, nulla appellatione vel aliqua legitima provocatione suspensam, executioni mandantes, eam, sicut est iusta, faciatis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari, supradictis Nicolao et Cecilia silentium perpetuum imponentes. Alioquin partes ad eiusdem Archidiaconi Eboracensis eiusque coniudicum remittentes examen, impe. in expensis legitimis contempnatis. Ceterum cum memoratus Abbas pro appellationis sue prosecutione diutius apud sedem apostolicam constitutus, propter longam ipsius vacationem eam prosequi nequiverit infra tempus a iure prefixum, volumus et mandamus, ut ex huiusmodi lapsu temporis nullum dicto monasterio preiudicium generetur, non obstantibus aliquibus litteris super hoc a sede apostolica veritate tacita impetratis, vel etiam impetrandis, que de presentibus plenam non fecerint mentionem, et constitutione de duabus dietis etc. Testes autem etc. Quod si non omnes etc. Datum Anagnie III. Kal. Augusti, Pont. nostri anno primo.

CVI.

Eidem, ut canonicis Ossoriensibus praecipiat, ut eorum duo cum mandato sibi providendi de episcopo ad pontificem mittant. Reg. An. I. ep. 500.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Cupientes, ut Ossoriensi ecclesie talis preficiatur, per cuius industriam valeat in melius restaurari, mandamus, quatenus illis, ad quos episcopi spectat electio, auctoritate nostra expresse precipias, ut duos ex seipsis cum pleno mandato providendi eidem ecclesie de consilio nostro ad nostram non differant presentiam destinare. Si vero ad id iidem ante inhibitionem tuam forsitan processissent, illum, de quo processus est habitus, peremptorie citare procures, ut infra certum terminum, quem ei duxeris prefigendum, personaliter vel per procuratorem idoneum compareat coram nobis. Dat. Laterani VI. Nonas Martii, Pont. nostri anno I.

CVII.

Archiepiscopo Armachano, ut ad sublevandum debitorum onus proventus ecclesiarum in Armachana, Midensi et Dunensi dioecesibus vacantium per annum retinere possit. Reg. An. I. ep. 441.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Ex parte tua nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum ecclesia Armachana gravi prematur onere debitorum, et te pro ipsius negotiis promovendis oporteat facere graves sumptus, providere super hoc tibi et eidem ecclesie de benignitate sedis apostolice curaremus. Volentes igitur fraternitati tue ad onus huiusmodi relevandum gratiam facere specialem, presentium tibi auctoritate concedimus, ut proventus ecclesiarum, quas in Armachana, Midensi et Dunensi diocesibus usque ad biennium vacare contigerit, ad manus tuas in solutionem debitorum huiusmodi convertendos libere per annum valeas retinere, ita quod in eisdem ecclesiis interim per ideoneas personas facias deserviri. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Laterani III. Nonas Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

CVIII.

Dunensis ecclesia declaratur cathedralis et suffraganea ecclesiae Armachanae, et conceditur eidem ius eligendi suum episcopum. Reg. An. I. epist. 537.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ..... Priori et Capitulo Dunensi ordinis sancti Benedicti, salutem etc. Iustis petentium etc. usque complere. Significastis siquidem nobis, quod orta dudum inter vos ex parte una, et ... Abbatem de Bengor diocesis Dunensis ex altera questione super eo, quod idem Abbas suam, et vos vestram ecclesiam Cathedralem existere dicebatis: tandem venerabilis frater noster ... Armachanus Archiepiscopus loci metropolitanus, super hoc ex officio suo inquisitione habita diligenter, suffraganeorum suorum obtento consilio, ecclesiam Dunensem esse Cathedralem decrevit, et ad vos tantum ius in ea eligendi pontificem pertinere. Vestris igitur supplicationibus inclinati, quod a dicto Archiepiscopo provide absque alicuius preiudicio factum est in hac parte, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis etc. Datum Laterani III. Nonis Martii, Pont. nostri anno primo.

In e. m. ... Decano et Capitulo Drumerensi usque et ... Abbatem de Ligno viridi Drumerensis diocesis ex altera etc. usque ecclesiam Drumerensem Cathedralem esse decrevit etc. usque in finem. Datum ut supra.

CIX.

Iudicibus, ut electum Lismorensem confirment. Reg. An. I. ep. 714.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, et dilecto filio Magistro Martino camere nostre clerico, sal. etc. Ex parte dilectorum filiorum capituli et cleri ecclesie Lismorensis nobis extitit supplicatum, ut cum ecclesia ipsa vacante, ipsi convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium Magistrum Iohannem rectorem ecclesie sancti Beani maioris Lismorensis diocesis, virum utique providum et discretum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in suum Episcopum duxerint eligendum, ipsius electionem confirmare de benignitate solita curaremus. Quocirca mandamus, quatenus inquisita de modo electionis, studiis eligentium et electi meritis diligentius verita-

te, si electionem ipsam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, auctoritate nostra confirmetis eandem, facientes ipsi electo a subditis suis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores etc. Datum Laterani XII. Kalendas Iunii, Pont. nostri anno primo.

CX.

Archiepiscopo Dublinensi, ut cum clericis suae provinciae de pluralitate beneficiorum, ac de defectu natalium dispensare, neque extra Hiberniam in iudicium trahi possit. Reg. An. II. 71.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, salut. etc. Devotioni tue, quam erga sedem apostolicam habere dinosceris, volentes gratiam facere specialem, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut cum duobus clericis tue provincie, quos moribus et scientia noveris adiuvari, quod uterque ipsorum preter beneficia, que obtinet, quibus cura sit animarum annexa, adhuc unicum beneficium seu personatum, vel aliam ecclesiasticam dignitatem licite recipere possit, si sibi canonice offeratur, et cum obtentis libere retinere, valeas dispensare, Non obstante constitutione concilii generalis, proviso ut eadem beneficia debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura nullatenus negligatur. Datum Lugduni Idibus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod in civitate ac diocesi tua multi consistunt defectum natalium patientes, quorum quidam sacerdotes, quidem diaconi, nonnulli subdiaconi ac alii sunt in minoribus ordinibus constituti, prelaturas et beneficia obtinentes: Quare a nobis humiliter postulabas, ut quid super predictis agere debeas, per nostras te redderemus litteras certiorem, pro supradictis nobis humiliter supplicans et devote, ut cum eis dispensare, quod in tam susceptis ordinibus ministrare et ad superiores etiam promoveri, ac ecclesiasticum beneficium obtinere, necnon et alii iam obtentum retinere valeant, defectu, quem patiuntur, natalium non obstante, misericorditer curaremus. Nos igitur de discretione tua plenam fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus cum decem ex hiis, si non fuerint incontinentie imitatores paterne, et alias vite, scientie et conversationis honeste sibi merita suffragantur ad huiusmodi gratiam obtinendam, secundum qualitatem et merita personarum auctoritate nostra dispenses: ita tamen quod si quem predictorum, cum quibus dispensatum fuerit, ad episcopalem vocari contigerit dignitatem, illam nequaquam recipiat absque sedis apostolice licentia speciali. Dat. ut supra.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Devotionis tue precibus benignum impertientes assensum, ut extra Yberniam, super rebus infra ipsam contentis, per litteras apostolicas non facientes plenam de hac indulgentia mentionem conveniri non valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc. Datum ut supra.

CXI.

Iudicibus, ut archiepiscopum Cassellensem a molestando episcopo Laoniensi eius suffraganeo arceant. Reg. An. II. ep. 239.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Enachdunensi et ... Cluanfertensi Episcopis, salutem etc. Venerabili fratre nostro ... Laoniensi episcopo accepimus conquerente, quod cum, Laoniensi ecclesia olim pastoris destituta solatio, ipse ad eiusdem regimen canonice ac concorditer fuisset electus, eius electio per bone memorie predecessorem venerabilis fratris nostri ... Archiepiscopi Cassellensis loci metropolitani fuit postmodum confirmata, et ab eodem sibi munus consecrationis impensum, R. de Burgo, tunc Iustitiario Ibernie, ipsius regalia detinente, ad quorum nullatenus restitutionem induci poterat, nisi certa pecunie quantitas solveretur eidem: quo audito, idem Episcopus sub interminatione anathematis expresse inhibuit, ne propter hoc aliqua pecunia solveretur. Verum quia tandem ipso penitus ignorante, a nobili viro D. Carbrech domino Tuadomonie Laoniensis diocesis contra inhibitionem huiusmodi dicta fuit persoluta pecunia, et per consequens prefata regalia eidem episcopo restituta, idem Archiepiscopus contra eum ex alia causa rancore concepto, ipsum ex hoc respersum labe symoniaca reputat, et multiplici molestatione perturbat. Verum cum dignum sit, ut predictus Archiepiscopus suis suffraganeis se patrem exhibeat in benigni exhibitione favoris, et nullum pretextu rancoris vel odii opponat obstaculum, per quod eis honoris vel fame immineat detrimentum, eundem Archiepiscopum attente rogandum duximus et hortandum, nostris sibi dantes litteris in preceptis, ut si premissis veritas suffragatur, ab ipsius episcopi super hoc indebita molestatione desistat. Quocirca mandamus, quatenus si dictus Archiepiscopus preceptum nostrum neglexerit adimplere, vos eum ad id, monitione previa, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra cogatis. Datum Lugduni IIII. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno secundo.

CXII.

Iudicibus, ut de iniquis episcopi Ardachadensis gestis inquirant et referant. Reg. An. II. epist. 505.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati monasterii s. Marie de Kenles Midensis diocesis, ... Priori Millefontis Cisterciensis ordinis, et ... Archidiacono Armachano, sal. etc. Ex parte dilectorum filiorum ... Decani et Capituli ecclesie Ardachadensis nobis extitit intimatum, quod B., qui pro Ardachadensi se gerit episcopo, dudum in minoribus constitutus, mulierem quandam ab alio prius corruptam sibi matrimonio copulavit, et licet tum in episcopum Ardachadensem electus, procuraverit inter se et dictam mulierem per venerabilem fratrem nostrum ... Epum Tybruinensem divortium celebrari, predictam tamen mulierem publice detinere presumit, et quod orribile est auditu, cum suis consanguineis et monialibus incestum committere non veretur, et ex eis, cum quibus bona dicte ecclesie destruit enormiter et consu-

ge-

mit, plures filios procreavit, nec hiis contentus matrimonia legitime contracta minus canonice dirimens, pecuniam, quam crucesignati decedentes relinquunt in subsidium terre sancte, in usus proprios et illicitos dampnabili presumptione convertit, alia plura committens enormia, per que adeo grave in populo scandalum generatur, quod nisi super hiis apostolico sedis remedio celeriter obvietur, ecclesia predicta, que graviter in spiritualibus et temporalibus ipsius B. ministerio est collapsa, vix adiciet, ut resurgat. Cum igitur instantia nostra cotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, mandamus, quatinus super premissis inquirentes auctoritate nostra sollicite veritatem, que inveneritis, nobis fideliter rescribere procuretis, prefigentes partibus terminum peremptorium competentem, quo personaliter vel per procuratores idoneos nostro se conspectui representent, iustam, dante domino, sententiam recepture. Quod si non omnes etc. Datum Lugduni Idibus Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

CXIII.

Abbati de Dunfermilin supplicante Scotiae rege usus pontificalium conceditur. Reg. An. II. ep. 468.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii de Dunfermilin, ordinis sancti Benedicti, diocesis Sancti Andree, salut. etc. Ut pulchra et decora filia Ierusalem fidelibus, et terribilis infidelibus appareat ut castrorum acies ordinata, ecclesia variis insignitur titulis dignitatum, per quam tanquam ornata monilibus, et circumicta varietate illustrium virtutum exhibet venustatem, et quod tandem in re habebit in spe gerere se ostendens, varietatem indicat per figuram. Quare sedes apostolica, mater ecclesiarum omnium et magistra, ecclesias alias tanquam adolescentulas suas honorum insignibus libenter adornat pro meritis singularum, sperans, ut ornate tanto se immaculatas studeant diligentius conservare, quanto propensius tenentur diligere decus proprium et decorem. Cum igitur Abbatia vestra Regalis existat, nos obtentu Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotie Illustris vestris supplicationibus inclinati, tibi, fili Abbas, et successoribus tuis in perpetuum utendi mitra et anulo, ac aliis indumentis pontificalibus, et dandi Monachis et Clericis duos minores ordines, ostiariatum videlicet et lectoratum, ac benedicendi pallas altaris, et alia sacerdotalia indumenta, plenam, quoad vixeris, concedimus auctoritate presentium facultatem. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Lugduni viii. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno secundo.

CXIV.

Archiepiscopo Tuamensi, ut electionem archidiaconi Elfinensis in epum eius ecclesiae, reiecta electione de praeposito de Roscaman facta, confirmet. Reg. An. III. epist. 6.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Tuamensi, salutem etc. Cum ecclesia Elfinensi pastoris solatio destituta, et votis Canonicorum eius in diversa divisis, quibusdam Canonicorum ipsorum eligentibus Prepositum de Roscaman, Malachias Decanus, Iohannes et Clarus Archidiaconi, et Gilibertus Thesaurarius eiusdem ecclesie dilectum filium Iohannem ipsius Archidiaconum in suum pastorem et Episcopum postulassent: tandem procuratoribus utriusque partis in nostra presentia constitutis nos dilectum filium magistrum I. Astensem, Subdiaconum et Capellanum nostrum, eis concessimus auditorem. Licet igitur hiis, que coram ipso Capellano fuere hinc inde proposita, nobis per eum recitatis fideliter, plenius intellectis, de fratrum nostrorum consilio, cassata electione celebrata de ipso Preposito, postulationem factam de prefato Archidiacono rite duxerimus reprobandam, nobis provisione ipsius ecclesie reservata. Quia tamen idem Archidiaconus de dono scientie, vite mundicia, honestate morum et conversatione laudabili multipliciter commendatur, mandamus, quatenus non obstante defectu natalium, quem ipse Archidiaconus passus est de soluta genitus et soluta, super quo est cum eo per sedem apostolicam dispensatum, ipsum, nisi aliud canonicum quid obsistat, auctoritate nostra in Episcopum preficias ecclesie memorate, ac ei facias a subditis suis debitam obedientiam et reverentiam exhiberi, et associato tibi sufficienti Episcoporum numero, munus consecrationis impendas. Contradictores etc. Datum Lugduni v. Nonas Iulii, Pontificatus nostri anno tertio.

CXV.

Cum magistro Hugone clerico epi Glasguensis de pluralitate beneficiorum dispensatur. Reg. An. III. epist. 37.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Hugoni Canonico Dunkeldensi, Clerico Venerabilis fratris nostri ... Episcopi Glasguensis Regni Scotie, salutem etc. Hii potissimum sunt apostolice sedis prerogativa donandi, qui ex meritis venire conantes ad premia, moribus ornant scientiam, et conversationem muniunt honestate: quos libenter, ut eos per merita invitemus ad premia, tanquam benemeritos grato favore prosequimur, qui cunctos invenire cupimus gratiosos. Attendentes igitur litterature donum et vite meritum, super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur, qui doctus in artibus studuisti, tum regendo, tum audiendo per decem et octo annos et amplius in iure canonico et civili, ac profecisti per dei gratiam laudabiliter in utroque, ac intendentes te per hoc et obtentu predicti Epi gratia prosequi speciali, ut preter obtenta unicum adhuc beneficium seu personatum, vel aliam ecclesiasticam dignitatem, etiam si curam animarum habeat, recipere licite, si tibi canonice offeratur, ac una cum obtentis retinere libere, non obstante generalis concilii constitutione, valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus, proviso ut eadem beneficia debitis etc. usque negligatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Lugduni ii. Nonas Augusti, Ponficatus nostri anno tertio.

CXVI.

Iudicibus, ut cum postulato Brechinensi super defectu natalium dispensent, eique munus consecrationis impendant. Reg. An. IV. ep. 35.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus .. Sancti Andree, .. Glasguensi et .. Dunkeldensi Episcopis, salutem etc. Ex parte dilectorum filiorum Capituli Brechinensis littere nobis exhibite continebant, quod dudum, ecclesia Brechinensi pastoris solatio destituta, Canonici eiusdem ecclesie, prout moris est, convenientes in unum et de futuri pontificis substitutione tractantes, in tres de ipsorum collegio potestatem plenariam providendi eidem ecclesie de pastore unanimiter contulerunt: qui, habito inter se diligenti tractatu, dilectum filium Magister Albinum, precentorem ipsius ecclesie, virum, ut asserunt, providum et discretum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, de soluto genitum et soluta, in Episcopum et pastorem Brechinensis ecclesie postularunt. Quare a dicto Capitulo fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum eodem Magistro super huiusmodi defectu natalium misericorditer dispensantes, utpote cum quo, suis exigentibus meritis, Ven. frater noster O. Portuensis Ep̄us, tunc in partibus illis apostolice sedis legatus, ad ordines et ecclesiastica beneficia, etiam curam animarum habentia duxerat dispensandum, postulationem predictam dignaremur admittere, ac demum ipsi postulato faceremus in illis partibus munus consecrationis impendi. Licet autem dictus Magister Albinus de vita, moribus et scientia multipliciter commendetur, propter quod dignus sit dispensationis huiusmodi gratiam obtinere, quia tamen scriptum est, nemini cito manum imponas, mandamus, quatenus de postulationis modo, studiis postulantium, et meritis postulati diligentius inquirentes, si postulationem eandem canonice vobis constiterit esse factam, et idem postulatus talis vite, ac tante scientie fuerit, ut ad regimen eiusdem Brechinensis ecclesie ydoneus reputetur, dispensetis super huiusmodi defectu natalium auctoritate nostra cum ipso, et admittentes demum postulationem eiusdem, ac ipsi postulato munus consecrationis secundum sanctiones canonicas impendentes, faciatis sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam exhiberi, recepturi ab eo postmodum nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium ad nos quantocius destinetis. Alioquin postulatione huiusmodi, sicut convenit, reprobata, faciatis eidem ecclesie de persona idonea per electionem canonicam provideri. Contradictores etc. Dat. Lugduni xiiii. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

CXVII.

Iudicibus, ut postulatum Armachanum ad curiam citent. Ibid. ep. 151.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori fratrum Predicatorum de Ponte et ... Gardiano fratrum Minorum de Dondalo Armachane diocesis, salutem etc. Ad audientiam nostram, dilecto filio Magistro Andrea ecclesie Armachane Archidiacono insinuante, pervenit, quod cum olim eadem ecclesia pastore vacaret, Magister M., qui pro cancellario ecclesie predicte se gerit, contemptis quibusdam ex concanonicis suis, qui commode vocari poterant et de iure debebant, post appellationes a dicto Archidiacono et sibi adherentibus legitime interiectas, nulla forma concilii observata, cum quibusdam suis complicibus venerabilem fratrem nostrum Germanum Ep̄um Rathuilensem ad Armachanam ecclesiam postulare presumpsit, non considerato prudenter, quantum in talibus etiam unius contemptus obsit, et quod postulatio affici videatur, que invenitur post appellationem ad nos emissam in tanta contradictione presumpta, maxime cum dicatur de persona minus idonea celebrata fuisse. Cum itaque velimus super processu postulationis huiusmodi, et meritis postulati scire plenius veritatem, ut, quod iustum fuerit, faciamus: mandamus, quatenus tam postulatum, quam postulantes ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut usque ad dominicam proximam, qua cantatur Letare Ierusalem, ad prosequendam postulationem eandem personaliter postulatus, et per procuratores idoneos postulantes nostro se conspectui representent, ut tam de votis postulantium, quam forma postulationis et meritis postulati diligenter instructi, quod iustum fuerit, auctore domino, decernamus. Si autem postulationem eandem prosequi forte noluerint, aliquos de suis concanonicis ad presentiam nostram mittant, quod canonicum fuerit, recepturos. Diem autem citationis et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras tenorem presentium continentes fideliter intimetis. Quod si non ambo etc. Non obstante indulgentia vobis vel ordini vestro ab apostolica sede concessa, ut inviti non teneamini causas suscipere, vel sententias exequi per litteras sedis eiusdem, que de ipsa indulgentia non fecerint mentionem. Datum Lugduni viii. Id. Octobris, Pont. nostri anno quarto.

CXVIII.

Iudicibus, ut causam translationis episcopi Clonensis ad ecclesiam Lismorensem examinent, et si ipsis videbitur, confirment. Reg. An. IV. ep. 236.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Limiricensi et ... Laoniensi Episcopis, salutem etc. Ex parte dilect. filiorum ... Decani et Capituli ecclesie Lismorensis presentate nobis littere continebant, quod ecclesia ipsa pastoris solatio destituta, iidem convenientes in unum de futuri substitutione pontificis tractaturi, spiritus sancti gratia invocata, venerabilem fratrem nostrum ... Clonensem Episcopum, virum, ut asserunt, providum, vita et honestate decorum, litterarum scientia preditum et consilii maturitate preclarum, in eorum Episcopum pari voto et voluntate unanimi postularunt, nobis humiliter supplicantes, ut cum sperent, quod dicta ecclesia, que tam in spiritualibus quam in temporalibus graviter est collapsa, possit per sue diligentie studium grata in utroque suscipere incrementa, postulationem eandem admittere de benignitate sedis apostolice dignaremur. Quia vero nobis plene non constitit de pre-

missis, mandamus, quatenus Carissimi in Christo filii nostri . . . Regis Anglie honore debito et consueto servato, inquisita de modo postulationis, studiis postulantium et postulati meritis diligentius veritate, si postulationem ipsam inveneritis concorditer et canonice celebratam, nichilque obviet postulato de canonicis institutis, eam auctoritate nostra, si hoc utilitas vel necessitas ipsius ecclesie Lismorensis exegerit, admittatis, et demum absolventes dictum Episcopum a vinculo, quo ecclesie Clonensi tenetur, et transeundi ad prefatam Lismorensem ecclesiam facultatem sibi liberam concedentes, faciatis eidem a suis subditis debitam obedientiam et reverentiam exhiberi, Contradictores etc. recepturi postmodum ab eo pro nobis et Romana ecclesia fidelitatis solite iuramentum etc. Datum Lugduni VII. Kalend. Novembris, Pontificatus nostri anno quarto.

CXIX.

Dominus de Macherummel Lismor. dioec. cum terris suis sub protectione sedis apostolicae suscipitur. Reg. An. IV. epist. 552.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Dinbgaldo dño de terra Macherummel in Kintyre Lismorensis diocesis, salutem etc. Sacrosancta Romana ecclesia devotos et humiles filios etc. usque inclinati, personam tuam cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne quis te in devotione sancte Romane ecclesie persistentem super eisdem bonis temere molestare presumat. Nulli ergo etc. nostre protectionis et inhibitionis etc. Si quis etc. Datum Lugduni XV. Kalendas Maii, Pont. nostri anno quarto.

CXX.

Iudicibus, ut episcopum Limiricensem ad cedendam ecclesiam compellant. Reg. An. IV. epist. 550.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo, et dilectis filiis ... Decano et . . . Archidiacono Darensibus, salutem etc. Ex parte venerabilis fratris nostri Cassellensis Archiepiscopi fuit propositum coram nobis, quod venerabilis frater noster ... Limiricensis Episcopus, olim attendens, quod idem symonie labe respersus, ac defectum in natalibus et scientia patiens, non erat idoneus ad episcopalis oneris dignitatem, felicis recordationis G. pape predecessori nostro per suas litteras humiliter supplicavit, ut dignaretur ipsius recipere cessionem. Et licet idem predecessor noster venerabili fratri nostro .... Laoniensi Episcopo super hoc sub consueta forma direxerit scripta sua, nichilominus tamen dictus Limiricensis Epus asserens, se a nobis, ne ad cedendum compelli valeat, specialem gratiam reportasse, quamquam eam non proferat in communi, cedere pro sue voluntatis arbitrio non curavit in anime sue periculum, et Limiricensis ecclesie non modicum detrimentum. Verum cum intersit eiusdem Archiepiscopi loci metropolitani suorum suffraganeorum insufficientiis, ac ecclesiarum ipsorum indempnitatibus precavere, nobis humiliter supplicavit, ut super hiis providere salubriter curaremus. Cum igitur prefatus Limiricensis Episcopus in postulatione cessionis huiusmodi ecclesie sue commodum et salutem videatur propriam attendisse, que suasionibus aliquorum querentium, que sua sunt, seu etiam levitate qualibet nolumus impediri: mandamus, quatenus si vobis plene constiterit de premissis, eundem episcopum, nisi predictam gratiam, quam allegat sine suppressione veritatis obtentam, exhibeat, coram vobis ad cedendum, monitione previa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Quod si non omnes etc. tu, frater Episcope etc. Datum Lugduni XV. Kalendas Maii, Pont. nostri anno quarto.

CXXI.

Iudicibus, ne abbatem et conventum s. Mariae de Gloria Anagninae quaedam beneficia in Anglia habentes de subsidio imperio Romaniae concesso molestari permittant. Reg. An. IV. epist. 575.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis Magistro Silvestro sancti Iohannis de Duce, et Iohanni sancti Andree Canonicis Anagninis in Anglia commorantibus, salutem etc. Cum dilectus filius ..... Abbas et Conventus Monasterii sancte Marie de Gloria Anagnine Florensis ordinis, sicut ex parte ipsorum nobis extitit intimatum, ecclesias de Liddes et de Magor Cantuariensis et Landavensis diocesum in Regno Anglie habeant suis usibus deputatas, de quibus proventus percipiunt, et in quibus faciunt per vicarios idoneos deserviri, et omnes indifferenter ad exhibendum integre pro subsidio Imperii Romanie medietatem proventuum, quos de prebendis suis et beneficiis, in quibus per sex menses ad minus annuatim residentiam non faciunt personalem, infra triennium perceperint a tempore Lugdunensis concilii computandum, mandaverimus per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compelli, non obstantibus quibuscumque indulgentiis vel privilegiis apostolice sedis, per que huiusmodi subventio impediri seu retardari valeret, et consuetudinibus et statutis iuramento, seu alia qualibet firmitate vallatis: Nos nolentes constitutionem, quam pro prefato subsidio in concilio eodem edidimus, ad huiusmodi predictorum Abbatis et conventus proventus extendi, mandamus, quatenus eosdem Abbatem et conventum a Carissimo in Christo filio nostro ... Imperatore Constantinopolitano Illustri, vel quocumque alio in hac parte, quibuscumque litteris super hoc obtentis a nobis nequaquam obstantibus, non permittatis aliquatenus molestari, revocantes irritum, si quid contra ipsos super hiis occasione litterarum nostrarum est forsitan attemptatum. Molestatores etc. Quod si non ambo etc. Datum Lugduni Kalendis Maii, Pontificatus nostri anno quarto.

CXXII.

Iudicibus, ut postulationem ecclesiae Aberdonensis confirment, cum postulato de defectu natalium dispensent, eique munus consecrationis impendant. Reg. An. IV. epist. 661.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Sancti Andree, ... Dumblanensi et ... Brechi-

nensi Episcopis, salutem etc. Ex parte dilectorum filiorum ... Decani et Capituli Aberdonensis littere nobis exhibite continebant, quod dudum Aberdonensi ecclesia pastoris solatio destituta, Canonici eiusdem ecclesie, prout moris est, convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium magistrum Petrum de Rameseya diaconum, virum utique, sicut asseritur, morum honestate conspicuum, eminenti litterarum scientia preditum, et spiritualium ac temporalium providentia circumspectum, de clerico tamen in minoribus constituto genitum et soluta, in Episcopum et pastorem ipsius Aberdonensis ecclesie unanimiter et canonice postularunt, propter quod a prefatis Decano et Capitulo fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum eodem magistro Petro super huiusmodi defectu natalium misericorditer dispensantes, utpote qui olim suis exigentibus meritis per sedem apostolicam ad omnes ordines et dignitates ecclesiasticas, episcopali dumtaxat excepta, dispensationis gratiam, ut dicitur, meruit obtinere, postulationem eandem dignaremur admittere, ac demum ipsi postulato faceremus in illis partibus munus consecrationis impendi. Licet autem ad dispensandum cum dicto magistro multa nos inducere videantur, scilicet litterarum scientia, morum honestas, vite virtus et fama persone multipliciter a quibusdam etiam ex fratribus nostris, qui eum cognoverunt, approbate, sitque ad hoc nichilominus inductivum, quod in eundem magistrum vota Canonicorum omnium ab eo fuisse directa credantur, qui fidelium mentes unius efficit voluntatis: quia tamen in instituendis Episcopis, qui tamquam stelle fixe in firmamento lucere debent, sibi per vite meritum et aliis per exemplum sollicitam convenit discussionem haberi, mandamus, quatenus de postulationis modo, studiis postulantium, et meritis postulati diligentius inquirentes, si postulationem eandem canonice vobis constiterit esse factam, et idem postulatus litterarum scientia, honestate morum et fama vite laudabilis adeo decoretur, quod ad regimen eiusdem Aberdonensis ecclesie ydoneus reputetur, dispensetis super dicto defectu natalium auctoritate nostra cum ipso, et demum admittentes postulationem eiusdem, ac ipsi postulato munus consecrationis iuxta sanctiones canonicas impendentes, faciatis sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepturi ab eo postmodum nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramentum secundum formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti etc. usque destinetis. Alioquin postulatione huiusmodi, sicut convenit, reprobata, faciatis eidem ecclesie de persona idonea per electionem canonicam provideri. Datum Lugduni III. Idus Maii, Pontificatus nostri anno quarto.

CXXIII.

Archiepiscopo Tuamensi, ut causam electi Enechdunensis examinet. Reg. An. IV. epist. 739.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Tuamensi, salutem etc. Insinuarunt nobis dilecti filii Id. Decanus, R. Archidiaconus, A. Cancellarius et Capitulum Enechdunensis ecclesie, quod olim, ecclesia ipsa vacante, Thomas quondam Abbas de Cella parva Premonstratensis ordinis, deductis in medium quibusdam falsis litteris continentibus, ut non obstante defectu natalium, quem patitur de episcopo et moniali genitus, posset in Epum promoveri, se in pastorem ipsius ecclesie, interveniente symonie vitio, eis contradicentibus et invitis, procuravit intrudi, conversis adeo manibus ad dispersionem bonorum eiusdem ecclesie, ut videatur ipsam ad irreparabilis dissolutionis opprobrium deduxisse. Super hiis autem cum adversus ipsum coram te questio moveretur, defectum natalium et falsitatem ac symoniam in tua presentia publice recognovit, se tibi per suas patentes obligando litteras, quod infra certum terminum adiret apostolicam sedem, super premissis, si posset, dispensationis gratiam obtenturus: et licet postmodum apostolico se conspectui presentarit, nichil tamen de se nobis retulisse dicitur, nisi quod defectum natalium de episcopo et soluta genitus pateretur. Quia vero in gravem dei redundat offensam, et hominibus in abominationem vertitur, quod homo tam notabilis tante presit officio dignitatis: Nos predictorum inclinati precibus mandamus, quatenus personaliter ad locum accedens, et habens pre oculis solum deum, inquisita et cognita super hiis et aliis diligentius veritate, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, auctoritate nostra firmiter observari. Datum Lugduni v. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno quarto.

CXXIV.

Episcopis Hiberniae et Scotiae, ut certam summam de proventibus, quibus clerici Italici in Hibernia et Scotia gaudent, detrahant et in subsidium ecclesiae Romanae, ab imperatore Frederico II. vexatae, pontifici transmittant. Reg. An. IV. epist. 1035.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis per Yberniam constitutis, salutem etc. Diversis angustiis et pressuris sancta perturbatur ecclesia hominis impii feritate etc. Cum igitur de consilio fratrum nostrorum duximus ordinandum, ut de Italicorum clericorum redditibus et pensionibus ecclesiasticis, que iidem habent in Ybernia usque ad centum marcas et infra quarta pars, de illis vero, que ultra centum marcas sterlingorum obtinent, in eisdem medietas, pro uno anno a proximo venturo festo nativitatis beati Iohannis Baptiste in antea computando, ecclesie prefate subsidio deputetur: Universitatem vestram rogamus affectione, qua possumus, et hortamur precipiendo mandantes, quatenus singuli quartam et medietatem ipsorum redditnum, et etiam pensionum, que in episcopatibus vestris a clericis memoratis habentur, ad manus nostras nomine subsidii prelibati accipi faciatis iuxta formam superius annotatam. Si vero aliquem vestrum dubitare contingat, quod hii, qui redditus seu pensiones in eius episcopatu obtinere noscuntur, alios redditus aut pensiones in episcopatibus habeant aliorum, tantum de huiusmodi redditibus et pensionibus in suis civitatibus et diocesibus constitutis accipi faciat, quod

ecclesia decipi nequeat in hac parte, quodque potius oporteat eum resignare superfluum quam postulare defectum. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles etc. indulgentia qualibet non obstante, licet presentes de ipsa expressam non faciant mentionem. Quantitatem eorum, que ad manus vestras pervenerint, de redditibus et pensionibus supradictis nobis, quamcito potueritis, fideliter inscripturi. Datum Lugduni III. Kal. Iunii, Pont. nostri anno quarto.

In e. m. Epis per Regnum Scotie constitutis.

In e. m. Archiepiscopis et Episcopis per Regna Anglie, Ispanie, Francie et Alamanie, nec non per Provinciam, Wasconiam et Burgundiam constitutis.

CXXV.

Iudicibus, ut sedem Rathlurensem ad pristinum locum, villam videlicet Darensem reducant. Reg. An. IV. epist. 600.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Epo Tirburnensi, et dilectis filiis... Abbati apostolorum Petri et Pauli Armachan. et ... Priori Lwguede Armachane diocesis, salutem etc. Venerabili fratre nostro... Rathlurensi Epo accepimus intimante, quod sedes episcopalis, que nunc dicitur Rathlurensis, olim a tempore limitationis episcopatuum Ybernie in villa Darensi utpote uberiori et magis idoneo loco, qui in sua diocesi habeatur, extitit constituta. Sed postmodum bone memerie Ocophtyg predecessor eiusdem sedem ipsam ad villam Rathlurensem, de qua idem predecessor originem duxerat, illectus natalis soli dulcedine, a sede apostolica non petita licentia, nec obtenta, transtulit motu proprie voluntatis. Verum cum villa Rathlurensis pene sit inaccessibilis propter montana, nemora et paludes, quibus est undique circumcincta, aliasque propter sterilitatem ipsius et necessariorum defectum nequeat ibi dictus episcopus vel aliquis de suis canonicis residere, nec clerus eiusdem diocesis illuc convenire ad synodum, et ad alia, que sepius expedirent, prefatus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut utilitatibus Rathlurensis ecclesie ac cleri eiusdem misericorditer providentes, sedem ipsam reduci ad locum pristinum, Darensem villam videlicet, de benignitate sedis apostolice faceremus. Quia vero inter cetera, que nobis imminent, de statu ecclesiarum curam habere nos convenit specialem, mandamus, quatenus, si vobis constiterit de premissis, et ipsi ecclesie videritis expedire, sedem prefatam ad villam Darensem auctoritate nostra reducere procuretis. Contradictores etc. Quodsi non omnes etc. Datum Lugduni II. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno tertio.

CXXVI.

Darensi ecclesiae omnia privilegia, quibus Rathlurensis olim gaudebat, conceduntur. Reg. An. IV. epist. 842.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo Darensi, salutem etc. Cum nos ad instantiam venerabilis fratris nostri... Rathlurensis episcopi dederimus venerabili fratri nostro... Tirburnensi Epo suisque collegis nostris litteris in mandatis, ut sedem, que nunc dicitur Rathlurensis, ad villam Darensem, a qua olim per bone memorie O. predecessorem ipsius episcopi translata, ut dicitur, extitit, apostolice sedis non petita licentia nec obtenta, reducere studeant, si viderint expedire: Nos volentes tam eidem episcopo, quam ecclesie vestre utilitatibus paterna sollicitudine providere, quod postquam predicta sedes ad ecclesiam vestram reducta fuerit, possitis uti privilegiis, indulgentiis et concessionibus aliis olim ecclesie Rathlurensi ab apostolica sede concessis, ac si ecclesie vestre fuissent indulta, vobis auctoritate predicta indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Lugduni VIII. Kalendas Iulii, Pont. nostri anno quarto.

CXXVII.

Iudicibus, ut postulatum Clonensem confirment. Reg. An. V. ep. 189.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Cassellensi et ... Leoniensi ac ... Lismorensi Episcopis, salutem etc. Dilecti filii procuratores Capituli Clonensis ecclesie in nostra presentia conventi, nobis humiliter supplicarunt, ut postulationem nuper in ecclesia ipsa pastoris solatio destituta concorditer factam ab ipso Capitulo de dilecto filio fratre Daniele ordinis fratrum Minorum admittere curaremus. Verum quia nobis de processu super hoc habito per eosdem procuratores non potuit fieri plena fides, fraternitati vestre mandamus, quatenus inquisita de modo postulationis, studiis postulantium et postulati meritis sollicite veritate, si postulationem ipsam inveneritis de persona idonea rite factam, auctoritate nostra, eadem admissa, et ipso fratre absoluto a ministri sui obedientia, iniungatis in remissionem peccaminum dicto fratri, ut ad prefatam ecclesiam Clonensem accedat, acturus curam eius ita fideliter et prudenter, quod dignam deo exinde valeat reddere rationem, eique faciatis a subditis suis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, Contradictores etc. cui tu, frater Archiepe, adiuncto tibi legitimo Eporum numero, munus consecrationis impendas. Dat. Lugduni IIII. Idus Octobris, anno V.

CXXVIII.

Episcopo Dumblanensi, ut vigesimam proventuum ecclesiast. etc. in Scotia in subsidium terrae sanctae colligi faciat. Reg. An. V. epist. 236.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Dumblanensi, salutem etc. Gerentes de tua fidelitate ac industria fiduciam in domino pleniorem, mandamus, quatenus vicesimam ecclesiasticorum proventuum, redemptionem votorum, obventiones et legata, seu alio modo relicta subsidio terre sancte in Regno Scotie colligas, fideliter conserves. De pecunia tamen, quam primo collegeris, dilectis filiis Nobilibus viris Petro de Cortiniaco et Gualthero de Iovigniaco crucesignatis, vel eorum certis nuntiis usque ad valorem trium milium librarum Turonensium sine difficultate qualibet studeas assignare, Non obstantibus aliquibus privilegiis etc. Contradictores etc. Summam vero eorum, que superfuerint, nobis tuis litteris nunciabis. Datum Lugduni X. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno quinto.

CXXIX.

Archiepo Armachano, ut Tedisio de Lavania scriptori pontificio de aliquo beneficio in sua provincia provideat. Reg. An. V. epist. 622.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Etsi sedes apostolica veluti pia mater nonnunquam extraneis et ignotis in provisionis gratia liberalem se consueverit exhibere, devotis tamen et notis non debet eius provisionis munificentia non adesse, sed tanto suis in retributione debet assurgere meritorum, quanto ipsos habet per rerum experientiam comprobatos. Hinc est, quod nos dilecto filio magistro Tedisio de Lavania clerico, scriptori nostro, exigentibus devotionis et probitatis sue meritis, specialem gratiam facere intendentes, mandamus, quatenus eidem vel procuratori suo eius nomine in aliqua ecclesiarum tue provincie auctoritate nostra provideas, vel facias provideri in prebendali, seu alio ecclesiastico beneficio competenti, etiam si curam habeat animarum, si vacat ad presens, vel quam cito obtulerit se facultas, decernens irritum et inane quicquid de beneficio ipso preter huiusmodi mandati nostri tenorem in preiudicium eiusdem acceptoris contigerit attemptari. Non obstante etc. Dat. Lugduni Idibus Februarii, anno v.

CXXX.

Iudicibus, ut de transferenda sede Lechelinensi in locum commodiorem inquirant et referant. Reg. An. V. epist. 626.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo, et dilectis filiis... Priori s. Trinitatis et... Archidiacono Dublinensibus, salutem etc. Ex parte venerabilis fratris nostri... Epi et dilectorum filiorum Capituli Lechelinensium fuit propositum coram nobis, quod cum Lechelinensis ecclesia in medio nationis ac perverse in limitibus fere sue diocesis in loco montuoso, inepto et sterili sit constituta, ita quod sine magno rerum discrimine, ac personarum periculo tam clero quam populo illic accedentibus pro synodo celebranda, et aliis necessitatibus emergentibus, que incumbunt, securus accessus propter predonum et latronum patentes et latentes insidias positas non pateat ad eandem, transferri eam ad locum communem, tutum et idoneum in ipsa diocesi de benignitate sedis apostolice curaremus. Quia vero nobis non constitit de premissis, gerentes de discretione vestra fiduciam pleniorem, mandamus, quatenus ad locum personaliter accedentes inquiratis super premissis, et aliis negotium contingentibus diligenter et sollicite veritatem, et que inveneritis, curetis nobis fideliter per vestras litteras intimari, ut vestra relatione instructi securius in negotio procedamus. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc. Datum Lugduni viii. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

CXXXI.

Regi Scotiae privilegium de novo confirmatur, ut nullus in eius regno legationis officium possit exercere, nisi a latere pontificis Romani specialiter illuc destinetur: cum eodem de esu ciborum quadragesimalium dispensatur. Reg. An. V. epist. 696 et 704.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio... Regi Scotie Illustri, salutem etc. Fidei puritas, devotionis fervor et constantie firmitas, quibus apud deum inter ceteros Principes orbis amabilis, penes apostolicam sedem acceptus, et homines magne laudis preconio commendabilis redderis, sic te divine maiestatis gratia sedis eiusdem favore ac bone fame prerogativa dignum efficiunt, ut habeas Regem Regum, sicut speramus firmiter, speciali opitulatione propitium, Romanam ecclesiam prompto patrocinio assistricem, et in terris precipue commendationis extollentia nomen grande. Unde nos de tam fideli, devoto et constanti matris ecclesie filio ingenti gaudio exultantes in domino, attentis insistimus supplicationibus apud eum, ut repulso cuiuslibet adversitatis eventu prosperitas tibi semper votiva succedat, nobisque tribuat ex alto virtutem, ut tui honoris augmentum providere iuxta nostri desiderii plenitudinem valeamus. Sane fuit ex parte tua propositum coram nobis, quod frater Iohannes de ordine Minorum, cui subsidium pro Romana ecclesia in partibus Anglie, Scotie et Ibernie commisimus colligendum, fratrem Willelmum de Basinches eiusdem ordinis in Regnum tuum, ut ibi huiusmodi colligeret subsidium, destinavit, tuque dictum fratrem Willelmum, prefate ecclesie necessitatibus affectione compatiens filiali, non solum libenter et ilariter admisisti, verum etiam ad colligendum nominatum subsidium prestitisti eidem consilium, auxilium et favorem. Unde nobis humiliter supplicasti, ut cum clare memorie W. Regi Scotie patri tuo, et dicto Regno fuerit ab apostolica sede indultum, ut nullus in ipso Regno possit legationis officium exercere, nisi de latere Romani pontificis illuc specialiter, et per speciales litteras destinetur, providere super hoc tibi et ipsi Regno paterna diligentia curaremus. Nos celsitudini regie gratiarum actiones multimodas exolventes, ac nolentes, quod ex huiusmodi predicti fratris W. admissione aliquod sentias detrimentum, tuis supplicationibus inclinati, ut per admissionem eandem nullam super indultis tibi et Regno ipso a sede prefata preiudicium generetur, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Lugduni ii. Idus Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio... Regi Scotie Illustri, salutem etc. Cum sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, esus piscium et presertim continuus tibi adeo odiosus et nocivus existat, quod omni fere quadragesimali tempore infirmaris: Nos tuis devotis precibus inclinati, quod ovis, butiro, caseo ac carnibus de confessoris tui et medicorum consilio, cum necessitas propter corporalem infirmitatem exegerit, uti predicto tempore valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum ut supra.

CXXXII.

S. Andreae et Glasguensi episcopis, ut pecuniam e redemptione votorum crucesignatorum etc. in Scotia collectam inter pauperes nobiles Scotos votum crucis exsolventes distribuant. Reg. An. V. epist. 710.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus... Sancti Andree et... Glaswensi Episcopis,

salutem etc. De fraternitate vestra plenam in domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus redemptiones votorum crucesignatorum in subsidium terre sancte, qui propter paupertatem vel alia impedimenta legitima personaliter exequi votum crucis, vel pro se mittere nequeunt idoneos bellatores, nec non legata et obventiones quaslibet pro eodem subsidio in Regno Scotie colligentes, fideliter ac prudenter distribuatis ea inter nobiles crucisignatos Regni predicti in prefatum subsidium personaliter profecturos. Datum Lugduni II. Idus Martii, Pont. nostri anno quinto.

CXXXIII.

Abbati de Dunfermelin, ne praesente episcopo populo benedictionem largiatur, neque clericis alienae iurisdictionis ordines minores conferat. Reg. An. V. epist. 712.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Abbati de Dunfermelino Sancti Andree diocesis, sal. etc. Cum, sicut intelleximus, benedictionem more pontificum, presente interdum aliquo Episcopo, in misse canone iuxta Regni Scotie consuetudinem, et alias etiam super populum largiaris, nec non duos minores ordines clericis, qui tibi non subsunt, conferre presumas pretextu cuiusdam indulgentie, quam tibi asseris ab apostolica sede concessam: Nos attendentes, quod maioribus in talibus est deferendum, mandamus, quatenus, presente ipso Episcopo, benedictionem huiusmodi, eam illo nolente, minime largiaris, nec dictos ordines conferas clericis, qui tue non sunt iurisdictioni subiecti. Datum Lugduni II. Idus Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

CXXXIV.

Cum magistro Abel clerico regis Scotiae de pluralitate beneficiorum dispensatur. Reg. An. V. epist. 517.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Abel, clerico Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotie Illustris, Canonico Glasguensi, sal. etc. Apostolice sedis benignitas consueta favet facile desideriis subiectorum, quia quanto gratie sue dona dispensatione provida liberalius elargitur, tanto ipsius munificentia clarius elucescit et ilarescit sinceritas devotorum. Cum igitur, sicut asseris, ad petitionem Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotie Illustris tecum auctoritate apostolica fuerit dispensatum, ut preter obtenta posses unicum adhuc beneficium seu personatum vel aliam ecclesiasticam dignitatem, etiam si curam haberet animarum annexam, recipere libere, si tibi canonice offerretur, ac una cum obtentis retinere licite, constitutione concilii generalis non obstante, ac postmodum beneficium aliud huiusmodi curam habens fueris obtentu ipsius dispensationis adeptus, et deinde ad ecclesiam de Smalhan tunc vacantem a vero ipsius patrono Venerabili fratre nostro ... Episcopo Sancti Andree, cuius diocesanus existis, canonice presentatus, ac idem Episcopus illam tibi nolenti eam recipere absque sedis predicte licentia speciali duxerit commendandam: Nos ob predicti Regis intuitum et tue merita probitatis te volentes gratia prosequi ampliori, ut eandem ecclesiam, et preter eam ac predicta obtenta adhuc unicum aliud beneficium seu personatum vel dignitatem ecclesiasticam, etiam si huiusmodi curam habeat, possis recipere libere, ac cum predictis obtentis licite retinere, constitutione prefata nequaquam obstante, auctoritate tibi presentium indulgemus. Proviso etc. Nulli ergo etc. Datum Lugduni XIII. Kal. Aprilis, Pont. n. anno quinto.

CXXXV.

Sorori regis Scotiae indulgetur, ut cum sex matronis bis vel ter anno in monasterium monialium de Doberan intrare possit. Reg. An. V. ep. 654.

Innocentius episcopus etc. Dilecte filie Nobili mulieri ... Sorori Carissimi in Christo filii nostri ... Illustris Regis Scotie, salutem etc. Pium arbitramur et congruum, ut in hiis prompti simus ad gratiam, que profectum respiciunt animarum, presertim circa personas nobiles, que pura fide conspicue deo et ecclesie sunt devote. Hinc est, quod nos tue nobilitatis precibus annuentes, ut cum sex matronis honestis monasterium de Doberan Cisterciensis ordinis Zverinensis diocesis, cuius Nobilis vir B. de Rozstoc maritus tuus fundator existit, bis vel ter in anno causa devotionis intrare valeas, eiusdem ordinis statuto contrario non obstante, tibi auctoritate presentium conferimus facultatem. Datum Lugduni XIII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno quinto.

CXXXVI.

Magistro Abel, ut de ecclesiis per religiosos dioecesis S. Andreae detentis, prout sibi videbitur, statuat. Reg. An. V. ep. 864.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Abel Capellano nostro, Canonico Glasguensi, salutem etc. Cum, sicut ex parte Venerabilis fratris nostri ... Epi Sancti Andree fuit propositum coram nobis, nonnulli religiosi sue diocesis quamplures ecclesias inibi existentes de facto suis usibus detineant applicatas, in ecclesiarum ipsarum preiudicium et salutis proprie detrimentum: Nos volentes ecclesiarum ipsarum indempnitati et saluti consulere animarum, mandamus, quatenus de ecclesiis ipsis statuas, dummodo super illis dicti religiosi per concessionem apostolicam non sint tuti, prout tibi videbitur expedire. Contradictores etc. Datum Lugduni III. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno quinto.

CXXXVII.

Priori et conventui S. Andreae in Scotia una cum ipsorum possessionibus et privilegiis sub protectione sedis apostolicae suscipiuntur. Reg. An. V. epist. [illegible].

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori ecclesie sancti Andree Apostoli eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem etc. Religiosis desideriis dignum est facilem prebere consensum, ut fidelis devotio effectum celeriter sortiatur, ut tanto liberius sacre religionis observantie et aliis bonis operibus insistat, quanto ab apostolica sede se senserint in in pio proposito benignius confoveri. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam beati Andree apostoli,

in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Lucii, Eugenii, Adriani, Alexandri, Lucii, Gregorii et Honorii tertii, predecessorum nostrorum, Romanorum pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus etc. usque communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum deum et beati Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur etc. usque observetur. Preterea quascumque possessiones etc. usque permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, Abbatiam de insula Lechlenensi cum ecclesiis vestris et omnibus pertinentiis suis, Hospitale sancti Andree in susceptionem hospitum pauperum peregrinorum cum terris, possessionibus et omnibus redditibus et pertinentiis suis, Quecumque etiam ecclesie vestre pie memorie Reges Scotorum, David scilicet et Malcolmus pia devotione contulerunt et scriptis autenticis confirmarunt, ecclesiam de Linlicru cum terris et domibus infra burgum et extra cum capella et decimis et scola eiusdem loci, et omnibus .... nibus eidem ecclesie pertinentibus, ecclesiam de Forgrunt cum tota terra ecclesie adiacente, ecclesiam de Hadinthono cum villa, que dicitur Clerkimonti, cum capellis et omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Cupre cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Marbening cum omnibus appendiciis suis, ecclesiam de Sconia cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam parrochialem civitatis S. Andree, sancte Trinitatis videlicet, cum capellis, terris et omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Oglesbirke cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Lokse cum omnibus pertinentiis earum, ecclesiam de Inchentort cum capellis et omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Foules cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Tarrialunt cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Miganeth, ecclesiam de Macrosin cum terris et omnibus earum pertinentiis, ecclesiam de Mighil cum cappela ad eam pertinente, et villa ecclesiastica et omnibus redditibus et pertinentiis suis, ecclesiam de Taneses cum omnibus pertinentiis suis, processionem pentecostalem de Laudonia et Scota, sicut Riccardus quondam Episcopus vester vobis concessit, totam oblationem altaris, cui deservitis, integram illibatamque, et sine omni pertinentium distributione quietam et liberam ab R. Episcopo vestro vobis rationabiliter concessam, terram inter urbem et ecclesiam, sicut fluvius Bemes cadit in mare, grangiam de Balloden cum omnibus terris ad ipsam pertinentibus ex donatione bone memorie R. quondam Episcopi vestri, grangiam de Dumkare cum terris et omnibus pertinentiis suis, grangiam de Anachim cum omnibus pertinentiis suis, molendina totius parrochie civitatis Sancti Andree, ecclesiam de Beimador ex dono S. Moraviensis Episcopi, ecclesiam de Rossin cum terris et molendinis et omnibus pertinentiis suis, ex dono H. Griffart viginti annuos solidos, ex dono Alani filii Gualterii unam rostam in Rutherglen et Durisotam, carrucatam terre apud Dundovenald, ex dono Gualterii filii Alani decem solidos annuos, ex dono Henrici Luvel duas bovatas terre in territorio de Hawic, ex dono Merleshani terram, que dicitur Bernivic iuxta Kennakin, et omnem terram, quam habetis in burgis, scilicet Berewic, Rohesburch et de Edemburck, Struielm, Perch, ex donatione Regum et aliorum fidelium, Curiam vestram cum libertatibus, immunitatibus et quietitudinibus placitorum et querelarum a Regibus et Episcopis constitutis atque concessis, sicut liberius et honorificentius aliqua ecclesia habet, vel helemosina in toto Regno Scotorum, et libertatem, quam clare memorie Rex David vobis dedit, videlicet ne aliquis Nantum capiat super vos, vel super terram vestram pro alicuius foriffacto vel debito, nisi pro vestro proprio, sicut hactenus observatum est, ratam habemus et futuris temporibus illibatam permanere censemus. Sancimus preterea, ut electionem Prioris, nec non et Episcopi vestri iuxta sanctiones canonicas habeatis, et in ipsa electione antistitis secundum ecclesie consuetudinem Prior habeat primam vocem, adicientes, quod substituto Priori quod sicut a bone memorie Roberto quondam Epo vestro statutum est, professionem et obedientiam debitam faciatis: nec liceat Priori vestro aliquem assumere in canonicum, nisi quem Conventus vel pars sanior aut maior assumpserit. Statuimus etiam etc. usque debeat respondere. Libertates etiam et immunitates a bone memorie Episcopo fundatore ecclesie vestre, et a successoribus eius, scilicet Hernaldo et Riccardo, vobis et ecclesie vestre iuste concessas et hactenus observatas, ratas habemus et perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare etc. usque profutura, salva sedis apostolice auctoritate, et in predictis ecclesiis dictorum episcoporum canonica iustitia, et in decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum etc. usque subiaceat ultioni. Cunctis autem etc. Ego Innocentius catholice ecclesie Epus subscripsi. Ego Petrus Albanensis Episcopus ss. Ego Petrus tituli sancti Marcelli presbiter Cardinalis ss. Ego Willelmus basilice duodecim apostolorum presbiter Cardinalis ss. Ego frater Iohannes tit. s. Laurentii in Lucina presbiter Cardinalis ss. Ego frater Hugo tituli sancte Sabine presbiter Cardinalis ss. Ego Iohannes sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus Cardinalis ss. Datum Lugduni per manum Magistri Marini sancte Rom. eccl. Vicecancellarii XIII. Kalendas Iulii, Indictione VI. Incarnationis dominice anno M.CC.XLVIII. Pont. vero domini Innocentii PP. IIII. anno quinto.

CXXXVIII.

Archiepo Tuamensi, ut cessionem episcopi Achadensis recipiat. Reg. An. VI. epist. 214.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Tuamensi, salutem etc. In venerabili fratre nostro Episcopo Achadensi, suffraganeo tuo, deducto ad senium robur nature ita deficere dicitur, ut impotens ad executionem Pontificalis officii ni-

mium habeatur. Ne autem Achadensis ecclesia sub umbra ipsius patiatur, nos dicti Epi supplicationibus annuentes mandamus, quatenus, si tibi de impotentia premissa constiterit, cessionem ipsius vice nostra recipias, ac sibi de bonis Episcopalibus congruam portionem assignes. Ceterum iniungas Capitulo Achadensi, ut sibi per electionem canonicam de idonea persona provideant, que tanto congruat oneri vel honori. Contradictores etc. Datum Lugduni II. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.

CXXXIX.

Iudicibus, ut viduatae ecclesiae Ergadensi de idoneo pastore provideant. Reg. An. VI. epist. 276.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Glasguensi et ... Dumblanensi Epis, sal. etc. Nimis diutinum, sicut accepimus, Ergadensis ecclesia luctum viduitatis exegit, que per septennium et amplius permansit pontificis solatio destituta, quod tanto indignius est ferendum, quanto perniciosum est rudes regionis illius populos, qui eos in Deo erudiat, non habere. Ne ergo pro defectu pastoris eadem ecclesia grave in spiritualibus et temporalibus dispendium patiatur, mandamus, quatenus, cassatis electionibus, si quas inveneritis in predicta ecclesia contra formam canonicam temere attemptatas, nisi postmodum eiusdem ecclesie Canonici curaverint infra competentem terminum, eisdem prefigendum a vobis, sibi de persona ydonea in Episcopum providere per electionem canonicam et concordem, vos ex tunc, appellatione remota, preficiatis auctoritate nostra ipsi ecclesie viduate personam, que tanto congruat honori et oneri, ac impendatis vel faciatis impendi vice nostra munus consecrationis eidem, facientes sibi a subditis suis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, ac recipientes ab eo postmodum nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum per eius patentes litteras sub sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinetis. Datum Lugduni x. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno sexto.

CXL.

Iudicibus, ut sedem Ergadensem in locum commodiorem transferre possint. Reg. An. VI. ep. 271.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Glasguensi et ... Dumblanensi Episcopis, salutem etc. Nostris nuper est auribus intimatum, quod sedes Episcopalis Ergadensis ecclesie, in quadam insula maris posita, propter multa discrimina et crebro intumescentes fluctus ipsius maris adeo redditur inaccessibilis, et locus ipse incolis etiam tediosus, quod nec tutum est habitatoribus inibi residere, nec aliquibus securum illuc accedere sine periculo personarum. Quare pro ipsa ecclesia nobis extitit cum instantia supplicatum, ut transferri eandem sedem ad locum alium magis idoneum mandaremus, maxime cum carissimus in Christo filius noster ... Scotie Rex illustris in dotem eiusdem ecclesie ad locum magis commodum transferende aperire velle dicitur munificentie sue manum. De vestra igitur circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes mandamus, quatenus consideratis circumstantiis universis, que circa translationem huiusmodi fuerint attendende, super hoc auctoritate nostra libere statuatis, quod secundum datam vobis a Deo prudentiam videritis expedire. Contradictores etc. Datum Lugduni quarto Nonas Ianuarii, Pont. nostri anno sexto.

CXLI.

Iudicibus, ut iniuriatores episcopi Ossoriensis ad observandam obligationem initam censuris compellant. Reg. An. VIII. epist. 44.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ..... sancte Trinitatis et ... omnium Sanctorum Dublinen. Prioribus, salutem etc. Venerabilis frater noster ... Ossoriensis Episcopus nobis exposuit, quod cum Stephanus de Foresta, Ioseph et Thomas filii eius clerici, ac Galfridus eiusdem loci miles, et quidam alii Fernensis et Clonensis diocesum ipsi Episcopo, iuramento et fide interpositis, se per suas patentes litteras obligarint, quod super quibusdam iniuriis, quas eidem Episcopo temere irrogarant, loco et termino constitutis exhiberent sibi iustitie complementum, ipsi, iuramenti et fidei religione ac obligatione huiusmodi omnino contemptis, non solum dicto Episcopo iustitiam exhibere non curant, verum etiam contra eum iniurias iniuriis coacervant in lesionem ipsius Episcopi non modicam et iacturam. Quocirca mandamus, quatenus, si est ita, Stephanum, Ioseph et Thomam ac alios supradictos, quod obligationem predictam super hiis, ut tenentur, observent, monitione previa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Datum Lugduni v. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno octavo.

CXLII.

Iudicibus, ut Richardo Giffard consanguineo regis Scotiae, aliisque quibusdam pauperibus Scotiae nobilibus in terram sanctam transfretare volentibus aliquod subsidium ex collecta pro terra sancta in Scotia facta assignent. Reg. An. VIII. epist. 66.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Sancti Andree et ... Dunkeldensi Episcopis, et dilecto filio ... Abbati de Dunfermelin, capellano nostro, Sancti Andree diocesis, salutem etc. Cum nobilis vir Riccardus dictus Giffard, consanguineus Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotie Illustris, proficiscitur in terre sancte succursum utiliter et potenter: Nos obtentu eiusdem Regis, qui nobis super provisione sibi facienda de vigesima ecclesiasticorum proventuum Regni Scotie cum instantia postulavit, volentes eidem alias, cum de vigesima ipsa non supersit, aliquid auxilium impendere oportunum, mandamus, quatenus redemptiones votorum crucesignatorum et legata seu relicta, et alio quovis modo concessa in Regno Scotie terre prefate subsidio per vos et alios fideliter colligentes, nuntiis eiusdem nobilis, cum quinque milites in expensis propriis ducat secum in subsidium terre sancte, faciatis de ipsis

quadringentas marcas sterlingorum infra proximum festum nativitatis dominice sine difficultatis dispendio assignari. Contradictores etc. Et ut id melius exequi valeatis, absolvendi crucesignatos eiusdem Regni, qui paupertate vel alio legitimo impedimento detenti, volunt redimere vota sua, etiam concedendi eis indulgentiam iuxta qualitatem subsidii et devotionis affectum, que conceditur crucesignatis transfretantibus in subsidium terre sancte, plenam vobis et illis, quibus idem negotium commiseritis, concedimus auctoritate presentium facultatem. Non obstante etc. Volumus etiam et mandamus, ut nobilibus viris Thome Paganello, Alano de Lasceles et Ade Penkethan, consobrinis eiusdem nobilis, qui in expensis propriis in subsidium transeunt memoratum, provideatis de predictis redemptionibus et legatis iuxta eorum nobilitatem et merita, prout videritis expedire, ea predictis nuntiis ipsorum nomine infra eundem terminum assignantes. Quod si non omnes etc. Datum Lugduni III. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno octavo.

CXLIII.

Archiepiscopo Tuamensi, ut postulatum Enachdunensem confirmare possit. Reg. An. VIII. epist. 224.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Tuamensi, salutem et ap. ben. Enachdunensi ecclesia pastoris solatio destituta, Capitulum ipsius, vocatis omnibus, qui volebant, debebant et poterant commode interesse, die ad eligendum prefixa, convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, premisso iuxta formam concilii generalis scrutinio, in dilectum filium Concordem Canonicum eiusdem ecclesie, virum utique litteratum, providum et honestum, postulandum a nobis in eorum Episcopum unanimiter convenerunt, supplicantes a nobis humiliter per nuntios suos speciales, ut postulationem huiusmodi, non obstante defectu ordinum, quem idem Canonicus patitur, admittere de benignitate sedis apostolice curaremus. Nos igitur volentes eidem ecclesie salubriter providere, ne ex longa vacatione gravia in spiritualibus et temporalibus sustineat detrimenta, mandamus, quatenus, predicto defectu nequaquam obstante, postulationem huiusmodi recipias vice nostra, si aliud sibi non obviet de canonicis institutis, faciens ei ab eiusdem ecclesie subditis debitam obedientiam et reverentiam exhiberi. Contradictores etc. Datum Lugduni II. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno octavo.

CXLIV.

Iudicibus, ut si archiepiscopus Tuamensis postulatum Enachdunensem infra duos menses non confirmaverit, litteras apostolicas de hoc negotio exequantur. Reg. An. VIII. epist. 365.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Cassellensi, ... Corkagensi et ... Finnabarensi Episcopis, salut. etc. Enachdunensi ecclesia pastoris solatio destituta etc. usque curaremus. Cum autem venerabili fratri nostro ... Tuamensi Archiepiscopo nostris dederimus litteris in mandatis, ut prefato defectu nequaquam obstante postulationem eandem recipiat vice nostra, si aliud sibi non obviat de canonicis institutis, faciens ei ab eiusdem ecclesie subditis obedientiam et reverentiam sibi debitam exhiberi, Contradictores etc. mandamus, quatenus, si dictus Archiepiscopus infra duos menses post receptionem litterarum ipsarum mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos illud ex tunc super hoc exequi procuretis iuxta traditam sibi formam. Contradictores etc. Quod si non omnes etc. Datum Lugduni VII. Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno octavo.

CXLV.

Praebenda Keledeorum (alias Culdeorum) S. Andreae in Scotia capitulo eiusdem ecclesiae adiudicatur. Reg. An. VIII. epist. 515.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ..... Priori et Capitulo Sancti Andree in Scotia ordinis sancti Augustini, salutem etc. Solet annuere sedes apostolica piis votis etc. usque impertiri. Vestra sane nobis petitio exhibita continebat, quod nos ad instar felicis recordationis Lucii, Eugenii, Adriani, Alexandri, Lucii, Gregorii, Innocentii et Honorii predecessorum nostrorum Romanorum pontificum duximus statuendum, ut ecclesie vestre, obeuntibus Keledeis, ibidem loco ipsorum instituerentur Canonici regulares, ipsorumque Keledeorum prebende ac predia in usus converterentur ecclesie predicte. Cum autem prebenda, que fuit Gilberti Keledei, in ecclesia ipsa vacante, et prefati Keledei contra statutum huiusmodi temere venientes et prebendam detinentes eandem, in ipsa non permitterent aliquem regularem Canonicum subrogari, dilectos filios ... de Kyrcham et ... de sancto Oswaldo Priores, quos executores statuti constituimus supradicti, in eosdem Keledeos excommunicationis sententiam auctoritate apostolica promulgarunt, et ... Abbas de Dunfermelino, capellanus noster, et ... Thesaurarius Dunkeldensis iuxta mandati nostri ad eos directi tenorem sententiam confirmarunt eandem, et exigente ipsorum Keledeorum contumacia, eos per ecclesias civitatis et diocesis Sancti Andree fecerunt excommunicatos publice nuntiari. Dilectis igitur filiis fratre Riccardo dicto de Noffertuno, ecclesie predicte Canonico et procuratore Prioris et Capituli predictorum pro eis, et Magistro Riccardo Verment Keledeo civitatis eiusdem pro se super hiis in nostra presentia constitutis, dilectum filium nostrum I. tituli sancti Laurentii in Lucina presbiterum Cardinalem concessimus auditorem: coram quo dictus Magister proposuit, ex eo dicta sententia non teneri, cum nil contra statutum huiusmodi fecerit et mandatum, sed ei tanquam obedientie filius, quantum potuit et debuit, fuerit obsecutus, prout acta inde confecta testantur, et predictus procurator fuit in iudicio coram Cardinali prefato confessus. Demum dictus Magister tanquam vir pacem desiderans, et volens eximi ab huiusmodi questione, ut proposita certis demonstraret indiciis esse vera, ex quadam liberalitate gratuita prebendam, quam in dicta obtinebat ecclesia, in eiusdem Cardinalis manibus resignavit, licet ad id minime teneretur: cuius Cardinalis libera resignatione recepta, auctoritate nostra ipsam

dictis Priori et Capitulo contulit, et in eos transtulit omne ius, quod in ipsa dicti Kaledei noscebantur habere, procuratorem prefatum per anulum de ipsa prebenda investiens nomine Prioris et Capituli predictorum, dictumque Magistrum ex habundanti decrevit sententialiter huiusmodi sententia non teneri, et ipsum ab eadem absolvit, dispensans auctoritate predicta nichilominus cum eodem super irregularitate, si qua pro eo, quod se divinis immiscuit, forsan incurrit, prout in litteris confectis exinde plenius continetur. Vestris igitur postulationibus annuentes, quod super premissis factum est per eundem Cardinalem, ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum Cardinalis predicti presentibus inseri iussimus, qui talis est. ¶ Universis presentem paginam inspecturis, frater I. miseratione divina tituli s. Laurentii in Lucina presbiter Cardinalis, salutem in domino. Accepta deo et hominibus fratrum concordia, et dulce ac desiderabile bonum pacis, et si ex sui dulcedine appetenda sint desiderabiliter et sectanda, ex dignitatis tamen et beatitudinis preeminentia, quia ex hiis viri pacifici sortientes dei filii vocari merentur, totis fuerit affectibus amplexanda, cum nulla sit precelsior dignitas vel beatitudo sublimior, quam hominem ex lutea plasmatum materia dei filium nuncupari. Sane cum exorta dudum inter religiosos viros .... Priorem et Capitulum cathedralis ecclesie Sancti Andree in Scotia ordinis sancti Augustini ex parte una, et eiusdem civitatis Keledeos ex altera materia questionis, iidem Prior et Capitulum a domino papa obtinuissent dari ... de Kircham et ... de sancto Oswaldo Prioribus Eboracensis diocesis in mandatis, ut cum felicis recordationis Lucius, Eugenius, Adrianus, Alexander, Lucius, Gregorius, Innocentius et Honorius Romani pontifices, et ipse ad instar eorum duxerint statuendum, quod obeuntibus Keledeis, loco ipsorum in eadem ecclesia regulares Canonici subrogentur, eorum prebendis et prediis in usum ipsius ecclesie convertendis, eisdem Keledeis cedentibus vel decedentibus, non permitterent loco eorum alios nisi regulares dumtaxat Canonicos iuxta tenorem ipsius privilegii subrogari. Contradictores etc. usque compescendo. Iidem, vacante prebenda, que fuit quondam Gilberti Keledei, in eosdem Keledeos pro eo, quod ipsi in dicta prebenda non permittentes aliquem regularem Canonicum secundum tenorem eiusdem privilegii subrogari, prebendam eandem cum ipsius fructibus detinebant, canonica monitione premissa excoñunicationis sententiam, exigente iustitia, promulgarunt. Cumque idem dominus papa pro eo, quod dicti Keledei sententiam contempnentes eandem, divina officia nichilominus celebrabant, discretis viris Abbati de Dunfermelino, ipsius domini pape capellano, et ..... Thesaurario Dunkeldensi per suas litteras iniunxisset, ut sententiam ipsam, sicut rationabiliter lata erat, facerent usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, et eam per universas ecclesias Sancti Andree civitatis et diocesis publicarent, et facerent per alios publicari: dicti Abbas et Thesaurarius prefatos Keledeos per ecclesias earumdem civitatis et diocesis Sancti Andree pro eo, quod ipsi Keledei de premissis satisfacere contumaciter denegarunt, fecerunt excoñunicatos publice nuntiari. Verum Magister Riccardus Verment dicte civitatis Keledeus, in nostra presentia constitutus, proposuit, se dicta excommunicationis sententia non teneri, licet enim in sententia ipsa cum aliis Keledeis fuerit nominatus, quia tamen, sicut acta super hoc confecta testantur, et dilectus in Christo frater Ricardus dictus de Noffertuno, ecclesie predicte Sancti Andree Canonicus, et Prioris et Capituli eiusdem in Romana curia procurator, confessus fuit in iudicio coram nobis auditore, ordinatore, compositore ac provisore ipsis a domino papa dato, ante et post excommunicationis ipsius sententiam fuit publice protestatus, se nolle mandato apostolico in hac parte aliquatenus contraire, sibique placere, ut Prior et Canonici prefate ecclesie prebendam obtineant antedictam, et tam in sua quam in aliorum Keledeorum prebendis, cum vacaverint, iuxta mandatum apostolicum subrogentur, contumax non extitit nec rebellis, sed tanquam obediens filius, quantum debuit et potuit, in hoc fuit mandatum apostolicum obsecutus: quare per nos pronuntiari petebat, se antedicta excommunicationis sententia non ligatum. Idem etiam tanquam vir pacificus et quietus, volens se a questione huiusmodi totaliter expedire, ac dictis Priori et Capitulo, a quibus se multa bona recepisse recensuit, per omnia complacere, quadam liberali gratitudine id etiam, ad quod non tenebatur, adiecit, prebendam etiam, quam in dicta ecclesia obtinebat, in nostris manibus libere resignavit. Nos igitur ipsius resignatione recepta, auctoritate domini pape nobis super hoc tradita et concessa, de speciali mandato ipsius, supradictis Priori et Capitulo, secundum tenorem privilegii eis ab apostolica sede concessi, prebendam ipsam cum omnibus prediis, pertinentiis et iuribus suis in perpetuos usus conferimus, et omne ius, quod in ipsa memorati Keledei habebant, transferimus in eosdem, prenominatum fratrem Riccardum concanonicum et procuratorem eorum investientes ipsorum nomine per nostrum anulum de eadem. Insuper autem eadem auctoritate decernimus et sententialiter diffinimus, prefatum Magistrum Riccardum dicta excommunicationis sententia prolata in memoratos Keledeos a dictis iudicibus non teneri, cum idem, sicut in actis dictorum iudicum perspeximus contineri, et nominatus procurator coram nobis fuerit confessus in iure, ante et post sententiam ipsam protestationem fecerit antedictam, nec post protestationem eandem in aliquo rebellis extiterit se mandatis apostolicis et predictorum iudicum opponendo, ex habundanti tamen ipsum ab eadem excommunicationis sententia, quatenus de facto processit, absolvimus, secum super irregularitate, si quam pro eo, quod se divinis immiscuit, incurrisse credatur, auctoritate nobis tradita dispensantes. Lata fuit hec sententia Ianue mense Maii die lune ante pentecostem, anno domini MCCLI. Indictione VIIII. Presentibus Helya Canonico Bre-

chinensi, Magistro Andrea de Montibus Presbitero, Magistro Gottifredo Archipresbitero Setii et Theobaldo clericis nostris, et Octone de Alatro et Colino servientibus nostris. In cuius rei testimonium et certitudinem plenam in posterum perhabendam presentem sententiam, cum nostri sigilli appensione munitam, per Leonardum Tabellionem redigi fecimus in publica documenta. Ego Leonardus Imperiali auctoritate notarius prolationi dicte sententie et investiture interfui, et ipsam de mandato et auctoritate dicti domini Cardinalis scripsi et publicavi. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Ianue vii. Id. Iunii, Pontificatus nostri anno nono.

Datus est eis super hoc conservator... Decanus ecclesie Dunkeldensis.

CXLVI.

Archiepiscopo Tuamensi, ut cessionem episcopi Artfertensis recipiat. Reg. An. IX. epist. 16.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Tuamensi, salutem etc. Prudenter attendens venerabilis frater noster... Episcopus Ardfertensis, quod senio et debilitate confectus pastorale nequeat officium, ut expedit, adimplere, ac timens, ne sub eius umbra commissa sibi ecclesia in spiritualibus et temporalibus sustineat detrimentum, nobis per suas litteras humiliter supplicavit, ut cum oneri pontificalis officii cedere sit paratus, cessionem eius recipere curaremus. De tua igitur circumspectione plenam in dño fiduciam obtinentes mandamus, quatenus consideratis circumstantiis universis, si ecclesie Ardferdensi videris expedire, cessionem eius recipiens vice nostra, prefato Episcopo de bonis episcopalibus pro sustentatione sua provisionem honestam et congruam studeas assignare, ac facias eum illius pacifica possessione gaudere. Contradictores etc. Datum Mediolani Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno nono.

CXLVII.

Archiepiscopo Armachano, ut cessionem episcopi Rathbotensis recipiat. Reg. An. IX. epist. 138.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Significavit nobis venerabilis frater noster ... Ep̄us Rathbotensis, quod non solum impotens et debilis pre senectute nimia est effectus, sed oculorum lumine destitutus, ita ut ad pastoralis executionem officii penitus insufficiens habeatur. Cum autem ipse propter hoc nobis duxerit humiliter supplicandum, ut cessionem eius recipere dignaremur: Nos de tua circumspectione confisi presentium tibi auctoritate committimus, quatenus, si est ita, cessionem ipsius Ep̄i vice nostra recipias, et sibi de bonis Episcopalibus iuxta sufficientiam facultatum ecclesie Rathbotensis congruam pensionem assignes, vel facias assignari. Contradictores etc. Preterea iniungas Capitulo ipsius ecclesie, ut ei de persona idonea, que tanto congruat oneri et honori, infra terminum in generali concilio definitum provideant per electionem canonicam in pastorem. Datum Perusii Nonis Martii, Pont. n. anno nono.

CXLVIII.

P. electus Waterfordensis confirmatur. Reg. An. IX. epist. 158.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... P. Electo Waterfordensi, salutem etc. Waterfordensi ecclesia pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, presentibus omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad electionem prefixa convenientes in unum, in tres ex se potestatem providendi ecclesie de pastore per electionem vel postulationem canonicam vice omnium, ut accepimus, contulerunt: qui in te, ipsorum Decanum, oculos dirigentes, in Waterfordensis ecclesie Episcopum et pastorem te canonice et concorditer postularunt, ac postulationem huiusmodi nobis per dilectum filium Willelmum concanonicum suum, procuratorem ad hoc specialiter deputatum, nec non et litteras suas formam continentes habiti in hac parte processus nobis presentare curarunt, humiliter et cum instantia supplicantes, ut postulationem ipsam admittere, ac te, per quem sperant, sicut asserunt, ipsorum ecclesiam salubriter gubernari, et cum quo super defectu natalium, quem pateris de presbitero genitus et soluta, olim fuerat hoc tenore, ut dicitur, per eum, qui de speciali auctoritate sedis apostolice potuit, dispensatum, ut si forsan eligereris ad pontificii dignitatem, illam nequaquam reciperes sine sedis eiusdem licentia speciali, eidem ecclesie in Ep̄um et pastorem concedere curaremus. Venerabili fratre nostro .. Casellensi Archiepiscopo loci metropolitano postulationi huiusmodi, quod concors esset et unanimis, testimonium per litteras suas perhibente, et Carissimi in Christo filii nostri .. Regis Angelorum Illustris, qui te nobis litteratorie commendavit, voto favente: Nos igitur, hiis per dilectum filium nostrum I. tituli sancti Laurentii in Lucina presbiterum Cardinalem, qui ea de mandato nostro perspexit et fideliter nobis retulit, plenius intellectis, postulationem eandem de persona tua, moribus et scientia commendabili, celebratam apostolice approbationis favore benivolo de multa dispensationis gratia prosequentes, prefatis Capitulo, quorum circa te propositum volumus firmiter perdurare, admittendi te, premisso non obstante defectu, in suum ac ecclesie Waterfordensis Ep̄um et pastorem, tibique recipiendi eiusdem presulatum, eumque retinendi licentiam absque alieni iuris preiudicio indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Perusii vii. Kalendas Aprilis, P. n. anno nono.

In e. m. Capitulo Waterfordensi, verbis competenter mutatis, usque absque alieni iuris preiudicio duximus indulgendum. Quocirca mandamus, quatenus iuxta tenorem concessionis nostre tamquam patrem et pasorem animarum vestrarum recipientes eundem, debitam sibi obedientiam et reverentiam impendatis: alioquin sententiam, quam idem rite etc. usque observari. Datum ut supra.

In e. m. ... Archiepiscopo Casellensi, verbis competenter mutatis, usque mandamus, quatenus eidem Electo ad titulum prefate ecclesie, prout ad te pertinet, munus consecrationis impendas, si aliud rationabile non obsistat. Datum ut supra.

CXLIX.

Epo et capitulo Fernensi, ut Richardo clerico suo litterato canonicatum conferant. Reg. An. IX. epist. 830.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo, et dilectis filiis... Capitulo Fernensi in Hybernia, salutem etc. Cupientes provideri etc. usque vendicare. Cum igitur dilectus filius Magister Richardus dictus Cancellarius, clericus de vestra diocesi oriundus, longo iam tempore Parisiis disciplinis insudarit scolasticis, et per dei gratiam profecerit in eisdem, nec adhuc, ut asserit, aliquod beneficium ecclesiasticum sit adeptus: universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica scripta firmiter precipiendo mandantes, quatenus recipientes ipsum pro apostolice sedis et nostra reverentia in Canonicum et in fratrem, et prebendam, si qua etc. usque conferatis, Non obstante statuto de certo Canonicorum numero etc. et constitutione de duabus dietis etc. Alioquin nolentes, ut ad vos verbum nostrum vacuum revertatur, Venerabili fratri nostro... Archiepo et dilecto filio... Cantori Cassellensibus nostris damus litteris in mandatis, ut ipsi super hiis mandatum apostolicum exequantur. Contradictores etc. Datum Perusii ii. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno nono.

CL.

Archiepiscopo Casellensi, ut iniquas ab Anglis in Hibernia consuetudines in Hibernorum damnum introductas omnino aboleat. Reg. An. X. ep. 440.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepo Cassellensi, salut. etc. Dudum ad nostram audientiam est perlatum, quod in provincia Cassellensi detestande consuetudinis vitium inolevit, quod videlicet, si Anglicus aliquis de suo ibidem amittat, iurat illud ab aliquo Yberniensi furtim sibi esse surreptum, sex Anglicis iuramento firmantibus, quod iuramentum huiusmodi verum credunt, formam ad purgande fame subsidium institutam ad probationis compendium porrigendo, Ybernienses vero, licet sint innocentes et bone opinionis et vite, suamque super obiecto crimine innocentiam per xxx. testes vel plures purgare parati, ad restitutionem coguntur nichilominus tamquam fures. Si autem Ybernienses aliquid amittant, licet pro certo sciant, quod Anglicus surripuerit illud eis, idque suis velint astruere iuramentis, Anglici eorum iuramenta recipere contradicunt. Et sic in utroque casu conculcata iustitia ecclesiis vestris, et earum hominibus gravius sepe preiudicium generatur. Cum igitur pondus et pondus, misura et misura utrumque sit abhominabile apud deum, nos vestris precibus inclinati huiusmodi consuetudinem perpetua prohibitione dampnantes, presentium auctoritate statuimus, ut ea non obstante, cum censenda sit bonorum morum perniciosa corruptio, pusilli et magni, Anglici et Ybernici, equo iudicio absque iuris iniuria iudicentur, et tam divitum, quam pauperum cause sine acceptione personarum equo libramine dirimantur. Nulli ergo etc. nostre constitutionis etc. Datum Perusii xiii. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno decimo.

CLI.

Archiepiscopo Armachano, ut cessionem epi Ardachadensis vice pontificis recipiat. Reg. An. X. ep. 175.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Attendens venerabilis frater noster... Episcopus Ardachadensis, quod plebs subiecta sibi adeo dure cervicis existit, quod propter eius malitiam nequit proficere apud eam, sed potius cogitur ab ipsius regimine declinare, nobis per suas litteras humiliter supplicavit, ut cum regimini Ardachadensi ecclesie cedere sit paratus, cessionem eius recipere curaremus. De tua igitur circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes mandamus, quatenus consideratis circumstantiis universis, si eidem ecclesie videris expedire, cessionem ipsius recipiens vice nostra, ipsi Episcopo de bonis Episcopalibus assignes pro sustentatione sua pensionem congruam et honestam iuxta ipsius ecclesie facultates, et facias eum pacifica ipsius provisionis possessione gaudere. Contradictores etc. Datum Perusii Idus Octobris, Pontificatus nostri anno decimo.

Eidem Archiepo scriptum fuit super eodem argumento. Datum Assisii x. Kal. Iunii, anno decimo.

CLII.

Praelatis et religiosis per Angliam, Hiberniam etc. constitutis, ut pro rege et suis in subsidium terrae sanctae transfretantibus orationes ad Deum effundant. Reg. An. X. epist. 178.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis Abbatibus, Prioribus et Conventibus sancti Benedicti, Cisterciensis, sancti Augustini et aliorum quorumlibet ordinum, ac religiosis aliis universis constitutis per Regnum Anglie, Hyberniam, Wasconiam et alias terras ditioni Carissimi in Christo filii nostri Henrici illustris Regis Anglie subiectas, sal. etc. Tactus dolore cordis intrinsecus Carissimus in Christo filius noster H(enricus) Illustris Rex Anglie, ac intime confusionis robore perfusus, quod Civitas Regis magni, terra nativitatis eius, videlicet domina gentium, nunc imperio domini subdita Babilonis, tributa sibi servitutis ignominiose persolvit, quodque nostra hereditas Christi precioso sanguine dedicata, nunc gentis immunde spurcitiis graviter infecta sordescit, ac propter hoc velut princeps catholicus zelo fidei et devotionis vehementer accensus, regales humeros devote supposuit ad baiulandum honorabile signum crucis, et sicut fidus athleta fidei, regni et terrarum suarum abdicatis pro deo deliciis, cum honorabili commilitonum exercitu vexillo crucis explicito, intendit operante domino ad redemptionem procedere dicte terre. Cum itaque ad felicem consumationem tam ardui sui consideratione negocii et assumpti hactenus a multis mundi principibus cognoscat idem Rex humanam potentiam, nisi divino fulciatur auxilio, non posse sufficere, quia non in multitudine exercitus est belli victoria, sed fortitudo de celo, ac per hoc vestrarum (sic) aliorumque fidelium orationibus, et aliis ecclesiasticis suffragiis indigeat adiuvari: Universitatem vestram rogamus et hortamur, ac per apostolica

vobis scripta in virtute obedientie districte percipiendo mandamus, quatenus pro ipso Rege ac societate sua ex nunc, et postquam ad terram ipsam transierint, thus orationum vestrarum in corde contrito et humili pure domino adolentes, ac offerentes vestrorum vitulos labiorum instetis suppliciter apud ipsum processionibus et letaniis, precipue diebus dominicis et festivis, quod de habundantia pietatis sue merita suppliciter excedit, et vota eiusdem Regis et comitive sue gressus feliciter dirigat, et ipsum in proposito bono corroboret et conservet, ac terram, quam ipse Christus proprio sanguine consecravit, predicti Regis studio mediante de manibus inimicorum Crucis eripiens restituat cultui Christiano, votum eiusdem Regis et sequentium eum ad eius liberationem instantium in viam salutis eterne misericorditer dirigendo. Datum Perusii xiii. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Archiepiscopis et Epis per Angliam, Hiberniam etc. constitutis.

CLIII.

Archiepiscopo Armachano, ut postulatum Clonensem confirmet. Reg. An. X. epist. 267.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepo Armachano, salut. etc. Petitio dilectorum filiorum ... Decani et Capituli Clonensis ecclesie nobis exhibita continebat, quod ecclesia ipsa pastoris solatio destituta, ipsi convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium fratrem Thomam presbiterum, custodem fratrum Minorum de Ponte Armachane diocesis, virum utique, prout asserunt, providum et honestum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in eorum Epum concorditer postularunt. Quia vero idem Thomas defectum natalium patitur de presbitero genitus et soluta, nos humiliter supplicarunt, ut dispensare cum eo super defectu huiusmodi, ac admittere postulationem ipsam de benignitate sedis apostolice curaremus. Nos itaque de circumspectione tua, cum loci Metropolitanus existas, gerentes in domino fiduciam pleniorem, mandamus, quatenus cum eodem Thoma, si existit sufficientis litterature ac vite laudabilis, et in suo est ordine laudabiliter conversatus, auctoritate nostra dispenses, ut predicto non obstante defectu possit in susceptis ordinibus ministrare, ac inquisita de modo postulationis, postulantium studiis et postulati meritis diligentius veritate, ipsam admittas, si alias eam inveneris de persona idonea canonice celebratam, faciens postmodum eidem postulato a suis subditis obedientiam et reverentiam sibi debitam exhiberi. Alioquin eadem postulatione rite repulsa, facias etc. usque provideri. Contradictores etc. Datum Perusii vi. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno decimo.

CLIV.

Regi Anglie decimae in Anglia, Hibernia, Wasconia etc. colligendae in subsidium terrae sanctae conceduntur. Reg. An. X. epist. 543.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Collectoribus decime ecclesiasticorum proventuum Carissimo in Christo filio nostro ... Regi Anglie Illustri concesse, sal. etc. Cum sicut Carissimus in Christo filius noster ... Rex Anglie Illustris sua nobis petitione monstravit, nos sibi usque ad triennium decimam ecclesiasticorum proventuum in subsidium terre sancte in Regno Anglie, Wallia, Ybernia et Vasconia, videlicet in terra sua duximus concedendam, nonnulli Archiepi, Episcopi et alii eorumdem locorum prelati concessionem nostram interpretatione voluntaria restringentes, asserunt eam extendi ad sua maneria non debere, dictam decimam eidem Regi solvere de hiis indebite denegantes. Ne igitur Rex prefatus per interpretationem huiusmodi provisionis nostre frustretur effectu, mandamus, quatenus faciatis eidem, dicta interpretatione repulsa, de maneriis eisdem decimam huiusmodi iuxta formam vobis traditam exhiberi. Datum Perusii iii. Idus Martii, Pont. nostri anno decimo.

CLV.

Archiepiscopo Armachano, ut cessionem episcopi Rathbotensis recipiat. Reg. An. X. epist. 702.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Significavit nobis venerabilis frater noster ... Epus Rathbotensis, cuius metropolitanus existis, quod non solum impotens et debilis pre senectute nimia est effectus, sed oculorum lumine destitutus, ita ut ad pastoralis executionem officii penitus insufficiens habeatur. Cum autem ipse propter hoc nobis duxerit humiliter supplicandum, ut cessionem eius recipere dignaremur: nos de tua circumspectione confisi predicta tibi auctoritate committimus, quod, si est ita, cessionem ipsius Episcopi vice nostra per te vel per alium recipias, et sibi de bonis Episcopalibus iuxta sufficientiam facultatum ecclesie Rathbotensis congruam pensionem assignes vel facias assignari, Contradictores etc. Preterea iniungas Capitulo ipsius ecclesie, ut sibi de persona ydonea, que tanto congruat oneri et honori, infra terminum in generali concilio diffinitum provideant per electionem canonicam in pastorem. Datum Asisii x. Kal. Iunii, Pont. nostri anno decimo.

CLVI.

Electus Laonensis confirmatur, et de more Laonensibus et regi Angliae commendatur. Reg. An. X. ep. 789.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Ysaac Episcopo Laonensi, sal. etc. Licet continuata supervenientium negotiorum instantia nostrum animum, qui, disponente domino, universali regimini quamvis immeriti presidemus, insultibus imperat successivis, sollicitudo omnium ecclesiarum nostris incumbens humeris tanto artius nos cotidiana meditatione perurget, quanto ad id sumus ex iniuncto nobis apostolatus officio specialius, imo principalius deputati. Cum igitur ecclesia Laoniensi pastoris regimine destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie te, tunc ipsius ecclesie Decanum, in eorum Epum duxerint eligendum: Nos presentatam nobis electionem huiusmodi, iustitia exigente, cassantes, te ipsi ecclesie,

ne ex vacatione diutina detrimentum incurreret, de speciali gratia, fratrum nostrorum convocato concilio, prefecimus in Episcopum et pastorem, facientes tibi per venerabilem fratrem nostrum Ostiensem Episcopum munus consecrationis impendi, plena tibi eiusdem ecclesie tam in spiritualibus quam in temporalibus administratione concessa, firma spe fiduciaque retenta, quod per industriam tuam, cui de honestate morum et vite laudabile testimonium perhibetur, auctore illo, qui dans virtutes gratiam gratie superaddit, ecclesia ipsa per diligentie tue studium grata in utrisque suscipiat incrementa. Te itaque ad eandem ecclesiam cum plenitudine nostre gratie transmittentes, fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente mandantes, quatenus ad ecclesiam ipsam accedens ita fideliter et prudenter studeas gerere curam eius, quod tibi premium per vite meritum, et familie tibi credite proficias per exemplum, et nos te gratie nostre favore prosequi debeamus. Datum Asisii ix. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Capitulo ecclesie, clero et populo civitatis et diocesis Laonensis, et Archiepō Cassellensi.

In e. m. .... Regi Anglie Illustri, usque incrementa. Ipsum itaque ad eandem ecclesiam cum plenitudine nostre gratie transmittentes, serenitatem regiam rogandam duximus attentius et monendam, quatenus ob reverentiam apostolice sedis et nostram eum, et commissam sibi ecclesiam habens propensius commendatos, ac favore regio prosequens ei temporalia eiusdem ecclesie, quorum custodia, ecclesia ipsa vacante, de antiqua consuetudine ad te dicitur pertinere, sine difficultate ac dilatione qualibet facias assignari, ita quod idem Episcopus gratie tue se gaudeat commendatum, et nos proinde sinceritatis tue zelum merito commendemus. Datum ut supra.

CLVII.

Iudicibus, ut electum Artfertensem confirment. Reg. An. XI. ep. 131.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus .. Laoniensi, .. Limiricensi et .. Ymiliacensi Epis, salut. etc. Dilecti filii ... Decanus et Capitulum Artfertensis ecclesie per litteras, et nuncios suos nobis exponere curaverunt, quod eorum ecclesia per Venerabilis fratris nostri Brandini quondam ipsius Episcopi factam de nostra licentia cessionem pastore vacante, ipsi vocatis omnibus, qui potuerunt, voluerunt et debuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa convenientes in unum, et invocata spiritus sancti gratia, ut est moris, dilectum filium fratrem Cristinum de ordine Predicatorum in Conventu de Trahili, virum litteratum, providum et honestum, atque in spiritualibus et temporalibus circumspectum, unanimiter et concorditer elegerunt in suum Epum et pastorem. Verum bone memorie ... Archiepiscopo Cassellensi Metropolitano loci, qui super confirmatione electionis huiusmodi et consecrationis munere postulandis certas prefixerat dies, interim nature debitum persolvente, dicti Decanus et Capitulum ad nostram duxerunt providentiam recurrendum, humiliter postulantes, ut electionem ipsam confirmari, et eidem electo munus consecrationis impendi in illis partibus mandaremus. Nos igitur de vestre circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, cum ecclesia Cassellensis, cuius vos dicimini suffraganei, vacet ad presens, mandamus, quatenus inquisita de modo electionis, studiis eligentium, et electi meritis diligentius veritate, si electionem ipsam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, illam auctoritate apostolica confirmantes, ac facientes eidem electo debitam obedientiam et reverentiam ab ecclesie Artfertensis subditis exhiberi, munus sibi consecrationis impendere, uno vestrum celebrante, reliquis eidem assistentibus, procuretis. Alioquin eadem electione cassata, faciatis eidem Artfertensi ecclesie de persona idonea, que tanto congruat oneri et honori, per electionem canonicam provideri. Contradictores etc. Nolumus enim, quod per hoc iuri Cassellensis ecclesie in posterum in aliquo derogetur. Datum Asisii xvi. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno undecimo.

CLVIII.

Cum Richardo monacho de Kalco (Kelcou) in Scotia super defectu natalium dispensatur. Reg. An. XI. epist. 208.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Ricardo Monacho Monasterii de Kalco in Scotia, ordinis sancti Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem etc. Attendentes grata devotionis obsequia, que nobis dudum studiose ac fideliter impendisti, et merita etiam, quibus dinosceris adiuvari, ac volentes ob hoc tuam honorare personam, ut non obstante defectu natalium, quem pateris de soluto genitus et soluta, in abbatem et ad alias administrationes tui ordinis licite promoveri valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Asisii v. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno undecimo.

CLIX.

Confirmatur electus Lismorensis, et epi Ossoriensis et Clonensis deputantur eidem munus consecrationis impendere. Reg. An. XI. ep. 265 et 271.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Capitulo Lismorensi, salutem etc. Licet continuata supervenientium etc. usque deputati. Presentatam igitur nobis electionem, celebratam de dilecto filio magistro Thoma electo, tunc Thesaurario Lismorensi, examinari fecimus diligenter, et quia eam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrum consilio duximus confirmandam, firma spe fiduciaque retenta, quod per industriam eius, cui ab hiis, qui eum noverunt, plenius de vita, scientia et moribus laudabile testimonium perhibetur, dicta ecclesia, auctore deo, spiritualibus proficiet institutis et temporalibus augebitur incrementis. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus eidem tanquam patri et pastori animarum vestrarum devote ad humiliter intendentes, exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam, eius salubria monita et mandata suscipiendo devote ac inviolabiliter observando. Alio-

quin sententiam etc. usque observari. Datum Laterani Idibus Octobris, Pont. nostri anno undecimo.

In e. m. Clero et populo civitatis et diocesis Lismorensis, et magistro Thome electo Lismorensi.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Ossoriensis et ... Clonensi Epis, salut. etc. Cum electionem celebratam in Lismorensi ecclesia de dilecto filio Magistro Thoma electo, tunc Thesaurario Lismorensi, de fratrum nostrorum consilio duxerimus confirmandam: mandamus, quatenus alter vestrum ipsum ad diaconatus et presbiteratus ordines statutis temporibus promovere procuret, ac eidem auctoritate nostra consecrationis munus accersito legitimo Episcoporum numero impendatis: ita tamen, quod propter hoc Metropolitano suo nullum imposterum preiudicium generetur. Datum ut supra.

CLX.

Priori sancti Edmundi de Hatissel dioec. Cassellensis usus pontificalium conceditur. Reg. An. XI. epist. 326.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis .. Priori et Capitulo ecclesie sancti Edmundi de Hatissel ordinis s. Augustini Casselensis diocesis, salutem etc. Ut pulcra et decora filia Ierusalem fidelibus etc. usque et decorem. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris supplicationibus inclinati, tibi, fili Prior, et successoribus tuis in perpetuum utendi anulo, mitra, tunica, dalmatica et cirothecis, ac dandi benedictionem solempnem in Missa et mensa plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani ii. Nonas Ianuarii, Pontificatus nostri anno undecimo.

CLXI.

Magister Gamelinus cancellarius regis Scotiae inter capellanos pontificis recipitur. Reg. An. XI. epist. 434.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Gamellino, Canonico Gluasguensi, Cancellario carissimi in Christo filii nostri Regis Scotie illustris, salutem etc. Scientia, mores et vita, super quibus laudabile tibi testimonium perhibetur, ac dilecti filii nostri G. sancti Eustachii diaconi Cardinalis instantia tibi vendicant apostolice sedis gratiam et favorem, ac etiam promerentur, ut titulus te nostre familiaritatis illustret, qui nonnunquam astipulatur benemeritis, eosque accendit proficiendi studio, et auspicio gratie melioris attollit. Hinc est, quod nos te in Capellanorum nostrorum consortium admittentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut decetero Capellanus noster re et nomine censearis. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani Id. Februarii, Pontificatus nostri anno undecimo.

CLXII.

Magister Abel, reiecto decano Dunkeldensi, ecclesiae Sancti Andreae in episcopum praeficitur. Reg. An. XI. ep. 483.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo Sancti Andree, salutem etc. Ad culmen summi apostolatus assumpti generalis ecclesie regimini presumus, illius licet immeriti vices gerentes in terris, qui sine fine regnat in celis, unigenitus dei filius Ihesus Christus. Verum magni nobis ex hoc timoris materia imminet, et dum incumbentis sollicitudinis attendimus sarcinam, mens nimirum nostra stupescit: nam cum suscepta cura debitum pastoralis officii continua instantia exigat, et nos ex nostra simus insufficientia non solvendo, possumus non immerito formidare, ne minus plene commissam nobis potestatis plenitudinem exequamur, quamquam circa crediti nobis dominici gregis custodiam, quantum ex infirmitate valemus humana, negligentie sompno ab oculis excusso, diligentia sedula vigilemus, firmam tamen spem fiduciamque tenentes, quod ille, qui nos voluit suos fieri vicarios, nos ad portandum utiliter impositum humeris nostris onus gratiam assidue largiatur. Ecclesiis omnibus solertia indefessa prospicimus, earum providere utilitatibus et indempnitatibus precavere studentes, in eo potissime, ut talibus gubernatio committatur ipsarum, quorum studio laudabilibus in spiritualibus et temporalibus proficiant incrementis, et illarum precipue, que Romane ecclesie noscuntur nullo medio subiacere, cum quanto specialius subsunt, ei tanto de ipsis teneamur sollicitius cogitare. Sane vestra ecclesia pastoris sollatio destituta, vos ... Decanum Dunkeldensem in vestrum eligentes Episcopum, et propter hoc nuncios, seu procuratores ad sedem apostolicam destinantes, petivistis humiliter, ut electionem huiusmodi confirmare de benignitate apostolica curaremus. Sed ... procurator ..... Prepositi et Capituli Calideorum ecclesie sancte Marie civitatis Sancti Andree, ac dilectus filius Magister Abel electus, tunc Archidiaconus Sancti Andree, electioni se opponentes eidem proponere curaverunt, quod cum eis contemptis, qui vocari et interesse debuerant, eadem fuisset electio celebrata, confirmanda non erat, sed potius infirmanda. Ad quod fuit pro parte vestra responsum, quod cum in Epi electione ipsi ius aliquod non haberent, dicere vere non poterant se fuisse contemptos; presertim cum temporibus retroactis soli Canonici regulares ecclesie Sancti Andree sine Preposito et Calideis ipsis, ac sine Archidiacono ipsius ecclesie in illa Epos elegissent, et a tempore, cuius non extat memoria, fuissent in possessione taliter eligendi, ac extitisset etiam ipsis Canonicis regularibus iamdudum ab apostolica sede indultum, quod obeunte ipsius ecclesie Sancti Andree Episcopo, nullus preficeretur ibidem, nisi quem ipsi vel maior eorum pars sibi ducerent eligendum, quodque obeuntibus Calideis, Canonici regulares in eadem ecclesia in locum subrogarentur ipsorum. Sed predictus Archidiaconus e contra proposuit, quod ante quam in ipsa ecclesia ordinati essent vel introducti Canonici regulares, Archidiaconalis dignitas fuerat in eadem. Et licet exeuntibus Calideis de predicta Sancti Andree ecclesia, et intrantibus prefatam ecclesiam sancte Marie, prebendas, libertates et iura sua integre retinendo Canonici regulares in ipsam ecclesiam Sancti Andree fuerint introducti: Archidiaconalis tamen dignitas nunquam ibi evanuit, sed perseveravit ibidem, et Archidiaconus in eadem re-

mansit ecclesia cum ipsis Canonicis regularibus, sicut ibi consueverat prius esse. Adiecit insuper, quod predecessor ipsius postulationi facte in eadem ecclesia de bone memorie Galfrido Dunkeldensi Episcopo interfuerat, quod pars vestra etiam fatebatur, quamvis diceret, quod non ut Archidiaconus, sed ut consiliarius postulationi huiusmodi affuisset: subiunxit etiam, quod bone memorie David Episcopus S. Andree sibi, sicut etiam pars vestra dicebat, Archidiaconatum eundem contulerat, stallo in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie assignatis: quodque ipso die, quo predicta fuit electio celebrata, vos ante publicationem electionis ipsius consensum Archidiaconi requirentes eiusdem institistis sollicite apud ipsum, quod electionem huiusmodi acceptaret, quod nequaquam pars vestra negavit, licet adiecerit, quod hoc ideo feceratis, ut vitaretis in hac parte litigium, et ipse contradicendi materiam non haberet. Nos igitur premissis omnibus plenius intellectis, electionem eandem de fratrum nostrorum consilio iustitia cassavimus exigente. Ceterum quia nostra potissime interesse dinoscitur ad cunctas ecclesias, et maxime ad illas, que specialius subsunt nobis, prospicere vigilanter, ne pastorum cura diutius desit eis, volentes obviare dispendiis, que predicta Sancti Andree ecclesia ex vacatione possit incurrere longiori, ac de tali sibi, qui tanto congruet oneri et honori, presule providere, prefatum Magistrum Abel, nunc electum, tunc Archidiaconum Sancti Andree et Capellanum nostrum, virum utique scientia preditum, morum honestate conspicuum, consilio providum, et in spiritualibus et temporalibus circumspectum, nec non acceptum nobis et eisdem fratribus sue merito probitatis, iamdicte Sancti Andree ecclesie, de ipsorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine, in Episcopum prefecimus et pastorem, firma concepta fiducia, quod eadem ecclesia sub tali et tanti pontificis regimine laudabilibus circa spiritualia et temporalia, auctore domino, proficiet incrementis. Ideoque mandamus, quatenus eundem electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, obedientiam sibi et reverentiam debitam impendatis, monitis et mandatis eius salubribus humilitere intendendo. Alioquin sententiam etc. usque observari. Datum Laterani x. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno undecimo.

CLXIII.

Iudicibus, ut electum Rossensem confirment. Reg. An. XI. epist. 486.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Clonensi, ... Corkaiensi et ... Lismorensi Epis, salutem etc. Ecclesia Rossensi pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem, prout ex litteris eorundem accepimus, vocatis omnibus, qui voluerunt et debuerunt ac potuerunt commode interesse, prout moris est, convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium Mauricium, precentorem Clonensem, virum utique, sicuti asserunt, litteratum, providum et honestum, in suum et ecclesie predicte pastorem ac Episcopum unanimiter et concorditer postularunt, nobis humiliter supplicantes, ut cum sit eis firma fiducia, quod ecclesia ipsa sub illius regimine, auctore domino, in spiritualibus et temporalibus grata suscipiat incrementa, cum eodem precentore super defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, quod in susceptis ministrare ordinibus et in Episcopum promoveri valeat, dispensare, ac huiusmodi postulationem de ipso factam admittere de speciali gratia dignaremur. Nos itaque de circumspectione vestra plenam in domino fiduciam obtinentes mandamus, quatenus consideratis diligenter circumstantiis universis, si quod de probitate dicti precentoris proponitur, veritate fulcitur, ipsum auctoritate nostra super premissis ad dispensationis gratiam admittatis, et inquisita de modo postulationis, ac studiis postulantium, ac postulati meritis veritate, si postulationem ipsam inveneritis de persona ydonea canonice ac concorditer celebratam, eam confirmare, ac ipsum, Cassellensi ecclesia metropolitana loci, que pastore vacat ad presens, nullum propter hoc imposterum passura preiudicium, prefate Rossensi ecclesie in Episcopum concedere procuretis, sibique munus consecrationis impendi, et a suis subditis faciatis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, si videritis expedire. Alioquin postulatione ipsa rite cassata, faciatis eidem ecclesie de persona ydonea per electionem canonicam provideri. Contradictores etc. Quod si non omnes etc. Dat. Laterani vi. Nonas Martii, Pont. nostri anno undecimo.

CLXIV.

Electus S. Andreae in Scotia regi, consiliariis eius et clero ac populo eiusdem dioecesis commendatur. Reg. An. XI. epist. 445.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... Illustri Regi Scotie, salutem etc. Inter primas sollicitudinis apostolice curas hec debet esse propensior, ut ad pascendas Christi oves tales nobis consulentibus persone procedant, in quibus per meritum vite ac prerogativam scientie fidelis commissorum dispensatio commendetur. Ubique siquidem in populo Christiano exercent hec studia curam nostram, sed in Regno tuo noveris eam nobis vigilantiam non deesse, quia continua caritas, qua illud sedes apostolica semper a tuis progenitoribus est amplexa, et probata in eisdem progenitoribus, et in te quoque emulatione laudabili propagata devotio stimulum nobis addunt. Sane electione, que de Magistro Roberto, Decano Dunkeldensi, in ecclesia S. Andree pastoris tunc destituta solatio fuerat celebrata, cum nobis de ipsius electionis meritis plenius constitisset, de fratrum nostrorum consilio, non persone vitio, iustitia exigente, cassata: Nos de ipsius ecclesie ordinatione solliciti, ne in grave ipsius dispendium et animarum periculum maneret diutius, si iterate forsan dispensationis emergeret scrupulus viduata (sic) in assumptione persone ad presulatum ipsius ecclesie promovende, plura in consilium nostre deliberationis adduximus, quibus nostre intentionis sinceritas ad id, quod erat consultum, duceretur, dei videlicet beneplacitum, ecclesie predicte utilitas, cleri necessitas, salus plebis,

et inter cetera specialiter evidens bonum tuum, cum per providam ordinationem ecclesiarum de prelatis ydoneis prospiciatur non modicum regie dignitati, cuius inconcussa quidem et solida in spiritualibus patribus fundamenta consistunt. Hec quidem in dilecto filio Magistro Abel, tunc Capellano nostro et Archidiacono, nunc Episcopo ecclesie memorate, novimus convenire, quem morum honestas, eminens litterarum scientia et sincera erga te ac Regnum tuum certis experimentorum indiciis innotescens nobis et fratribus nostris plurimum recommendant. Hinc fuit, quod nos de predictorum fratrum consilio ac nostre plenitudine potestatis eundem Magistrum A. ecclesie prefate prefecimus in Epum et pastorem, pro certo tenentes, quod per ipsius sollicitudinem eadem ecclesia spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis, eiusque fidelibus sanisque consiliis tua celsitudo prospere dirigetur. Quocirca serenitatem tuam rogamus, hortamur et monemus attente, quatenus ipsum et ecclesiam sibi commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, eum tanquam acceptum nobis ac tibi fidum, nec non et nuncios ac procuratores suos favore regio in assignatione regalium et maneriorum, terrarum, proventuum et aliorum, que in tuis manibus haberi dicuntur, cum fructibus inde perceptis a tempore, quo ipsi ecclesie de predicto Magistro provisum fuit a nobis, et aliis etiam, que a tua expectantur magnificentia, prosequaris; ita quod ipsum exinde tuo nomini devotiorem constituas ex devoto, nosque reddamur ad tua beneplacita promptiores, qui nos in ipso a te non incongrue reputabimus honorari. Datum Laterani xv. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo.

In e. m. Consiliariis Carissimi in Christo filii nostri ... Illustris Regis Scotie, Capitulo ecclesie Sancti Andree in Scotia, atque Clero et populo civitatis et diocesis Sancti Andree.

CLXV.

Procuratoribus electi Cassellensis, ut nomine eiusdem ecclesiae mutuum usque ad summam 400. marcarum sterlingorum novorum contrahere possint. Reg. An. XII. epist. 107.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis Magistro Iohanni Thesaurario et Kirano Canonico Cassellensibus, salutem etc. In nostra proposuistis presentia constituti, quod cum pro expediendis negociis dilect. filior. ... Electi et Capitulo Cassellensis, quorum estis procuratores, vos oporteat subire onera expensarum, ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat: Nos vestris precibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam quadringentarum marcarum sterlingorum novorum, et obligandi creditoribus bona dictorum Electi et Capituli ecclesie Cassellensis, ac renunciandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, et beneficio restitutionis in integrum, nec non et conventioni iudicum ipsorum creditorum nomine, si apostolicas literas cuiuscumque tenoris pro eis imposterum impetrari contigerit, plenam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem: ita tamen, quod iidem Electus et Capitulum ac successores Archiepiscopi, qui pro tempore fuerint, teneantur ad huiusmodi pecuniam persolvendam, et ad penam, dampna et expensas, interesse, si in termino ab ipsis constituto pecuniam non solverint memoratam. Super quibus dampnis et expensis simplici verbo illorum vel eorum alicuius sine iuramento vel aliqua alia probatione, qui dictam pecuniam mutaverint, credi volumus, sublata ipsis creditoribus necessitate probandi, quod eadem pecunia in utilitatem ipsius ecclesie sit conversa, pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis, privilegii vel indulgentie, de quibus in nostris literis oporteat fieri mentionem, et per que iidem Electus et Capitulum ac successores eorum valeant in aliquo se tueri. Datum Anagnie vii. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno duodecimo.

CLXVI.

David electus Cassellensis confirmatur. Reg. An. XII. epist. 137.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio David Electo Cassellensi, salutem etc. Dudum ecclesia Cassellensi pastoris solatio destituta, ipsius Capitulum te, tunc Decanum eiusdem, in suum Archiepiscopum elegerunt. Cum autem a nobis huiusmodi electionis confirmatio peteretur, Suffraganei ipsius ecclesie electioni se opponentes eidem proponere curaverunt, quod cum ipsi, antequam haberet ecclesia ipsa Capitulum, semper in ea cum vacavit, eligendi vel postulandi Archiepiscopum usi fuerint potestate, quam ex eo, quod postmodum fuit ibidem institutum Capitulum, minime perdiderunt, sed remanserat nichilominus penes eos: predicta electio, que sine ipsis fuerat attemptata, debebat penitus irritari, maxime cum ex privilegio apostolico eidem concesso ecclesie, in quo continetur expresse, ut obeunte Cassellensi Archiepiscopo, nullus ad eandem ecclesiam in Archiepum eligatur, nisi quem suffraganei Episcopi et Canonici eiusdem ecclesie, vel maior pars consilii sanioris, sicuti est hactenus observatum, secundum deum providerint eligendum, ipsis suffraganeis ius eligendi Archiepiscopum competeret in ecclesia memorata. Adiecerant propterea, quod postquam fuerat in eadem ecclesia Capitulum ordinatum, ipsi tanquam electores, una cum eo Archiepiscoporum Cassellensium electionibus seu postulationibus interfuerant celebrandis, et in possessione vel quasi eligendi seu postulandi huiusmodi existebant, propter quod premissa electio, eis exclusis, presumpta merito cassari debebat. Contra personam etiam tuam plurima obiecerunt, per nuncios quoque Carissimi in Christo filii nostri ... Anglie Regis Illustris fuit ex ipsius parte petitum, ut cum eidem Regi ea esses ratione suspectus, quod illis, qui contra Maiestatem regiam fuerant machinati, et aliis inimicis ipsius Regis eras familiaritate ac consanguinitate coniunctus, te in terra ipsius regis in prelatum prefici nullatenus pateremur. Sed fuit ad eorundem suffraganeorum proposita pro tua parte responsum, quod etsi forte dudum, quando predicta ecclesia Capitulum non habebat, ipsius suffraganei, ea vacante, veluti potiores et sollertiores

eiusdem subditi ei de pastore quasi defectum supplendo Capituli providissent, licet nusquam providerint, ex quo tamen ecclesia ipsa Capitulum habuit, mox ad illud, et non ad suffraganeos ipsos, qui prius id loco Capituli nondum ibi existentis agebant, pertinuit eidem ecclesie de presule providere, presertim cum ipsi Capitulo sit annexum, quod postquam institutum est vel creatum, eligant per se ipsos, et in cathedralibus ecclesiis ad eorum capitula electiones pontificum regulariter pertinere noscuntur. Premissum autem privilegium concessum fuit ... Archiepo Cassellensi. Unde cum non ad Capituli Cassellensis supplicationem vel instantiam obtentum fuerit, parere ipsi non poterat nocumentum, nec unquam ad dictos suffraganeos privilegium ipsum pervenerat, quare nec eis commodum afferebat, nec ius novum ipsis per illud conceditur in hac parte: quin immo, quod in eo subiungitur, ut is in Archiepiscopum eligatur, quem suffraganei Episcopi et Canonici eiusdem ecclesie providerint eligendum, sicuti est hactenus observatum, sic debet intelligi observatum, videlicet cum prescriptione legitima, quoniam alias tale privilegium iniuriosum extiteret ipsi ecclesie vel dampnosum. Denique adiectum extitit, quod eiusdem ecclesie Capitulum fuerat, et specialiter electionis tue tempore, in possessione vel quasi Archiepiscopum eligendi, et absque ipsis suffraganeis providendum duxerat eidem ecclesie de pastore. Premissis utique omnibus provida intentione perpensis, illum solum articulum responsis reliquis ad probationem admittendum providimus, qui de possessione vel quasi eligendi fuit a partibus allegatus, quoniam ut confirmari possit, vel irritari electio de te facta, de qua tantummodo agebatur, utrum predicti suffraganei soli vel cum eiusdem ecclesie Capitulo, an ipsum Capitulum solum absque illis fuerint ipsius electionis tempore in possessione vel quasi eligendi Archiepiscopum, erat necessario dinoscendum: propter quod venerabilibus fratribus nostris ... Cluanensis et ... Lechlinensi Episcopis, ac dilecto filio ... Vicepriori provinciali predicto in Ibernia litteris nostris iniunximus, ut super huiusmodi possessione vel quasi, et hiis, per que bona fides circa possessionem ipsam liquere poterat vel presumi, testes et alias probationes, quos utraque pars produceret, admittentes, causam ipsam, si de partium voluntate procederet, infra IX. mensium spatium terminarent, alioquin eam, citatis peremptorie partibus, infra idem spatium remitterent ad apostolice sedis examen. Ipsi vero iudices, eisdem partibus ad suam presentiam evocatis, et prefatis suffraganeis, quo ad electionem tuam, eam, quam intemptaverant, remittentibus in iudicio penitus actionem, et a sua contradictione cessantibus, memoratum Capitulum tempore electionis tue in possessione vel quasi iuris eligendi Archiepiscopum in ecclesia Cassellensi fuisse, quod iidem suffragenei confessi sunt, sententialiter decreverunt, sicuti ex relatione ipsorum iudicum nobis innotuit manifeste. Iidem quoque suffraganei suas nobis patentes litteras transmiserunt, per quas recognoscentes, quod idem Capitulum electionis tue tempore erant in possessione huiusmodi, significabant se de communi consilio a prosecutione obiectionis premisse, quantum ad electionem eandem, penitus destitisse, et personam tuam commendantes multipliciter, electionem de te factam, quam ascerebant canonicam, admitti ad confirmationis gratiam petierunt. Nos igitur hiis plenius intellectis, quia inquisitione habita diligenti electionem tuam comperimus de persona idonea canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio duximus auctoritate apostolica confirmandam, confidentes in domino, quod gregi dominico sis utiliter profuturus. Quocirca mandamus, quatenus ecclesiam tibi commissam in spiritualibus et temporalibus ita studeas gubernare, quod dignam domino villicationis tibi credite possis reddere rationem. Datum Anagnie XVI. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno duodecimo.

In e. m. Archiepiscopo Tuamensi, Suffraganeis, Capitulo, Clero et populo civitatis et diocesis Cassellensis, atque Regi Anglorum Illustri.

CLXVII.

Iudicibus, ut electum Cassellensem ad restituendum mutuum, quod a quibusdam mercatoribus Senensibus acceperat, si opus fuerit, censuris compellant. Reg. An. XII. ep. 214.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis Magistro Alexandro de Ferentino et Berardo de Nimpha, Capellanis nostris in Anglia commorantibus, sal. etc. Significarunt nobis Bonifacius Bonsignoris, Bernardinus Prosperini et Aldebrandus Ildebrandi ac eorum socii, cives et mercatores Senenses, quod ipsi dilecto filio magistro Iohanni, Capellano nostro, Thesaurario et Kirano Canonico Cassellensibus, et Dionisio presbitero, procuratoribus dilectorum filiorum ... Electi et Capituli Cassellensium, renunciantibus constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, et omnibus literis ac indulgentiis a sede apostolica impetratis, ac etiam impetrandis, quasdam mutuarint pecunie summas certis loco et termino persolvendas eisdem, prout in publicis instrumentis exinde confectis plenius dicitur contineri. Nos igitur huiusmodi renunciationem ab ipsis procuratoribus factam ratam habentes, ac illam auctoritate apostolica confirmantes, mandamus, quatenus si dicti electus et Capitulum, ac successores ipsius electi a vobis moniti de pecunia ipsa infra duos menses post monitionem vestram faciendam, post terminum supradictum iuxta tenorem instrumentorum predictorum, nulla alia certitudine vel probatione preter ipsa instrumenta super premissis exacta, sublata etiam necessitate probandi, quod pecunia ipsa in utilitatem Cassellensis ecclesie sit conversa, pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis non satisfecerint mercatoribus supradictis, vos ex tunc in eundem electum vel successorem suum, qui tunc temporis fuerit, ac ... Decanum ... Sacristam et ... Cellararium, ac alios de Capitulo excommunicationis sententiam auctoritate nostra promulgare curetis. Capitulum vero, appellatione postposita, interdicto subiciatis, et faciatis ipsos tamdiu, appellatione remota, in locis, in quibus expedire videritis, pulsatis

campanis et candelis accensis, excommunicatos nunciari publice, ac ab omnibus artius evitari, donec eisdem mercatoribus de dictis summis pecunie cum iustis et moderatis expensis et congrua restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus, iuxta continentiam instrumentorum predictorum fuerit integre satisfactum. Si vero idem electus et alii de Capitulo per duos menses in huiusmodi excomunicatione permanserint, vos eos ex tunc ab administratione spiritualium et temporalium suspendere procuretis, prefigentes eis terminum peremptorium competentem, quo electus personaliter et Capitulum per procuratorem apostolico se conspectui representent pro meritis recepturi. Non obstante constitutione predicta, sive si eisdem electo et Capitulo ab eadem sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque extra suam civitatem, diocesim vel provinciam in causam trahi, vel ad iudicium evocari non possint per literas apostolicas plenam et expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem. Terminum autem, quam eis prefixeritis, et quicquid inde feceritis, nobis vestris literis harum serie continentibus studeatis fideliter intimare. Quod si non omnes etc. Datum Anagnie quinto Idus Septembris, Pont. n. anno duodecimo.

CLXVIII.

Electus Midensis ab archiepiscopo Armachano approbatus confirmatur, insertis eiusdem archiepiscopi ea de re litteris. Reg. An. XII. ep. 379.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio H. Midensi Electo, salutem etc. Petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum in vacante olim ecclesia Midensi electio de te canonice celebrata, et per dilectum filium Magistrum M. officialem venerabilis fratris nostri Armachani Archiepiscopi loci metropolitani, tunc apud sedem apostolicam existentis, prout eidem magistro ex auctoritate sibi ab eodem Archiepiscopo concessa licebat, exigente iustitia, confirmata fuisset, idem Archiepiscopus credens, quod providendi eidem ecclesie de pastore ad ipsum esset devoluta potestas, quondam fratrem Gualfridum de Cusac eidem ecclesie auctoritate propria prefecit in Episcopum et pastorem. Cumque super hiis inter Archiepum et fratrem predictos ex una parte, ac te ex altera questione suborta coram venerabili fratre nostro Laoniensi Epo, et collegis suis auctoritate apostolica lis penderet, dictus frater rebus fuit humanis exemptus, et tandem Archiepus ipse prudenter attendens, quod iam dicta ecclesia ex lite huiusmodi grave passa in spiritualibus et temporalibus detrimentum, per te, de cuius conversatione ac probitate laudabile testimonium receperat, poterat prospere gubernari, electionem et confirmationem huiusmodi ratas habens et gratas, supplevit quantum fuit in eo defectum, si quis extitit in eisdem, prout in litteris suis confectis exinde plenius continetur. Nos itaque sperantes, quod iura ipsius ecclesie per industriam tuam possunt multipliciter adaugeri, tuis supplicationibus benigne impertimur assensum, quod a dicto Archiepiscopo super premissis factum est, ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus, et defectum etiam, si quis extitit in electione et confirmatione predictis pro defectu sacrorum ordinum, vel quia forte huiusmodi electio infra tempus canonicum celebrata non fuit, supplemus de apostolice plenitudinis potestate, ita quod hiis non obstantibus Episcopatum Midensem licite valeas retinere. Tenorem literarum ipsarum de verbo ad verbum preinseri facientes, qui talis est. ¶ Frater R. miseratione divina Archiepiscopus Armachanus, totius Ibernie Primas, Archidiaconis, Decanis, Abbatibus, Prioribus ac universis clericis per Midensem diocesim constitutis, salutem et sinceram in domino dilectionem. Olim Midensi ecclesia pastore vacante, vobisque, ad quos pertinet electio, venerabilem virum magistrum Hugonem de Themum in vestrum Epum eligentibus, magister Milo officialis noster ipsi electo, ut dicitur, credens hoc sibi licere, munus confirmationis impendit. Verum nos in Romana Curia constituti, cum horum noticiam minime haberemus, cogitantes potestatem providendi eidem ecclesie fuisse ad nos per lapsum temporis devolutam, memorate ecclesie de bone memorie fratre Gualfrido de Cusac duximus providendum. Orta igitur super electione ac provisione predictis inter nos et dictum Gualfridum ex parte una, et prefatum magistrum Hugonum ex altera materia questionis, et causa super hiis coram Laoniensi Episcopo et collegis suis ex delegatione domini pape pendente, predictus frater in Romana Curia viam est universe carnis ingressus, postmodum vero Riccardus, procurator venerabilis viri predicti magistri Hugonis electi vestri apud sedem apostolicam, ad nos veniens, humiliter supplicavit, ut predictum electum in nostram reciperemus gratiam, et confirmationem ipsius ratam haberemus, vel defectum in hac parte, quantum spectaret ad nos, liberaliter suppleremus, daremusque ei licentiam diaconatus et presbiteratus ordines recipiendi ab alio, ipsique faceremus munus consecrationis impendi. Cum autem Midensis ecclesia propter causam et litem huiusmodi gravem in spiritualibus et temporalibus sit passa iacturam, nos firmam spem gerentes in domino, quod per curam et sollicitudinem Magistri iamdicti, qui magnis et pluribus, ut a fidedignis didicimus, meritis adiuvatur, eadem ecclesia magnum et placidum suscipiat incrementum, et nichilominus illustris domini nostri Regis Anglie, ac venerabilis fratris in Christo Wigorniensis Episcopi, qui nos quondam pro dicto electo rogarunt, dum ipsos, quod doluimus, nequivimus exaudire, Venerabilium quoque virorum dnorum Curie Romane, amicorum nostrorum, pro ipso apud nos intercedentium precibus annuentes, ac bonam famam et clara de ipso electo testimonia digne pensantes, In nomine patris et filii et spiritus sancti, quod de predicto Hugone factum est, quantum ad electionem et confirmationem et promotionem, gratum et ratum habentes, et supplentes omnem defectum, quantum in nobis est, si quis fuit, vel est habitus in premissis, ipsumque in vestrum et predicte ecclesie electum sive electum sive Episcopum approbantes,

auctoritate presentium vobis precipiendo mandamus, quatenus eidem electo, ex quo vobis constiterit, quod sacramentum nobis prestiterit, quod electi Metropolitanis suis consueverunt prestare, fidelitatis, ad quod recipiendum vice nostra Magistrum B. Archidiaconum nostrum in Angliam specialiter duximus destinandum, cum omni obedientia et reverentia debita fideliter intendatis. Datum Anagnie sexta nonas Octobris, pontificatus dñi Innocentii pape quarti anno duodecimo. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et suppletionis etc. Datum Neapoli secundo Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno duodecimo.

CLXIX.

Anichlucensis (vide supra Nro CXXV. Rathlurensis) sedes ad ecclesiam Darensem translata confirmatur. Reg. An. XII. epist. 329.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo et Dilectis filiis Capitulo Darensibus, salutem etc. Iustis petentium etc. usque complere. Cum itaque, sicuti ex tenore vestre petitionis accepimus, sedes Anichlucensis ecclesie de speciali mandato nostro, et assensu etiam venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Armachani loci metropolitani ad Darensem ecclesiam sit translata: nos vestris supplicationibus inclinati translationem huiusmodi, sicuti provide facta est, et in alicuius preiudicium non redundat, ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Neapoli secundo Nonas Novembris, Pontificatus nostri anno duodecimo.

CLXX.

Abbati et conventui de Dunfermelin quoddam privilegium, et quibusdam clericis beneficia ecclesiastica et alia conceduntur. Reg. Tom. I. fol. 180, 157, 182, 457. Tom. II. fol. 47, 241, 294. Tom. III. fol. 120 et 123.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui de Dunfermelino ord. s. Benedicti S. Andree dioc., sal. etc. Paci et tranquillitati vestre paterna volentes sollicitudine providere, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ultra mare Scoticum super bonis, que habetis in Scotia, in causam trahi per litteras apostolicas minime valeatis, nisi littere apostolice ipse plenam fecerint de hac indulgentia mentionem, presentibus post quinquennium minime valituris. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc. Dat. Lugduni iii. Nonas Maii P. n. anno ii.

In e. m. Episcopo, Decano et Thesaurario Glasguensibus, ut predictam indulgentiam exequantur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Waldevo clerico, Rectori ecclesie de Dunbar, nato nobilis viri comitis Patricii Sancti Andree diocesis, salutem etc. Ut praeter dictam ecclesiam aliquid beneficium ecclesiasticum vacaturum acceptare possit. Dat. Lugduni iii. Non. Februarii An. ii.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Girardo de Urbe Rectori ecclesie s. Andree Glasguensis dioc. sal. etc. Indulget ipsi, ut ultra ecclesiam s. Andree de Birkandres etiam ecclesiam de Ranfri ad ecclesiam Glasguensem spectantem retinere possit. Datum Lugduni Nonis Octob. An. v.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Abel capellano nostro, canonico Glasguensi, sal. etc. Dispensatur cum ipso super defectu natalium. Dat. Lugduni xvi. Kal. Maii An. v.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Ut Ottoni Vicecomiti, subdiacono pontificio, Mediolanensi, aliquod beneficium in Ibernia in aliqua ecclesia cathedrali vacans conferre velit. Dat. Lugduni ii. Nonas Iulii An. viii.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Roberto Abbati condam Monasterii de Dunfermelino S. Andree diocesis, salutem etc. Ut Willelmo de Suineburne, clerico Regis Scotie, ad requisitionem eiusdem Regis aliquod beneficium, etiam curam animarum habens, in Regno Scotiae conferri curet. Dat. Perusii Id. Februarii An. x.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Decano Dunkeldensi, salutem etc. Ut Magistro Radulfo de Tilluel, clerico Comitissae Norfolchiae amitae Scotiae Regis, in aliqua ecclesia Regni Scotiae beneficium ecclesiasticum conferri curet. Dat. Perusii iv. Id. Ianuarii An. x.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Frossolone subdiacono et capellano nostro, salutem etc. Curet, ut Guilielmo clerico, nato nobilis viri Landulfi de Cecano, nipoti R. sancti Angeli diaconi Cardinalis de aliquo beneficio ecclesiastico usque ad annuam summam xl. marcarum sterlingorum in Regno Scotie provideatur. Dat. Laterani vii. Kalend. Aprilis An. xi.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo S. Andree, et dil. fil. Gamelino cancellario carissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Scotie, capellano nostro, sal. etc. Curent, ut Iohanni de Civitella, subdiacono et capellano pontificio, de beneficio aliquo usque ad annuam summam l. marcar. sterlingorum in Regno Scotie provideatur. Dat. Laterani xiii. Kal. April. Anno xi.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. IV.

CLXXI.

Iudicibus, ut creditoribus monasterii de Driburg ex reditibus eiusdem monasterii satisfaciant. Reg. An. I. epist. 47.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Sancti Andree, et dilecto filio ... Abbati de Geddewrth Glasguensis diocesis, salutem etc. Lecta coram nobis dilect. filiorum ... Abbatis et Conventus Monasterii de Driburg Premonstratensis ord., Sancti Andree diocesis, petitio continebat, quod Iohannes quondam Abbas Monasterii eiusdem ipsum in tot et tantis summis pecunie diversis creditoribus in Londoniensi, Glasguensi et S. Andree civitatibus ac diocesibus commorantibus obligavit, ut proventus et redditus dicti Monasterii vix sufficiant ad voraginem usurarum, quorum creditorum aliqui pro se super hiis contra eos diffinitivas sententias obtinuerunt auctoritate apostolica promulgari. Iidem quoque Abbas et Conventus cum aliquibus ex ipsis creditoribus diversas compositiones, datis super hoc litteris, penis adiectis, inserpositis iuramentis, satisfactione dampnorum et interesse promissa, et confectis exinde nichilominus publicis instrumentis, factis renunciationibus quoad impetratas et impetrandas apostolicas litteras, executoribus etiam super premissis a sede apostolica deputatis, in enormem lesionem ipsius Monasterii sunt inire coacti. Quare pro parte dictorum Abbatis et Conventus humiliter petebatur a nobis, ut cum ipsi huiusmodi compositiones servare, ac sententiis et aliis predictis parere non possint, etiamsi omnes proventus et redditus eosdem converterent in solutionem huiusmodi debitorum, propter quod et merito timeri potest, quod Monasterium ipsum irreparabilem lesionem incurrat, nisi de celeri et salubri remedio succurratur, eidem providere in hac parte misericorditer curaremus. Nos itaque de vestra circumspectione confisi mandamus, quatenus universos dictos redditus et proventus Monasterii memorati per vos, aut alios fideliter colligentes, et congrua de illis supradicto Abbati et aliquibus de ipso Conventu sustentatione servata, reliquis canonicis eiusdem conventus in aliis locis prefati ordinis interim collocatis, totum residuum proventuum et redditaum predictorum in solutionem debitorum ipsorum integre convertatis, relaxantes interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas in eosdem Abbatem et Conventum communiter vel divisim occasione huiusmodi esse inveneritis promulgatas, dispensando cum eis super irregularitate, si quam exinde contraxerunt, imposita sibi penitentia salutari, prout secundum deum anime ipsorum saluti videritis expedire, Non obstantibus sententiis, compositionibus, iuramentis, aliquibus processibus executorum ipsorum, et omnibus aliis supradictis, vel si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint, nisi de indulto huiusmodi plena et expressa, seu de verbo ad verbum in nostris litteris mentio habeatur, seu constitutione de duabus dietis etc. Contradictores etc. Datum Neapoli Id. Ianuarii P. n. anno primo.

CLXXII.

Electo Midensi, ut ecclesiam cathedralem possit construere. Reg. An. I. epist. 192 et 234.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Hugoni electo Midensi, salutem etc. Cum, sicut nobis exponere curavisti, certa non habeatur in episcopatu tuo ecclesia Cathedralis: nos tuis supplicationibus inclinati, construendi ecclesiam Cathedralem ibidem sine preiudicio alicuius Metropolitani loci, necnon et tui Capituli, vel Cleri, si non habes Capitulum, et idem Clerus haberi loco Capituli consuevit, interveniente consensu, liberam tibi auctoritate presentium tribuimus facultatem. Datum Neapoli x. Kal. Martii, Pont. nostri anno primo.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Hugoni, electo Midensi, salutem etc. Devotionis augmentum circa nos et Romanam ecclesiam tibi provenire confidimus, si super hiis, que digne desideras, nos tibi benivolos exponamus. Cum itaque, sicut nobis exponere curavisti, nondum in episcopatu Midensi fuerit ecclesia cathedralis: nos tuis supplicationibus inclinati, ut in proprio fundo tuo episcopatus eiusdem de consilio et assensu Venerabilis fratris nostri ... Archiepiscopi Armachani Metropolitani loci et cleri Midensis, qui loci Capituli haberi dicitur, cathedralem ecclesiam de novo erigere valeas, prout melius secundum deum utilitati eiusdem tibi et eis visum fueriexpedire, discretioni tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Neapoli. Idibus Martii, Pontificatus nostri anno primo.

CLXXIII.

Decima proventuum ecclesiasticorum in Anglia, Wallia, Hibernia etc. in terrae sanctae subsidium exigenda Anglorum regi ad alterum triennium prorogatur. Reg. An. I. epist. 317.

Alexander episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... Regi Anglorum Illustri, salutem etc. Felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster notam habens patenter, et cognitam erga se et apostolilicam sedem puritatis regie caritatem, utpote quam irrefragabilia ex parte promptitudinis argumenta pronunciant, quam benivole affectionis insignia signa probant, quam irreconvincibilia precedentium operum testimonia manifestant, ac per hoc intendens gratitudinis officio tuis per gratias condignas lucrifacere

commodis, et propositum, quod ad terre sancte subsidium habere nosceris, promovere, decimam ecclesiasticorum proventuum pro eiusdem terre subsidio in regno Anglie, Wallia, Ybernia et Wasconia, videlicet in terra tua, usque ad triennium duxit tibi per suas litteras concedendam, certis tibi super ipsa collectoribus deputatis. Quia igitur nos, qui eidem Innocentio, sicut in apostolatus ministerio, sic et caritatis officio, licet alias immeriti succedentes, in prosequendo condigne gratie premiis merita devotorum sedis eiusdem illius proponimus equare virtutem et propositum adimplere, in bonis tuis plenum cordis nostri gaudium sentientes, quod circa concessionem eiusdem decime per predecessorem ipsum factum est, ratum habemus et gratum, et de fratrum nostrorum consilio et assensu de novo tibi decimam ipsam ad opus eiusdem subsidii per idem triennium de gratia concedimus speciali. Nulli ergo etc. nostre approbationis et concessionis etc. Datum Neapoli v. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

CLXXIV.

Cum electo Waterfordensi super defectu natalium dispensatur, et postulatio de se facta confirmatur. Reg. An. I. ep. 255.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo electo Waterfordensi, salutem etc. Cathedrali ecclesia sancte Trinitatis Waterfordensi pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius, vocatis omnibus, qui debebant, volebant et poterant interesse, prefixa electionis die convenientes in unum, dilectis filiis Magistris Riccardo de Haverbergen Decano, Willelmo Archidiacono et Willelmo de Camera Precentori Waterfordensi providendi eidem ecclesie de pastore potestatem plenariam contulerunt: qui pari voto et voluntate unanimi te tunc Priorem hospitalis sancti Iohannis Dublinensis in pastorem ipsius ecclesie postularunt, prefato Capitulo postulationem huiusmodi sollempniter publicatam unanimiter acceptante, prout in decreto confecto exinde ac ipsorum signato sigillo plenius dicitur contineri. Postmodum autem dicti Capitulum a nobis humiliter per Magistrum Radulfum, Cancellarium Waterfordensem, eorum speciacialem nuncium petierunt, ut cum tu in ordine sacerdotii constitutus defectum natalium patiaris, de soluto genitus et soluta, tecum, quod eo non obstante in susceptis ministrare ordinibus et in episcopum promoveri valeas, dispensare, ac postulationem ipsam admittere de consueta benignitate sedis apostolice curaremus. Quia vero tu defectum huiusmodi virtutum amplexu et litterarum scientia redimere comprobaris: Nos paterna sollicitudine volentes illis obviare dispendiis, que ipsi ecclesie possent per vacationem diutinam imminere, fratrum nostrorum communicato consilio, tecum super premissis auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, et postulationem admittimus eandem, spe nobis firma proposita, quod ecclesia ipsa per industrie tue subsidium, deo propitio, augmentum honoris consequatur, et in prosperis debeat ampliari. Rogamus itaque devotionem tuam et hortamur attente mandantes, quatenus mente humili te in hac parte beneplacito divino conformans, ad predictam ecclesiam, de apostolice sedis et nostro favore confisus, cum divine gratia benedictionis accedas, te in cura ipsius ecclesie (cuius tibi) in spiritualibus et temporalibus, nullum tamen ecclesia Cassellensi loci metropolitana in posterum passura preiudicium, plenam administrationem committimus, talem corde sollicito redditurus, ut grex tue circumspectioni traditus, in te salutis ministrum repperisse gaudeat, et tandem pastoris eterni benignitas unicuique responsura pro meritis, tibi propter hoc eterne retribuat gloriam claritatis. Dat. Neapoli iiii. Nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Venerabili fratri .. Archiep̄o Cassellensi, et dilectis filiis Capitulo Waterfordensi, clero et populo civitatis et diocesis Waterfordensis.

CLXXV.

Cum episcopus Glasguensi super voto ab esu carnium abstinendi dispensatur. Reg. An. I. epist. 467.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio ... Priori fratrum Predicatorum Glasguensium, salut. etc. Ex parte venerabilis fratris nostri .. Glasguensis Episcopi fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse iamdudum sponte voverit in domo propria semper ab esu carnium abstinere, et nunc senectute ac debilitate multa depressus, id absque corporalis salutis dispendio nequeat observare, dispensare cum ipso super hoc misericorditer curaremus. Gerentes igitur de tua providentia fiduciam in domino pleniorem, presentium tibi auctoritate committimus, ut si est ita, cum eodem Episcopo, quod possit votum huiusmodi tam in elemosinas, quam in alia opera misericordie commutare, auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum videris expedire. Datum Neapoli ii. Idus Maii, Pontificatus nostri anno primo.

CLXXVI.

Electus S. Andreae in Scotia confirmatur. Reg. An. I. epist. 475.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Magistro Gamelino Electo Sancti Andree in Scotia, sal. etc. Recte tunc ecclesiarum utilitati prospicitur et indempnitati salubriter precavetur, cum discretis et providis earum cura committitur, et viduatarum regimini pastores ydonei preponuntur. Verum Romanus Pontifex, cui ex apostolatus officio imminet de universis ecclesiis sollicite cogitare, hoc maxime circa ipsas attendit, et ad id propensius invigilat, ut per bonos et dignos gubernentur Rectores, per duces perspicuos in suis gregibus dirigantur, per sacros et eruditos ministros in spiritualibus fulgeant, et per dispensatores prudentes temporalium proficiant incrementis: quia navis, que perito remige ducitur, liquida recte percurrit spacia, et domus ubertate rerum excrescit, que patrefamilias regitur studioso, ac vinea, quam diligens cultor curat, in botros exuberat opulentos, et ager in segetem fecundam fructificat, quem agricola bonus colit. In eo etiam ecclesiis apostolica sedes provide prospicit et benigne, quod si aliquos propriis adiutos meritis ad earum prelaturas interdum evocari contingit, qui alias forte propter aliquem suum

defectum vel notam minime promoveri deberent, ipsa temperans in hoc sue misericordie lenitate canonice censure rigorem, et iuris duriciem benignitate pietatis emolliens, remedium circa id utilitate perspecta oportune dispensationis apponit, inhabiles et ineptos coaptans, et reparans misericorditer ad honores, aperiendo clementer eis ianuam dignitatum, quam austere ipsis ecclesiastica instituta precludunt, et gratiose ad illos presulatus officium admittendo, a quo probrose duris sanctionibus repelluntur. Sane bo. mem. Abel Episcopo S. Andree in Scotia viam universe carnis ingresso, dilecti filii .... Prior et Capitulum ipsius ecclesie, vocatis et presentibus omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, in novem ex ipsis providendi per electionem vel postulationem eidem ecclesie de pastore contulerunt unanimiter potestatem, promittentes illum recipere, quem ipsi omnes vel maior eorum pars eligendum ducerent, vel etiam postulandum: qui eiusdem ecclesie statu ipsiusque necessitate provida consideratione pensatis, te tunc Capellanum nostrum, et Carissimi in Christo filii nostri Alexandri Scotie Regis Illustris Cancellarium, in Episcopum ipsius ecclesie canonice ac concorditer postularunt. Predicti autem Prior et Capitulum, quod per illos in hac parte factum extiterat, communiter acceptantes, dilectum filium Magistrum Robertum de Prebenda Decanum Dublanensem, Simonem de Kynros clericum, et fratres Helyam et Alanum Canonicos eiusdem ecclesie ad nostram presentiam transmiserunt, supplicantes humiliter per eosdem, ut postulationem huiusmodi, dispensando tecum super defectu natalium, quem pateris ex soluto genitus et soluta, de benignitate admittere apostolica curaremus, cum firmiter sperarent et crederent, predictam ecclesiam posse maiora per te suscipere incrementa. Nos vero postulationis eiusdem cum multa diligentia discusso processu, et intellectis postmodum, que frater Laurentius ecclesie predicte Canonicus contra postulationem ipsam et postulati personam proposuit coram nobis, eoque prorsus in omnibus, que obiecit, iustitia exigente repulso, demum quia comperimus postulationem eandem fuisse a prefatis Priore et Capitulo canonice ac concorditer celebratam, et laudabilia de te a quampluribus probis et fidedignis audivimus testimonia, considerantes ex hiis, quod premissum supplee commendabili bonitate defectum, redimisque virtutibus vitium geniture, quodque tibi vite nitor, morum honestas et litterarum scientia magis profuit, quam notabilis ortus obsit, et quod promotionis aditum, quem dampnarant dampnata natalia, digne tibi merita comprobata pararunt, prefatam postulationem de fratrum nostrorum consilio benigne duximus admittenda, tecum super ipso defectu quantum ad hoc auctoritate apostolica misericorditer dispensantes, et ecclesie predicte de speciali gratia te in pastorem et Episcopum concedentes. Ideoque discretioni tue per apostolica scriptam andamus, quatenus reverenter et devote suscipiens impositum a domino tibi onus, ad prefatam ecclesiam absque dispendio tarditatis accedas, gerens prudenter et sollicite curam eius, ut tuo labore et studio, auxilio cooperante divino, in spiritualibus et temporalibus multipliciter augeatur. Datum Anagnie Kal. Iulii, Pont. nostri anno primo.

In e. m. ... Priori et Capitulo, Clero et populo civitatis et diocesis Sancti Andree in Scotia.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Glasguensi, salutem etc. Bone memorie Abel Epo etc. dilecti filii ... Prior et Capitulum ipsius ecclesie, vocatis etc. usque concedentes. Ideoque mandamus, quatenus cum super hoc ab ipso fueris requisitus, ascitis duobus Episcopis, quos idem voluerit, sibi auctoritate nostra munus consecrationis impendas, recepturus ab eo etc. Dat. ut supra.

CLXXVII.

Capitulo S. Andreae protestatio contra admittendos Kalideos ad electionem episcopi confirmatur. Reg. An. 1. epist. 501.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori et Capitulo cathedralis ecclesie Sancti Andree in Scotia ordinis sancti Augustini, salutem etc. Desideriis vestris in hiis affectu benivolo debemus annuere, que vos et ecclesiam vestram possint a dispendio preservare. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati devotioni vestre auctoritate presentium indulgemus, ut pro eo, quod in electione bone mem. David Episcopi Sancti Andree duos de Kaledeis ecclesie sancte Marie de Kiltemont civitatis Sancti Andree, qui se canonicos nominant, ad clare mem. ... Regis Scotie, ac totidem in electione dilecti filii Magistri Gamelini electi Sancti Andree, ad Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotie Illustris instantiam, admisistis cum protestatione tunc facta de consensu Kaledeorum ipsorum, nullum vobis vel ecclesie vestre in iure vestro preiudicium generetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Anagnie xiii. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

CLXXVIII.

Electo S. Andreae, ut in commodum ecclesiae suae beneficia, quae ante electionem obtinebat, ad biennium retinere possit. Reg. An. 1. ep. 566.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Magistro Gamelino Electo Sancti Andree in Scotia, sal. etc. Quamvis postulationem de te dudum in ecclesia Sancti Andree communiter celebratam nuper, tuis exigentibus meritis, gratiose duximus admittendam, quia tamen eadem ecclesia, sicut accepimus, gravi debitorum onere premitur, et tam in ipsius edificiis, quam in pluribus aliis indiget reparari: nos eidem ecclesie propter hoc paterno compatientes affectu, omnia beneficia ecclesiastica, que tempore postulationis huiusmodi obtinebas, tibi usque ad biennium, a die quo consecratus fueris computandum, pro expediendis huiusmodi debitis, et aliis ipsius ecclesie necessitatibus relevandis, auctoritate presentium reservamus, Decernentes irritum et inane, si secus a quoquam infra predictum tempus de ipsis beneficiis vel eorum aliquo fuerit attemptatum. Nulli ergo etc. nostre reservationis et constitutionis etc. Datum Anagnie ii. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

CLXXIX.

Episcopo Fernensi decanatus ab ipso in sua ecclesia de novo creatus approbatur. Reg. An. I. epist. 265.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Fernensi, salutem etc. Iustis petentium etc. usque complere. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, tu ecclesie Fernensis utilitatem diligenter attendens, de consensu Capituli tui Decanatus dignitatem de novo in ipsa creaveris, statuens, ut de cetero in eadem ecclesia sit Decanatus: nos tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc a te provide factum est, ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Anagnie iiii. Non. Augusti, P. n. anno primo.

CLXXX.

Controversiam inter archiepiscopos Armachanum et Tuamensem super iure primatiae in Tuamensi provincia alterutri eorum competenti definitur. Reg. An. I. epist. 712.

Alexander episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ecclesia Romana tanquam diligens et attenta mater profectibus semper invigilat aliarum, et si quando inter eas controversie sive lites emergunt, ipsa, ut in pacis tranquillo congaudeat, et in securitate quietis devotius domino famulentur, oportuna remedia interponit. Sane dudum inter Venerabilem fratrem nostrum ... Archiepiscopum et dilectos filios Capitulum Armachanos ex parte una, et Venerabilem fratrem nostrum ... Archiepum Tuamensem ex altera super iure primacie, quod idem Archiepus Armachanus in provincia Tuamensi habere se asserit, questione suborta, et partium procuratoribus propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, eisque dilecto filio nostro I. sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono Cardinale auditore concesso, eorumdem Archiepiscopi et Capituli ecclesie Armachane proposuit procurator, quod cum idem Archiepus sit, et esse debeat primas eiusdem provincie, ac in possessione vel quasi iuris primacie in ipsa provincia fuerit a longe transactis temporibus, dictusque Archiepiscopus Tuamensis eidem Armachano immediate subesse debeat ratione huiusmodi primacie, ipse Tuamensis obedientiam et reverentiam et cetera ipsius primacie iura prefato Armachano denegat exhibere: quare dictus petiit procurator eundem Tuamensem compelli ad obedientiam, et parendum ipsi Armachano tanquam suo primati, ac ad prestandam sibi plenarie, ut tenetur, obedientiam et reverentiam et alia ipsius primacie iura, que in ipso Tuamensi et provincia eius habet, et habere debet idem Archiepiscopus Armachanus: petiit etiam adiudicari per sententiam ipsi Armachano ius primacie in provincia memorata, necnon sententialiter diffiniri, eundem Tuamensem debere ipsi Armachano ratione dicte primacie nullo medio subiacere. Lite itaque super hiis legitime contestata, et ab eodem procuratore ad fundandam predictorum Armachan. Archiepi et Capituli intentionem, quodam privilegio bone memorie Celestini pape predecessoris nostri, et quibusdam aliis scriptis in iudicio exhibitis, ac nonnullis etiam testibus propter hoc ab ipso productis, nos eisdem privilegio et scriptis et ipsorum dictis testium, ac hiis, que allegata in contrarium a parte altera extiterunt, cunctisque rationibus et omnibus, que hinc inde fuere proposita, perspicaciter visis et plenius intellectis, negocium huiusmodi una cum fratribus nostris studiose discussimus, et super eo, ut fine possit congruo terminari, consideravimus diligenter. Verum quia pensatis provide ipsius negocii meritis et circumstantiis universis, cognovimus expedire, quod per modum provisionis idem negocium terminetur, elegimus potius per hanc viam imponere finem ei. Auctoritate igitur apostolica de fratrum nostrorum consilio taliter providemus, quod prefatus Archiepiscopus Armachanus et singuli sui successores possint se vocare vel appellare, si voluerint, Primates provincie Tuamensis, et facere deferri ante se crucem per totam ipsam provinciam, quandocunque et quotienscunque ipsos transire contigerit per eandem: possint etiam dictam provinciam de quinquennio in quinquennium visitare, ac per viginti et septem dies duntaxat visitationis officio immorari: ita quod si eos predictam provinciam, preterquam illam causa visitationis intraverint, egredi ex quacunque causa contigerit, priusquam predictorum viginti septem dierum numerum in visitatione perfecerint, non liceat eis ipsam causa visitationis usque ad aliud quinquennium introire, in quo non amplius quam viginti septem dies ad visitationem habeant exercendam: licet forte de viginti septem diebus precedentis quinquennii aliqui remanserint ad visitationis officium exequendum, nisi adeo per aliquem vel aliquos de prefata provincia fuerint impediti, quod dictam provinciam exeant, et non possint omnes ipsos dies in visitatione complere, in quo casu licitum sit ipsis ante aliud quinquennium ad eandem redire provinciam ad solum viginti septem dierum residuum percomplendum. In hac quoque sua visitatione illa, que corrigenda occurrerint, corrigant et reformant de plano per salutaria monita et exhortationes, ac persuasiones attentas, districtionem in hoc ecclesiastice censure per se minime adhibendo. Que vero sic de plano corrigi vel emendari non poterunt, sed alterius iurisdictionis vel censure seu potestatis executionem exegerint, diocesanis denuncient episcopis, videlicet que in suis diocesibus, et si negligentes in hoc extiterint, Archiepiscopo Tuamensi, et que in ipsis episcopis et in eiusdem Archiepiscopi diocesi eidem Archiepiscopo, et que in eodem Archiepiscopo sic corrigenda fuerint, et in aliis etiam eiusdem provincie, si per eorum superiores post factam ipsis denunciationem illa correcta non fuerint, Romano pontifici, ut per eum, sicut convenit, corrigantur. Per predictos autem viginti septem dies totidem duntaxat procurationes in locis recipientur visitatis: ad quarum exhibitionem tota ipsa provincia teneatur, ut et Archiepiscopus et episcopi et eorum subditi eiusdem provincie communiter in hiis contribuant, ac provideant, statuant et ordinent, quod eedem procurationes sine difficultate qualibet integre persolvantur: ita quod in nulla ipsarum procuratio-

num sumptus vel expense, qui propter hoc fient, duarum marcarum sterlingorum summam vel valorem excedant. Prefati vero Armachanus et eius successores in eos, qui visitationem impediverint, vel procurationes prescripto modo taxatas eis visitantibus exhibere denegaverint, libere possint in singulis visitationibus per excommunicationem, suspensionem et interdictum censuram ecclesiasticam exercere. Ad hec liceat episcopis suffraganeis Archiepiscopi Tuamensis in causis, quas ipsi adversus alios sive tanquam actores, sive sicut rei coram eodem Archiepo habuerint, et suis similiter adversariis in eisdem causis ab ipso Tuamensi ad Armachanum Archiepiscopum legitime appellare. Ab aliis autem inferioribus sive subditis, et ab istis etiam in alio casu ad ipsum Armachanum ab eiusdem Tuamensis audientia nullatenus appelletur, eo semper salvo, quod ad sedem apostolicam libere potest a quibuslibet, omissis proximis eorum superioribus, appellari. Armachanus vero de illis causis, que per appellationem deferentur ad ipsum, licite cognoscere valeat, habeatque in illis iurisdictionem prosecutioni negocii competentem, persona Tuamensis Archiepiscopi manente prorsus libera et exempta, cuius electio per sedem confirmatur eandem, a qua pallium recipit et cui fidelitatis exhibet iuramentum, et hiis Armachanus ipse contentus in prefatam provinciam et personas ipsius ultra quam in superioribus est expressum, nichil iurisdictionibus attemptet, et ipsa provincia eiusque persone ipsi Armachano ad nulla penitus alia teneantur. Nulli ergo etc. nostre provisionis etc. Datum Anagnie II. Id. Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

CLXXXI.

Episcopo Moraviensi restitutio ecclesiae de Garantulin ab ipso mensae episcopali facta confirmatur. Reg. An. I. epist. 720.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri Archibaldo Episcopo Moraviensi, salutem etc. Cum a nobis petitur etc. usque effectum. Exposita siquidem coram nobis fraternitatis tue petitio continebat, quod dudum bone memorie Riccardus Episcopus Moraviensis, predecessor tuus, ecclesiam de Garantulin Moraviensis diocesis cum pertinentiis suis episcopali mense Moraviensi perpetuo deputatam, et auctoritate sedis apostolice nichilominus confirmatam quondam Guillelmo clerico suo contulit, quem bone memorie Andreas Moraviensis Episcopus, eiusdem Episcopi successor, in Moraviensi ecclesia Cathedrali Canonicum statuit habiturum, donec viveret, in prebendam prefatam ecclesiam ad eandem mensam libere post ipsius decessum clerici reversuram. Cumque postmodum ad prefatam mensam, dicto decedente clerico, eadem ecclesia rediisset, et bone memorie Symon Episcopus Moraviensis, Episcopi prefati successor, predecessor tuus eandem ecclesiam postmodum aliquandiu possedisset, quibusdam clericis auctoritate litterarum super provisione sua in illis partibus a sede obtentarum predicta, contra dictum Symonem Episcopum super eadem ecclesia moventibus questionem, et ipsi mense per ordinationem de speciali mandato felicis recordationis I. pape predecessoris nostri factam, predicta ecclesia concessis certis pensionibus in ipsa eisdem clericis quoad vixerint remanente, idem S. Episcopus ecclesiam ipsam Capitulo Moraviensi concessit. Verum idem Capitulum attendens sepedictam mensam fore huiusmodi concessione gravatam, dictam ecclesiam, sicut asseris, ipsi mense restituere procuravit, quam nunc possides sine lite. Nos itaque tuis precibus inclinati restitutionem ipsam ratam et gratam habentes, eandem ecclesiam cum pertinentiis suis prefate mense auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani v. Kal. Decembris, Pont. nostri anno primo.

CLXXXII.

Episcopo Rossensi quaedam ordinationes a praedecessore suo in commodum ecclesiae factae confirmantur. Reg. An. II. epist. 108.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo, et dilectis filiis Capitulo Rossensi, sal. etc. Cum a nobis petitur etc. usque effectum. Sane fraternitatis tue petitio nobis exposita continebat, quod felicis recordationis G. papa, predecessor noster, augmentandi in ecclesia Rosmaikinensi Rossensis diocesis prebendas tenues et de novo ibidem, prout expedire videret, prebendas alias ordinandi, aliqua ordinatione contraria non obstante, bone memorie Roberto Episcopo Rossensi predecessori tuo concessit per apostolicas litteras facultatem. Verum licet idem Epus in augmentatione antiquarum, et creatione seu ordinatione aliarum prebendarum auctoritate litterarum huiusmodi processisset, quia tamen in ordinatione sua de Decanatu, Precentoria, Cancellaria, Thesauria, Archidiaconatu et aliis prebendis eiusdem ecclesie simplicibus in generali faciens mentionem, non expressit, quid cui prebende assignatum fuerit, vel debuerit pertinere: tu ordinatione ipsius Episcopi tam ipsarum litterarum, sicut poteras, quam propria in aliquibus supplens, et in aliquibus corrigens et augmentans, deliberatione prehabita provide ordinando Decanatui, Cantorie, Cancellarie et Thesaurarie omnes decimas garbarum de Rosnarkino et de Crumbarch inter dignitates ipsas equaliter dividendas, prebendarum earundem dignitatum tenuitate pensata, predicto Decanatui omnes decimas garbarum et alteragium de Andresser, salvis episcopalibus, omnesque decimas garbarum de Kelmur, exceptis garbis dimidie Davach de Aleyn, Cantorie autem omnes decimas garbarum de Kenneythes et de Suthy, Thesaurarie omnes decimas garbarum de Urcharde et de Legidibride, Archidiaconatui vero decimas omnes garbarum de Fortherdi et de Edordor, exceptis garbis unius Davach de Aleyn, Subdecanatui omnes decimas garbarum de Thayne et de Eduthayne, Succentorie ecclesiam de Bron et omnes decimas garbarum de Inverferan, cum omnes predicte decime ad Rossensem pertineant ecclesiam, provide perpetuo assignasti. Prebende quoque Episcopi, quem voluisti in Canonicorum eiusdem ecclesie numero computari, debere omnes decimas ecclesiarum de Niger et de Tharbent ad predictam

pertinentes ecclesiam curasti etiam perpetuo assignare, quibusdam decimas garbarum de certis locis simplicibus prebendis, et quatuor Vicariis quatuor personarum alteragia de Roskyarkyn et de Crumbaty ecclesiarum sine omni onere episcopali, ita tamen quod honeste utrique ecclesie serviatur, et omnibus ecclesiis de Ergaythel ad prefatam ecclesiam pertinentibus, cum vacaverint, communi Canonicorum prefate ecclesie in perpetuum assignatis. Preterea statuisti, quod maior Decanus sicut in Saluberiensi ecclesia eligatur, et nullus ad aliquam quatuor dignitatum, nec ad Subdecanatum, nec ad Succentoriam admittatur, nisi sacerdos existat: Archidiaconus vero sit diaconus, neque ad aliquam prebendam simplicem quisquam recipiatur, nisi fuerit in sacris ordinibus constitutus. Adiecisti etiam statuto huiusmodi, quod nullus installetur in choro sepefate ecclesie, priusquam iuramentum prestiterit de residentia continua facienda ibidem, nisi peregrine proficiscatur, vel in scolis steterit, aut alia honesta causa de licentia Episcopi ad certum tempus eius absentiam excusabit, et quod Subdecanus Vicarium diaconum, et Succentor Vicarium subdiaconum, Episcopus vero nomine prebende sue perpetuum Vicarium sacerdotem, cuius stipendiis sex marcas sterlingorum percipiendas in alteragio de Fordi annis singulis deputasti, et Archidiaconus perpetuum Vicarium sacerdotem habeat in ecclesia memorata. Quelibet vero simplex prebenda Vicarium habeat subdiaconum, cui suus dominus, pro quo in ecclesia ipsa ministrat, capam nigram et superpellicium largiatur. Vicarii vero perpetui singuli superpellicia et capas nigras propriis sumptibus sibi ipsis acquirant. Porro tam Canonici, quam Vicarii, si necesse habeant ab ecclesia infra diocesim suam, vel extra pro suis promovendis negociis proficisci, et ultra unius diei spacium moram trahere, a Decano vel Subdecano seu ab eorum vices gerentibus licentiam postulent sibi dari. Duobus tamen Vicariis insimul abesse non liceat, nisi urgens causa et evidens id exposcat. Si quis vero Vicariorum tam perpetuorum, quam simplicium ultra triduum ab ecclesia moram fecerit absque causa rationabili, Vicariis residentibus certam pecunie quantitatem exolvat, et ipsius excrescente mora pena ei pecuniaria gravior infligatur. Si autem residens canonicis horis non interfuerit in ecclesia, nulla eum causa rationabili excusante, a Subdecano debeat subici discipline. Excessus Canonicorum ab Episcopo, et Vicariorum a Decano vel Subdecano, vel ab eorum vices gerentibus corrigantur: in quorum Vicariorum correctione si dicti Decanus et Subdecanus inventi fuerint negligentes nimirum vel remissi, statuisti super eisdem excessibus correctionem ad Episcopum pertinere, vel si ad ipsum ex aliqua iusta causa fuerit appellatum. Verum si quis de Canonicorum familiaribus cuiquam infra Canoniam forfecerit sine sanguinis effusione, vel etiam alicuius membri mutilatione, de excessu huiusmodi coram Canonicis in Capitulo cognoscatur, et de forisfacto Epo satisfiat. Insuper autem statuti adiectione firmasti, ut omnes Canonici ante ipsorum installationem similiter, et Vicarii perpetui priusquam ad Vicariam aliquam perpetuam in eadem ecclesia admittantur, prestent de celandis secretis Capituli, que quidem poterunt sine peccato celari, et servandis ecclesie constitutionibus, quodque prestabunt Epo suo ad revocanda dispersa, fidele consilium et auxilium iusiurandum. Statuisti etiam, ut singulis diebus per aliquem, quem precentor vel ipsius vicem gerens semel in ebdomada ad hoc duxerit ordinandum, Missa pro defunctis, et specialiter pro Epis loci et universis ecclesie benefactoribus celebretur, et quod omnes mansiones Canonicorum, cum vacaverint, excepta dumtaxat mansione Decani, ad Episcopi collationem pertineant, ita tamen quod Canonicis conferantur. Aliis omnibus articulis in predicti predecessoris tui ordinatione contentis, de quibus in tua huiusmodi ordinatione fit mentio, in suo robore duraturis, prout in litteris exinde confectis, et tuo atque comuni Capituli tui, suum super premissis consensum interponentis, sigillis munitis plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis precibus inclinati, ordinationem huiusmodi, sicut provide factam, ratam habentes et gratam, illam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani v. Id. Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

CLXXXIII.

Electo Leoniensi, ut omnes suos diocesanos, qui ob percussionem clericorum in canonem inciderint, absolvere possit. Reg. An. II. ep. 157.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri … Electo Laoniensi, salutem etc. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli clerici et laici tue civitatis et diocesis, per violentam iniectionem manuum in viros religiosos et clericos seculares earundem civitatis et diocesis, in canonem inciderunt sententie promulgate, quorum clericorum quidam divina celebrarunt officia et susceperunt ordines sic legati, et ministrarunt temere in eisdem. Quare a nobis humiliter supplicasti, ut cum aliquibus predictorum veniendi ad sedem apostolicam tum propter rerum inopiam, tum propter senectutem et debilitatem corporum difficilis sit accessus, providere super hoc de benignitate solita curaremus. De tua itaque circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut eisdem excommunicatis, qui propter impedimenta premissa sedem apostolicam adire nequeant, possis hac vice iuxta formam ecclesie, dummodo passis iniuriam satisfecerint competenter, absolutionis beneficium impertiri, et cum eisdem clericis super ea etiam, quod absolutione non obtenta per simplicitatem vel ignorantiam divina temere celebrarunt, et se fecerunt ad ordines promoveri, prout eorum saluti expedire videris, dispensare. Si qui vero predictorum scienter, non tamen in contemptum clavium, ad celebrationem temerariam divinorum et receptionem ordinum processerunt, eis per biennium a suorum ordinum executione suspensis, cum ipsis postmodum, si bone conversationis extiterint, poteris dispensare. Proviso ut, que expensuri essent veniendo ad sedem apostolicam,

morando ibidem et redeundo ad ipsam, tibi ab eis pro terre sancte subsidio facias assignari, quantitatem eorum, que pro hac causa receperis, nobis fideliter rescripturus. Datum Laterani xiii. Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

CLXXXIV.

Episcopo Rathbotensi, ut dioecesanos suos apostolicae sedi rebelles post terminum ad resipiscendum datum censuris impetat. Reg. An. II. ep. 216.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Ratpothensi, salutem etc. Constitutus in nostra presentia retulisti, quod nonnulli laici tue diocesis ad illam insaniam, instigante diabolo, devenerunt, quod non solum ydola colere, et suas consanguineas vel affines in uxores ducere non abhorrent, immo si a te vel ab aliis catholicis de talibus excessibus arguantur, vel si tu propter hoc in eos excommunicationis sententiam proferas, dicti laici tanquam proditionis filii contra fidem catholicam, et illam auctoritatem, que sedi apostolice divinitus est concessa, temere disputare presumunt, in necem arguentium ipsos nequiter machinando. Quare humiliter petebas a nobis, ut cum aliqui fideles illarum partium ex contagio errorum huiusmodi sint infecti ac timendum sit, ne talis infectio, quod absit, latius extendatur, super hoc de salubri et festino providere consilio curaremus. Nos itaque de tua circumspectione confisi presentium tibi auctoritate concedimus, quatenus contra dictos laicos tanquam evidentes antichristi nuncios et ministros, nisi diligenter moniti ab erroribus et presumptionibus memoratis omnino desistant, et reverenter ac humiliter ad ecclesie unitatem redeant infra competentem terminum, quem eis ad hoc duxeris prefigendum, extunc ecclesiastice censure gladium exercere valeas, et etiam seculare invocare brachium, si fuerit oportunum. Contradictores etc. Dat. Laterani xii. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

CLXXXV.

Vicario prioris provincialis ordinis Praedicatorum in Hibernia, ut duos sapientes fratres assignet, qui episcopo Rathbotensi consiliis et praedicatione assistant. Reg. An. II. epist. 216.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio ... Vicario ... Prioris provincialis fratrum ordinis Predicatorum in Ybernia, sal. etc. Constitutus in presentia nostra venerabilie frater noster P. Ratpothensis Epūs nobis exposuit, quod nonnulli laici etc. ut in alia usque oportunum, verbis competenter mutatis. Quia vero idem Episcopus professor ordinis tui ferventer, prout asserit, in suo gerit affectu, quod pro sollicitudine huiusmodi sibi commissa facilius exequenda duos providos, et discretos ex fratribus tue cure commissis habeat in socios, per quos, cum necesse fuerit, verbum dei proponi faciat, et secundum illorum salubria consilia dirigatur: discretionem tuam attente rogandam duximus et monendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eidem Epō, cum super hoc ab ipso requisitus extiteris, duos tales fratres concedas affectu benivolo et promptitudine liberali, Non obstante aliqua indulgentia ordini tuo ab apostolica sede concessa, per quam effectus mandati nostri in hac parte valeat impediri. Datum Laterani xii. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

CLXXXVI.

Cum Roberto de Minere milite dioecesis Dunkeldensis et eius uxore de matrimonio in quarto gradu contracto dispensatur. Reg. An. II. ep. 278.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis Roberto de Miners militi, et Eve uxori eius Dunkeldensis diocesis, salut. etc. Consuevit sedes apostolica etc. usque impertiri. Vestris itaque supplicationibus benignum impertientes assensum, ut in matrimonio, quod contraxistis ad invicem, non obstante, quod alter reliquum quarto affinitatis gradu contingere dicitur, quod contractus tempore, sicut asseritis, ignorastis, remanere licite valeatis, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Dat. Laterani vii. Idus Aprilis, P. n. anno secundo.

CLXXXVII.

Fratres monasterii de Lunders in Scotia in quibusdam suis ecclesiis ab oneribus exempti declarantur. Reg. An. II. epist. 241.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii de Lunders ord. sancti Benedicti Sancti Andree diocosis, salut. etc. Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod in Aberdonensi diocesi quasdam ecclesias in proprios usus habetis, in quibus perpetue Vicarie auctoritate sedis apostolice sunt taxate, assignata perpetuis Vicariis earumdem de ipsarum proventibus portione congrua, ex qua commode sustentari possunt, et episcopalia et alia debita et consueta onera supportare. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, paci et tranquillitati vestre providere volentes, ne diocesanus vel loci Archidiaconus occasione huiusmodi onerum, que soli dicti Vicarii supportare tenentur, aliquid de portione, quam vos in eisdem ecclesiis obtinetis, exigant, vel dictam portionem sequestrent, auctoritate presentium inhibemus, Decernentes irritum et inane, si quid contra inhibitionem huiusmodi a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre inhibitionis et constitutionis etc. Datum Laterani v. Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno secundo.

CLXXXVIII.

Fulco de Sanford ecclesiae Dublinensi, reiecto R. electo, in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. II. epist. 350.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori et Conventui sancte Trinitatis, et ... Decano et Capitulo sancti Patricii Dublinensis, salutem etc. Ad culmen summi apostolatus assumpti generalis ecclesie regimini presumus, illius licet immeriti vices gerentes in terris, qui sine fine regnat in celis, unigenitus dei filius Ihesus Christus. Verum magni nobis ex hoc timoris materia imminet, et dum incumbentis sollicitudinis attendimus sarcinam, mens nimium nostra stupescit: nam cum suscepta cura debitum pastoralis officii continua instantia exigat, et nos simus

ex nostra insufficientia non solvendo, possumus non immerito formidare, ne minus plene commissam nobis potestatis plenitudinem exequamur, quamquam circa crediti nobis dominici gregis custodiam, quantum ex infirmitate valemus humana, negligentie sompno ab oculis cordis excusso, diligentia sedula vigilemus, firmam tamen spem fiduciamque tenentes, quod ille, qui nos voluit suos fieri vicarios, nobis ad portandum utiliter impositum humeris nostris onus virtutis gratiam assidue largiatur. Ecclesiis omnibus solertia indefessa prospicimus, earum providere utilitatibus et indempnitatibus precavere studentes, in eo potissime, ut talibus gubernatio committatur ipsarum, quorum studio laudabilibus in spiritualibus et temporalibus proficiant incrementis. Sane Dublinensi ecclesia pastoris solatio destituta, vos, ad quos spectat electio Archiepiscopi Dublinensis, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, convenientes in unum, dilectum filium Rodulfum de Norwicia, Canonicum ecclesie sancti Patricii Dublinensis in vestrum Archiepiscopum elegistis, mittentes ad apostolicam sedem sollempnes nuntios, ac petentes per ipsos, ut electionem huiusmodi confirmare de bênignitate apostolica curaremus. Nos igitur electionis ipsius presentate nobis cum multa diligentia discusso processu, quia illam ex certis causis invenimus minus canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio iustitia cassavimus exigente. Verum ne predicta ecclesia ex vacatione diutina gravia in spiritualibus et temporalibus detrimenta subiret, dilectum filium Magistrum Fulconem de Sanford, tunc Thesaurarium ecclesie s. Pauli Londoniensis, virum utique nobilem, litteratum, morum honestate conspicuum, consilio providum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, acceptum nobis et predictis fratribus sue probitatis merito, predicte Dublinensi ecclesie in Archiepiscopum prefecimus et pastorem de fratrum ipsorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, sperantes, quod sua circumspectione laudabili et providentia circumspecta ecclesia ipsa tam circa spiritualia, quam temporalia gratis, tribuente domino, proficiet incrementis. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, obedientiam sibi et reverentiam debitam impendatis, ipsius monitis et mandatis salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Dat. Anagnie VI Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

CLXXXIX.

Confirmantur conventui de Giseburna ord. s. Augustini Eborac. dioec. quaedam decimae et possessiones ab episcopo Glasguensi donatae, inserto eiusdem episcopi donationis instrumento, et dantur executores eidem monasterio ad exequendam hanc confirmationem. Reg. An. II. ep. 451.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori et Conventui Monasterii sancte Marie de Giseburna ordinis sancti Augustini Eboracensis diocesis, salutem etc. Cum a nobis petitur etc. usque ad effectum. Sane exhibita nobis vestra petitio continebat, quod bone memorie Gualterus Glasguensis Episcopus, considerata tenuitate mense vestre, omnes decimas garbarum, ac quasdam possessiones ad de Loginaban, de Anant, de Cumbectres, de Grethenon, de Rampatrio, de Kirkepatrio ecclesias pertinentes diocesis Glasguensis, in quibus ius patronatus tunc temporis habeatis, sui Capituli et Rectorum ecclesiarum ipsarum ad hoc accedente consensu, vobis et Monasterio vestro in usus proprios pia et provida liberalitate concessit, reliquis bonis ecclesiarum ipsarum Rectoribus earumdem pro sustentatione propria, et supportandis illarum oneribus reservatis, prout in litteris ipsius Episcopi, quorum tenorem de verbo ad verbum presentibus annotari fecimus, plenius continetur, quod Venerabilis frater noster Guillelmus Glasguensis Episcopus, successor ipsius Episcopi, dicitur postmodum approbasse. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem Episcopo super hoc providum factum est, ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem talis est.

Gualterus dei gratia Ep̃us Glasguensis omnibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in domino. Noveritis nos divine pietatis intuitu de assensu et voluntate Capituli nostri Glasguensis ecclesie dedisse, concessisse, et hac carta nostra confirmasse ecclesie sancte Marie de Giseburna Glasguensis diocesis, et Canonicis ibidem deo servientibus in usus proprios omnes decimas garbarum bladi ecclesiarum de Anant, et de Loginaban cum decimis bladi Capelle de Rokele integre et plenarie, et preterea tres marcas de ecclesia de Donant, et tres marcas de ecclesia de Loginaban singulis annis per manus Rectorum ipsarum ecclesiarum, qui pro tempore fuerint, percipiendas in festo assumptionis beate Marie Virginis, quas scilicet tres marcas de ecclesia de Loginaban iidem Canonici refundent annuatim per manus Rectoris eiusdem ad luminare ecclesie Glasguensis in nativitate beate Marie Virginis: concessimus etiam et confirmavimus eisdem Canonicis in usus proprios omnes decimas garbarum bladi ecclesiarum de Cumbectres, de Grethenon, de Rampatrio et de Kirkepatrio cum decimis bladi Capelle de Logan, salvis unicuique Rectori cuiuslibet istarum ecclesiarum, quatuor videlicet de Cumbectres, de Grethenon, de Rampatrio et Kirkepatrio quatuor sceppis farine certo loco et competenti infra parrochias ipsas annuatim percipiendis, duabus scilicet seppis ad pentecosten et duabus ad festum sancti Martini in hyeme. Ad hec autem concessimus et confirmavimus eisdem Canonicis ad blada sua colligenda aream unam de capitali tosto et crosto ecclesie de Anant iuxta aquam, habentem decem percatas terre in latitudine versus occidentem, et quinque percatas terre in latitudine in capite versus orientem a parte meridionali versus aquilonem, et decem et octo percatas terre in longitudine ab occidentali parte versus orientem, et unam aream terre in

campo propinquiorem terre Yvonis de Heriz versus austram ex aquilonari parte de Staincrowich, et de capitali tosto et crosto ecclesie de Rampatrio concessimus eis aream unam versus aquilonem habentem quatuor percatas terre in latitudinem per totum, et tantum longitudinis quantum habet ipsum tostum et crostum ecclesie, et unam aream terre in campo propinquiorem ville de Blawath iuxta aream Hugonis Corti, et de capitali tosto et crosto ecclesie de Grethenhon aream unam versus occidentem habentem quatuor percatas terre in frontem versus aquilonem, et duas percatas terre in latitudine in capite versus austrum, et tantum longitudinis quantum habet ipsum tostum et crostum ecclesie, et unam aream terre in campo scilicet in Hectheil, et de capitali tosto et crosto ecclesie de Kirkepatrio aream unam versus occidentem habentem per totum quatuor percatas terre et dimidiam in latitudine, et tantum longitudinis quantum habet ipsum tostum et crostum ecclesie, et in recompensationem unius acre terre, quam iidem Canonici debent habere in campo de Kirkepatrio, dedimus et concessimus eis in villa de Logan unum tostum cum crosto de terra capelle de Legan, illud scilicet tostum et crostum, quod Rogerus Handbant tenuit, quod iacet iuxta exitum ville et terram hospitalis sancti Iohannis, et de capitali tosto et crosto ecclesie de Cumbectres dedimus et concessimus eis aream unam versus orientem, habentem in fronte versus ecclesiam quinque percatas terre in latitudine, et in capite versus aquilonem et tres percatas terre in latitudine, et tantum longitudinis quantum habet ipsum tostum et crostum ecclesie, et unam aream terre in campo, que vocatur Hevedaket, et in Loginaban concessimus eis unum tostum cum crosto de terra ecclesie, illud scilicet quod Willelmus Tinctor tenuit, quod est ultimum totius terre ecclesie versus occidentem, et in recompensationem unius acre terre, quam dicti Canonici habere debent in campo de Loginaban, dedimus et concessimus eis de capitali tosto et crosto capelle de Rokele dimidiam aream terre versus aquilonem habentem eandem longitudinem, quam habet ipsum tostum et crostum ipsius capelle. Omnia vero predicta, prout superius prescriptum est, concessimus et auctoritate episcopali confirmamus prefatis Canonicis de Giseburna perpetuo tenenda, et habenda cum omnibus pertinentiis, libertatibus et aisiamentis suis in usus proprios pacifice, libere et quiete absque omni exactione, consuetudine et onere episcopali, et ut cedentibus et decedentibus Rectoribus dictarum ecclesiarum, qui modo sunt, liceat ipsis Canonicis de premissis omnibus eis in usus proprios concessis, nostro vel successorum nostrorum non requisito assensu, pacifice, libere et quiete pro libito suo ordinare et disponere. Cetera vero omnia spectantia cum terris ecclesiarum, exceptis premissis Canonicis assignatis, et cum omnibus aliis decimis earumdem ecclesiarum preter decimas garbarum, quas omnes ipsis Canonicis concessimus, cedont in usus Rectorum ipsarum ecclesiarum, qui pro tempore fuerint. Qui scilicet Rectores nobis et successoribus nostris de episcopalibus oneribus respondebunt, ac omnia onera ipsarum ecclesiarum sustinebunt. In huius autem nostre concessionis et confirmationis testimonium presens scriptum, sigillo nostro corroboratum, memoratis Canonicis de Giseburna duximus concedendum. Acta vero sunt hec apud Glasguam pridie Id. Octobris, anno Incarnationis dominice M.CC.XXIII. coram hiis testibus, Magistro H. de Moromari Decano ecclesie Glasguensis, dño R. de Tyndale Thesaurario ecclesie eiusdem, Magistro H. de Fortuno et Iohanne Capellano domini Glasguensis, Roberto Chaunteber, Willelmo Clerico, Rodulpho et Roberto Vicariis ecclesie Glasguensis, Warino nepote dñi Glasguensis et multis aliis.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Anagnie Non. Octobris, Pont. nostri anno secundo.

Alexander episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Dumkeldensi et ... Candidecase Epis, sal. etc. Exhibita nobis dilectorum filiorum ... Prioris et Conventus Monasterii sancte Marie de Giseburna ordinis sancti Augustini Eboracensis diocesis petitio continebat, quod bone mem. Walterus Glasguensis Epus, considerata tenuitate mense ipsorum etc. ut supra, verbis competenter mutatis, usque approbasse. Cum igitur eorumdem Prioris et Conventus supplicationibus inclinati, quod ab eodem Episcopo super hoc provide factum est, ratum et gratum habentes, id per nostras litteras duxerimus confirmandum: fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eosdem Priorem et Conventum in corporalem possessionem vel quasi predictarum decimarum et possessionum, sicut iustum fuerit, inducentes per vos vel alios, et defendentes inductos, faciatis eis de fructibus earumdem integre responderi. Contradictores etc. Non obstante aliquibus, quod extra suam diocesim vel ultra certa loca nequeant in iudicium evocari, a sede apost. sit indultum. Quod si non ambo etc. Datum Anagnie x. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CXC.

Monasterio s. Thomae mart. de Aberbrother confirmatur quaedam donatio ipsi ab W. de Fornindraut facta. Reg. An. III. epist. 34.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis... Abbati et Conventui Monasterii sancti Thome martiris de Aberbrother ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis, salutem etc. Lecta coram nobis vestra petitio continebat, quod quondam Willelmus de Fornindraut miles Aberdonensis diocesis, patronus ecclesie de Fornindraut, ius patronatus ipsius ecclesie tunc ad eum pertinens vobis pia et provida liberalitate concessit. Nos itaque vestris supplicationibus inclinari, quod ab eodem milite super hoc pie et provide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, et defectum pro eo super huiusmodi concessione habitum, quia diocesani loci non intervenerat assensus, de nostro supplemus plenitudine potestatis. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et suppletionis etc. Dat. Laterani III. Non. Ianuar. an. III.

CXCI.

Iisdem, ut proventus ecclesiae de Fornindraut hospitalitatis officio applicare possint. Reg. An. III. epist. 32.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii sancti Thome Martiris de Aberbrother ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis, salutem etc. Gratia sedis apostolice, prout accepimus, vos in multis, sed in eo potissime dignos redditis, quod divino cultui et hospitalitatis officio cum omni diligentia deservitis. Ut autem huiusmodi pietatis opera facilius et liberius a vobis semper valeant exerceri, nos intuitu dilecti filii nostri I. tituli sancti Laurentii in Lucina presbiteri Cardinalis devotionis vestre precibus annuentes, presentium vobis auctoritate concedimus, ut ecclesiam de Fornindraut Aberdonensis diocesis, in qua, prout dicitur, ius patronatus habetis, et proventus eius annuam valentiam triginta marcarum sterlingorum iuxta communem extimationem patrie vix excedunt, cedente vel decedente rectore, ipsius diocesani Episcopi seu cuiuscumque alterius assensu minime requisito, vestris usibus applicare, ac eius possessionem ingredi et retinere libere valeatis. Proviso tamen, quod Capellano in eadem ecclesia domino perpetuo servituro competens per vos de ipsius proventibus portio, ex qua congrue sustentari et consueta ipsius ecclesie onera supportare valeat, assignetur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum ut supra.

CXCII.

Episcopo Moraviensi, ut quandam ecclesiam parrochialem mensae episcopali incorporare possit. Reg. An. III. ep. 58.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri Archebaldo Episcopo Moraviensi, salutem etc. Petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum ecclesia de Rechmalrune Moraviensis diocesis, spectans ad episcopalem mensam, fuisset eidem mense per sedem apostolicam confirmata, bone memorie ... Moraviensis Episcopus predecessor tuus ecclesiam de Rochymay prefate diocesis, que prefate ecclesie de Rechmalrune capella extitit ab antiquo, auctoritate ordinaria parrochialem ex certa causa constituit, quam nichilominus tam predecessor ipse, quam successores eius usque nunc ad usus eiusdem mense pacifice tenuerunt. Quia vero dilectus filius noster I. tituli sancti Laurentii in Lucina presbiter Cardinalis dictam ecclesiam de Rochymay, non obstante quod parrochialis est, tibi et per te tuis successoribus ad usus prefate mense de mandato nostro perpetuo deputavit, ac etiam confirmavit, prout in patentibus litteris eius inde confectis et suo sigillo munitis plenius continetur. Nos tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem Cardinale factum est, ratum et firmum habentes, de auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est. ¶ Frater Iohannes miseratione divina tituli sancti Laurentii in Lucina presbiter Cardinalis, Venerabili in Xp̄o patri Archebaldo dei gratia Moraviensi Episcopo, salutem in domino. Porrecta per nos et perlecta domino pape tua petitio continebat, quod cum ecclesia de Rechmalrune, cuius ecclesia de Rochymay tue diocesis capella extitit ab antiquo, dudum fuerit Episcopali mense Moraviensi per sedem apostolicam confirmata, et bone memorie ... Moraviensis Ep̄us, predecessor tuus, capellam ipsam auctoritate propria constituerit parrochialem ecclesiam ex causa necessaria et honesta, ipseque ac eius successores nichilominus dictam ecclesiam de Rochymay ad usus ipsius mense usque ad hec tempora tenuerint, et tu etiam ipsam pacifice possideas et quiete: ne per hoc, quod dictus predecessor prefatam capellam ecclesiam parrochialem constituit, ullum tibi vel eidem mense preiudicium generetur, et ut sine conscientie scrupulo eandem posses ecclesiam libere retinere, sedis eiusdem providentiam implorasti et supplicasti, tibi et successoribus tuis eandem ecclesiam ad usus predicte mense confirmari de novo. Nos autem de ipsius domini pape mandato et licentia super hoc a nobis specialiter requisita eandem ecclesiam, non obstante quod parrochialis existit, tibi et per te successoribus tuis ad usus predicte mense perpetuo deputamus, et auctoritate nobis ab eodem indulta domino confirmamus, presentes tibi litteras in testimonium concedentes, ita tamen quod eadem ecclesia debitis obsequiis non fraudetur. Datum Rome vii. Idus Decembris, Pontificatus dn̄i Alexandri pape IIII. anno primo. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani xv. Kal. Februarii, Pont. nostri anno tertio.

CXCIII.

Abbati et conventui de Lyndors ab oneribus in sua ecclesia de Dunde dioec. Brechinensis exempti declarantur. Reg. An. III. epist. 90.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii de Lyndors ordinis s. Benedicti Sancti Andree diocesis, salutem etc. Significastis nobis, quod vos ecclesiam de Dunde Brechinensis diocesis in usus proprios obtinetis, in qua perpetua vicaria auctoritate ordinaria est taxata, in ea perpetuo Vicario eiusdem ecclesie de ipsius proventibus assignata portione, ex qua commode sustentari potest, et tam episcopalia, quam alia ecclesie onera supportare. Nos tuis supplicationibus inclinati, ne diocesanus vel Archidiaconus loci occasione predictorum onerum, que dictus Vicarius supportare tenetur, aliquid de portione, quam vos in eadem ecclesia obtinetis, exigere vel ipsam portionem sequestrare presumant, auctoritate presentium districtius inhibemus, decernentes irritum et inane, si quid contra inhibitionis nostre tenorem a quoquam contigerit attemptari. Nulli etc. nostre inhibitionis et constitutionis etc. Dat. Laterani iiii. Id. Februarii, Pont. nostri anno iii.

CXCIV.

Monasterio de Mayo dioec. S. Andreae constitutio Innocentiana de solvendis procurationibus contra avaritiam praelatorum facta confirmatur. Reg. An. III. epist. 245.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori et Conventui Monasterii de Mayo Cluniacensis or-

dinis Sancti Andree diocesis, salutem etc. Ne in exhibendis immoderatis procurationibus onerentur ecclesie, ac in ipsis extorquendis prelati easdem visitantes ecclesias querendo inhoneste, que sua sunt, non que dei, animarum dispendium patiantur, felicis recordationis I. papa predecessor noster olim statuti sui decreto salubriter providere curavit, deliberatione provida statuens, quod salva in recipiendis procurationibus moderatione concilii generalis, nec Archiepus, nec Episcopus aliquis summam quatuor marcarum transcendat in unius procurationis sumptibus exigendis. Ne igitur vos et loca subiecta vobis contra huiusmodi constitutionis tenorem aut mentem gravari contingat, nos eiusdem predecessoris inherendo vestigiis, paterna volentes in hac parte sollicitudine precavere, sententias, si quas quicumque ordinarius aliquid contra hoc ultra summam predictam procurationis nomine exigendo per se, vel per alium, in vos vel aliquem vestrum, aut aliquos vobis subiectos id solvere recusantes duxerit promulgandas, presentium auctoritate decernimus non tenere, ac nullius existere firmitatis: districtius insuper inhibemus, ne a singulis pauperibus ecclesiis et locis vestris pretextu dicti statuti, ex quo volumus non gravaminis insoliti, sed utilis levaminis provenire materiam, preter solitam summam requiratur huiusmodi, sed contribuant ecclesie ac loca eadem cum aliis in huiusmodi procurationibus exhibendis, sicut eorumdem suadet tenuitas, et est hactenus observatum. Nulli ergo etc. nostre constitutionis, declarationis et inhibitionis etc. Datum Laterani v. Kal. Martii, Pont. n. anno tertio.

CXCV.

Episcopo Achadensi quarta pars decimarum in sua diocesi confirmatur. Reg. An. III. ep. 214.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Achadensi, salutem etc. Non est petitio improba, nec postulata conceduntur indigne, cum sic petentium desideriis prebetur assensus, quod ius non leditur alienum. Cum igitur, sicut lecta nobis fraternitatis tue petitio continebat, tam tu, quam predecessores tui Achadenses Episcopi in supplementum tenuitatis proventuum episcopalium, sicut ceteri fere Episcopi Tuamensis provincie in suis diocesibus faciunt, quartam partem decimarum in Achadensi diocesi perceperitis de antiqua consuetudine et approbata et hactenus pacifice observata: Nos igitur tuis precibus inclinati, quartam ipsam, sicut eam iuste obtines et quiete, tibi et per te Achadensi episcopatui concedimus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani Idibus Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

CXCVI.

Iudicibus, ut de quibusdam litteris pontificis falsificatis inquirant, et falsarios puniant. Reg. An. III. epist. 562.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati de Ieddewrth ordinis s. Augustini, et .. Theurdalie Glasguensis diocesis et ... Dumblanensi Archidiaconis, salut. etc. Inspecto transcripto litterarum, quas sub nomine nostro confectas nobilis vir Alanus dictus Hostiarius Aberdonensis diocesis ad Venerabilem fratrem nostrum ... Episcopum Brechinensem, et dilectum filium ... Decanum Dunkeldensem contra nobilem virum Willelmum Comitem de Marca dicitur reportasse, si littere ipse transcripto concordant, eas constat liquido esse falsas. Transcriptum autem litterarum ipsarum tale est.

Alexander episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri ... Episcopo Brechinensi, et dilecto filio ... Decano Dunkeldensi, salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilectus filius nobilis vir Alanus dictus Hostiarius Aberdonensis diocesis petitione monstravit, quod nobilis vir Willelmus de Marca Comitatum de Marca ad ipsum Alanum de iure spectantem detinet occupatum, cum Morgundus et Duncanus, quibus dictus Willelmus se in Comitatum eundem succedere asserit, non fuerint de legitimo matrimonio procreati. Quare nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc sibi paterna diligentia curaremus. Quocirca mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, et inquisita super premissis diligentius veritate, quod inde inveneritis nobis per vestras litteras fideliter intimetis, prefigentes partibus terminum peremptorium competentem, quo per se vel idoneos procuratores nostro se conspectui representent, facture ac recepture super eisdem, quod postulat ordo iuris. Datum Laterani Idus Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Ne igitur falsariorum culpa remaneat impunita, mandamus, quatenus litteras ipsas facientes vobis exhiberi, detentores ad exhibitionem earum, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, si eas inveneritis, quale est transcriptum predictum, easdem litteras esse falsas, et irritum quidquid est illarum occasione presumptum nuntiare curetis, nec non fabricatorem earum et quoslibet, quos scienter illis usos esse constiterit, iuxta constitutionem contra falsarios editam, appellatione postposita, castigatis. Non obstante constitutione etc. usque generali. Quod si non omnes hiis etc. Quidquid autem super hoc duxeritis faciendum, nobis vestris litteris harum seriem continentibus studeatis fideliter intimare. Datum Laterani v. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

CXCVII.

Iudicibus, ut de causa, quae inter rectorem ecclesiae de Insula et decanum ecclesiae de Wikecon dioec. Candidae Casae vertitur, inquirant, et referant. Reg. An. III. epist. 252.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori de Calchou et ... Archidiacono Teurdalie Glasguensis et Sancti Andree diocesum, salutem etc. Sua nobis dilectus filius Magister Symon de Claipol Rector ecclesie de Insula Candidecase diocesis, Capellanus dilecti filii nostri I. tituli sancti Laurentii in Lucina presbiteri Cardinalis, petitione monstravit: quod cum inter ipsum Magistrum et S. Decanum ecclesie de Wikecono Candidecase diocesis super medietate ecclesie prefate coram ... Subdecano Eboracensi aucto-

ritate bone memorie ... Archiepiscopi Eboracensis loci metropolitani, ad quem de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine huiusmodi causarum cognitio pertinet in supradicta diocesi, vacante sede Candidecase, que tunc pastore carebat, questio verteretur, idem Subdecanus, cognitis cause meritis et iuris ordine observato, diffinitivam pro dicto Magistro sententiam promulgavit: a qua cum memoratus Decanus ad sedem apostolicam vocem appellationis emittens, super appellatione sua ad ... Abbatem de Fauleset ipsius diocesis suumque collegam dicte sedis litteras impetrasset, ... Officialis Candidecase, cui iam dicti Abbas et collega commiserunt super hoc totaliter vices suas, perperam in causa procedens, prefatam difinitivam sententiam contra iustitiam infirmavit: propter quod ex parte ipsius Magistri fuit ad nostram audientiam appellatum, et tandem humiliter petitum a nobis, ut cum dicta causa, que iam per tres annos et amplius in suum grave preiudicium est protracta, propter potentiam vel malitiam nominati Decani nequeat in illis partibus commode terminari, super hoc adhibere oportunum remedium curaremus. Ideoque mandamus, quatenus de utroque processu legitime cognoscentes, illum, quem inveneritis legitimum, infirmato reliquo, sicut iustum fuerit, infra tres menses a receptione presentium confirmetis. Quod si forte non per eundem Magistrum, sed propter predicti Decani potentiam vel malitiam steterit, quin id infra prescriptum tempus valeat provenire, vos ex tunc huiusmodi negotium instructum vel non instructum ad nostrum remittatis examen, prefixo partibus termino peremptorio competenti, quo per se vel procuratores ydoneos cum omnibus rationibus, et munimentis suis negotium ipsum contingentibus nostro se conspectui representent, facture et recepture super premissis, quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis et formam nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter exponere procuretis. Dat. Laterani III. Nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

CXCVIII.

Walterus ecclesiae Tuamensi, reiecto Iacobo a capitulo eiusdem ecclesiae electo, praeficitur. Reg. An. III. epist. 322.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Capitulo Tuamensi, salutem etc. Suscepte servitutis officium nos inducit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias solertiam adhibentes ipsarum utilitatibus intendamus, in ea maxime, ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos et spiritualibus proficiant institutis, et incrementis temporalibus augeantur. Presentata siquidem nobis postulatione facta a vobis in ecclesia Tuamensi, (pastoris) solatio destituta, de dil. filio fratre Iacobo Huclathuan de ordine fratrum Minorum, non persone, cui laudabile testimonium perhibetur, vitio non admissa, Venerabilem fratrem nostrum Magistrum Walterum Archiepiscopum Tuamensem, tunc Decanum ecclesie s. Pauli Londoniensis, Capellanum nostrum, utpote dono scientie preditum, ornatum moribus, ac vite integritate conspicuum, et nobis ac fratribus nostris merito sue probitatis specialiter carum, eidem Tuamensi ecclesie de fratrum ipsorum consilio perfecimus in Archiepiscopum et pastorem, sibi consecrationis munus propriis manibus impendendo, spe nobis proposita, quod auctore illo, qui dans virtutes premia tribuit et gratiam gratie superaddit, predicta Tuamensis ecclesia per diligentie sue studium grata in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Ipsum igitur ad prefatam Tuamensem ecclesiam cum plenitudine nostre gratie transmittentes, Universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Archiepiscopum recipientes benigne ac honeste tractantes, sibi tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis, et exhibeatis obedientiam et reverentiam debitam et devotam, eius salubria monita et mandata suscipiendo devote ac irrefragabiliter observando. Alioquin sententiam, quam idem propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore deo, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Viterbii IIII. Kal. Iunii, Pont. nostri anno primo.

In e. m. Clero et populo civitatis et dioecesis Tuamensis, et Carissimo in Christo filio ... Illustri Regi Anglie.

CXCIX.

Magister Thomasius Gheroldi canonicus Dublinensis creatur capellanus pontificis. Reg. An. III. epist. 263.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Magistro Thomasio nato nobilis viri Mauritii Gheroldi de Ybernia, Canonico Dublinensi, Capellano nostro, Aureliani commoranti, salutem etc. Meritis tue probitatis inducimur, ut personam tuam quadam prerogativa gratie prosequentes, eam et oportuno muniamus favore ac honore congruo attollamus. Ut igitur eo ferventius nostris et apostolice sedis insistas servitiis, quo amplius per nos te senseris honorari, te de speciali benevolentia in Capellanum nostrum duximus admittendum. Dat. Laterani II. Nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

CC.

Fratribus monasterii de Kalkou in Scotia, ut propter intemperiem aeris pilleos uti possint. Reg. An. III. epist. 355.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii de Kalkou ordinis s. Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Sancti Andree diocesis, salutem etc. Erga omnes, qui Christiane professionis censentur, habentes in opportunitatibus suis paterne benignitatis affectum, illis specialiter volumus et esse debemus in eorum necessitatibus favorabiles et benigni, qui, omnibus bonis suis remunerationis eterne consideratione relictis, domino famulantur in habitu monachali. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum in Monasterio vestro, in frigida zona regionis Scotie constituto, nonnulli de fratribus ve-

stris propter inclementiam et frigitatem aeris illius loci defecerint capite non velato, et ex hoc dictum Monasterium in spiritualibus et temporalibus non modicam incurrerit lesionem, providere vobis in hac parte misericorditer curaremus. Nos itaque sollicite pietatis affectu vestris supplicationibus annuentes, ut pilleis ordini vestro competentibus uti libere valeatis, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Viterbii Id. Iunii, Pontificatus nostri anno tertio.

CCI.

Gamelino episcopo S. Andreae bonis prius restitutis, de criminibus ei a rege Scotiae obiectis inquiratur et iudicetur. Reg. An. III. ep. 640.

Alexander episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Venientes dudum ad sedem apostolicam dilecti filii Magister Iordanus Loccard clericus et Robertus de Theweng miles, procuratores Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotorum Illustris, coram nobis et fratribus nostris proponere curaverunt, quod ipsi tempore consecrationis venerabilis fratris nostri Gamelini Episcopi Sancti Andree in Scotia quasdam causas legitimas, propter quas idem nullatenus consecrari debebat, proposuerunt coram conservatoribus ei ab eadem sede concessis, quas postmodum in libello coram nobis in iudicio exhibita exposuerunt: videlicet quod ipse Gamelinus pro eo, quod longo tempore dicti Regis et Regni administrarat negocia, multaque ad manus eius de proventibus ipsius Regni ac etiam dicte ecclesie Sancti Andree pervenerant, de quibus nullam reddiderat rationem, magnis tenebatur ratiociniis obligatus, ac per hoc, antequam de illis rationem redderet, non debebat ad munus consecrationis admitti. Quodque idem, cum esset dicti Regis Cancellarius, et bona dicte ecclesie S. Andree ipsius Regis nomine custodiret, litteras et nuncios ad dilectos filios ... Priorem et Conventum prefate ecclesie Sancti Andree ex parte Regia destinavit, ut eum in suum Episcopum postularent, eis per huiusmodi litteras et nuncios gravissimos incutiendo terrores, videlicet quod idem Rex ipsos non solum de dicta ecclesia, sed etiam de toto Regno expelleret, si eligere vel postulare alium attemptarent. Et ut magis ad suum propositum arctaret eosdem, fecit eis victualia subtrahi et negari, quod eos inedia famis mori faceret comminando, sicque cum per impressionem huiusmodi postulatio facta de ipso vitiosa extiterit, taliter postulatus non erat aliquatenus consecrandus, cum nec nos postulationem admisissemus eandem, si hec de ipso ad nostram notitiam pervenissent. Et cum idem Gamelinus iuraverit, dictum Regem et Regnum ac Regni bona, et prefatam ecclesiam Sancti Andree cum bonis eiusdem fideliter custodire, ipse salutis proprie immemor non absque reatu periurii multa de bonis ipsius Regis et Regni, ac etiam dicte ecclesie subreptione illicita contractavit, ea suis utilitatibus applicando: aliis etiam periuriis in eiusdem Regis et Regni non modicum detrimentum dampnabiliter se involvit. Cum enim de custodiendo fideliter ipsius Regis sigillo, et de non sigillandis in eius preiudicium aliquibus litteris absque speciali Regis eiusdem et procerum suorum mandato se corporali astrinxerit iuramento, idem, religione violata ipsius, dicto Rege inscio et ignaro, multas litteras sigillavit, per quas idem Rex gravibus debitis, que non fuerunt in ipsius utilitatem conversa, est quibusdam creditoribus obligatus. Aliis nichilominus ad nos et fratres nostros ex parte regia deprecatoriis litteris, ab eo preter ipsius Regis conscientiam eodem sigillatis sigillo, ex quibus per obreptionem a nobis obtinuit postulationem suam ad gratiam confirmationis admitti. Quare dicebant procuratores Regis prefati, dictum Gamelinum tot periuriis irritum propter premissa non debere aliquatenus consecrari: et ne prefati consecratores ad ipsius consecrationem procederent, ad nostram audientiam appellarunt. Verum dicti procuratores petebant a nobis, ut cum ipsi parati essent huiusmodi appellationem prosequi coram nobis, dilectum filium Magistrum Robertum de Prebenda, Capellanum nostrum, procuratorem ipsius Epi Sancti Andree respondere libello, quem ei offerebant ex parte regia, faceremus. Sed dictus procurator Epi proposuit ex adverso, quod cum idem Episcopus post admissionem postulationis sue cum cause cognitione a nobis obtentam, ac etiam post consecrationem suam tenuerit et possederit bona temporalia ad ecclesiam suam spectantia, et in eorum possessione fuerit, ac predictus Rex vel alii eius nomine et auctoritate, ipso id ratum habente, dictum Episcopum Sancti Andree bonis huiusmodi spoliarint, illaque a tempore spoliationis huiusmodi detinuerint, et adhuc occupata tenerent in suum et eiusdem ecclesie preiudicium, plurimorum scandalum, ac contra ecclesiasticam libertatem, respondere libello sibi pro parte Regis oblato, nisi prius fieret eidem Episcopo bonorum restitutio predictorum, nullatenus tenebatur: quin immo instanter petiit, antequam in huiusmodi procederetur negotio, restitui prefatum Episcopum Sancti Andree ad omnia bona predicta, quibus fuerat per potentiam regiam spoliatus. Sed dictis procuratoribus Regis eiusdem huiusmodi possessionem ipsius Epi Sancti Andree, et possessionem factam per eundem Regem inficiantibus et asserentibus, ipsum Regem a tempore obitus bone memorie Abel Episcopi Sancti Andree predicta bona temporalia ipsius ecclesie, ex quadam approbata Regni sui consuetudine, continue possedisse, ac commisisse predicto Gamelino Episcopo tunc ipsius Regis Cancellario bonorum custodiam eorumdem, et antequam de sue postulationis admissione constaret, commissionem huiusmodi, eodem Gamellino amoto, ab eisdem bonis penitus revocasse, et sic eum ad bona predicta restitui non deberet. Demum tam procurator Episcopi ad probandam possessionem et spoliationem huiusmodi, quam dicti procucuratores Regis eiusdem, ut reprobarent per quosdam articulos ipsius procuratoris intentionem, dicto Gamellino Epo interim in nostra comparente presentia, testes producere curaverunt. Nos autem testes hinc inde productos examinari fecimus diligenter, et tam per ipsorum attestationes et patentes litteras iudicium,

quibus super huiusmodi negotio scripseramus, et quorumdam Prelatorum, qui nobis super eodem negotio fideliter rescripserunt, quam per concessionem partium factas in iudicio coram nobis, ac etiam per famam publicam tantum de huiusmodi cause meritis nobis liquet, quod de fratrum nostrorum ordinamus consilio, ut dictus Episcopus ante omnia restituatur plenarie ad bona temporalia supradicta cum fructibus perceptis ex eis, et in ipsorum possessionem plenam et pacificam reducatur. Et quia idem Epus contra dictum Regem se suamque causam efficaciter defendere non valeret, nisi eo primo ab ipso Rege ydonea securitas prestaretur: volumus, quod Rex ipse sufficientem eidem Episcopo securitatem exhibeat, quod ipsum vel suos per se aut suos in personis vel rebus aliquatenus non offendet. Et eodem Episcopo predictorum bonorum cum perceptis ex eis fructibus possessionem plenariam obtinente, sibique huiusmodi securitate a Rege prestita memorato, postea Rex ipse contra dictum Episcopum super obiectis criminibus audiatur, et testes recipiuntur hinc inde super eisdem criminibus, et reprobatione testium eorumdem. Sententias autem excommunicationis et interdicti a predictis iudicibus, et ab eodem Episcopo S. Andree predictarum spoliationis et occupationis occasione prolatas, postquam idem Sancti Andree Episcopus ad bona predicta fuerit integre restitutus, decernimus per eos, qui easdem tulere sententias, fore secundum formam ecclesie penitus relaxandas. Alioquin per dilectum filium Magistrum Gottifridum de Alatro, Capellanum nostrum, Decanum Olenensem, quem in Scotiam specialiter pro huiusmodi negotio mittimus, iuxta eandem formam dicte sententie relaxentur. Nulli ergo etc. nostre ordinationis infringere etc. Datum Viterbii XIII. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

CCII.

Magistro Gottifrido de Alatro, ut praedictam sententiam de epo S. Andreae latam exequendam curet. Reg. An. III. epist. 640.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Magistro Gottifrido de Alatro, Capellano nostro, Olenensi Decano, salutem etc. Ut in causarum decisionibus post habitas controversias litium presidentis diffinitio debitum robur obtineat, nec iudicia delusoria videantur, executionis potestas iuris est auctoritate provisa, qua improbitate refragantium refrenata, quod iuste decernitur, vel pro bono et equo providentia statuit iudicantis, suum sortitur effectum. Sane venientes dudum ad sedem apostolicm dilecti filii Magister Iordanus Loccard clericus, et Robertus de Theweng miles, procuratores Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotorum Illustris, coram nobis et fratribus nostris proponere curaverunt etc. ut in alia usque de fratrum nostrorum consilio duximus ordinandum, ut dictus Episcopus ante omnia restituatur plenarie etc. usque alioquin per te, quem in Scotia specialiter pro huiusmodi negotio mittimus etc. usque relaxentur. Volentes igitur ordinationem huiusmodi executioni efficaciter demandari, mandamus, quatenus te ad partes illas personaliter conferens, ad predicta bona temporalia cum fructibus perceptis ex eis plenarie restitui facias Episcopum memoratum, et in ipsorum plenam et pacificam possessionem reducas eundem, sibique a dicto Rege iuxta predicte ordinationis nostre tenorem ydoneam facias securitatem prestari, quod ipsum vel suos per se aut suos in personis vel rebus aliquatenus non offendet, prefatum Regem eiusque Consiliarios, ac quoslibet alios cuiuscumque dignitatis vel honoris existant, si super hiis se duxerint opponendos, per excommunicationis in personas, et generalis in Regnum Scotie, ac specialis in Consiliariorum ipsorum et aliorum refragantium terras interdicti sententias, appellatione postposita, cohercendo. Non obstante si eidem Regi seu Consiliariis ipsis, aut quibuslibet aliis eiusdem Regni a predicta sede indultum existat, quod excommunicari, quodque dictum Regnum sine speciali apostolice sedis mandato, vel Rege ipso infra etatem legitimam constituto, aut Consiliariorum seu personarum huiusmodi terre ecclesiastico interdicto supponi, vel idem Rex et ipsius Regni homines extra Regnum ipsum trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, aut qualibet alia dicte sedis indulgentia cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus presentium quomodolibet impediri valeat vel differri, sive constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Cum autem dictus Rex eidem Epo iuxta formam predictam securitatem prestiterit, et idem Episcopus predictorum bonorum cum perceptis ex eis fructibus possessionem plenariam obtinuerit et quietam, eundem Regem contra Episcopum ipsum super obiectis omnibus audias, et testes hinc inde super eisdem criminibus et reprobatione testium eorumdem recipias et examines diligenter. Volumus autem, ut si dicti iudices et Episcopus dictas excommunicationis et interdicti sententias, ab eis predictarum spoliationis et occupationis occasione prolatas, postquam idem Episcopus ad bona predicta fuerit integre restitutus, neglexerint iuxta predictam formam ecclesie relaxare, eas ex tunc secundum formam eandem sine qualibet difficultate relaxes. Datum Viterbii VII. Kal. Octobris, Pont. nostri anno tertio.

CCIII.

Iudicibus, ut sententia a cardinale s. Mariae in via lata super questione natalium Morgundi Scoti lata, de iis inquirant et decernant. Reg. An. III. epist. 680. (Conf. supra Nr. CXCVI. pag. 75.]

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Electo et ... Priori Predicatorum Aberdonensibus, salutem etc. Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Alanus dictus Hostiarius, Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotie Illustris sororius, quod cum nobilis vir Guillelmus de Marca Aberdonensis diocesis Comitatum de Marca, ad prefatum Alanum de iure spectantem, detinere in eiusdem Alani preiudicium occupatum, ac Morgundus et Duncanus defuncti, quibus dictus Guillelmus in Comitatu ipso se succedere asserit, non fuerint de legitimo matrimonio procreati,

dictus Alanus quasdam super hoc per quendam procuratorem suum ad venerabilem fratrem nostrum ... Episcopum Brechinensem suumque collegam impetravit litteras apostolicas, inter cetera continentes, ut vocatis qui vocandi essent, et inquisita super premissis diligentius veritate, quod invenirent per suas nobis litteras intimarent, prefigendo partibus terminum peremptorium competentem, quo per se vel per procuratores idoneos ad causam huiusmodi sufficienter instructos nostro se conspectui presentarent, facture ac recepture, quod ordo exegerit rationis. Sed cum idem Episcopus et collega in eodem negotio procedentes, processum suum ad examen apostolicum iuxta dictarum litterarum continentiam remisissent, nos postmodum causam huiusmodi dilecto filio nostro O. sancte Marie in Vialata diacono Cardinali commisimus terminandam: coram quo causa ipsa pendente, pars altera coram ipso quasdam litteras sub bulla nostra confectas, predictarum ad dictos Epum et collegam obtentarum tenorem totaliter continentes, quas idem Guilielmus ad ... Abbatem Monasterii de Ieddewrd suosque collegas impetrarat, ostendit, per quas predictas litteras ad Epum et collegam predictos obtentas, si talis foret tenor ipsarum per omnia, qualis in secundis litteris insertus fuerat, falsas esse dicimur decrevisse. Verum partibus super hiis coram eodem Cardinali ad invicem diutius litigantibus, tandem dictus Cardinalis, auditis et intellectis rationibus et allegationibus, quas partes voluerunt proponere coram eo, cum procurator Alani predicti originale litterarum ipsarum nequiverit ostendere coram ipso, cum illud iuramento suo assereret fore in partibus Scoticanis, volens parcere partium laboribus et expensis, relatione de predictis omnibus nobis facta, de nostra licentia et mandato, ac etiam de voluntate partium et assensu litteras utrasque impetratas ex parte ipsius Alani, et ex parte etiam Guilielmi Comitis memorati, et processus omnes habitos per easdem cassavit et irritavit, cassos etiam et irritos nuntiavit, cassans nichilominus omnem processum, si quis auctoritate litterarum ex parte ipsius Comitis impetratarum decetero coram quocumque Iudice haberetur, partibus super iure suo in questione huiusmodi litteras impetrandi licentiam concedendo, prout in litteris Cardinalis eiusdem plenius continetur. Nos igitur, quod per eundem Cardinalem super hoc factum est, ratum et gratum habentes, ac auctoritate apostolica confirmantes mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, super natalibus dicti Morgundi inquiratis diligentius veritatem, et quod canonicum fuerit, appellatione postposita, decernatis etc. usque observari, dicto Regi Comitatus ipsius iudicio reservato. Testes autem etc. usque perhibere. Non obstante indulgentia, qua tibi, fili Prior, et fratribus tui ordinis a sede apostolica dicitur esse concessum, quod de causis inviti cognoscere minime teneamini, que vobis a sede committuntur eadem, et que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Datum Viterbii IIII. Nonas Octobris, Pont. nostri anno tertio.

CCIV.

Regi Scotiae suisque successoribus omnia privilegia sibi et antecessoribus suis concessa innovantur. Reg. An. III. ep. 672.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio ... Regi Scotie Illustri, salutem etc. Quanto personam tuam sinceriori affectione diligimus, et inter alios orbis principes specialiter proponimus honorare, tanto libentius petitionibus tuis annuimus et liberalius exauditionis ianuam aperimus. Hinc est, quod nos devotionis tue precibus inclinati privilegia et indulgentias, quibus tuam et progenitorum tuorum personas sedes apostolica exigentibus domus tue meritis honoravit, nec non antiquas et rationabiles consuetudines Regni tui, in quarum possessione vel quasi tu et antecessores tui fuistis hactenus a tempore, cuius memoria non existit, sicut eas iuste obtines et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Viterbii XVI. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCV.

Fratribus s. Mariae de Gloria Anagninae confirmatur collatio ecclesiae s. Beraci Midensis dioecesis, ab archiepiscopo Armachano ipsis facta. Reg. An. IV. ep. 83.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii sancte Marie de Gloria Anagnine Florensis ordinis, salutem etc. Venerabilis frater noster ... Archiepiscopus Armachanus et totius Ibernie primas religionem vestram, et devotionis obsequia bone memorie B. Archiepiscopo Armachano, predecessori suo, a vobis dudum caritative impensa, quodque pro reparandis vestris domibus ruinosis multas expensas vos subire oporteat, diligenter attendens, ecclesiam sancti Beraci, que in partibus illis Kellberig vulgariter appellatur, Midensis diocesis, tunc de iure vacantem et ad collationem ipsius Archiepiscopi pertinentem, vobis propter hoc auctoritate propria sub certa forma concessit, prout in patentibus eiusdem Archiepiscopi litteris, quarum tenorem inspeximus, plenius continentur. Nos igitur, etsi caritatis affectum circa hoc ab eodem Archiepo vobis exhibitum in dno commendemus, ut tamen huiusmodi gratia vobis reddatur utilis, et maiorem obtineat firmitatem, ecclesiam ipsam ad collationem eiusdem Archiepiscopi, vel cuiuscumque alterius ecclesiastice persone spectantem vobis, et per vos Monasterio vestro in proprios usus auctoritate apostolica de novo concedimus, et vestris usibus in perpetuum applicamus, intrandi possessionem ipsius ecclesie, ac percipiendi et possedendi eam et proventus eiusdem, nullius requisito consensu, vobis dantes liberam facultatem, reservata tamen perpetuo vicario deservituro ibidem de ipsius proventibus congrua portione, de qua congrue sustentari valeat, et episcopalia iura et alia etiam onera supportare. Decernimus etiam irritum et inane, quicquid de ipsa ecclesia, postquam eam idem Archiepiscopus vobis iuxta predictum modum concessit, a quoquam est attemptatum forsitan cuiuscumque auctoritate, vel de cetero contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre

concessionis et constitutionis etc. Datum Viterbii v. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

Liceat hic aliam eiusdem pontificis constitutionem in commodum eiusdem monasterii editam subiungere, ut donatio ipsi ab archiepiscopo Armachano facta eo evidentior reddatur.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Magistro Iordano Subdiacono et Notario nostro, salutem etc. Supplicantibus olim dilectis filiis ... Abbate et Conventui Monasterii sancte Marie de Gloria Anagnine felicis recordationis Innocentio papa IIII. predecessori nostro, ut cum ipsi terras, possessiones, armarium, domos et molendinum spectantia ad ecclesiam sancti Iohannis in Pedemonte Castri Sarmineti Terracinsis diocesis, ad ipsum Monasterium cum omnibus iuribus et pertinentiis suis spectantem, ac terras et possessiones Hospitalis ipsius ecclesie, quod ibi esse consueverat, et quoddam aliud molendinum, quod dicitur de Ianitelle in tenimento Castri Aqueputride, spectans olim ad Romanam ecclesiam ex dono felicis recordationis Gregorii papa VIII. predecessoris nostri, haberent commutandi huiusmodi terras, possessiones, armarium, domos et molendina in alias terras vel possessiones utiliores eidem Monasterio, vel vendendi predicta omnia, ita quod eorum pretium in utilitatem ipsius Monasterii converteretur, licentiam concedere curaret eisdem. Dictus Innocentius predecessor, nobis tunc in minori officio constitutis, suis sub certa forma dedit litteris in mandatis, ut ipsis huiusmodi licentiam apostolica concederemus auctoritate, si expedire utilitati eiusdem Monasterii videremus. Nos autem, inquisitione ac deliberatione super hiis habita diligenti, quia liquido cognovimus utilitati ipsius Monasterii plurimum expedire, ad requisitionem et instantiam predictorum Abbatis et Conventus, auctoritate nobis super hoc per predictas litteras tradita, tribuimus et concessimus licentiam eisdem Abbatis et Conventui commutandi predicta omnia in alias terras, vel possessiones utiliores eidem Monastero, vel vendendi ea tibi pro certa pecunie quantitate, cum alius vel alii non invenirentur, sollempnitate premissa, que in talibus exigitur, qui tantum pretium pro premissis omnibus vellent dare, ita quod huiusmodi pretium in utilitate Monasterii convertiretur eiusdem. Memorati vero Abbas et Conventus huiusmodi a nobis obtenta licentia prefata molendinum, quod dicitur de Ianitelle, et quod in tenimento prepredicti Castri Aqueputride, spectans olim ad Romanam ecclesiam ex dono predicti Gregorii predecessoris, habebant, prout superius est expressum, cum ceteris premissis, tibi tuisque heredibus pro certa quantitate pecunie vendiderunt, sicut in instrumento publico confecto exinde plenius perspeximus contineri. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, venditionem huiusmodi ratam habentes et gratam, ac supplentes omnem defectum, si quis ex quacumque occasione vel causa in illa extitit, de apostolice plenitudine potestatis, eam de fratrum nostrorum consilio et assensu apostolica auctoritate ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus: ita quod tu et iidem heredes predictum molendinum de Ianitelle, pro quo prefatum Monasterium nullum Rocce predicti Castri vel ipsi Romane ecclesie faciebat servitium, nec in aliquo tenebatur, cum ea libertate perpetuo habeatis, teneatis et possideatis, cum qua illud habebat, tenebat et possidebat Monasterium memoratum. Nulli etc. nostre confirmationis et supplecionis etc. Datum Laterani per manum Magistri Rolandi sancte Romane ecclesie Vicecancellarii v. Idus Maii, Indict. xv., Incarnationis dñice anno M.CC.LVII. Pontificatus vero dñi Alexandri pp. IIII. anno tertio.

CCVI.

Iudicibus, ut fratres s. Mariae de Gloria Anagninae in possessionem ecclesiae ipsis ab archiepo Armacano collatae inducant. Reg. An. IV. ep. 84.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo et dilecto filio ... Archidiacono Casselensibus, Capellano nostro, salut. etc. Venerabilis frater noster ... Archiepiscopus Armachanus, et totius Ybernie primas, religionem dilectorum filiorum ... Abbatis et Conventus monasterii sancte Marie de Gloria Anagnine Florensis ordinis, et devotionis obsequia etc. in proprios usus per nostras litteras de novo duximus concedendam, et eorum usibus in perpetuum applicandam, intrandi possessionem ipsius ecclesie ac possidendi et percipiendi eam etc. supportare. Decrevimus etiam irritum et inane quicquid etc. attemptari. Quocirca mandamus, quatenus eosdem Abbatem et Conventum, vel eorum procuratorem ipsorum nomine inducatis per vos, vel per alium in corporalem possessionem ipsius ecclesie ac pertinentiarum eiusdem, et defendatis inductos, amoto ab ea quolibet detentore. Contradictores etc. Invocato ad hoc, si necesse fuerit auxilio brachii secularis. Non obstante constitutione etc. Quod si non ambo etc. Datum Viterbii v. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

CCVII.

Archiepiscopo Armachano, ut in commodum ecclesiae suae 500. marcas sterlingorum mutuum contrahere possit. Reg. An. IV. ep. 45.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri Abraham Archiepiscopo Armachano, Ybernie Primati, salutem etc. Cum sicut in nostra proposuisti presentia constitutus pro expediendis ecclesie tue negotiis, pro quibus ad sedem apostolicam accessisti, te subire oporteat onera expensarum, ac pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat: nos tuis supplicationibus inclinati contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam quingentarum marcarum sterlingorum, et obligandi creditoribus usque ad summam huiusmodi te et successores tuos ac ecclesiam Armachanam, nec non renunciandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum, nec non et convocationi iudicum, si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cuiuscumque tenoris imposterum impetrari contigerit, auctoritate tibi presentium concedimus facultatem: Ita tamen quod tu et successores tui, ac ecclesia Armachana teneamini ad huiusmodi pecuniam persolvendam, et ad penam, dampna, expensas et interesse, si in termino a te statuendo pecuniam

non solveris memoratam, sublata ipsis creditoribus necessitate probandi, quod pecunia eadem in utilitatem Armachane ecclesie sit conversa, pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis, Non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis, de quibus in nostris litteris fieri oporteat mentionem, et per que tu et successores tui ac dicta ecclesia valeatis in aliquo vos tueri. Dat. Viterbii xII. Kal. Ianuarii, anno v.

CCVIII.

Canonicis S. Andreae in Scotia, ut Petro nato comitis de Cabaliaca ecclesiam de Chinachim, qua privatus fuerat, quando Friderico II. imperatori adhaeserat, restituere possint. Reg. An. V. epist. 47.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori et Capitulo Cathedralis ecclesie Sancti Andree in Scotia ordinis sancti Augustini, salutem etc. Constitutus in presentia nostra dilectus filius Petrus clericus, natus nobilis viri Georgii Comitis de Cabaliaca, nobis exposuit, quod eidem nobili quibusdam ipsius emulis imponentibus, quod ipse quondam Friderici olim Imperatoris fautor erat, felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster eundem Petrum ecclesia de Chinachim Sancti Andree diocesis, quam canonice fuerat assecutus, et aliquandiu possederat pacifice et quiete, et in qua ius patronatus habetis, huiusmodi occasione privavit, et eam postmodum vobis in usus proprios dicitur concessisse. Quare idem Petrus nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse in devotione sedis apostolice semper perstiterit et persistat, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque dicto Petro propter sue devotionis merita, et obtentu dilectorum filiorum nostrorum O. sancte Marie in Via lata et O. sancti Adriani Diaconorum Cardinalium, pro ipso apostolicam gratiam implorantium, volentes gratiam facere specialem, Universitatem vestram rogamus et hortamur attente mandantes, quatenus predicto Petro, vel procuratori suo eius nomine, si vobis placet, ecclesiam restituatis eandem, ita tamen, quod per hoc nullum vobis preiudicium generetur: quin autem eadem ecclesia, eo cedente vel decedente, ad vos libere revertatur, a vobis iuxta concessionem vobis factam de ipsa per predecessorem eundem in usus huiusmodi retinenda. Quod si hoc facere forte nolueritis, eidem Petro de beneficio ecclesiastico equivalenti ad collationem vestram spectante consueto clericis secularibus assignari, si vacat ad presens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, providere curetis. Alioquin dilecto filio Magistro Rosino de Tohenengo, Capellano nostro, Canonico Eboracensi damus nostris litteris in mandatis, ut ipse super provisione de huiusmodi beneficio ipsi Clerico facienda per se vel per alium mandatum apostolicum exequatur. Contradictores etc. Non obstante etc. Dat. Anagnie II. Id. Februarii, P. n. anno v.

CCIX.

Archiepiscopo Tuamensi facultas datur 2400. marc. sterlingorum mutuum contrahendi in commodum suae ecclesiae. Reg. An. V. ep. 100.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri Thome Archiepo Tuamensi, et dilectis filiis Magistris Christiano et Thome Canonicis Elfinensibus, procuratoribus, ... Decani et Capituli Tuamensium, sal. etc. Cum sicut in nostra proposuistis presentia constituti pro expediendis negotiis tuis, frater Archiepiscope, et dilectorum filiorum ... Decani et Capituli ecclesie Tuamensis, pro quibus ad sedem apostolicam consistis, vos subire oporteat onera expensarum: ne pro defectu ipsorum eadem inexpedita remanere contingat, nos vestris supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam duorum milium et quadringentarum marcarum sterlingorum, ac obligandi creditoribus usque ad summam huiusmodi te, Archiepiscope, et successores tuos, ac Decanum et Capitulum et ecclesiam Tuamensem ac bona eorum, nec non successores ipsorum, et renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, et beneficio restitutionis in integrum, necnon et conventioni iudicum, si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cuiuscumque tenoris imposterum impetrari contigerit, auctoritate vobis presentium concedimus facultatem: Ita tamen quod tu, Archiepe, et successores tui, et Decanus, Capitulum predicti ac successores ipsorum, usuris omnino cessantibus, teneamini ad huiusmodi pecuniam persolvendam, et ad dampna, expensas et interesse, si in termino a vobis statuendo pecuniam non persolveritis memoratam, sublata ipsis creditoribus necessitate probandi, quod pecunia eadem in utilitatem dicte ecclesie sit conversa, pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis, Non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis, de quibus in nostris litteris oporteat fieri mentionem, et per que tu, frater Archiepiscope, et successores tui, ac prefati Decanus et Capitulum ac successores eorum valeatis super hiis in aliquo vos tueri. Datum Anagnie III. Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno quinto.

CCX.

Archiepiscopo Dublinensi unio decanatus s. Mariae de Peneris cum ecclesia sua conceditur. Reg. An. V. epist. 225.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, sal. etc. Personam tuam, et tui obtentu ecclesiam Dublinensem favore speciali prosequimur, quia id devotionis tue sinceritas promeretur. Sane porrecta nobis ex parte tua petitio continebat, quod clare memorie I. Rex Anglorum Advocatiam Decanatus ecclesie sancte Marie de Peneris Conventrensis diocesis, cum pertinentiis et libertatibus suis, certo modo concessit pro anime sue remedio Archiepiscopatui Dublinensi, et ipsa concessio fuit per sedem apostolicam confirmata, quodque tam tu, quam predecessores tui Decanatum ipsum per quadraginta annos et amplius continue tenuistis, et contulistis prebendas, que ad collationem Decanatus eiusdem ibidem pertinent, quotiens interim in eadem ecclesia vacaverunt. Verum quia Decanatus ipse, ut asseris, in sola prebendarum ipsius ecclesie collatione consistens, nullos habet redditus aut proventus, de quibus posset Decanus, cui eum conferri contingat, sustentari, petiisti eum Dublinensi ecclesie counirì. Nos

itaque tuis supplicationibus inclinati, dictum Decanatum cum omnibus libertatibus, immunitatibus et iuribus suis tibi et per te prefato Archiepiscopatui pleno iure in perpetuum concedimus et unimus: ita quod nullus in eo decetero instituatur Decanus, sed tu ac successores tui Decanatus ibidem fungamini per omnia et in omnibus dignitate. Nos insuper irritum et inane decernimus, quicquid contra concessionis et unionis nostre tenorem super Decanatu ipso contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre concessionis, unionis et constitutionis etc. Datum Anagnie II. Non. Novembris, Pontificatus nostri anno quinto.

CCXI.

Episcopo Clonensi, ut quendam Mauritium cum Matilda de Prendelgast in matrimonio remanere sinat. Reg. An. V. epist. 201.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Clonensi, salutem etc. Lecta nobis dilecti filii nobilis viri Mauricii nati Mauricii tue diocesis petitio continebat, quod quondam David fratre suo, qui cum Matilda filia Geraldi de Prendelgast infra septennium constituta sponsalia de facto contraxerint, viam universe carnis ingresso, antequam ipsa Matilda ad huiusmodi septennium perveniret, idem Mauricius dictam Matildam post huiusmodi septennium sibi matrimonialiter copulavit, et carnaliter cognovit eandem, unde cum eo pretextu, quod dictus David cum eadem Matilda, ut predictum est, taliter contraxerat, dictus nobilis a te supra huiusmodi matrimonio molestetur, ipse ad sedem duxit apostolicam recurrendum. Quocirca mandamus, quatenus, si est ita et aliud canonicum non obsistat, ipsum ob hoc ulterius non molestes. Datum Anagnie v. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno quinto.

CCXII.

Ecclesia S. Andreae in Scotia una cum suis bonis sub protectione sanctae sedis recipitur. Reg. An. V. epist. 214.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Sancti Andree, salutem etc. Etsi omnium ecclesiarum sollicitudinem teneamur gerere generalem, illas tamen, que ad Romanam ecclesiam nullo mediante pertinent, intueri sollicitius nos oportet, precavendo indempnitatibus eorumdem et profectibus ipsarum, prout nobis donat dominus, intendendo. Hinc est, quod nos volentes, quantum cum deo possumus, ecclesie tue Sancti Andree a futuro gravamine precavere, ut te nature debitum persolvente, Carissimus in Christo filius noster ... Rex Scotie Illustris, vel aliquis alius bona mobilia predicte ecclesie occupare nequeant, cum hoc ipsi non habeant de consuetudine vel a iure, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli ergo etc. nostre inhibitionis etc. Datum Anagnie XII. Kal. Decembris, P. n. anno quinto.

CCXIII.

Monasterio s. Thomae M. de Abrebrodoc in Scotia ecclesia de Hautwisil conceditur. Reg. An. V. epist. 213.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii sancti Thome Martiris de Abrebrodoc ordinis sancti Benedicti, S. Andree diocesis, salutem etc. Iniuncti officii sollicitudo nos ammonet, ut de personis religiosis precipue cogitantes, eas speciali favore ac gratia prosequamur. Hinc est, quod cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, propter multitudinem hospitum et pauperum ad Monasterium vestrum confluentium, quibus humanitatis solatia exhibentur, vos subire oporteat onera expensarum: Nos ad huiusmodi onera supportandi paterna vobis volentes sollicitudine subvenire, ecclesiam de Hautwisillo Dunelmensis diocesis, sitam in Tindale, que est terra Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotie Illustris, in qua, prout asseritis, ius patronatus habetis, vobis et Monasterio vestro in perpetuum vestris, et successorum vestrorum usibus propriis cum omnibus ipsius iuribus et pertinentiis, cum vacaverit, applicandam, assignata tamen de bonis ipsius congrua pensione Vicario in ipsa perpetuo servituro, de qua competentem sustentationem habere, iura episcopalia subire, et alia ipsius ecclesie onera supportare valeat, de gratia concedimus speciali, vobis nichilominus indulgentes, ut cedente vel decedente Rectore predicte ecclesie, possessionem ipsius auctoritate nostra ingredi libere valeatis, diocesani Episcopi seu cuiuscumque alterius assensu minime requisito. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Dat. Anagnie III. Kal. Decemb. an. v.

CCXIV.

Capitulo Lismorensi de novo sententia iam ab Innocentio III. in favorem ipsorum ecclesiae lata confirmatur. Reg. An. V. epist. 237.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Decano et Capitulo Lismerensi, sal. etc. Ea, que iudicio sunt sedis apostolice terminata, obtinere debent robur perpetue firmitatis, ne si, quod absit, ea recidivis questionibus contingeret impugnari, dubitari de iudicio videretur. Sane cum olim tempore concilii generalis inter bone memorie T. Lismorensem Electum, et R. Waterfordensem Episcopum coram fel. mem. Innocentio papa, predecessore nostro, questio mota fuisset super eo, quod idem Waterfordensis dicebat non esse Lismoriensem ecclesiam Cathedralem, tandem predictus predecessor noster, a vicinis Archiepis et Episcopis tunc apud sedem apostolicam constitutis inquirens super hoc diligentius veritatem, ex testificationibus eorum instructus, quod Cathedralis esset, sicut ab antiquo fuisse constabat, sententialiter diffinivit, faciens eundem Electum in Urbe a bo. memorie Cassellensi Archiepiscopo metropolitano vestro in Episcopum consecrari: Quare nobis humiliter supplicastis, ut latam super hoc ab eodem predecessore nostro sententiam ratam habentes, eam apostolico dignaremur munimine roborare. Vestris precibus inclinati, sententiam ipsam ad instar felicis recordationis Honorii et Gregorii Romanorum Pontificum, predecessorum nostrorum, ratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Dat. Anagnie III. Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno quinto.

CCXV.

Cum archidiacono Waterfordensi de pluralitate beneficiorum dispensatur. Reg. An. V. ep. 2.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Magistro Willelmo de Bagkepus Archidiacono Waterfordensi, salutem etc. Volentes tibi gratiam facere specialem, devotioni tue, ut preter Archidiaconatum de Waterford, curam animarum annexam habentem, et alia ecclesiastica beneficia cum simili cura, que obtines, quorum proventus tenues et exiles esse dicuntur, possis adhuc unicum aliud ecclesiasticum beneficium, etiam si sit personatus vel dignitas, et similem curam habeat, licite recipere, si tibi in Ybernia canonice offeratur, et cum predictis Archidiaconatu et aliis obtentis beneficiis libere retinere, et si predictum Archidiaconatum te resignare contigerit, liceat tibi alium personatum, vel dignitatem cum simili cura canonice tibi in Ybernia predicta oblatum loco Archidiaconatus ipsius recipere ac habere cum reliquis, constitutione generalis concilii non obstante, auctoritate presentium indúlgemus, proviso quod Archidiaconatus, beneficia et dignitas vel personatus huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei etc. incursurum. Dat. Anagnie x. Kalendas Ianuarii, Pont. nostri anno quinto.

CCXVI.

Cum Mauritio Guilielmi et eius uxore de matrimonio in quarto consanguinitatis gradu contracto dispensatur. Reg. An. V. (VI.) epist. 249.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Mauritio filio Guillelmi, et dilecte filie Gile filie Mauritii de Londoniis, uxori eius, Osseriensis diocesis, salutem etc. Intenta salutis operibus apostolice sedis circumspecta benignitas indulta sibi desuper plenitudine potestatis utitur, sicut in deo expedire conspicit, secundum diversitatem negotiorum concurrentium et exigentiam personarum. Transmissa siquidem nobis vestra petitio continebat, quod licet vos dudum in ecclesie facie matrimonium adinvicem contraxeritis, nullius super hoc impedimenti notitiam tunc habentes, nuper tamen vobis innotuit, quod quarta consanguinitatis linea vos coniungit: Quare humiliter petebatis a nobis, ut cum prolem genueritis in matrimonio sic contracto, ac propter hoc non posset inter vos divortium sine gravi scandalo celebrari, subvenire vobis in hac parte de oportune dispensationis remedio curaremus. Quia vero de puritate devotionis et fidei, quam circa deum et ecclesiam Romanam geritis, laudabile nobis testimonium perhibetur: Nos vestris supplicationibus annuentes, ut in eodem matrimonio licite remanere possitis, dictaque proles legitima censeatur, impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante, vobiscum auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Datum Anagnie x. Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri anno sexto.

CCXVII.

Iudicibus, ut quandam sententiam de nonnullis ecclesiis etc. de quibus inter archiepiscopum et capitulum Cassellenses ex una parte, et episcopum et capitulum Lismorenses, ex altera lis oriebatur, a pontifice latam exsequantur. Reg. An. VI. epist. 25.

Alexander episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Ossoriensi et ... Fernensi Episcopis, sal. etc. Exposuerunt nobis venerabilis frater noster ... Epus et dilecti filii Capitulum Lismorenses, quod cum venerabilis frater noster ... Archiepiscopus et dilecti filii Capitulum Cassellenses ipsos super possessione, vel quasi iurium spiritualium tam legis iurisdictionis, quam diocesane quorundam monasteriorum, ecclesiarum et capellarum coram venerabili fratre nostro ... Episcopo Duacensi, ... Maionensi et ... Duacensi Archidiaconis, quibus dilecti filii ... Abbas de Geriponte, ... sancti Iohannis Kilkennie et ... s. Marie de Kenles Priores Ossoriensis diocesis, iudices a sede apostolica delegati, super hoc commiserant totaliter vices suas, traxissent in causam, iidem Episcopus et Capitulum a subdelegatis ipsis ex sufficientibus gravaminibus primo et postmodum, quia iidem subdelegati lite non contestata in causa perperam procedentes, iniquam contra eos diffinitivam sententiam promulgarunt, ad nostram duxerunt audientiam appellandum, certumque sibi terminum ad prosequendam appellationem huiusmodi ab eadem diffinitiva interiectam apud sedem apostolicam prefixerunt. Verum Archiepiscopus et Capitulum supradicti, appellationibus contemptis huiusmodi, pretextu eiusdem diffinitive possessionem vel quasi iurium predictorum temere occuparunt, ac procurarunt in dictum Epum Lismorensem, et nonnullos de supradicto Capitulo Lismorensi per dictos subdelegatos excommunicationis et interdicti sententias contra iustitiam promulgari, unde dilectus filius noster I. tituli s. Laurentii in Lucina presbiter Cardinalis, quem tam in causis appellationum huiusmodi, quam etiam principali dedimus auditorem, de attemptatis post dictas appellationes legitime cognito, dictos Epum et Capitulum in quasi possessionem subiectionis et iurisdictionis ecclesiarum, capellarum et monasteriorum predictorum, in qua Cardinalis ipse eos tempore appellationum huiusmodi extitisse cognovit, per interlocutoriam reducendos esse decrevit. Prefatum quoque Archiepiscopum et ecclesiam Cassellenses, causam huiusmodi prosequentes, ad restitutionem fructuum ex predictis medio tempore perceptorum per eandem interlocutoriam condempnavit, predictas interdicti et excommunicationis sententias nullas esse penitus nuntiando, ac quicquid ex eis vel ob eas, seu ex predicte diffinitive executione secutum est, decernendo irritum et inane, prout in litteris inde confectis, sigillo ipsius Cardinalis munitis plenius continetur. Quorum tenor talis est.

In nomine domini amen. Nos frater I. miseratione divina tituli s. Laurentii in Lucina presbiter Cardinalis, a dño nostro Summo Pontifice in causis appellationum interpositarum per venerabilem patrem Thomam Episcopum, et Capitulum Lismorenses a dif-

finitiva sententia et processibus ante diffinitivam habitis lata ab Episcopo Duacensi, ... Maionensi et... Duacensi Archidiaconis subdelegatis in solidum Abbatis de Geriponte, ... sancti Iohannis Kilkennie et ... sancte Marie de Kenles Priorum Ossoriensis diocesis, iudicum a sede apostolica delegatorum, nec non in causa principali, que vertuntur inter eosdem Episcopum et Capitulum Lismorenses ex parte una, et venerabilem patrem David Archiepūm et ecclesiam Cassellensem ex altera, super possessione vel quasi iurium spiritualium tam iurisdictionis quam legis diocesane ecclesiarum, Monasteriorum et capellarum de Clonmelle, Abbatie de Surio, de Dovenachimor, de Lisrodrach, de Ballimamona, de Kiltagan, de Villa Adelagheles, de Clochtol, de Kalmororussin, de Ruchronan, de Kilcronactan, de Kilsilan; de Killoluwam, de Tahcheyny, de Balliydina, de Kilrodan, de Kilcassi, de Magcrechyr, de Limyurenan, de Adhnagarbad, de Maclery, de Fachyinfatha, de Balliyncruten, de Athenyry, de Karrec, de Novavilla, de Limian, de Tybrachna, de Villa Ademarcel, de Ballilegan, de Lochluacra, de Villa Adekarmerdin, de Nedan, de Tulachmolan, de Molacha, de Ardfinam, de Gergard, de Ratherdunesk, de Killyinlach et de Hotheratha existentium in Cantredo de Ywoghyn, et dimidio Cantredo de Yffathiatha (sic), ac iurium et pertinentiarum earumdem deputatus auditor, receptisque libellis ex parte eorumdem Episcopi et Capituli Lismorensium tam super eisdem appellationibus, quam super revocatione ac temptatorum seu innovatorum post predictas appellationes, prout in eisdem libellis plenius continetur: litisque contestatione postmodum super eisdem legitime subsecuta, factisque positionibus et responsionibus subsecutis ad eas, auditis et plenius intellectis ex fideli relatione Magistri Dalfinatis de Neapoli, domini pape subdiaconi et capellani, auditoris in negotio huiusmodi deputati a nobis hiis, que partes circa restitutionem attemptatorum a predictis Episcopo Lismoriensi et Capitulo suo petitam, allegare et proponere voluerunt, ac de eisdem cum venerabili patre domino ... Penestrino Episcopo de speciali domini pape mandato, deliberatione prehabita diligenti, supradictum Episcopum et Gualterum procuratorem Capituli Lismorensis ipsius Capituli nomine, ac ipsum Capitulum in quasi possessionem subiectionis et iurisdictionis ecclesiarum, capellarum et Monasteriorum predictorum, in qua eos tempore appellationum predictarum nobis constitit extitisse, articulis partis dicti Archiepī quo ad hoc nequaquam obstantibus, decernimus reducendos atque reducimus, Iacobum procuratorem predicti Archiepī et ecclesie Cassellensis presentem eorum nomine, ac ipsum Archiepiscopum (et) ecclesiam ad restitutionem fructuum medio tempore exinde perceptorum sententialiter condempnantes. Sententias quoque excommunicationum a predictis Episcopo Duacensi, Maionensi et Duaceni Archidiaconis iudicibus subdelegatis, vel aliis de ipsorum mandato, in predictum Epūm et Canonicos Lismorenses post predictam appellationem occasione sententie prefate prolatas, pronunciamus penitus esse nullas, quidquid ex eis vel ob eas seu executione predicte diffinitive sententie secutum est, decernentes irritum et inane: predictis etiam Archiepiscopo et iudicibus inhibemus, ne circa statum cause predicte, huiusmodi appellatione pendente in Romana curia coram nobis, aliquid per se vel alios innovare presumant. Articulos autem ab utraque parte datos quantum ad causam, seu causas appellationum et principalis negotii salvo iure impertinentium duximus admittendos. In cuius rei testimonium et notitiam pleniorem presens scriptum fieri mandamus per subscriptum Iacobum Notarium, et sigilli nostri munimine roborari. Facta est dicta pronunciatio Anagnie in hospicio dicti domini I. Cardinalis, presentibus domino T. Episcopo, Gualtero et Iacobo procuratore dñi Archiepiscopi supradictis: sub anno domini M.CC.LVIII. tempore dñi Alexandri pape IIII., mense Decembris die XXIII. intrante, II. Indictione, coram domino Monopolitano Episcopo, dño Archiepō Tarentino, dño Godefrido, dño Benedicto, et fratre Hugone Monachis Capellanis prefati dñi I. Cardinalis, dño Adam Capellano dñi Archiepī Armachani, Marino familiari dicti Magistri Dalfinatis, et aliis quampluribus testibus rogati huius rei. Ego Iacob Thome sancte Romane ecclesie Notarius et ordinarius Iudex pronuntiationi interfui supradicte, et eam predicti domini I. Cardinalis mandato scripsi et publicavi.

Quocirca mandamus, quatenus per vos vel alios interlocutoriam huiusmodi executionem debite demandetis, predictas interdicti et excommunicationis sententias nullas esse, ubi expedire videritis, nuntiantes, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstante si eidem Archiepiscopo vel quibuscumque aliis a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, seu quavis alia dicte sedis indulgentia crucesignatis illarum partium, et aliis quibuscumque concessa, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et constitutione de duabus dietis etc. dummodo ultra tertiam vel quartam extra suam diocesim etc. Quod si non ambo etc. Datum Anagnie v. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno sexto.

CCXVIII.

Episcopo Lismorensi quidam defectus in sua consecratione suppletur. Reg. An. VI. epist. 4.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri Thome Epō Lismorensi, salutem etc. Olim, ut asseris, ecclesia Cassellensi destituta pastore, felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, presentatam sibi apud sedem apostolicam electionem de te, tunc Canonico et Thesaurario Lismorensi, factam, in Lismorensi ecclesia tunc pastore vacante, utpote de persona ydonea canonice celebratam confirmans, venerabilibus fratribus nostris ... Ossoriensi et ... Clonensi Episcopis suis sub certa forma dedit litteris

in mandatis, ut ascito canonico Episcoporum numero tibi consecrationis munus impendere procurarent, nullo per hoc prefate Cassellensi ecclesie imposterum preiudicio generando. Porro dictus Ossoriensis et venerabilis frater noster ... Fernensis, cui prefatus Clonensis vices suas in hac parte commiserat, et ... Lechlinensis ad hoc ab ipsis ascitus Epus tibi munus consecrationis impendere curaverunt. Verum quoniam aliqui emuli tui, concepta contra te materia malignandi, ex eo consecrationem huiusmodi vitiosam fuisse asseverare dicuntur, quod prefatus Clonensis Episcopus super hoc commisit alii vices suas, cum id ex forma mandati apostolici non haberet: Nos volentes contra hoc tibi salubre adhibere remedium, defectum, si quis ex hoc in consecratione predicta extitit, supplemus de nostre plenitudine potestatis, et auctoritate presentium districtius inhibemus, ne quis te propter premissam causam infamare, seu molestare in iudicio aut extra iudicium fatigare presumat, si quid contra te occasione huiusmodi quacumque auctoritate attemptari contigerit, nullius fore roboris decernentes. Nulli ergo etc. nostre suppletionis, inhibitionis et constitutionis etc. Dat. Anagnie II. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno sexto.

CCXIX.

Archiepiscopus Dublinensis eiusque successores a certis decimis liberantur. Reg. An. VI. ep. 17.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Desideriis tuis affectu benivolo libenter annuimus, et in hiis maxime, in quibus equitatem contineri sentimus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut tu ac successores tui Archiepiscopi Dublinenses laborum vestrorum de possessionibus archiepalibus ad ecclesiam Dublinensem spectantibus, quas tu vel ipsi propriis sumptibus excoli facietis, et de nutrimentis animalium vestrorum nulli decimas solvere teneamini, tibi et eisdem successoribus auctoritate presentium indulgemus, districtius inhibentes, ne quis a te vel eisdem successoribus de huiusmodi laboribus possessionum ipsarum et nutrimentis decimas exigere vel extorquere presumat. Nulli ergo etc. nostre concessionis et inhibitionis etc. Dat. Anagnie IIII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno sexto.

CCXX.

Eidem archiepiscopo et suis successoribus tamquam canonicis praebenda de Swerdes conceditur. Reg. An. VI. epist. 130.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Petitio tua nobis exhibita continebat, quod licet ratione dignitatis Archiepiscopalis sis Canonicus ecclesie Dublinensis, in qua collatio prebendarum ad te noscitur pertinere, tamen prebendam aliquam non obtines in eadem: Quare nobis humiliter supplicasti, ut applicandi dignitati eidem prebendam de Swerdes ipsius ecclesie consistentem in quodam manerio tuo, ita quod cedente vel decedente Canonico dicte ecclesie, qui prebendam ipsam obtinet, tu et successores tui prebendam obtineatis eandem, et ne propter hoc diminuatur Canonicorum numerus in ecclesia supradicta, creandi loco eiusdem prebende in dicta ecclesia unam prebendam de novo ex aliquo beneficio, etiam habente curam animarum annexam, ad tuam collationem plenarie pertinentem, ita quod, cedente vel decedente illo, qui beneficium huiusmodi obtinet, beneficium ipsum pro prebenda conferatur alicui Canonico ecclesie memorate, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi tibi de benignitate sedis apostolice licentiam concedere curaremus. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, devotioni tue auctoritate presentium licentiam concedimus postulatam. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Anagnie IIII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno sexto.

CCXXI.

Cum Gualtero de Kilkenni canonico Lismorensi super defectu natalium dispensatur. Reg. An. VI. ep. 22.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Galtero de Kilkenni Canonico Lismorensi, salutem etc. Apostolice sedis benignitas circumspecta specialis dono gratie illos digne prosequitur, quos virtutum iuvari meritis intuetur. Sane in nostra constitutus presentia retulisti, quod venerabilis frater noster ... Episcopus Ossoriensis, de cuius diocesi traxisti originem, super defectu natalium, quem pateris de soluto genitus et soluta, quod eo non obstante ad omnes ordines promoveri, et beneficium ecclesiasticum etiam curam habens animarum obtinere posses, consideratis tue probitatis meritis, dudum auctoritate apostolica dispensavit: quare petebas a nobis, ut super dispensatione huiusmodi circa te ampliare gratiam de benignitate solita dignaremur. Cum autem honestatis et scientie tibi merita suffragentur, et a nobis paterna benivolentia fovearis: Nos obtentu venerabilis fratris nostri .... Episcopi Lismorensis, qui pro te familiari suo apostolicam gratiam imploravit, tuis supplicationibus annuentes, ut predicto non obstante defectu dignitatem ecclesiasticam, si tibi canonice offeratur, Episcopali tamen excepta, licite ac libere valeas obtinere, tecum auctoritate apostolica dispensamus, ita tamen quod in ea personaliter resideas, et ad ordines, quos ipsius onus exiget, te facias statutis temporibus promoveri. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Datum Anagnie VIII. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno sexto.

CCXXII.

Cum eodem Gualtero canonico Lismorensi super pluralitate beneficiorum dispensatur. Reg. An. VI. ep. 23.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Galtero de Kilkenni Canonico Lismorensi, salutem etc. Etsi pretermitti non debeat in persona cuiusquam, quod statutis generalibus continetur, interdum tamen pro meritis est habenda consideratio personarum, ut quos specialior provehit prerogativa favoris, liberioribus iuris vinculis teneamur. Attendentes igitur laudabile testimonium, quod de tue accepimus meritis probita-

tis, ac intendentes te per hoc prosequi gratiose, ut unicum personatum vel dignitatem, seu beneficium ecclesiasticum, etiam si animarum curam habeat, et tibi canonice in Ybernia offeratur, licite recipere ac una cum prebenda Lismorensis ecclesie, cum ipsam ibidem adeptus fueris, etiam si ei cura similis sit annexa, libere retinere valeas, constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante, devotionis tue ac venerabilis fratris nostri ... Epi Lismorensis pro te nobis supplicantis humiliter inducti precibus, tibi auctoritate presentium indulgemus, proviso ut personatus vel dignitas seu beneficium et prebenda huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Anagnie III. Nonas Februarii, Pontificatus nostri anno sexto.

CCXXIII.

Lismorensibus, ne in lite, quam habent cum archiepo Cassellensi, nisi apud sedem apostolicam conveniri possint. Reg. An. VI. ep. 31.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo et Dilectis filiis Capitulo Lismorensibus, sal. etc. Inducunt nos vestre devotionis merita, ut vos prosequamur benevolentia gratiosa. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod inter vos ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum ... Archiepiscopum et Capitulum Cassellenses ex altera super nonnullis ecclesiis, et non minima parte diocesis Lismorensis, quas idem Archiepiscopus contra iustitiam occupavit, coram dilecto filio nostro I. tit. sancti Laurentii in Lucina presbitero Cardinale, quem super hoc dedimus partibus auditorem, questio ventilatur, et propter hec contra dictum Archiepiscopum super diversis eius excessibus, quos contra vos abiecta modestia pontificali commisisse dicitur, in illis partibus ad instantiam vestram inquiri mandavimus, nobisque, quod inveniri contigerit, intimari, ac ipso Archiepiscopo prefigi terminum peremptorium competentem, quo personaliter nostro se conspectui representaret. Verum quia tu, frater Episcope, pro huiusmodi questionis prosecutione personaliter ad sedem apostolicam laborasti, vobis per nostras dicimur litteras indulsisse, ut quandiu tu, Epe, apud sedem ipsam existeres, non possetis extra ipsam super aliquibus questionibus per dictos Archiepum et Capitulum conveniri. Cum itaque pacis et tranquillitatis commodum affectemus, Nos volentes vobis in hac parte gratiam facere ampliorem, vestris supplicationibus inclinati, ut durante questione et inquisitione huiusmodi per litteras apostolicas specialem, plenam et expressam non facientes de indulto huiusmodi mentionem, non possetis alibi quam apud sedem prefatam, dummodo inibi parati sitis exhibere iustitie complementum, ab eisdem Archiepo et Capitulo conveniri, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei etc. incursurum. Datum Anagnie II. Kal. Martii, Pont. nostri anno sexto.

CCXXIV.

Monialibus de Lissomulin Midensis dioec. quaedam donatio confirmatur. Reg. An. VI. ep. 63.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiabus ... Priorisse et Conventui Monialium inclusarum Monasterii sancte Trinitatis de Lissomulin ordinis sancti Augustini, Midensis diocesis, salutem etc. Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, dilecta in Christo filia nobilis mulier Avitia de Lacortiere vidua, bona temporalia felici commertio transferre cupiens in eterna, Monasterium vestrum de propriis bonis suis pietatis intuitu de consensu bone memorie ... Episcopi, et Capituli Midensis fundaverit et dotarit, Venerabili fratri nostro ... Epo Midensi successore illius postmodum auctoritate ordinaria inter alia statuente, quod vos perpetuo sub clausura vivatis: Nos eiusdem nobilis ac vestris supplicationibus annuentes, ut de oblationibus dicto Monasterio et eius ecclesie proventuris non teneamini alicui respondere, nec aliquam impendere portionem, postquam predicta nobilis matrici ecclesie, quam dilecti filii ... Abbas et Conventus Monasterii sancte Marie Dublinensis Cisterciensis ordinis obtinere se asserunt in usus proprios deputatam, congruum pro hiis excambium in bonis suis diocesani vestri arbitrio exhibuerint, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Anagnie XV. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno sexto.

CCXXV.

Regi Scotiae pontifex significat, electionem Glasguensis praesulis se nequaquam mutare posse. Reg. An. VI. ep. 68.

Alexander episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... Illustri Regi Scotie, salutem etc. Celsitudinis tue nuntii speciales nobis et fratribus nostris tuas presentarunt litteras, quedam gravamina et pericula concernentes, que ob illam causam tibi et Regno tuo imminere dicebas, quia Venerabilem fratrem nostrum Magistrum Iohannem de Cheam Glasguensem Episcopum, tunc capellanum nostrum, Glasguensi ecclesie prefecimus in pastorem: quare nobis cum instantia supplicabas, ut provisionem huiusmodi revocare, ac ipsi Episcopo providere alibi curaremus. Super hac siquidem supplicatione tua, nos, cum predictis fratribus nostris discussione habita diligenti, quia ipsam nulla vidimus equitate fulciri, maxime cum provisionem de persona ydonea tam provide factam non deceret aliquatenus revocari, eam non duximus admittendam, licet alias tuis desideriis, quantum cum deo possumus, semper annuere cupiamus. Postmodum per eosdem nuntios fuit propositum coram nobis, quod per litteras apostolicas venerabilibus fratribus nostris ... Lincolmensi et ... Bathoniensi Epis super eiusdem provisionis executione directas, tuis iuribus et consuetudinibus antiquis in eo videbatur potissime derogari, quod in eisdem litteris habebatur, ut tu predicto Episcopo vel procuratori suo eius nomine speciale super hoc ab ipso mandatum habenti, ac etiam facienti, que idem Episcopus excellentie tue facere teneretur, regalia seu temporalia Glasguensis

ecclesie sine dilatione seu difficultate qualibet assignares, nec non ut de redditibus et proventibus ipsius ecclesie, quos, postquam predicta provisio ad tuam pervenit notitiam, percipisti, eidem Episcopo satisfactionem plenariam exhiberes: hanc etenim propositionem suam predicti nuntii per hoc probare principaliter intendebant, quod quilibet Epūs quantumcumque canonice promotus ad aliquam tui Regni ecclesiam Cathedralem, priusquam assecutio regalium seu temporalium ecclesie sue sibi proveniat, iuramentum fidelitatis personaliter tibi prestare tenetur. Hiis autem diligenter auditis, nos, qui semper ad hoc vigilanter intendimus, quod apostolice dignitatis honorem et privilegium ecclesiastice libertatis in suo robore conservantes, aliquorum iura vel approbatas consuetudines non ledamus, de predictorum fratrum consilio duximus providendum, quod idem Episcopus sub tuo conducto ad regalem presentiam libere perveniat et secure, ac tibi, prout fieri consuevit, prestet fidelitatis debite iuramentum, et prefata ecclesie sue regalia seu temporalia de manibus tuis recipiat subsequenter. Ceterum te securitatem huiusmodi et assignationem regalium, seu temporalium ipsorum liberaliter adimplente, nos, si quid per supradictas litteras directas Episcopis memoratis, seu quascunque alias contra te, aut Regnum tuum propter hoc fuit hactenus ab eisdem Episcopis vel decetero fuerit attemptatum, penitus revocamus et irritum decernimus et inane, Non obstantibus quibuscumque litteris apostolicis super hiis in contrarium impetratis. Datum Anagnie xii. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno sexto.

EPISTOLAE URBANI PP. IV.

CCXXVI.

Archiepiscopo Armachano, ut quamdam summam, quam mercatoribus Florentinis debet, et non ipsis ob certas causas, sed sedi apostolica solvere deberet, iisdem tandem persolvat. Reg. Tom. II. fol. 54.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Cum dilecti filii Iacobus Giberti, Raynerius Bellindotis et eorum socii, cives et mercatores Florentini, essent Camere apostolice in non modica summa pecunie obligati, Venerabilis frater noster P. Burdegalensis Archiepūs, tunc Camerarius noster, eundem Iacobum, qui sociorum suorum gerebat negocia apud sedem apostolicam, requisivit, ut sibi huiusmodi pecuniam solveret, et de alia pecunia ecclesie Romane, quam ipse ac predicti socii receperant in diversis mundi partibus, redderet rationem. Sed licet idem Iacobus cum dicto Archiepō super huiusmodi pecuniis computarit, ipse tamen inde satisfactionem nostre Camere non impendit, propter quod dictus Archiepiscopus in ipsum et socios eius auctoritate nostra duxit excommunicationis sententiam promulgandam. Unde cum tu eisdem Iacobo et sociis suis in quadam summa pecunie tenereris, nos volentes indempnitati prefate Romane ecclesie super hoc salubribus remediis providere, tibi in virtute obedientie per nostras dedimus litteras in mandatis, ut eisdem mercatoribus de huiusmodi pecunia, in qua tenebaris eisdem, minime responderes, sed ipsam, si eius solutionis terminus esset elapsus, infra duos menses post receptionem litterarum ipsarum, vel cum ipse terminus adveniret, dilectis filiis Andree Iacobi, Manno Ildebrandini et Bonsignori Raynerii, sociis dilectorum filiorum Rollandi Bonsignoris, Bonaventure Bernardini et Raynerii Iacobi civium et mercatorum Senensium in Francia commorantibus, vel eorum uni aut certo nuntio eorumdem nostro et ecclesie prefate nomine, sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo, solvere procurares. Venerabili quoque fratri nostro Epō Parisiensi per litteras nostras iniunximus, ut ipse, postquam prefata pecunia, in qua predictis tenebaris Iacobo, Raynerio et sociis eorumdem Andree Iacobi, Manno Ildebrandini, Bonsignori Raynerii memoratis, vel eorum uni iuxta mandatum nostrum persoluta foret, instrumenta super pecunia ipsa confecta cassaret et irritaret, et cassa irritaque denunciaret, ac nullius existere firmitatis, teque ab obligatione predicte pecunie, in qua Iacobo, Raynerio ac sociis teneris ipsorum, nec non ecclesiam tuam omnino absolveret, et denunciaret etiam absolutos, nec permitteret te vel successores tuos, aut eandem ecclesiam super huiusmodi pecunie aut occasione ipsius ab eis, vel ab aliquibus aliis quomodolibet molestari. Contradictores et molientes huiusmodi etc. usque compescendo: teque nichilominus, ut pecuniam ipsam prefatis mercatoribus Senensibus, vel uni eorum iuxta premissam formam exolveres, tenore presentium auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo coarctaret. Quia vero predicti Iacobus, Raynerius et eorum socii super premissis pecunie summis nobiscum ad bonum concordie pervenerunt, propter quod ipsos fecimus a predicta excommunicationis sententia absolvi: nos nolentes, quod dicti Iacobus et Raynerius ac eorum socii in suo iure dispendium aliquod patiantur, eorum

supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de huiusmodi pecunia, in qua teneris eisdem, Augutio et Carlino Giberti, Aldebrando et Lapo Brunetti, Lotto et Canti Tedaldini, Bonaventure et Saluntio Bellindoti, Calcano Bonacursi, Aczutio Iacobini, Iacobo Bonefidei civibus et mercatoribus Florentinis, sociis dictorum Iacobi et Raynerii, vel dictis Iacobo et Raynerio aut mercatorum ipsorum uni, si non exhibuistis eam prefatis mercatoribus Senensibus, et terminus solutionis eius effluxerit, vel postquam advenerit, cum iustis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum iuxta tenorem instrumentorum infrascriptorum exinde usuris omnino cessantibus, satisfacere non omittas. Alioquin dilectis filiis... Abbati Monasterii Londoniensis et Magistro Iacobo de Portu, canonico Siracusano in Anglia commoranti, per nostras damus litteras in mandatis, ut ipsi vel alter eorum per se, vel alios, seu alium te ad id, monitione previa, auctoritate nostra, appellatione remota, compellant. Non obstante si tibi ab apostolica sede indultum existat, quod excommunicari, suspendi vel interdici, aut extra certum locum vel citra mare Anglicanum vel Ybernicum conveniri non possis per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de tuo nomine, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, seu quacumque alia ipsius sedis indulgentia, per quam effectus iusticie impediri possit vel quomodolibet retardari, seu constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum apud Urbemveterem II. Kalendas decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCXXVII.

Cum archidiacono Waterfordensi super defectu natalium et pluralitate beneficiorum dispensatur. Reg. Tom. 11. fol. 77.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Framundo dicto Lebrun, Archidiacono Watfordensi, salut. etc. Lecta coram nobis devotionis tue petitio continebat, quod cum defectum natalium patereris de soluto genitus et soluta, quoddam ecclesiasticum beneficium, non obtenta dispensatione super defectu huiusmodi, recepisti curam habens animarum annexam, ac procurasti postmodum dispensari tecum per litteras apostolicas ad alia ecclesiastica beneficia obtinenda cum cura simili, nulla de predicto defectu habita mentione. Unde cum pretextu dispensationis huiusmodi Archidiaconatum Watfordensem, et quedam alia ecclestica beneficia curam animarum habentia receperis, et obtineas sic recepta, postulasti a nobis humiliter super hiis tibi per apostolice dispensationis gratiam provideri. Cum igitur digni sint gratia, quorum grata sunt merita, tuque hiis dicaris honestatis et scientie meritis adiuvari, ut per hoc non solum defectum huiusmodi redimere comproberis, verum etiam dignus reddaris honore ac prerogativa favoris et gratie specialis: nos tuis supplicationibus inclinati tecum auctoritate presentium dispensamus, ut predictis defectu et aliis nequaquam obstantibus ad omnes ordines promoveri, et predictum Archidiaconatum cum aliis beneficiis iam obtentis, quamvis curam habentibus animarum, retinere licite valeas, constitutione generalis concilii non obstante, proviso quod si ad Episcopalem dignitatem te vocari contigerit, illam nequaquam recipias absque sedis apostolice licentia speciali, quodque Archidiaconatus et beneficia ipsa debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Si quis etc. Datum apud Urbemveterem XII. Kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Framundo dicto Lebrun, Archidiacono Watfordensi, salut. etc. Etsi propter ambitiones quorundam, ne quis plures ecclesias vel ecclesiasticas dignitates habeat, sacri concilii constitutio interdicat, sedis tamen apostolice circumspectio provide pensans merita personarum, cum illis dispensat interdum, qui pro suorum exigentia meritorum favoris favendi sunt gratia plenioris et amplioribus beneficiis honorandi. Attendentes igitur laudabile testimonium, quod tibi de honestate conversationis et vite, ac litterarum scientia perhibetur, ac per hoc intendentes te prosequi prerogativa favoris et gratie specialis, tuis supplicationibus inclinati, quod preter Archidiaconatum Watfordensem et alia beneficia, que obtines, quamvis cura animarum habentia, adhuc unum vel plura beneficia, etiam si curam similem habeant, et te resignante Archidiaconatum ipsum, unum alium personatum vel dignitatem loco eius usque ad summam septuaginta marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valentia, dummodo tibi canonice offerantur, recipere libere valeas, et cum prioribus licite retinere, constitutione generalis concilii non obstante, tecum auctoritate presentium dispensamus, proviso quod Archidiaconatus, beneficia et personatus, seu dignitas huiusmodi debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli etc. nostre dispensationis etc. Datum apud Urbemveterem XI. Kalendas Februarii, Pont. nostri anno secundo.

CCXXVIII.

Richardo de Norbaton, ut in partibus Hiberniae plura beneficia ecclesiastica recipere possit. Reg. Tom. II. fol. 77.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Riccardo de Norbatono, Rectori ecclesie de Feld Armachane diocesis, salutem etc. Cum digni sint gratia, quorum grata sunt merita, tuque hiis dicaris honestatis et scientie meritis adiuvari, ut tibi favor specialis gratie merito debeatur: nos tuis supplicationibus inclinati tecum auctoritate presentium dispensamus, ut preter beneficia, que in Ybernie partibus obtines curam animarum habentia, quorum proventus secundum communem extimationem patrie quadraginta marcarum sterlingorum valentiam, sicut asseris, annis singulis non excedunt, adhuc unicum beneficium, etiam si dignitas vel prioratus fuerit, seu plura beneficia etiam curam animarum habentia usque ad valorem annuum dumtaxat quadraginta marcarum sterlingorum, et si aliquod de obtentis vel obtinendis te resignare contingeret, aliud loco eius, dummodo tibi canonice offeratur, recipere libere valeas et cum prioribus libere

retinere, non obstante constitutione concilii generalis, proviso quod etc., ut in proxima usque in finem. Datum apud Urbemveterem xi. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCXXIX.

Iudicibus, ut Walterum de Baltrodin electum vel aliud idoneum ecclesiae Cathanensi in episcopum praeficiant. Reg. Tom. 1. fol. 93.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Duncheldensi, ... Brechinensi et ... Rossensi Epis, salutem etc. Inter curas multiplices et immensas, quibus assidue angimur et distrahimur supra vires, propensior mentem nostram sollicitudo perurget, ut viduatis ecclesiis, et hiis maxime, que nullo medio apostolice sedi subsunt, circumspecto nostre diligentie studio provisio, Deo auctore, fructuosa proveniat et salubris, ac talibus suprema ecclesiarum gubernacula nostris temporibus committantur, qui dampna preteriti temporis prudenter et sollicite instaurantes, solerti vigilantia recta regant et dirigant indirecta. Sane vacante Catanensi ecclesia, dilecti filii ... Decanus et Capitulum ipsius pro futuri substitutione pastoris, ut moris est, convenientes in unum dilectum filium Magistrum Walterum de Baltrodin, eorum Concanonicum, ad ipsius ecclesie regimen elegerunt. Presentatam nuper nobis per dilectum filium Rogerum de Aberdon eiusdem ecclesie Canonicum electionem huiusmodi, eam examinari fecimus diligentius, et quia ipsam invenimus contra formam canonicam attentatam, eam de fratrum nostrorum consilio iustitia cassavimus exigente. Verum quia dictus Walterus de honestate vite, grata morum decentia, dono scientie litteralis, ac spiritualium et temporalium circumspecta prudentia laudabili testimonio commendatur: nos attendentes, quod ad personam eius vota dictorum Decani et Capituli, quibus unanime fuerat in ipsius ascriptione propositum, concorditer congruerant, considerantes etiam eiusdem ecclesie paupertatem, que in tanta locorum distantia in gravia itinerum et viarum dispendia non posse absque gravi difficultate et onere expensarum, nec non cupientes vitare periculum, quod ex mora in talibus potest non immerito formidari, dignum duximus, ut circa provisionem ipsius ecclesie, que immediate dicte sedi subesse dinoscitur, faciendo specialem gratiam memorato Waltero, curemus apostolice sollicitudinis studium adhibere. Ideoque fraternitati vestre mandamus, quatenus vos vel duo vestrum Deum habentes pre oculis, si dictum Walterum de legitimo matrimonio procreatum, et honestatis scientia, ac virtutum meritis, necnon spiritualium et temporalium providentia dignum inveneritis ad pontificalis apicem dignitatis, eumque dispensatione, quam super pluralitate beneficiorum obtinuisse a sede apostolica dicitur, diligentius inspecta, duo beneficia, que obtinet curam animarum habentia, per dispensationem eandem tenuisse licite ac tenere, ipsum auctoritate nostra preficiatis ecclesie predicte in Episcopum et pastorem, et facientes sibi a Clero civitatis et diocesis Catanensis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, munus consecrationis impendatis eidem, recepturi ab eo postmodum nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin de alia persona ydonea, de qua expedire videritis, eidem ecclesie auctoritate nostra providere curetis, facientes sibi ab eodem Clero huiusmodi obedientiam et reverentiam exhiberi, ac tandem sibi munus consecrationis impendere studeatis, recepturi similiter ab ea iuxta formam eandem nostro et eiusdem ecclesie Romane nomine huiusmodi iuramentum. Formam autem iuramenti, quod prestabit ille, quem ibidem prefici contigerit in pastorem, per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinetis. Quod si forte aliquem vestrum tempore consecrationis huiusmodi abesse contigerit, reliqui ascito uno vicino Episcopo, cum illo ipsius consecrationis officium prosequantur. Datum apud Urbemveterem Id. Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCXXX.

Archidiacono Midensi, ut sententiam ab archiepiscopo Armachano pro Mattheo de Salerno latam observari faciat. Reg. Tom. IV. fol. 277. 280.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio ... Archidiacono Midensi, sal. etc. Petitio dilecti filii Magistri Mathei de Salerno, Subdiaconi et Capellani nostri, nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster ... Archiepiscopus Armachanus, comperto quod Magister Iohannes de Dubiltum, tunc rector ecclesie de Martiri curam animarum habentis annexam Midensis diocesis, provincie Armachane, ecclesiam de Kaulies eiusdem diocesis similem curam habentem extitit assecutus, et quod utramque simul absque sufficienti dispensatione sedis apostolice in anime sue periculum detinebat, et propter hoc eadem ecclesia de Martiri tanto tempore de iure vacaverat, quod eius collatio erat ad dictum Archiepum secundum Lateranensis statuta concilii legitime devoluta, ecclesiam ipsam de Martiri eidem Capellano duxerit canonice conferendam, ac in eundem Magistrum Iohannem, quia se collationi huiusmodi temere opponebat, et ab ipsa oppositione desistere contumaciter recusavit, monitus diligenter, excommunicationis sententiam exigente iustitia promulgavit, quam idem Magister apostolico petiit munimine roborari. Quocirca mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, facias auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Si vero ipsius Magistri Iohannis pertinacia forte exegerit, ipsum per omnes ecclesias, de quibus videris expedire, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatum facias publice nuntiari, et ab omnibus artius evitari. Datum apud Urbemveterem ii. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Matheo de Salerno, Subdiacono et Capellano nostro, salutem etc. Ex tuorum exigentia meritorum, tuarumque claritate virtutum adeo favorem et gratiam sedis apostolice meruisti, quod tuis intendere profe-

ctibus et honori debitum reputantes, illos, quantum cum Deo possumus, paterna benevolentia promovemus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster Archiepiscopus Armachanus, comperto quod Magister Iohannes de Dubiltum, tunc Rector ecclesie de Martiri curam habentis animarum annexam Midensis diocesis, provincie Armachane, ecclesiam de Kanlies eiusdem diocesis similem curam habentem extitit assecutus, et quod utramque simul absque dispensatione sedis apostolice sufficienti in anime sue periculum detinebat, et quod propter hoc eadem ecclesia de Martiri tanto tempore de iure vacaverat, quod eius collatio erat ad dictum Archiepiscopum secundum Lateranensis statuta concilii legitime devoluta, ecclesiam ipsam de Martiri tibi duxit canonice conferendam, prout in litteris inde confectis dicti Archiepi̅ sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem Archiepiscopo provide factum est in hac parte, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus de ipsa ecclesia a quoquam contigerit attemptari. Tenorem autem dictarum litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, qui talis est. ¶ Frater Patricius miseratione divina Archiepiscopus Armachanus, Ybernie Primas, Carissimo in Christo filio Magistro Matheo de Salerno, Capellano domini pape, salutem et dilectionem. Quia nos in visitationis nostre officio nuper in Midensi diocesi constituti, Magistrum Iohannem de Dobelton invenerimus ecclesias plures habentem, qui nullam nobis super illis retinendis dispensationem ostendit, quamquam eum sufficienter monuimus in hac parte: ideo habentes personam vestram ex speciali notitia dignis pro meritis plurimum commendatam, ecclesiam de Martiri eiusdem diocesis, cuius patronus est diocesanus Episcopus, vobis contulimus, cum ipsa tanto tempore de iure vacaverit, quod eius collatio sit ad nos ob negligentiam Epi̅ devoluta, quam dictus Magister primo adeptus est, et postmodum alias quasdam magnas et pingues admisit. Super quo ut fides fieri valeat dubitantibus, sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Dunelek VI. Nonas Iulii anno dn̅i M.CC.LXIII. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum apud Urbemveterem III. Nonas Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXI.

Fratri Ioanni ord. Minorum quondam in Anglia nuntio sedis apostolicae, ne contra archiepiscopum Tuamensem ob debitum quoddam camerae apostolicae solvendum procedat. Reg. Tom. II. fol. 142.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Fratri Iohanni de ordine Minorum in Anglia commoranti, salutem etc. Venerabili fratri nostro ... Tuamensi Archiepiscopo mille marcas sterlingorum felicis record. Alexandri pape predecessoris nostri Camere offerente, dilecti filii Dulcis et Noctius de Burgo eorumque socii cives et mercatores Florentini huiusmodi pecuniam eidem Camere solvere promiserunt, dictusque Archiepiscopus in dictis mille marcis et quadam alia summa pecunie, quam mutuarunt eidem, se per instrumentum publicum, ut dicitur, obligavit. Postmodum vero idem predecessor tibi tunc nuntio suo in Anglia suis dedit litteris in preceptis, ut Archiepu̅m moneres eundem, quod predictas mille marcas infra duos menses post monitionem tuam Rucho Cambii, Lotherio Benincase, Raynerio Abbatis et Maineto Spine, vel eorum alicui, civibus et mercatoribus Florentinis Londoniis commorantibus, solvere procuraret: alioquin in eum ex tunc excommunicationis ferens sententiam, ipsum tamdiu singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatum publice nuntiari faceres, ac ab omnibus artius evitari, donec predictis Rucho et sociis mille marcas solveret supradictas, et nichilominus alias contra Archiepu̅m procederes memoratum: sicque te Archiepiscopo prescripto mandante, ut prelibatas mille marcas eisdem Rucho et sociis solvere procuraret, dictus Archiepu̅s nec de huiusmodi pecuniarum summis predictis Dulci et Noctio et eorum sociis, prout asseritur, satisfacere, nec dictas mille marcas prefatis Rucho et sociis solvere procuravit. Cum igitur idem Dulcis et Noctius eorumque socii Camere nostre mille marcas solverint pretaxatas, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus pretextu litterarum huiusmodi predecessoris eiusdem ad te directarum, quas penitus revocamus, contra eundem Archiepiscopum in aliquo non procedas, et si forte in aliquo processisti, processum tuum sine difficultate qualibet studeas revocare. Ceterum si predictas mille marcas vel partem ipsarum forsan recepisti, id quod ex eis ad te pervenit, Spinello Simonetti, Cino de Ardingis et Iohannucio Baiamontis vel aliorum alicui sociis Dulcis et Noctii predictorum in Anglia commorantibus, sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo, studeas exhibere. Datum apud Urbemveterem VI. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXII.

Iudicibus, ut de certis pecuniarum summis ecclesiae Romanae debitis, et a Ioanne de Frusinone in Hibernia collectis inquirant et referant. Reg. Tom. II. fol. 141.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Armachano et ... Episcopo Midensi, salutem etc. Ad aures nostras noveritis pervenisse, quod dilectus filius Magister Iohannes de Frusinone, Capellanus noster, olim cum esset nuntius apostolice sedis in partibus Ybernie, non modicam pecunie summam et alia plura bona ecclesie Romane nomine per se, ac subdelegatos a se nuntios suos dicitur recipisse, nonnullis de partibus illis adhuc nomine depositi vel commendacionis parte dicti Capellani detinentibus de pecunia et bonis huiusmodi varias portiones. Quia vero ingnoramus, si Capellanus ipse de huiusmodi pecunia et bonis receptis reddiderit rationem, fraternitati tue, de quorum industria fiduciam specialem gerimus, per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus super premissis per

vos ac alios ita inquiratis diligenter et sollicite veritatem, quod summam totius predicte pecunie, vel quorumcumque aliorum bonorum, que ipse nomine ecclesie Romane, vel cuius occasione seu pretextu commissionis apostolice sibi facte per se, aut alios in partibus recepit eisdem et a quibus, nobis fideliter et sine diminutione intimare possitis. Ceterum omnia illa, que de pecunia et bonis predictis penes quoscumque per Capellanum ipsum eiusque nuntios deposita, vel quolibet modo commendata, seu collecta et detenta inveneritis ubilibet, cui ea petendi, exigendi et recipiendi nostro et ecclesie Romane nomine, ac faciendi litteras absolutionis illis, qui premissa ubilibet dederint, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem, faciatis integre assignari, Contradictores pontificalis vel cuiusvis alterius dignitatis seu ordinis aut religionis, etiam si Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, ac Domorum Militie Templi, Hospitalis Ierosolimitani et Sancte Marie Teutonicorum existant, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstante si aliquibus a sede sit indultum predicta, quod suspendi vel interdici aut excommunicari, seu extra vel ultra certa loca conveniri non possint, sive quibuscumque indulgentiis vel privilegiis sedis eiusdem, per que effectus presentium impediri valeat vel deferri, ac de qua cuiuscumque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris specialem et expressam fieri mentionem, et quibuscumque litteris predicte sedis super exigendis et recipiendis eisdem debitis alii vel aliis destinatis, seu concessione a nobis vel predecessoribus nostris de debitis ipsis facta quibuscumque personis, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Volumus autem, ut quecumque ex premissis recipere vos contingat, illa sub testimonio Episcopi ..., ac Prioris Predicatorum et Guardiani Minorum fratrum illius loci, in quo tunc fueritis, vel trium aliorum fidedignorum et sollempnium personarum recipiatis, et patentes litteras, que et quanta, ubi et a quibus, quando et quare ipsa receperitis continentes, faciatis fieri vestro et illorum trium, sub quorum testimonio recipietis, sigillis muniri, quas illis, a quibus premissa recipietis, concedere, quarumque similes eisdem sigillis signatas nobis quantocius mittere teneamini. Illis vero, a quibus predicta exegeritis vel exigi facietis, antequam huiusmodi litteras eis concedatis, ea vobis assignare ubilibet, vobisque ipsa ab eis recipere firmiter inhibemus. Quidquid autem super premissis feceritis et inveneritis, nec non quantitatem pecunie ac bonorum ipsorum a Capellano predicto vel aliis pro eius parte pretextu dicte commissionis sue receptorum, sed et depositorum vel quomodolibet commendatorum, que forte habere non possetis, et penes quos ipsa et ubi et qualiter haberi noscuntur, et summam, quam recipietis, fideliter et distincte nobis per alias vestras litteras vestro et aliquorum fidedignorum sigillis signatas exponere nullatenus omittatis. Datum apud Urbemveterem x. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXIII.

Archiepo Armachano super eodem argumento. Reg. Tom. II. fol. 141.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Firmam olim, cum te prefecimus ecclesie Armachane, de tua concepimus sinceritate fiduciam, quod in omnibus, que ad nostrum et ecclesie Romane commodum pertinere cognosceres, te sollicitum et vigilem exhiberes, ac de iuribus et proventibus universis ad eandem ecclesiam Romanam in provincia tua spectantibus attente ac diligenter inquirere, nosque super hiis deberes sufficienter per tuas litteras aut nuntios informare. Verum tu, licet nobis, dum adhuc esses apud sedem apostolicam constitutus, id, si bene recolimus, viva voce promiseris, de hoc tamen nullum effectum sensimus processisse, quod tibi satis posset ad negligentiam imputari, nisi ex quadam benigna credere dissimulatione velimus, te nimis fuisse aliis urgentibus negotiis occupatum. Ne itaque tu super hiis ulterius occasione aliqua retarderis, vel excusationis pallio muniaris, tibi, de cuius pura fide ac industria circumspecta specialem fiduciam gerere non cessamus, petendi, exigendi et recipiendi proventus et iura premissa nostro et ecclesie Romane nomine in provincia memorata, necnon inquirendi de pecunia et bonis, que dilectus filius Magister Iohannes de Frusinone, Capellanus noster, olim nuntius apostolice sedis in partibus Ybernie, nomine ipsius ecclesie per se aut alios dicitur recepisse, ac omnia illa, que de pecunia et bonis huiusmodi penes quoscumque per Capellanum ipsum eiusque nuntios deposita, vel quomodolibet commendata seu collecta et detenta inveneris, faciendi tibi pro nobis et eadem ecclesia integre assignari, Contradictores quoque per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, per quasdam nostras litteras, quas tibi transmittimus, plenam concedimus facultatem. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandantes, quatenus huiusmodi negocia acceptissima cordi nostro, ad quorum executionem te inter alios devotos illarum partium specialiter duximus eligendum, affectu prompto assumas, et illa iuxta dictarum litterarum tenorem, sicut efficacius poteris, exequaris, ac omnia et singula, que ad te de premissis pervenient, per fidelem nuntium, qui sub tuo deferat illa periculo nobis tam cito cum integritate transmittas. Quantitatem vero illorum, que de premissis te recipere contigerit, a quibus et ex qua causa, et quando et ubi, et coram quibus ea receperis, per patentes litteras tuo et illorum, qui presentes fuerint, ac illius vel illorum, qui ea tibi dederint, sigillis signatas, quas per tuum transmittens nuntium nobis distincte ac fideliter intimare procures. Verum licet super insinuanda nobis receptorum quantitate certam formam tibi per supradictas nostras litteras exprimamus, ut tamen totius suspicionis occasio de medio auferatur, talem a te cautelam in hiis adiecimus observandam, videlicet quod circa finem huius presentis anni, ex quo delegatam tibi commissionem inceperis exequi, omnibus, qui tibi aut sub-

delegatis vel nuntiis tuis infra eundem annum aliquid dederint de premissis, ex parte nostra demandes, ut certis loco et termino a te statuendis coram diocesano suo et... Priore Predicatorum ac... Guardiano Minorum fratrum loco, in quo convenerint magis proximo si fuerint: alioquin coram totidem Abbatibus aut Prioribus, vel aliis honorabilibus et fidedignis personis, litteras tuas sibi concessas super omnibus, quo ipsi tibi aut aliis pro te de premissis infra totum annum ipsum dederint, studeant presentare, sicque transcriptum omnium litterarum ipsarum fideliter sumptum sub sigillis diocesani, Prioris et Guardiani predictorum vel aliarum trium personarum fidedignorum, quos ad conveniendum propter hoc compellendi liberam tibi concedimus facultatem, per unum proprium ..... ex tunc infra octo dies iter arripiat veniendi ad sedem apostolicam, nobis mittere non postponant, quibus legitime denuncies, quod si hoc non fecerit, nequaquam ab ipsis, que dederint, absoluti, sed nobis et ecclesie Romane remanebunt nihilominus obligati: deinde vero cautelam huiusmodi singulis annis, donec a te predicta commissio revocata fuerit, studeas observare. Ut autem plene intelligas nos eandem formam in premissis velle servari, presentes nostras litteras tibi clausas mittimus, quas ad futurorum memoriam de verbo ad verbum nostro registro facimus annotari. Diligentiam itaque super premissis... providam adhibere procures, quod alicuius suspicionis aut detractionis materia contra te processu temporis non insurgat, neque tu de aliqua negligentia vel omissione redargui, sed potius apud nos de solerti et efficaci diligentia valeas commendari. Datum apud Urbemveterem VIII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXIV.

Episcopis et clero Hiberniae, ne contempto foro ecclesiastico ad iudices seculares recurrant. Reg. Tom. IV. fol. 248.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, et aliis ecclesiarum Prelatis seu Rectoribus, ac universis clericis per Yberniam constitutis, salutem etc. Provisionis nostre prevenire decet auxilio, ut libertas ecclesiastica semper in melius, deo favente, proficiat, et si quod obstare dinoscitur, per nos sollicite corrigatur. Sane mirantes sepe audivimus et referimus conturbati, quod nonnulli vestrum libertatem ipsam, quam deberent assidue cum omni diligentia promovere, novis adinventionibus conculcare gestiunt, et alias deprimere nequiter non verentur, dum alter alium super decimis, testamentis ac rebus aliis, et actionibus personalibus, que ad forum ecclesiasticum dumtaxat pertinent, relicto ecclesiastico iudice, in foro seculari convenire presumit: et si aliquando inter aliquos vestrum causa spectans ad eundem forum ecclesiasticum coram delegatis apostolice sedis, vel locorum ordinariis agitatur, reus malitiose procurat, eisdem delegatis aut ordinariis inhibitionem regiam dirigi, ne in causa, que coram eis pendere dinoscitur, ulterius procedatur, actore quandoque coacto propter hoc suo iuri cedere, vel ad forum non debitum declinare. Quia vero tante temeritatis excessui per apostolice sedis providentiam decet modis omnibus obviare, Universitati vestre auctoritate apostolica districtius inhibemus, quatenus a premissis et aliis, que predicte repugnant privilegio libertatis, vel impediunt effectum iustitie, penitus desistatis, quinimmo circa defensionem et promotionem libertatis eiusdem ita mente vigili, et constanti animo defendatis, quod exinde vobis premium divine gratie, ac nostri favoris augmentum digne valeat provenire. Alias autem omittere nullo modo poterimus, quin per disciplinam rigidam et personis metuendam improvidis ostendamus, quod illos cor nostrum pupugisse duris arbitramur aculeis, qui iustitie vigorem impediunt, vel sepedicte robur nituntur elidere libertatis. Datum apud Urbemveterem Kalendis Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXV.

Io. de Alneto ecclesiae Rathbotensi praeficitur. Reg. Tom. III. fol. 19.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio fratri Iohanni de Alneto ordinis fratrum Minorum, Electo Rathbothensi, salutem etc. Cum nos simus, licet insufficientibus meritis, in sublimi ecclesie universalis specula constituti, sic intendimus divino adiutorio iniunctum nobis a domino ministerium circa proximas ecclesias gerere, ut in illis etiam, a quibus locorum positione distamus, oportuna debeat providentia non deesse. Sane dudum ecclesia Rathbothensi pastoris solatio destituta, quidam de Capitulo ipsius, videlicet minor pars, elegerunt quondam Henricum Archidiaconum eiusdem ecclesie, ceteri vero ... Abbatem Monasterii Nigrecelle de Deri in Episcopum ipsius ecclesie postularunt. Tandem vero electionem dicti Archidiaconi per venerabilem fratrem nostrum ... Archiepiscopum Armachanum metropolitanum loci rite cassata, et per appellationem ipsius Archidiaconi negotio huiusmodi ad sedem apostolicam legitime devoluto, dictoque Archidiacono apud sedem eandem nature debitum persolvente, ac postulatione ipsius Abbatis a nobis ex causis legitimis non admissa: Nos volentes eidem ecclesie, ne dampna gravia ex longiori vacatione subiret, salubriter de persona idonea providere, te, de cuius circumspectione plenam in dño fiduciam obtinemus, ipsi Rathbothensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio prefecimus in Episcopum et pastorem, sperantes firmiter, quod eadem ecclesia sub tuo regimine grata, dante domino, suscipiet in spiritualibus et temporalibus incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta in virtute obedientie precipiendo mandamus, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus humiliter suscipiens a domino impositum tibi onus, et de favore nostro confidens, ad ecclesiam ipsam accedas, et sic circa commissum tibi gregem studeas custodia vigilare, quod idem grex verbo et exemplo tuis in viam salutis eterne directus, et ereptus de mortis perpetue casibus sempiternis gaudiis perfruatur, et predicta ecclesia industrie tue studio assidue profi-

ciat salubribus incrementis. Et quia in hoc non persone tue, sed ipsi ecclesie potius intendimus providere, audacter in nomine domini, et sine difficultate qualibet propter deum solummodo in omni patientia et doctrina recipias curam eius, Non obstante contraria constitutione tui ordinis, etiam si foret per sedem apostolicam confirmata, vel indulgentia dicte sedis concessa eidem, per quam non expressam presentibus vel totaliter non insertam id valeat impediri. Datum apud Urbemveterem III. Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Rathbothensi, Clero et populo civitatis et diocesis Rathbothensis, et Archiepiscopo Armachano.

CCXXXVI.

Rector ecclesiae de Baltan dioec. Glasguensis in capellanorum pontificis consortium recipitur. Reg. Tom. IV. epist. 343. fol. 108.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Ade de Kirkuchbrich, Rectori ecclesie de Baltano Glasguensis diocesis, salutem etc. Scientia, mores et vita, super quibus laudabile tibi testimonium perhibetur, ac venerabilis fratris nostri ... Episcopi Portuensis instantia tibi vendicant apostolice sedis gratiam et favorem, ac etiam promerentur, ut te titulus nostre familiaritatis illustret. Hinc est, quod nos consideratione ipsius Episcopi et huiusmodi meritorum tuorum obtentu, te in Capellanorum nostrorum consortium admittentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut de cetero Capellanus noster re et nomine censearis. Ad cuius rei evidentiam pleniorem devotioni tue pro eo, quod tibi absente fit huiusmodi gratia, presentes litteras duximus dirigendas. Datum apud Urbemveterem II. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXVII.

Iudicibus, ut causam inter nobiles Scotiae super comitatu de Manethet audiant et definiant. Reg. Tom. IV. ep. 349.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Sancti Andree et ... Aberdonensi Episcopis, ac dilecto filio ... Abbati de Dunfermelin Sancti Andree diocesis, salutem etc. Ex parte Carissimi in Christo filii nostri ... Illustris Regis Scotie fuit propositum coram nobis, quod cum nobilis vir Walterus Bulloc, et nobilis mulier Maria Comitissa de Manethet, uxor eius, nobilem virum Iohannem Russel Eliensis diocesis, et nobilem mulierem Isabellam uxorem ipsius, super Comitatu de Manethet Regni Scotie, quem utraque pars ab eodem Rege asserebat in feudum se debere tenere, et super quo Walterus et Maria predicti eosdem Iohannem et Isabellam sibi iniuriari dicebant, coram eodem Rege traxissent in causam petitorium et possessorium intentando: dictus Rex, auditis, que partes voluere super possessorio, suspenso ipso petitorio, proponere coram eo, et cognitis ipsius cause meritis, et iuris ordine observato, ac Iohanne Russel et Isabella predictis presentibus, possessionem dicti Comitatus ac iurium et pertinentiarum eius per diffinitivam sententiam Waltero et Marie adiudicavit eisdem, utrique parti super proprietate dicti Comitatus iure suo nichilominus reservato.

Postmodum autem nobis suggestum extitit, quod licet dudum inter Iohannem et Isabellam predictos de consensu ipsius Regis in eodem Regno, prout ibidem fieri consuevit, matrimonio celebrato, nobiles viri .. de Mar, .. de Rocham et .. de Straders Comites, Alanus Ostiarius, nec non nonnulli alii vassalli eorum iuramentum fidelitatis prestitissent eisdem; dicti tamen Comites et Alanus ac nobiles viri Malcolmus Comes de Fif, Iohannes Cumin, Alexander Oviot, nec non et Alanus dictus filius Comitis, Hugo de Berkeley, David de Graham, David de Lothar, Reginaldus dictus Cams, Hugo de Kaberinthin et Fresekinus de Minteve cum quibusdam eorum complicibus de dicto Regno, pro eo quod dictus Iohannes Cumin et sui complices malitiose ac false imponentes dictis Iohanni Russel et Isabelle uxori eius crucesignatis, quod ipsi quondam Walterum Cumin, olim ipsius Isabelle virum extinxerant, venenum ei[que] nequiter propinando, ipsos virum et uxorem propter hoc temeritate ipsa capi fecerant, et detineri captivi, donec ipsi per vim et metum, qui cadere poterant in constantes, compulsi fuerunt quosdam annuos redditus, terras et possessiones ad eos spectantes Comitibus et Alano donare predictis, et Comitatui de Manethet cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, nec non iuri, quod habebant in eo, renuntiari per litteras suas patentes, ipsumque Comitatum predicto Iohanni Cumin et eius heredibus concedere ab eis perpetuo possidendum, ac prestare nichilominus iuramentum, quod Regnum ipsum exirent, ac illud nullatenus revisuri, nisi ad transmarinas partes primitus se transferrent, et a Iohanne Cumin revocarentur eodem, quodque per revocationem huiusmodi ad idem Regnum redire non possent, nisi per septem Barones dicti Regni pares eis, vel plures etiam ad dicti Iohannis Cumin beneplacitum, a crimine necis prefati Walteri Cumin se purgare curarent, et donec nobilem virum Robertum Russel, ipsius Ioh. Russel germanum, prefato Ioh. Cumin dedissent obsidem tamdiu detinendum ab eo, quousque cartas predicti Comitatus et pertinentiarum eius eidem Ioh. Cumin perpetuo resignarent. Suggestioni quoque huiusmodi fuit adiectum, quod Iohannes Cumin, Comites et alii supradicti contra Iohannem Russel et Isabellam prefatos in carcerem constitutos, ac etiam indefensos auctoritate ipsius Regis, dum adhuc minoris etatis existerent, occasione huiusmodi, quamquam non constaret eos crimen commisisse predictum, ab ipsis Comitatum eundem, cui renuntiare, prout superius est expressum, coacti fuerant, abiudicari et de Comitatu et pertinentiis ipsis eundem Walterum Bulloc pretendentem, quod dicta Maria uxor sua esset heres Comitatus predicti, contra iustitiam investiri procuraverant, et nichilominus sepedictam Isabellam renuntiare totaliter doti sue, dictumque Iohannem Russel consentire huiusmodi renunciationi coegerant, sicque predicti crucesignati dampna gravia incurrerant et expensas, et voti executio impediebatur eorum: pro-

pter quod nos dilecto filio Pontio Nicolai, Capellano nostro, Preposito ecclesie Montis Sinisii dedimus per nostras litteras in preceptis, ut ad dictum Comitatum, seu ad Regnum ipsum, si secure illuc posset accedere, alioquin ad partes ipsi Regno vicinas se personaliter conferens, vocatis qui vocandi forent, si inquisita super hiis de plano et absque iudiciorum strepitu diligentius veritate, ita sibi esse constaret, donatione, concessione, resignatione, renunciationibus, litteris, iuramento et abiudicatione predictis nequaquam obstantibus, dictum Comitatum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, dictosque redditus, terras et possessiones et dotem, ac alia premissa bona taliter a predictis nobilibus occupata, eisdem crucesignatis restitui, necnon de dampnis et expensis, que et quas ipsi occasione huiusmodi incurrerant, satisfieri facere procuraret, Contradictores etc. usque compescendo.

Sane predictus Prepositus nostri mandati formam excedens, licet ad predictum Regnum secure potuisset accedere, tamen ad eorumdem Regis et Regni gravamen, prout indicat eventus, aspirans, Regem ipsum, ac nonnullos Prelatos et Comites, Barones et nobiles ac alios Regni eiusdem ad suam presentiam extra regnum ipsum huiusmodi occasione citavit, Comitatum, terras, possessiones et bona predicta Iohanni Russel ac Isabelle uxori sue adiudicans indebite memoratis, et nichilominus in quamplures Episcopos et Prelatos alios, Comites, Barones, nobiles et alios Regni eiusdem proponentes coram eo, se non debere evocari propter hoc extra Regnum prefatum, ac nolentes coram eo litigare seu parere sibi in loco illo, sicut nec etiam tenebantur, propter hoc diversas excommunicationis, suspensionis, et interdicti promulgavit sententias, et totum Regnum predictum supponi fecit ecclesiastico interdicto in ipsius Regis et predictorum preiudicium et gravamen. Quare predictus Rex processum memorati Prepositi, quatenus de facto processit, petiit revocari, ac interdici predicto Poncio, quod se de cetero de causa ipsa nullatenus intromittat, et predictam interdicti sententiam nichilominus revocari.

Verum quia, sicut alias etiam intelleximus, ex huiusmodi processu memorati Capellani grave in prefato Regno inter Prelatos, nobiles et alias personas eiusdem scandalum est exortum: Nos, qui dictum Regnum ob devotionem sinceram, quam dictus Rex ac ipsius Regni incole ad Romanam gerunt, et hactenus gessisse noscuntur ecclesiam, intime dilectionis amplectimur brachiis, volentes super hoc ex iniuncto nobis apostolatus, prout tenemur, officio taliter, sine lesione tamen iustitie providere, ut huiusmodi summoveatur scandalum, animarumque periculis exinde imminentibus obvietur, Discretioni vestre mandamus, quatenus, vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione postposita, decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, proviso quod de hiis, que ad forum ipsius Regis pertinent, et ecclesiasticum non contingunt, vos nullatenus intromittere presumatis, Non obstantibus aliquibus litteris veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis. Testes etc. usque perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum etc. usque exequantur. Datum apud Urbemveterem IIII. Nonas Ianuarii, Pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXVIII.

Iudicibus, ut I. episcopum Aladensem ad cessionem ecclesiae suae, quam sponte fecerat, exsequendam moneant. Reg. Tom. III. fol. 86.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Elfinensi et ... Cloanfertensi Episcopis, et ... Archidiacono Cloanfertensi, salutem etc. Insinuavit nobis venerabilis frater noster ... Archiepiscopus Tuamensis, quod licet venerabilis frater noster Iohannes Aladensis Episcopus suffraganeus suus, colore quesito, quod defectum natalium patiatur, super quo non est secum per sedem apostolicam dispensatum, a nobis non sine importuna instantia per nostras litteras obtinuerit licentiam cedendi regimini pastorali, adhuc tamen cedere pretermisit, propter quod grave scandalum in illis partibus est exortum. Quocirca mandamus, quatenus, si est ita, Episcopum ipsum, quem in postulatione cessionis huiusmodi vel salutem propriam aut commodum Aladensis ecclesie credimus attendisse, quorum neutrum aliorum suasionibus querentium, que sua sunt, sine levitate, quibus nolumus impediri, ad cedendum iuxta licentiam perdictas nostras litteras sibi concessam moneatis attente, et inducere procuretis. Quod si forte monitis vestris acquiescere in hac parte noluerit, vos eum auctoritate nostra peremptorie citare curetis, ut infra competentem terminum, quem sibi duxeritis prefigendum, personaliter compareat coram nobis, propositurus et ostensurus causam legitimam, propter quam cessio huiusmodi fieri non debeat vel non possit. Quidquid autem super hoc feceritis ac inveneritis, nec non diem citationis et formam nobis per vestras litteras harum serie continentes exponere fideliter procuretis. Quod si non omnes etc. Datum apud Urbemveterem x. Kalendas Martii, Pont. nostri anno tertio.

CCXXXIX.

Episcopo Dumblanensi, ut Petro canonico in ecclesia Glasguensi provideat de prebenda. Reg. Tom. IV. fol. 202.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Dumblanensi, et dilecto filio Petro Leti Canonico Basilice Principis Apostolorum de Urbe in Anglia commoranti, salutem etc. Dilectus filius Petrus de Curia, Capellanus dilecti filii nostri I. sancte Marie in Cosmedin diaconi Cardinalis, exposuit coram nobis, quod cum felicis recordationis G. papa predecessor noster mandasset, ipsum in ecclesia Glasguensi recipi per suas litteras in Canonicum et in fratrem, ac sibi de prebenda, si qua in ea vacaret, vel quamprimum ad id se offerret oportunitas provideri, tandem idem P. in ecclesia ipsa receptus fuit canonice auctoritate huiusmodi litterarum: postmodum autem vacante quadam prebenda inibi per mortem Riccardi de Brado

canonici eiusdem ecclesie, dicto Brado de iure debita, bone memorie Glasguensis Episcopus, ad quem in ipsa ecclesia prebendarum collatio pertinebat, venerabili fratri nostro G. Episcopo Sancti Andree, tunc canonico predicte ecclesie, pro sua contulit voluntate, ac ipsi Petro ecclesiam de Kastelter Glasguensis diocesis, tunc vacantem et ad collationem ipsius Episcopi pertinentem, loco probende contulit, quamvis prebendalis antea non fuisset: sicque prefatus Petrus non est adhuc in dicta ecclesia prebendam aliam assecutus, licet post receptionem suam plures prebende inibi vacuissent, super quo idem Petrus sibi a nobis petiit humiliter provideri. Quocirca mandamus, quatenus, si est ita, eidem Petro dictam ecclesiam de Kastelter, quam loco prebende obtinet, libere resignare parato, cum prebendam in ipsa Glasguensi ecclesia fuerit assecutus, de aliqua prebendarum antiquarum eiusdem ecclesie, si qua vacat, eidem ad presens vel quam primum ad id se facultas obtulerit, dummodo non nisi uni alii mandaverimus de prebenda in eadem ecclesia provideri, vos vel alter vestrum per vos vel per alios aut alium providere curetis iuxta earundem ipsius prebende continentiam litterarum, Non obstante, quod prebenda eidem Petro de iure debita vacavit in ecclesia supradicta, que alii est collata, per quod super assecutionem alterius prebende ullum ipsi Petro valeat preiudicium generari, aut quacumque indulgentia dicte sedis, per quam non expressam presentibus vel totaliter non insertam id impediri valeat vel differri, et de qua cuiusque toto tenore deberet in nostris litteris fieri mentio specialis, Contradictores et rebelles etc. usque compescendo. Volumus autem, quod idem prefatam ecclesiam de Kastelter, quam, postquam prebendam in ipsa Glasguensi ecclesia assecutus fuerit, vacare decernimus, ex tunc omnino dimittat. Datum apud Urbemveterem VII. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno tertio.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. IV.

CCXL.

Reginaldus episcopus Dunensis ad Clonensem ecclesiam transfertur. Reg. Tom. III. fol. 6. (Conf. infra Nr. CCXLIV. pag. 98. et 100.)

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Reginaldo Episcopo Clonensi, salutem etc. In dispensatione ministeriorum ecclesie dei nobis credita potissimum considerare nos expedit tempus, causam, personam et locum, secundum que pro emergentibus negotiis nova sunt consilia capienda, et prout ipsorum necessitas vel cause poscit utilitas, nunc per assumptionem, nunc per translationem providam a sede apostolica locorum sollicitudines sunt imponende personis, et locis personarum ministeria providenda, ut ex personarum industria locorum crescat utilitas, et ex opportunitate locorum fructificatio personarum. Sane Clonensi ecclesia pastoris solatio destituta, nos qui ex iugo apostolice servitutis universis sumus ecclesiis obligati, volentes eidem ecclesie, ne dampna ex longa vacatione subiret, salubriter providere, considerato attente, quod per postulationem, que in ipsa de dilecto filio Magistro Matheo Archidiacono ipsius ecclesie celebrata fuerat, eidem ecclesie canonice ac rite consuli non poterat de pastore, te, qui tunc pro Dunensi Episcopo te gerebas, recepta a te resignatione iuris, si quod tibi in Dunensi ecclesia competebat, prefate Clonensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio, et apostolice potestatis plenitudine preficimus in Episcopum et pastorem, liberam tibi nichilominus dantes licentiam ad eandem ecclesiam transeundi. Quocirca fraternitati tue mandamus, quatenus humiliter suspiciens impositum a domino tibi onus predicte Clonensis ecclesie sollicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod eadem ecclesia sub tue diligentie studio votivis multipliciter commodis, et optatis auctore domino consurgat augmentis. Datum Perusii Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. ... Decano et Capitulo Clonensi, Clero et populo civitatis et diocesis Clonensis, et Archiepiscopo Cassellensi.

CCXLI.

Archiepiscopo Cassellensi, ut cessionem Mauritii episcopi Rossensis recipiat. Reg. Tom. III. fol. 6.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Cassellensi, salutem etc. Ex parte venerabilis fratris nostri Mauritii Episcopi Rossensis suffraganei tui fuit propositum coram nobis, quod ipse ante promotionem suam votum emisit, quod ordinem fratrum Minorum intraret, et tandem factus voti transgressor ad Rossensem ecclesiam est promotus, occasione quoque promotionis ipsius grave scandalum est exortum, ex quo iam plurima homicidia provenerunt. Idem etiam Epus propter defectum scientie ac debilitationem proprii corporis est inhabilis ad Ros-

sensem ecclesiam gubernandam, propter quod dictus Episcopus tam anime sue saluti, quam indempnitati eiusdem ecclesie providere intendens, ne forte occasione ipsius dicta ecclesia in spiritualibus et temporalibus incurrat aliquod detrimentum, affectat cedere regimini ecclesie supradicte. Quare nobis humiliter supplicavit, ut cessionem eius quantum ad regimen huiusmodi, et non quoad dignitatem episcopalem recipi mandaremus. Quia vero de hiis haberi poteris notitiam pleniorem, fraternitati tue mandamus, quatenus, si tibi constiterit de premissis, huiusmodi cessionem a predicto Episcopo recipias vice nostra, et a vinculo, quo tenetur astrictus ipsi ecclesie, absolvas eundem. Datum Perusii vii. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno primo.

CCXLII.

Episcopo Aberdonensi, ut canonicatus, beneficia et ecclesias idoneis personis conferre possit. Reg. Tom. III. fol. 7.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Aberdonensi, salut. etc. Devotionis sinceritas, quam ad Romanam ecclesiam laudabiliter exhibes, digne meretur, ut petitiones tuas, quantum cum deo possumus, favorabiliter admittamus. Proinde cum ex tua insinuatione accepimus, nonullos canonicatus cum prebendis, ecclesie et ecclesiastica beneficia curam animarum habentia in tua civitate ac diocesi tanto vacaverint tempore, quod eorum collatio secundum Lateranensis statuta Concilii ad sedem apostolicam est legitime devoluta: Nos tuis supplicationibus inclinati, conferendi hac vice huiusmodi canonicatus cum prebendis, ecclesias et ecclesiasticas beneficia, dum tamen ad tuam collationem pertineant, personis ydoneis et ecclesie Romane devotis, ac contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Perusii vi. Kal. Maii, Pont. nostri anno primo.

CCXLIII.

Ioannes de Alneto provisione sibi facta de ecclesia Rathbotensi absolvitur. (Vide supra pag. 92.) Reg. Tom. III. fol. 7.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio fratri Iohanni de Alneto ordinis fratrum Minorum, in Ybernia commoranti, salutem etc. Ratbotensi ecclesia pastoris solatio destituta, felicis recordationis Urbanus papa, predecessor noster, te de apostolice plenitudine potestatis prefecit eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, iniungens tibi per suas litteras, ut recipiens impositum a domino tibi onus ad ecclesiam ipsam accederes, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando. Verum tu, antequam ad te huiusmodi littere pervenirent, infirmitatem incurabilem diceris incurrisse, per quam inhabilis et inutilis redderis ad exequendum officium pastorale: sicque non consentiens provisioni huiusmodi de te facte, nobis humiliter supplicasti, ut ne predicta ecclesia sub umbra tua in spiritualibus et temporalibus incurreret aliqua detrimenta, te a provisione et mandato huiusmodi absolvere de benignitate sedis apostolice dignaremur. Quia vero de huiusmodi infirmitate nobis per fidedignos constitit, te ab huiusmodi vinculo auctoritate presentium duximus absolvendum, nobis provisionem prefate ecclesie reservando. Datum Perusii iiii. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno primo.

CCXLIV.

Reginaldo episcopo Clonensi collationes confirmantur factae per eum de beneficiis ecclesiasticis spectantibus ad collationem episcopi Dunensis, qui est pro tempore, dum ecclesiam Dunensem regebat. Reg. T. III fol. 7.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Reginaldo Episcopo Clonensi, salutem etc. Tue devotionis promeretur affectus, ut petitionibus tuis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. In nostra siquidem proposuisti presentia constitutus, quod olim inter te, qui tunc pro Dunensi Episcopo te gerebas, et Thomam dictum Lidel clericum, qui se in Dunensem Episcopum electum canonice fore dicebat, super Episcopatu Dunensis, orta materia questione, tu aliqua ecclesiastica beneficia ad collationem Episcopi Dunensis, qui est pro tempore, spectantia, huiusmodi lite pendente, alias tamen canonice personis ydoneis contulisti. Quare humiliter petebas a nobis, ut cum nos te ius, si quod in Dunensi habebas ecclesia, libere in nostris manibus resignantem, Clonensi ecclesie tunc vacanti de fratrum nostrorum consilio, et apostolice potestatis plenitudine in Episcopum prefecimus et pastorem, providere super hoc personis eisdem opportuno remedio curaremus. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati collationes hiusmodi, sicut alias provide facte sunt, ratas et firmas habentes, illas auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Perusii ii. Kalend. Maii, Pontificatus nostri anno primo.

CCXLV.

Othobono de Flisco Genuensi sancti Adriani diacono cardinali committitur plenae legationis officium in regnis Angliae et Scotiae, Wallia et Hibernia. Reg. Tom. III. fol. 8.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio O. sancti Adriani diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Ad Regnum Anglie inclitum, tanto nobis et fratribus nostris acceptius, quanto magis se ab olim exhibuit erga deum fidei puritate sincerum, et in divini cultus ampliatione munificum, ac in ipsius veneratione devotum, eo intime caritatis affectu Romana semper ecclesia fervit, ut eius velut propriis afficeretur incommodis, et commodis letaretur. Si quando enim illi prosperum aliquod indulsit sortis lenioris applausus, illud suis incrementis ascripsit: adversa vero, que irrogavit interdum casus asperioris illisio, suis prorsus dispendiis imputavit: sicque in utraque sibi viscera materne pietatis aperuit, quod in alterutro, quantum in ea fuit, de contingentibus nil omisit contra ingruentis pro tempore adversitatis incursum, eidem, cum opus extitit, totis viribus in oportunitate subveniens, et ad desiderato prosperitatis

augmentum, quotiens ad id facultas occurrit, studiis oportunis intendens.

Sic affecta eadem mater ecclesia tam ad Regnum illud, et Carissimum in Christo filium nostrum ... Regem, et Carissimam in Christo filiam nostram ... Reginam Anglie Illustres, ac suos, quam ad Venerabiles fratres nostros Prelatos, et dilectos filios nobiles viros Comites, Barones, ceterosque Magnates et Incolas Regni eiusdem tempore fel. recordationis Urbani pape, predecessoris nostri, memoratis Regno, Regi et ceteris contra insurgentis impetum tempestatis, que Regnum ipsum gravi nimium commotione turbavit, prompta sollicitudine in auxilium exurrexit. Idem namque predecessor, ubi primum apud eum rumor insonuit de nimia eiusdem Regni et periculosa turbatione diffusus, meditationibus cum fratribus suis pensans assiduis et intentis exquirens affectibus, qualiter posset tanto predictorum Regni, Regis et aliorum discrimini obviari: demum cum eisdem fratribus deliberatione prehabita, nos, tunc in minori officio constitutos, ad Regnum predictum pro reformatione status ipsius per turbationem huiusmodi miserabiliter deformati, nobis tam inibi quam in quibusdam aliis partibus plene legationis potestate concessa, de dictorum fratrum consilio destinavit: nosque iniunctum nobis onus, quamquam non modicum onerosum, tum propter obedientie bonum, quam predictorum Regis, Regine, Prelatorum, Baronum et Regni totius obtentu, ad quos affectionis sincere integritatem gerebamus et gerimus, humiliter assumentes, postquam ad partes eidem Regno vicinas per varia deducti discrimina, sola nos protegente gratia divina, pervenimus, apud Barones predictos pulsavimus monitis, ipsos instanti persuasionum pulsatione monuimus, ut ipsi, qui nobis in hoc multiplicem suspicationis prestitere materiam, securum nobis ad idem Regnum aditum, quem variis modis obstruxerant, aperirent: quamvis idem Regnum ingressi ad votivam nobis ipsius tranquillitatem et pacem, iuxta officium nobis impositum et desiderium insitum, commodius et efficacius vacaremus, sed multiplici nostre instantie multiplicem opposuit eorundem Baronum contumacia nimis in hoc obstinata repulsam.

Siquidem gravem in persona nostra eidem ecclesie irrogantes iniuriam, et securitatem nobis prebere valde inhumaniter, et aperire aditum nimis iniuriose ac contumaciter noluerunt. Nos vero nec eorum inhumanitate commoti, nec contumacia vel iniuria provocati, sed in caritatis soliditate ipsorum salutis anxii, et eorum mollire duritiam molientes, ne in animarum suarum perniciem in tam periculosa pertinacia obdurati amplius remanerent, ipsos et per lenia monitionum antitoda, et per medicinalium sententiarum acrimoniam ad exhibendam nobis, et eidem ecclesie debitam exauditionis promptitudinem in predictis, nos ad eorum et totius Regni prefati admittendo commodum, et assumptum in eo exequendum officium studuimus revocare.

Licet autem nec sic profecerimus circa ipsos, propterea tamen non minus ad ipsorum salutem et prefati Regni, Regis et aliorum statum tranquillum et prosperum aspirantes, immo etiam post predicti predecessoris obitum, prout domino placuit, ad apicem summi apostolatus assumpti, non minorem ad ipsos, sed eo intensiorem paterne sinceritatis zelum habentes, quo magis ad id eo officii debito novimus nos teneri, expectantes expectavimus cum multe sollecitudinis anxietate diutius, quod ad nos boni de Regno nuntii venientes sitienti patris anime de filiorum solute aquam consolationis infunderent, et reviviscentem in eis spiritualis vite spiritum nuntiarent, ut redeuntibus filiis de dissimilitudinis regione apertis benignitatis brachiis pius pater gaudens et exultans occurreret, ipsosque non solum ad remissionis gratiam exoratus admitteret, sed eam ultro gratiosus offerret. Verum quia mesto Iacob predilectum Ioseph vivere adhuc Egyptus occultat, et desiderate tranquillitatis Regni predicti noticiam cum non sit, sic nobis turbationis solite confusio interdicit, quod nulli postmodum ad nos de Regno ipso super predictis, prout desideravimus, nuntii vel littere pervenerunt, paterne nos cogit affectio, ne circa caros, etsi huc usque nostra contempserint monita, etsi aures nostris obturando clamoribus adhuc, ut effectus imo contemptus indicat, moneri contempnant, ceptis ullo modo desistamus, sed insistamus omnimodis, ut de profundo tanti erroris educti ad veritatis semitas redeant, a quibus per gravium excessuum in via deviarunt: quamquam enim carorum audita pericula diligentes ad amaritudinem provocent, ad compassionem excitent, ad subventionem invitent, visa tamen hec eo promptius operantur, quo irritant animos segnius, que vocis ministerio exprimuntur auribus, quam que oculorum officio mentibus imprimuntur.

Et ideo nos, qui ea, que in Regno prefato hiis accidere temporibus, ipsiusque discrimina dissimulare non possumus, utpote qui ea quasi tractavimus manibus et oculis nostris inspeximus, urgit conscientia, cogit affectus, ut non differamus ulterius, sed satagamus in premissis festinum adhibere remedium, et ad succurrendum Regno prefato totis viribus, prout dominus ex alto permiserit, occurramus. Ad quod quia per nos ipsos ad id, ut desideraremus intendere, conditione nostra prepediente nequimus, legatum de nostro latere deliberavimus destinandum, et ad te, quem novimus ad prosperitatem prefati Regni specialiter affici, unius in hoc affectum testamur conscii, cuius prudentiam laudamus experti, cuius benignitas grata, humilitas accepta, conversatio mansueta, nostre deliberationis intuitum convertentes, speramus per tue circumspectionis industriam, actus tuos illo dirigente, qui novit, ac prava in directa et aspra in vias planas illo convertente, qui potest, posse in predictis salubriter consuli et utiliter subveniri.

Licet igitur nos et fratres nostri tua presentia, utpote nobis et ecclesie Romane necessaria, careamus inviti, tamen cogente nos tam ingenti et inevitabili necessitate Regni predicti, et paterno affectu, quem ad idem Regnum, Regem, Reginam, natos ipsorum, Prelatos, Barones Magnates et Incolas pre-

13

dictos gerimus, impellente, te, de cuius claris meritis plenam in domino fiduciam obtinemus, ad Regnum predictum plene legationis officio tibi commisso inibi, ac in Regno Scotie, Wallia et Ybernia, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, sicut videris expedire, de predictorum fratrum consilio tamquam pacis angelum destinamus. Quocirca discretioni tue in remissionem tuorum peccaminum per apostolica scripta mandamus, quatenus iniunctum tibi huiusmodi legationis officium devote suscipiens, illud studiosius exequaris, sic eius partes efficaciter impleturus, quod Deum habeas exinde magis propitium, nosque reddamur ad tua commoda promptiores. Nos enim sententias, quas propter hoc in tue legationis rebelles tuleris, ratas habebimus et faciemus, auctore domino, inviolabiliter observari. Datum Perusii IIII. Nonas Maii, Pontificatus nostri anno primo.

CCXLVI.

Eidem legato, ut in predictis regnis, necnon in Norwegia decimam omnium proventuum ecclesiasticorum ad legationis suae officium feliciter exsequendum colligere possit. Reg. Tom. III. fol. 12.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio O. sancti Adriani diacono Cardinali, salutem etc. De circumspectione tua gerentes in dño fiduciam pleniorem, te ad Regnum Anglie pro reformatione status ipsius, commisso tibi tam inibi, quam in Regno Scotie ac in Wallia et Ybernia plene legationis officio, duximus destinandum. Ut autem commissum tibi legationis officium felicem et celerem consequatur effectum, mandamus, quatenus decimam omnium proventuum ecclesiasticorum in predictis et Norwegie Regnis ac in Ybernia et Wallia ab ecclesiis tam cathedralibus, quam aliis, ac monasteriis ac domibus, ac locis religiosis tam exemptis, quam non exemptis, cuiuscumque ordinis existant, Cisterciensis, Cartusiensis, Militie Templi, Hospitalis Hierosolimitani, sancte Marie Theutonicorum et sancte Clare ordinum monasteriis et domibus dumtaxat exceptis, per viros ad hoc idoneos et fideles colligi facias, et de illa subvenias hiis, qui negotium, pro quo mitteris, prosequentur, prout videris expedire, et si aliquid superérit, illud restituas ecclesiis, monasteriis, domibus et locis, a quibus huiusmodi recipietur decima, pro rata eius, quod duxerint persolvendum. Non obstante, si est aliquibus ab apostolica sede indultum, quod ad solvendum vel exhibendum decimam seu partem aliquam suorum proventuum, vel ad provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, quodque interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, sive qualibet alia indulgentia cuicumque persone, ordini, seu loco ab eadem sede concessa, quam in hac parte nulli volumus suffragari, et de qua oporteat in nostris litteris plenam et expressam ac de verbo ad verbum mentionem fieri, et per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et constitutione de duabus dietis etc. Contradictores etc. Dat. Perusii v. Idus Maii, Pont. nostri anno primo.

CCXLVII.

Thomas de Lydel purgatur a criminationibus, quibus occasione electionis suae ad sedem Dunensem impingebatur. Reg. Tom. III. fol. 31.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Magistro Thome de Lydel, Rectori ecclesie de Rathlonge Carnotensis diocesis, salutem etc. Verbum evangelice veritatis dicentis, beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, pio considerantes affectu, libenter in nostris actibus misericordiam observamus, illum habendo in hac parte pre oculis, cuius maiestas magnifica, et cunctipotentia gloriosa in eo potissime manifesta, seu principaliter clara redditur, quod ipse circa fideles suos benignus, patiens et copiosus in misericordia iugiter invenitur. Sane postquam inter te et venerabilem fratrem nostrum ... Clonensem Episcopum, tunc pro Dunensi Episcopo se gerentem, super Episcopatu Dunensi, ad quem vacantem te canonice electum esse proponis, et de quo Epus ipse per metropolitanum loci sibi legitime provisum fuisse dicebat, apud sedem apostolicam diutius extitit litigatum, dictus Epus omni iuri, quod sibi super Episcopatu competebat eodem, in nostris manibus renunciavit omnino, nosque ipsum Episcopatui Clonensi tunc vacanti de plenitudine potestatis apostolice prefecimus in Epum et pastorem. Quia vero memoratus Episcopus, inter ipsum et te huiusmodi causa pendente, tam contra huiusmodi electionem, quam etiam contra personam tuam plura obiecit, que videbantur in status tui derogationem non modicam redundare: Nos tuis supplicationibus inclinati auctoritate tibi presentium duximus indulgendum, ut premissa contra te per Epum obiecta predictum tibi impingi nequeant, ita quod per ea statui tuo detrahi valeat in aliquo, vel fama tua pati aliquem lesionem: salvo tamen iure in hiis Cleri Dunensis, ac etiam illorum de Clero ipso, qui se tibi super eodem Episcopatu Dunensi opponere dinoscuntur, quibus per hoc, quominus possint uti predictis obiectis in electionis eiusdem negotio, nolumus derogari. Ut autem de huiusmodi gratia sedis apostolice nulla possit alicui dubietas imminere, tibi presentes litteras super hoc in testimonium duximus concedendas. Datum Perusii XIIII. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

CCXLVIII.

Regi Angliae ad triennium decimae omnium beneficiorum in regno Angliae, in Wallia et Hibernia conceduntur. Reg. Tom. III. fol. 60.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... Regi Anglie Illustri, sal. etc. Quanta inclitum Anglie Regnum tuum fuerit hiis temporibus turbatione concussum, quantaque sit guerrarum concussione quassatum, amaro animo recolentes, tibi ac eidem Regno tamquam nobis et ecclesie Romane carissimis pie compassionis affectu compatimur, et ex intimis condolemus, nec minus amaritudine multa percellimur, dum pressuras innumeras, quas tu et carissima in Christo filia nostra ..... Regina Anglie Illustris, ac nobilis vir G. tuus ipsiusque Regine primogenitus, et ecclesie ac ecclesiastice persone

Regni eiusdem eisdem pertulere temporibus, recensemus. Cuius etenim pectus saxeum non anxio repeteret spiritu, non lucubri mente recoleret, qualiter tu et primogenitus memoratus discriminibus bellorum expositi, experti carceres, mortis frequenter periculis patuistis, ab hiis hucusque solo dei digito preservati: qualiter eadem Regina, te ac eodem primogenito quasi orbata viventibus, coacta est extra Regnum ipsum paupertatis nichilominus non levi passa onere diutius exulare: qualiter easdem ecclesias et personas pro libito manus raptoris invasit, ipsorum bona pro velle diripuit et consumpsit. Ad huius autem amerititudinis vehementis ardorem cuiusdam etiam nostre sequentis considerationis inspectio timoris verisimilis adicit incentivum: dum enim conspicimus attente mediationis aspectu tam grandis turbationis reliquias non consumptas omnino, sed adhuc graviores, quam vellemus, et predicto Regno, tibi ac tuis expediat, superesse, tanto amplius tranquillitatem ipsius, prout desideramus, nondum plene firmatam in antique tempestatis angustias recidivare timemus, quanto id eisdem Regno, tibi ac aliis discriminibus guerrarum attritis, bellorum vastitate confectis, laborum diuturnitate laxatis, exinanitis opibus, et oneroso debitorum onere pregravatis maiori posset esse discrimini, et efficacioris ingerere pericula nocumenti, cum semper esse procul dubio soleat recidenti deterius quam cadenti: propter quod sollecitudine oportuna, ut decet, et prompta oportunitate, ut expedit, deliberavimus statui tuo depresso graviter et inique gravato accommodis remediis providere, ut plene tui iudicii solio restituto, tu quo fortior in illo sedebis, eo liberius tuo intuitu dissipes omne malum, eoque utilius regimini eiusdem Regni et ecclesiarum ipsius possis defensioni vacare, quo tu ac tui relevati a gravibus, quibus tenemini, oneribus debitorum, te tuosque subditos et tibi specialiter assistentes in regimine ac defensione huiusmodi efficacius poteris in suis iuribus confovere. Attendentes itaque, quanto tu semper ad ecclesias devotionis zelo fervueris, quantoque studio ipsarum statum prosperum multo fervore zelatus ad divini cultus intendis augmentum, quam largis tuis munificentiis et munificis liberalitatibus tu, ac clare memorie tui progenitores incliti earundem ecclesiarum statum et substantias augmentastis, decens arbitramur et congruum, tibi de ipsarum ecclesiarum bonis necessarie subventionis porrigere dexteram, ac congrue in tante necessitatis articulo subvenire. Ad tuam igitur subventionem sollicite intendentes, decimam partem omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum Archiepiscoporum, Epõrum, aliorumque Prelatorum, necnon ecclesiarum Cathedralium et aliarum Monasteriorum, Domorum, Prioratuum, ceterorumque locorum ecclesiasticorum, regularium et secularium, exemptorum et non exemptorum Anglie, Wallie ac Ybernie, cuiuscunque sint ordinis vel religionis, Militie Templi, Hospitalis s. Iohannis Ierosolimitani, sancte Marie Theutonicorum, Cisterciensis, Cartusiensis, et ordinis sancte Clare domibus dumtaxat exceptis, usque ad triennium de fratrum nostrorum consilio tibi duximus concedendam, quam per dilectum filium nostrum Ott. sancti Adriani diaconum Cardinalem, apostolice sedis legatum, aut per aliquos viros providos et fideles, quos idem Cardinalis ad hoc duxerit deputandos, secundum veram, non secundum antiquam extimationem reddituum et proventuum predictorum, pro eo quod huiusmodi extimatio frequenter pro varietate temporum variatur, per totum predictum tempus in supradictis Regno et partibus diligenter colligi volumus, exigique mandamus in utilitates tuas, prout sibi per nostra exprimimus litteras dispensandam. Tu itaque, fili carissime, sic in ipsius dispensatione decime nostris et eiusdem Cardinalis beneplacitis ac commodis tuis intendas, ut decima eadem in tuam et tuorum utilitatem iuxta nostra desideria, et tuarum necessitatum exigentiam efficaciter convertatur. Datum Viterbii VI. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCXLIX.

Cardinali legato, ut pro rege Angliae decimam in Scotia, assentiente rege Scotorum, colligi faciat. Reg. Tom. III. fol. 80 et 81.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio O. sancti Adriani diacono Cardinali apostolice sedis legato, salutem etc. Licet nos Carissimo in Christo filio nostro H. Regi Anglorum Illustri super angustiis et pressuris, quas a suis persecutoribus est perpessus, paterno compatientes affectu, ac cupientes eidem gravibus affecto incommodis et intolerabilibus gravato dispendiis subventione consuli oportuna, maxime ut ab importabili sarcina debitorum, que persecutorum persecutione instante contraxit, auxiliari subsidio relevetur, tibi sub certa forma per alias litteras iniungamus, ut decimam partem omnium ecclesiasticorum reddituum in Scotia per te vel per alios, quos ad hoc duxeris deputandos, colligas et colligi facias diligenter, prout per alias nostras exprimendum duximus litteras, dispensandam, Contradictores auctoritate nostra etc. usque compescendo: volumus tamen et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus ad colligendum vel faciendum colligi huiusmodi decimam in dicto Regno Scotie aliquatenus non procedas, nisi ad id carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotie Illustris, quem super hoc nostris litteris rogamus attentius et hortamur, assensus accedat. Datum Viterbii VI. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

Clemens episcopus etc. Dil. filio O. s. Adriani diacono Cardinali apostolice sedis legato, salut. etc. Per varias nostras sub certis tenoribus iniungimus tibi litteras, ut decimam partem omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Prelatorum, necnon ecclesiarum Cathedralium et aliarum, Monasteriorum, domorum, prioratuum, ceterorumque locorum ecclesiasticorum, regularium et secularium, exemptorum et non exemptorum Regni Scotie, cuiuscumque sint religionis vel ordinis, Militie Templi, Hospitalis s. Iohannis Ierosolimitani, sancte Marie Theutonicorum,

Cisterciensis, Cartusiensis et ordinis sancte Clare domibus dumtaxat exceptis, quam usque ad triennium ad subventionem carissimi in Christo filii nostri ... Regis Anglorum Illustris de fratrum nostrorum consilio deputandam duximus, per te vel per alium, aut alios viros providos et fideles, quos ad hoc videris deputandos, per totum predictum tempus in supradicto Regno, si ad id Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotorum Illustris accedat assensus, colligi facias diligenter in utilitates ipsius Anglie Regis secundum formam, quam per alias nostras tibi exprimimus litteras, dispensandam. Quia vero Carissima in Christo filia nostra .... Regina Anglie Illustris gravi debitorum sarcina, que ipsam contrahere compulit infesta persecutio, quam, sicut nosti, gravissimam toleravit, ac alias gravaminibus diversis opprimitur: nos eidem super hiis, super quibus illi benignitatis paterne affectu compatimur, necessarie subventionis suffragium cupientes favorabiliter provenire, volumus ac discretioni tue presentium auctoritate mandamus, quatenus si, prefati Scotorum Regis obtento consensu, ad exactionem predicte decime procedatur, de ipsa primo huiusmodi prefate Regine debita exolvantur. Quod si forsan propter denegatum consensum predictum, vel ex alia causa contigerit ad collectionem ipsius decime non procedi, cum intendamus omnimodis dicte Regine in hoc imminentis eidem necessitatis tempore subvenire, de decima ecclesiasticorum proventuum, prefato Regi Anglorum in Regno Anglie pro suis necessitatibus nuper ab apostolica sede concessa, sexaginta millia librarum Turonensium, non obstantibus apostolicis litteris quibuscumque, in solutione predictorum debitorum ipsius Regine converti, ac residuum ipsarum decimarum in utilitates memorati Regis Anglorum secundum litterarum, quas tibi super hoc dirigimus, continentiam facias dispensari. Dat. Viterbii x. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCL.

Thomas electus Dunensis, cassato processu ab archiepo Armachano contra eandem electionem facto, confirmatur. Reg. Tom. II. fol. 89.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Thome Dunensi Electo, salutem etc. Dudum Cathedrali ecclesia sancti Patricii Dunensis ordinis sancti Benedicti solatio destituta pastoris, quondam R. Prior et dilecti filii Conventus eiusdem ecclesie te in eorum Epum concorditer elegerunt. Sane bon. me. ... Armachano Archiepiscopo loci metropolitano electione huiusmodi presentata, et venerabili fratri nostro Reginaldo Clonensi Episcopo, tunc Archidiacono Dunensi, ac ... de Bangor, ... de Mainbile, ... de Saballo et ... de Cumbyr Monasteriorum Abbatibus, eorumque Conventibus, et quibusdam aliis clericis Dunensis civitatis et diocesis se tibi super hoc opponentibus, orta quoque inter ipsos ex parte una, ac te super electione ipsa ex altera materia questionis, idem Archiepiscopus, qui de causa huiusmodi auctoritate ordinaria cognoscebat, proponentibus coram eo Archidiacono et aliis predictis, quod ipsi, qui electioni Dunensis Episcopi, sicut dicebant, consueverant interesse, fuerant in ipsa electione contempti, et quod Monachi eiusdem ecclesie infra tempus legitimum eligere neglexerant, quodque tu et dictus Prior Dunensis, qui fuerat unus de tuis electoribus, tempore huiusmodi electionis eratis vinculo excommunicationis astricti, et eodem tempore tu plura beneficia ecclesiastica curam animarum habentia sine dispensatione sedis apostolice obtinebas, et quod tam tu quam predicti electores fueratis in petenda predicte electionis confirmatione infra tempus debitum negligentes, nec ad solos eosdem Monachos, sed ad Abbates, Archidiaconum et Clerum Dunensem et ecclesie sancte Trinitatis Dunensis Episcopi Dunensis electio pertinebat, tuque renuntiaveras electioni predicte, in dicta causa procedens per iniquam difinitivam sententiam electionem cassavit eandem, propter quod ad sedem apostolicam appellasti: at idem Archiepus, contempta huiusmodi appellatione legitima, prefatum Reginaldum prefecit eidem Dunensi ecclesie in Episcopum et pastorem. Cumque ad presentiam felicis rec. Alexandri pape predecessoris nostri personaliter accessisses, ac idem predecessor in eadem causa dilectum filium nostrum R. sancti Angeli diaconum Cardinalem dedisset partibus auditorem, dilectus filius Magister Andreas Spilliati, Subdiaconus et Capellanus noster, cui dictus Cardinalis causam ipsam audiendam commisit, ipsius meritis intellectis, dictoque Cardinali fideliter recitatis et iuris ordine observato, ac utraque parte presente, de ipsius predecessoris ac eiusdem Cardinalis mandato huiusmodi provisionem factam per dictum Archiepum de prefato Reginaldo ecclesie Dunensi predicte non valere decrevit, ac eandem provisionem, et quidquid ex ea secutum extitit, vel ob ipsam, in irritum revocans, ac decernens huiusmodi negotium debere ad eum statum, in quo erat tempore appellationis predicte, reduci sub pena excommunicationis inhibuit, ne prefato Reginaldo tamquam Episcopo Dunensi obediretur, vel etiam intenderetur occasione provisionis eiusdem: idemque predecessor, quod super hoc a dicto Capellano factum extitit, auctoritate apostolica confirmavit, prout in ipsius predecessoris litteris plenius continetur. Post varios vero processus super hoc habitos coram diversis auditoribus a sede apostolica deputatis, tandem cum iam esset a partibus in causa ipsa conclusum, prefatus Archidiaconus provisioni de se facte per dictum Archiepiscopum renuntiavit sponte et libere, ac ius, siquid ex ea sibi fuerat acquisitum, in nostris manibus resignavit, nosque huiusmodi renunciatione ac resignatione receptis, de ipso Clonensi ecclesie tunc vacanti duximus providendum. Processu quoque temporis negotium ipsum, quod indeterminatum remanserat, examinari fecimus diligenter, et tandem eiusdem negotii meritis nobis relatis fideliter, et per nos ipsos cum fratribus nostris diligenti examinatione discussis, cum premissa omnia contra te ac electionem de te factam coram Archiepo predicto proposita invenerimus non probata, processum per dictum Archiepum

contra te et electionem eandem celebratam de te habitam, et quicquid ex eo secutum est, cassavimus, irritavimus, cassum et irritum nuntiavimus, ac decrevimus viribus omnino carere. Demum vero, ne predicta Dunensis ecclesia prolixioris dispendia vacationis incurreret, tam electionem predictam de te factam, quam etiam te ipsum examinari fecimus diligenter, et quia electionem ipsam invenimus canonice de persona ydonea celebratam, ipsam auctoritate apostolica confirmantes, te ipsi ecclesie Dunensi de fratrum ipsorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis preficimus in Epūm et pastorem, questione proprietatis super iure eligendi Dunensem Epūm Abbatibus, Conventibus, Archidiacono et Clericis supradictis nichilominus reservata, sperantes quod eadem Dunensis ecclesia per tue circumspectionis industriam salubria in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa. Ideoque mandamus, quatenus eiusdem ecclesie regimen devote suscipiens, illud sic prudenter et sollicite gerere studeas, quod ipsa ecclesia in utriusque, divina favente clementia, feliciter gubernetur, ac exinde possis tanquam benedictionis filius nostram et apostolice sedis gratiam promereri. Datum Viterbii III. Nonas Iulii, Pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLAE GREGORII PP. X.

CCLI.

Nicolaus electus Armachanus confirmatur. Reg. An. I. fol. 14.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Armachano, Ybernie Primati, salutem etc. Quoniam inter sollicitudines, que nobis ex officio iniuncte servitutis incumbunt, illam novimus esse non minimam, ut acceleratione sollicita provideatur ecclesiis viduatis, ne ex vacatione diutina grave sustineant in spiritualibus et temporalibus detrimentum. Sane Armachana ecclesia pastoris solatio destituta, Capitulum ipsius, die statuta, convenientes in unum et gratia sancti spiritus invicata, ad personam tuam sue considerationis oculos dirigentes, te tunc eiusdem ecclesie Canonicum in illius Archiepūm per viam compromissi canonice ac concorditer elegerunt: et presentato nobis electionis sue decreto, electionem ipsam petierunt per sedem apostolicam confirmari. Unde nos et ipsorum petitionibus annuere, et tibi non cito manum imponere disponentes, predictam electionem examinavimus diligentius, inquisita de ipsius electionis forma, eligentium studiis et persone tue meritis sollicite veritate, et quia electionem eandem invenimus de persona ydonea canonice celebratam, eam duximus auctoritate apostolica confirmandam, facientes tibi per manus Venerabilis fratris nostri ... Episcopi Tusculani munus consecrationis impendi, tibique palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne quidem plenitudinis pastoralis officii, tribuentes, firma spe fiduciaque concepta, quod cum sis vir discretus et providus, et tam in temporalibus quam spiritualibus circumspectus, eadem ecclesia per diligentie tue studium gratum in utrisque suscipiat incrementum. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente mandantes, quatenus devote suscipiens impositum a dño tibi onus, et summittens fortitudinis tue collum ad huiusmodi sarcinam mente stabili deferendam, curam ecclesie supradicte diligentius geras et prudenter ac utiliter prosequaris, ita quod ipsa ecclesia sub tua vigilantia votivis amplietur commodis, et optatis augmentis, domino cooperante, consurgat. Datum apud Urbemveterem III. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo et universis Epīs suffraganeis ecclesie Armachane, clero et populo civitatis et diocesis Armachane, et nobilibus viris et aliis universis Vassallis ecclesie Armachane etc.

CCLII.

Hugo electus Aberdonensis confirmatur. Reg. An. I. fol. 14.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Hugoni Episcopo Aberdonensi, salutem etc. Debitum officii nostri requirit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias solertiam adhibentes ipsarum utilitatibus intendamus, in eo maxime, ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de illorum celeriter nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter, auctore dño, continuum suscipiant incrementum. Sane Aberdonensi ecclesia pastoris solatio destituta, dilecti filii ... Decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad providendum ipsi ecclesie de pastore prefixa, convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, te tunc eiusdem ecclesie Cancellarium, virum utique providum et honestum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in

Aberdonensem Episcopum canonice ac concorditer elegerunt, nobisque postmodum decretum electionis huiusmodi facientes per dilectos filios Magistros Rogerium de Castello et Thomam de Bennam, clericos, eorum procuratores ad hoc et nuntios presentari, a nobis per eos, ut electionem confirmaremus eandem, humiliter petierunt. Nos igitur ipsius electionis examinato processu, quia eam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, et te ipsi ecclesie prefecimus in Episcopum et pastorem, tibique fecimus munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque concepta, quod per tuam circumspectionem providam et providentiam circumspectam eadem ecclesia tam circa spiritualia quam temporalia gratis, tribuente domino, proficiet incrementis. Ideoque districte mandamus, quatenus ad predictam ecclesiam absque dispendio tarditatis accedens, geras prudenter et sollicite curam eius: ita quod tuo labore ac studio, auxilio cooperante divino, dictam ecclesiam in spiritualibus et temporalibus multipliciter augmentetur. Datum apud Urbemveterem x. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Decano et Capitulo Aberdonensi, Clero et populo civitatis et diocesis Aberdonensis, et .... Regi Scotie Illustri.

CCLIII.

Iudicibus, ut episcopum Lismorensem ad restituendam certam pecuniae summam ex redemptione votorum a crucesignatis collectam compellant. Reg. An. I. fol. 56

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Magistro Raymundo de Nogeriis, Capellano nostro, et Petro de Aussona Canonico s. Martini Turonensis, apostolice sedis nuntiis, sal. etc. Cum Venerabilis frater noster ... Episcopus Lismorensis ex commissione a dilecto filio nostro O. sancti Adriani diacono Cardinali, tunc in illis partibus legationis fungente officio, sibi facta de redemptione votorum in terre sancte subsidium, non modicam, quam adhuc non restituit, collegisse dicitur pecunie quantitatem: discretioni vestre mandamus, quatenus Epum ipsum, si superest, vel si ille forte decesserit, executores testamenti eiusdem, ad exhibendum vobis integraliter pecuniam ipsam in dictum subsidium convertendam vos vel alter vestrum per vos, vel per alium modo predicto, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra cogatis, Non obstante, si eis vel eorum aliquibus, aut alicui a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, nisi in eis de indulto huiusmodi plena et expressa mentio habeatur, seu qualibet alia sedis ipsius indulgentia, per quam id possit quomodolibet impediri. Vos autem de hiis, que premissa ratione ad manus vestras contigerit devenire, quictationem ydoneam facietis, ad quam nostro et ecclesie Romane nomine faciendam vobis tenore presentium plenam concedimus potestatem. Et nichilominus quidquid inveneritis aut feceritis in premissis, nec non summam pecunie, quam hac occasione receperitis, et apud quos illam duxeritis deponendam, per vestras litteras nobis absque more dispendio fideliter insinuare curetis. Datum apud Urbemveterem III. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Magistro Raymundo de Nogeriis etc. et Petro de Aussona etc. nuntiis, sal. etc. Cum Ven. frater noster ... Epus Lismorensis ex commissione specialiter sibi facta per dilectum filium nostrum O. s. Adriani diaconum Cardinalem, tunc in illis partibus apostolice sedis legatum, de procurationibus ipsi legato debitis non modicam colegisse dicitur pecunie quantitatem, quam adhuc restituere non curavit, nosque illam velimus in terre sancte subsidium, cuius necessitas sumptus requirit fere inextimabiles, deputari: discretioni vestre mandamus, quatenus Episcopum eundem, si superest, alioquin si ipse forte decesserit, executores, quos sui constituit testamenti, ad exhibendum vobis integraliter etc. ut in alia per alium aut alios etc. usque in finem etc. Datum ut supra.

CCLIV.

Matthaeus electus Rossensis confirmatur. Reg. An. I. fol. 25.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Matheo Episcopo Rossensi, sal. etc. Licet continuata supervenientium negotiorum instantia nos, qui, disponente domino, universali regimini quamquam immeriti presidemus, insultibus imperat successivis: sollicitudo tamen omnium ecclesiarum nostris incumbens humeris tanto artius nos cotidiana meditatione perurget, quanto ad id sumus specialius immo principalius obligati. Sane Rossensis ecclesia destituta pastore, dilecti filii ... Decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad hoc prefixa, convenerunt in unum ad tractandum de futuri electione pastoris, et spiritus sancti gratia invocata, demum post diversos tractatus ab ipsis Decano et Capitulo habitos de provisione facienda eidem ecclesie de prelato, dicti Capitulum tibi tunc Succentori ac predicto Decano, et dilectis filiis ... Precentori, ... Cancellario et ... Thesaurario ecclesie supradicte providendi dicte ecclesie de pastore concesserunt unanimiter potestatem, promittentes, quod illum in eorum Episcopum admitterent, quem tu et dicti Decanus, Precentor, Cancellarius et Thesaurarius, vel maior pars vestrum eligeritis ex vobis ipsis, vel etiam aliis de gremio ecclesie memorate. Te itaque, ac Decano, Precentore, Cancellario et Thesaurario prelibatis recipientibus huiusmodi potestatem, ac deliberationem inter vos super hoc habita diligenti, prefati Decanus, Precentor, Cancellarius et Thesaurarius ex predicta tibi et eis tradita potestate te in Rossensem Episcopum canonice ac concorditer elegerunt. Postmodum autem nominati Decanus et Capitulum facientes nobis decretum electionis huiusmodi per dil. filios Robertum Archidiaconum, et Radulphum de Dunde ecclesie predicte Canonicum suos procuratores ad hoc et nuntios presentari, a

nobis, ut electionem confirmaremus eandem, instantia supplici petierunt. Nos igitur electionem ipsam examinari fecimus diligenter, et quia eam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, teque prefecimus ecclesie predicte in Episcopum et pastorem, et demum tibi per nos ipsos consecrationis munus duximus impendendum, firma spe fiduciaque tenentes, quod cum de honestate morum et vite, ac litterarum scientia, et quod es in spiritualibus et temporalibus circumspectus, laudabilibus fidedignorum testimoniis commenderis, dicte ecclesie per tuum ministerium salubria in utriusque, deo propitio, provenient incrementa. Quocirca mandamus, quatenus humiliter suscipiens impositum a domino tibi onus, eidem ecclesie sollicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod eadem ecclesia diligentie tue studio votivis multipliciter commodis et optatis augmentis, domino cooperante, consurgat. Dat. apud Urbemveterem v. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. . . . Decano et Capitulo ecclesie Rossensis, Clero et populo civitatis et diocesis Rossensis etc.

CCLV.

Iudicibus, ut electionem Dunkeldensis praesulis examinent, eamque, si canonica fuerit, confirment. Reg. An. II. fol. 81.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Moraviensi, . . . Aberdonensi et . . . Glasguensi Episcopis, salutem etc. Ecclesia Dunkeldensi, que est Romane ecclesie specialis, pastoris solatio destituta, ipsius Canonici, vocatis omnibus ac presentibus, qui volebant, debebant et commode poterant interesse, die statuta convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium Magistrum Robertum eiusdem ecclesie Decanum in illius Episcopum per viam compromissi canonice et concorditer elegerunt, et presentato nobis huiusmodi electionis decreto, electionem ipsam confirmari cum instantia petierunt. Unde nos electionem examinari facientes eandem, ipsam invenimus quoad formam canonice celebratam; sed quia de meritis persone ipsius Decani notitiam non habemus, licet nobis de probitate, scientia et moribus, ac industria multipliciter commendetur: Nos de circumspectione vestra plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestre mandamus, quatenus de dono scientie et aliis, que ad ydoneitatem persone ipsius Decani iuxta illam sufficentiam, que in Episcopo necessario requiritur, pertinent, diligentius inquirentes, si de illius ydoneitate constiterit, prefatam electionem absque difficultatis obstaculo confirmetis. Et tu, frater Moraviensis Episcope, vobis Aberdonensi et Glasguensi Episcopis assistentibus ei, sibi munus consecrationis impendas, et recepto ab eo nomine Romane ecclesie iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus, fidelitatis debito solito iuramento, eum pro Dunkeldensi Episcopo haberi facias et tractari, sibique a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores etc. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, per suas litteras suo sigillo munitas quantocius per proprium nuncium nobis mittas. Datum apud Urbemveterem Nonis Maii, Pont. n. anno ii.

CCLVI.

Iudicibus, ut de electione praesulis S. Andreae inquirant, eamque, si canonice facta fuerit, confirment. Reg. An. II. fol. 82.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Moraviensi, . . . Aberdonensi et . . . Ergadiensi Epis, salutem etc. Ecclesia Sancti Andree in Scotia, que apostolice sedi specialiter est subiecta, per obitum bone mem. Gamelini Episcopi eiusdem ecclesie pastoris solatio destituta, dilecti filii . . . Prior et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus ac presentibus, qui volebant, debebant et commode poterant interesse, die ad eligendum prefixa convenerunt in unum, spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium Magistrum Willelmum, Capellanum nostrum, Archidiaconum ecclesie memorate in eorum Episcopum per viam compromissi concorditer elegerunt, postmodum presentato nobis huiusmodi electionis decreto, electionem ipsam confirmari cum instantia postulantes. Licet autem nos electionem eandem, quam examinari fecimus diligenter, quantum ad formam invenerimus canonice celebratam, quia tamen de ipsius Electi conditionibus et meritis notitiam non habemus: Nos de circumspectione vestra plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestre mandamus, quatenus de dono scientie, honestate vite, ac aliis, que ad idoneitatem persone pertinent Archidiaconi memorati, diligentius inquirentes, si eum ad regimen ecclesie predicte idoneum contigerit inveniri, vos electionem prefatam absque difficultatis obice auctoritate apostolica confirmetis, facientes ipsi Electo munus consecrationis impendi, et recepto ab eo nomine Romane ecclesie iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus, fidelitatis solite debito iuramento, eum pro Sancti Andree Epo haberi faciatis et tractari, sibique a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores etc. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, per suas patentes litteras proprio sigillo munitas nobis quantocius destinare curetis. Alioquin eadem electione rite cassata, memoratis Priori et Capitulo iniungatis, ut sibi per viam canonicam de pastore ydoneo studeant providere. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc. Datum apud Urbemveterem Id. Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCLVII.

Archiepiscopis et episcopis Hiberniae et Scotiae, ut verbum crucis in terrae sanctae subsidium in suis dioecesibus praedicent. Reg. An. III. ep. 195.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Tuamensi et universis Episcopis sue province, salutem etc. Si mentes fidelium etc. Datum Lugduni xv. Kal. Octobris, P. n. anno tertio.

Haec bulla existat inter monumenta vetera historica Hungariam sacram illustrantia a nobis iam edita Tom. I. Nr. dxxxvii. pag. 316—319.

In e. m. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis Dublinensi, Armachano, Cassellensi et universis Episcopis suarum provinciarum, ac universis Episcopis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentibus per Regnum Scotie constitutis.

CCLVIII.

Boiamundus de Vitia collector generalis decimae in regno Scotiae pro terra sancta colligendae constituitur cum facultate subcollectores deputandi. Reg. An. III. fol. 197.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Boiamundo de Vitia, Canonico Astensi, Capellano dilecti filii nostri U. sancti Eustachii diaconi Cardinalis, salut. etc. Quanto extimamus negotium terre sancte sollempnius, quantoque magis insidet cordi nostro, tanto amplius ad executionem ipsius et eorum, que spectant ad ipsum, personas ydoneiores exquirimus, illud specialiter in earum ydoneitate querentes, ut fidelitate ac prudentia vigeant, et zelo ferveant ad idem negotium prosequendum. Hec de persona tua laudabile nobis testimonium a fidedignis exhibitum pollicetur. Cum itaque, approbante sacro generali concilio nuper congregato Lugduni, decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum ad terre predicte subsidium per sex annos, a festo nativitatis beati Iohannis Baptiste transacto novissime numerandos, duxerimus concedendum: Discretioni tue presentium auctoritate mandamus, quatenus predicte decime colligende in omnibus partibus Regni Scotie subscripto modo sollicite curam geras, videlicet ut in singulis civitatibus et diocesibus Regni eiusdem de consilio locorum ordinarii, aut eius vicesgerentis, si diocesanus ipse absens fuerit, et duorum fidedignorum de ecclesia Cathedrali constitutorum in dignitatibus, seu aliorum quoad non exemptos, quoad exemptos vero de consilio aliorum presbiterorum de contrata deputes duas personas fide, facultatibus, si tales invenientur commode, ac alias ydoneas ad collectionis huiusmodi ministerium exequendum. Collectores vero, quos, ut premittitur, deputabis, in forma iurare facias inscripta. Et tu nichilominus Regnum et partes easdem circumeas diligentius scrutaturus, qualiter in commisso sibi dicte collectionis officio iidem se habeant collectores, qualiter ipsis de decima satisfiat, collectamque per illos ex decima ipsa pecuniam de predictorum ordinarii et aliorum consilio facias per collectores eosdem in tutis locis vel loco deponi. Tibi quoque cum consilio eorumdem ordinarii et aliorum mutandi collectores ipsos, quotiens videris expedire, ac eos compellendi ad reddendum coram eisdem ordinariis et aliis computum de collectis, et contradictores quoslibet auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam compescendi, plenam eadem auctoritate concedimus potestatem. Et ut tam tu, quam dicti collectores fructum de vestris laboribus reportetis, premissa tibi et eis in remissionem peccatorum iniungimus, et nichilominus a prestatione decime pro annis illis, quibus circa ea laborabitis, volumus vos esse immunes. Te preterea illius indulgentie concedimus esse participem, que crucesignatis personaliter transfretantibus in prefate terre subsidium est concessa, et quod de pecunia ex ipsa decima colligenda singulis diebus, in quibus circa premissa vacabis, tres soldos sterlingorum percipias pro expensis. Non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi, ac toto eius continentia de verbo ad verbum, et de propriis locorum et personarum nominibus specialem, plenam et expressam non fecerint mentionem, sive quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, vel litteris quibuscumque dignitatibus, ordinibus, locis vel personis generaliter aut specialiter sub quacumque forma, vel conceptione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumve totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mentio sit habenda. Volumus autem, ut frequenter nobis scribere studeas, quid actum fuerit in qualibet provincia tam circa collectores, quam circa collectionem, quantitatem collectam, ipsius depositionem, locum depositionis ac modum. Et insuper de premissis fideliter ac sollicite prosequendis prestes tactis sacrosanctis evangeliis iuramentum. Considerans itaque, quod in premissis negotium dei prosequeris, et in conspectu agitur eius, qui cuncta discernit, sibique necnon et nobis, qui circa hec omnem diligentiam adhibere intendimus, teneberis reddere rationem ab utroque pro meritis recepturus, sic prudenter in illis habere te studeas, sic consulte, quod in utriusque iudicio non solum vites pene confusionisque discrimina, sed laudis titulos et gratiam ac retributionis premium assequaris. Forma autem iuramenti, quod prestare volumus collectores eosdem, hec est: Iuro ego ... a vobis Magistro B. auctoritate apostolica deputatus collector ad exigendum, colligendum et recipiendum decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum ab omnibus personis ecclesiasticis non exemptis, in ... civitate et diocesi constitutus, a sede apostolica pro subsidio terre sancte concessam, quod fideliter exigam, colligam, recipiam atque custodiam ipsam decimam, non deferendo in hiis alicui persone, cuiuscumque ordinis, status, conditionis aut dignitatis existat, prece, timore, gratia vel favore, vel alia quacumque de causa, et eam integre restituam et assignabo, prout a vobis recepero in mandatis, et super premissis omnibus et singulis plenam et fidelem rationem reddam vobis: et si contingat vos officium, quod in premissis geritis, dimittere, hec eadem faciam iuxta mandatum illius, qui substituetur in eodem officio: sic me deus adiuvet et hec sancta evangelia. Datum Lugduni xii. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCLIX.

Iudicibus, ut de electione praesulis Cathanensis inquirant, ut si eam canonice factam invenerint, confirment. Reg. An. III. fol. 137.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Moraviensi, ... Aberdonensi et ... Ergadiensi Episcopis, salutem etc. Dilecti filii R. Decanus et

Capitulum ecclesie Cathanensis nobis significare curarunt, quod olim ecclesia ipsa, que ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, pastoris solatio destituta, post cassationem electionis de Nicolao Abbate Monasterii de Scona ordinis sancti Augustini Sancti Andree diocesis, qui in eadem ecclesia ratione Monasterii sui quandam prebendam canonice obtinuit, a Canonicis ipsius ecclesie celebrate, ac post obtentam licentiam per ipsos Decanum et Capitulum a sede apostolica iterum eligendi, dicti Decanus et Capitulum, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad hoc prefixa convenientes in unum, deliberaverunt unanimiter et concorditer ad provisionem ipsius ecclesie faciendam per viam procedere compromissi: sicque prefati Capitulum eidem Decano, ac dilectis filiis Patricio Thesaurario et Magistro Rogero de Castello Canonico Cathanensi providendi eidem ecclesie de persona ydonea de ipsius gremio, vel aliunde etiam assumenda concesserunt liberam potestatem. Sane iidem Decanus, Thesaurarius et Magister Rogerus, super hoc inter se diligenti tractatu et provida deliberatione prehabitis, dilectum filium Archebaldum Archidiaconum Moraviensem, virum, ut asserunt, providum et honestum, auctoritate concessionis huiusmodi elegerunt canonice in Cathanensem Episcopum et pastorem. Iidem itaque Decanus et Capitulum facientes nobis decretum electionis huiusmodi per dilectos filios Magistros Rogerum Canonicum Cathanensem, et Robertum perpetuum Vicarium ecclesie de Duffis, eorum nuntios destinatos propter hoc ad sedem apostolicam, presentari, a nobis, ut electionem confirmaremus eandem, suppliciter postularunt: nosque ipsius electionis examinationem Venerabili fratri nostro ... Ostiensi et Velletrensi Episcopo, ac dilectis filiis nostris G. tituli sancti Marci presbitero et I. sancte Marie in Cosmedin diacono Cardinalibus duximus committendam. Et licet per eosdem Episcopum et Cardinales, ipsius electionis examinato processu, compertum fuerit, eandem electionem fuisse canonice celebratam, quia tamen de ydoneitate persone dicti Electi apud sedem apostolicam ad plenum constare nequivit: Nos de circumspectione vestra plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus de meritis dicti Electi diligenter ac sollicite inquisito, si eum ydoneum esse repereritis, et congruentem tanto oneri et honori, prefatam electionem auctoritate nostra confirmare curetis, et unus vestrum eundem Electum, qui fore dicitur in diaconatus ordine constitutus, in presbiterum statutis temporibus ordinet, eique, ascitis sibi duobus vel tribus Episcopis, munus consecrationis impendat, recepturus ab eo postmodum nostra et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin eadem electione rite cassata, faciatis eidem ecclesie Cathanensi de persona ydonea per dictos Decanum et Capitulum eligenda canonice provideri. Contradictores etc. Formam autem iuramenti, quod Electus ipse prestabit, de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas ille ex vobis, qui eidem Electo prefatum munus consecrationis impenderit, per proprium nuntium nobis studeat quantocius destinare. Quod si non omnes etc. Datum Lugduni Kal. Novembris, Pont. nostri anno tertio.

CCLX.

Prioribus provincialibus ordinis Praedicatorum et Minorum in Hibernia et Scotia, ut verbum crucis in terrae sanctae subsidium in provinciis suis praedicent, et per suos fratres praedicari faciant. Reg. An. III. fol. 197.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Priori provinciali fratrum ordinis Predicatorum in Ybernia, salutem et apostolicam benedictionem. Si mentes fidelium, terrenis abdicatis etc. usque voci sue. Ad promotionem ipsius negotii verbum crucis in commissa tibi provincia decrevimus proponendum, ad quod tuo ac fratrum tui ordinis ministerio tanto confidentius utimur, quanto vos ad id utiliorem religionis vestre claritas et zelus, quo vos ad ea, que dei sunt, fervere presumimus, repromittit. Ideoque in commissa tibi provincia predicationis officium in favorem ac utilitatem eiusdem negotii presentium tibi auctoritate committimus, in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus in huiusmodi officio iuxta datam a deo tibi prudentiam cum omni, qua poteris, efficacia et attentione procedens, illud per te ac alios fratres ipsius ordinis commisse tibi provincie, quos ad id de consilio discretorum fratrum eiusdem ordinis duxeris eligendos, quosque tibi per virtutem obedientie cogere liceat ad idem officium prosequendum, et mutare, quotiens oportunum ipsi negotio et tibi videbitur expedire, non obstante quod hoc idem alii sit commissum, studeas exequi diligenter, omnes quos utiles fore putaveris instantius inducendo, ut suscipientes cum reverentia signum crucis, ipsamque suis cordibus et humeris affigentes etc. usque destinarint, illic iuxta providentie tue vel ipsorum fratrum arbitrium moraturos, et illis similiter, qui etc. indulgentia continentur. Porro ad huiusmodi ardui et salubris negotii efficaciam pleniorem, ut tu et dicti fratres convocare possitis cleros et populos ad quemcunque etc. usque ac populis proponere verbum crucis, auctoritate apostolica tibi et ipsis fratribus duximus concedendum. Volumus preterea et concedimus, ut tu et iidem fratres, qui in officio predicationis crucis pro presenti negotio per triennium duxeritis laborandum, vel si post inceptum laborem huiusmodi cum intentione ipsum predictum triennium prosequendi, ante finitum idem triennium decedatis, illa immunitate ac privilegiis gaudeatis, illiusque indulgentie sitis participes, que personaliter in terre predicte subsidium transfretantibus in eodem generali concilio noscuntur esse concessa. Ceterum cum huiusmodi predicationis officium Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis universis per nos in suis diocesibus sit commissum, et Ministris provincialibus et aliis fratribus ordinis Minorum, illud per similes presentibus litteras committamus, te ac dictos fratres eiusdem tui ordinis cum omni diligentia volumus observare, ne cum Prelatis eisdem in predicando con-

currere, vel ipsorum predicationem turbare, seu impedire quomodolibet presumatis, cum dictis etiam Ministris et fratribus prefatis ordini Minorum sic loca predicationis et tempora dividendo, ut vos mutuo non turbetis, nec impediatis aliquatenus per concursum, sed vobis invicem alternis vicibus in omni patientia et quiete cedatis: et si forsan in aliquibus locis conventus vos habere contingat, in quibus conventum predictos Minorum ordo non habeat, eisdem Ministris et fratribus ipsius ordinis Minorum, ad eadem loca supervenientibus, in executione predicti officii tu et fratres iidem prefati tui ordinis deferatis. Non obstante aliqua indulgentia fratribus eiusdem tui ordinis a dicta sede sub quacumque verborum forma concessa, quod apostolica mandata suscipere, vel exsequi per litteras apostolicas, in quibus de indulto huiusmodi mentio non habetur, minime teneantur, et quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis seu litteris ab eadem sede obtentis, per que predicta impediri vel differri possint, et de quibus specialem oporteat in presentibus fieri mentionem. Datum Lugduni Id. Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. ..Ministro fratrum Minorum Ybernie.

CCLXI.

Iudicibus, ut electionem praesulis Rossensis examinent, eamque, si canonice facta fuerit, confirment. Reg. An. IV. fol. 223.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Sancti Andree et ... Aberdonensi Episcopis, salutem etc. Etsi ecclesiarum omnium sollicitudo nobis immineat generalis, ille tamen, que immediate apostolice sedi subsunt, propensioris attentionis tenemur prospicere studio, precavendo sollicite indempnitatibus earumdem, ac ipsarum profectibus attentius intendendo. Sane presentata nobis ex parte dilectorum filiorum ... Decani et Capituli Rossensis, per dilectos filios Duncanum et Magistrum Willelmum Rossenses Canonicos, electione de dilecto filio Magistro Roberto de Syvin, Rossensi Archidiacono, in Rossensi ecclesia per obitum bone memorie Mathei Rossensis Episcopi pastore vacante, que ad Romanam ecclesim nullo medio pertinet, per viam compromissi concorditer celebrata, nos examinationem processus electionis ipsius, et decreti super ea confecti Venerabili fratri P. Tusculano Episcopo, et dilectis filiis nostris Guillelmo tituli sancti Marci presbitero, ac Uberto sancti Eustachii diacono Cardinalibus duximus committendam. Eis autem electionem ipsam et processum ac decretum huiusmodi examinantibus diligenter, nobisque ac ceteris fratribus nostris super illo fideliter referentibus veritatem, processus super eadem electione habitus per relationem ipsorum canonicus est repertus. Verum quia domus, que a provido patrefamilias regitur, [et] continuis bonorum multiplicatur augmentis, et vinea, que a diligenti colitur vinitore, in fertiles botros et fructuum exuberat ubertatem, ac ager, quem studiosus agricola excolit, plenos tempore suo manipulos et fruges exhibet opulentes: Nos cupientes predicte Rossensi ecclesie, que prudentis gubernatoris diligentia indiget, de salubri regimine provideri, quia nobis de ydoneitate ac meritis persone ipsius Electi ad plenum non constitit, nec circa hoc aliquid de contingentibus omittere videamur, vobis examinationem persone ipsius duximus committendam, fraternitates vestras rogantes attente, ac per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatenus habentes deum pre oculis, inquisita de vita, moribus et honestate predicti Electi sollicite veritate, ac examinatione de persona ipsius, utrum scientia et virtute tanto congruat oneri et honori, habita diligenti, si eum per examinationem eandem inveneritis ad hoc dignum haberi, electionem factam de ipso auctoritate nostra confirmare curetis, consecrationis munus eidem Electo, tertio vobis de Regno vestro ad hoc associato Episcopo, statuto tempore impendendo, ac faciendo sibi a subditis suis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepturi ab eo postmodum pro nobis et Romana ecclesia fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin eadem electione rite cassata, faciatis dicte Rossensi ecclesie de persona ydonea per electionem canonicam provideri. Ceterum si de altero vestrum aliquid contingat humanitus, superstes vestrum, ascitis sibi uno vel duobus partium illarum Episcopis, premissa circa personam Electi predicti fideliter exequatur. Contradictores etc. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum etc. per proprium nuntium nobis quantotius transmittatis. Datum Lugduni vi. Idus Aprilis, Pont. nostri anno quarto.

CCLXII.

Iudicibus, ut electionem praesulis Brechinensis examinent, eamque canonice factam confirment. Reg. An. IV. fol. 230.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Sancti Andree et ... Dunkeldensi Episcopis, salutem etc. Etsi ex suscepti apostolatus officio continuam ecclesiarum omnium sollicitudinem gerere teneamur, cum ipsarum cura nobis imineat generalis: illis tamen, que immediate apostolice sedi subsunt, propensiori attentione superintendere nos oportet, ut fructuosa diligentia indempnitatibus procaveamus ipsarum, et profectibus earumdem, iuxta quod dñus dederit, salubri providentia consulamus. Sane petitio dilectorum filiorum .... Decani et Capituli Brechinensis nobis exhibita continebat, quod Brechinensi ecclesia, que ad dictam sedem nullo medio pertinet, per obitum bone memorie Guillielmi Brechinensis Decani in Episcopum Brechinensem Electi pastorali regimine destituta, ipsi vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, per viam scrutinii procedentes tres de collegio fidedignos, qui secreto et singillatim singulorum vota perquirerent, et in scriptis fideliter redacta mox in Capitulo publicarent, unanimiter elegerunt: qui taliter ab eis electi, singulorum votis diligentius perscrutatis et in scriptis redactis, per ... Decanum Brechinensem, qui erat unus ex tribus, vice sua et vice singulorum de Capitulo, ac de omnium Canonicorum mandato eadem publicari

fecerunt, ac idem Decanus sua et collegarum suorum, nec non singulorum de Capitulo vice et nomine, ac mandato religiosum virum fratrem Willelmum Cumynum de ordine fratrum Predicatorum, in quem omnes convenerant, virum vite, fame et conversationis honeste, de legitimo matrimonio genitum, etate matura, litterarum scientia, morum honestate preditum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, tunc temporis in domo fratrum Predicatorum de Perth in Theologica facultate regentem, invocata spiritus sancti gratia, in Brechinensem elegerunt Episcopum et pastorem. Unde per dilectos filios Gottifredum et Reginaldum Canonicos Brechinenses, procuratores dicti Capituli propter hoc ad nostram presentiam specialiter destinatos, humiliter petebatur a nobis, ut cum rectis dispositionibus nichil debeat difficultatis afferri, electionem huiusmodi de persona ydonea canonice celebratam dignaremur auctoritate apostolica confirmare, ac ipsi electo per aliquos Epos illarum partium mandaremus munus consecrationis impendi. Verum quia magnis et arduis occupati, quantumcumque nos electionis ipsius negotium urgeat, et ad felicem expeditionem eiusdem, ac ad salubrem provisionem predicte Brechinensis ecclesie plenis desideriis aspiremus, ad examinationem electionis prefate ac decreti super ea confecti, nec non personarum, que eidem electioni interfuisse noscuntur, intendere ad presens non possumus, de circumspectione vestra plenam in dño fiduciam obtinentes, fraternitati vestre mandamus, quatenus postquam dictus frater ab ordine suo de suscipienda administratione ecclesie supradicte licentiam obtinuerit, deum habentes pre oculis, et circa examinationem electionis predicte nichil omittentes sollicitudinis, nichil cure, inquisita de modo electionis, studiis eligentium et electi meritis diligentius veritate, si electionem eandem inveneritis de persona ydonea canonice celebratam, eam auctoritate apostolica confirmetis, ac eidem electo faciatis a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, sibique munus consecrationis, tertio vobis de Regno illo associato Episcopo, statuto tempore impendatis, recepturi ab eo postmodum nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit etc. transmittatis. Alioquin huiusmodi electione rite cassata, faciatis memorate ecclesie Brechinensi de persona ydonea per electionem seu postulationem canonicam provideri. Ceterum si de aliquo vestrum aliquid contingat humanitatus, is qui superstes fuerit, ascitis sibi duobus vel tribus partium illarum Epis, premissa circa personam electi predicti fideliter exsequatur. Contradictores etc. Datum Bellicadri VIII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno quarto.

CCLXIII.

Computus decimae crucis in terrae sanctae subsidium collectae per fratres ord. Praedicatorum in Hibernia. Ex originali.

Universis has litteras visuris vel audituris, Prior et conventus fratrum predicatorum Dublinen., Salutem in domino. Noverit universitas vestra hoc esse exemplum litterarum inventarum in deposito nostro Dublinie de pecunia crucis per fratres nostros Hibernie collecta et liberata, ut per easdem infra patet.

Ottobonus miseratione divina sancti Adriani diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, Religiosis viris abbati sancti Sixti de Placentia nuncio nostro, et ministro fratrum minorum, ac vicario prioris provincialis fratrum predicatorum in Hibernia, Salutem in salutis auctore. Menimimus vobis negotium crucis, et collectionem pecunie pro terre sancte subsidio sub certa forma nostris contenta litteris per totam Hiberniam commisisse: verum quia venerabilis pater Lysmorensis episcopus asserit se mandatum apostolicum recepisse, quod dictam pecuniam colligat, et in aliquo tuto loco deponat, donec a summo pontifice recipiat aliud in mandatis: volumus et mandamus, quod a predicto episcopo nil de huiusmodi pecunia exigatis, quousque super hoc duxerimus alias providendum. Volumus tamen et in remissionem peccatorum vestrorum vobis iniungimus, quatinus in prosecutione negotii crucis, et collectione et recuperatione supradicte pecunie a quibuscunque aliis personis, mandato facto memorato episcopo non obstante, sine dilatione aliqua procedatis secundum traditam vobis formam, ac de pecunia huiusmodi, quam receperitis, vel hactenus recepistis, nobili viro Galfrido de Ioinvilla quingentas marcas sterlingorum nobis deferendos per ipsum sub fideli testimonio et sufficienti cautione prehabito, quam cito poteris, assignetis. Datum Londini tertio Nonas Iulii Pontificatus dñi Clementis pape quarto anno tertio.

Universis Christifidelibus has litteras visuris vel audituris, Galfridus de Geymuilla (sic), salutem in dño. Noveritis nos recepisse sub testimonio venerabilis patris domini Hugonis Midensis episcopi, et religiosi viri domini Iohannis abbatis sancte Marie Dublinensis a religiosis viris abbate sancti Sixti Placentini, nuncio venerabilis patris dñi Ottoboni sancti Adriani diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, et viceprovinciali fratrum predicatorum, ac de ministro fratrum minorum Hibernie, executoribus negotii crucis in Hibernia, de pecunia crucis Centum quadraginta marcas bonorum et legalium sterlingorum deferendas, solvendas et liberandas fideliter eidem domino legato in Anglia, vel alii, quem dominus papa ad recipiendam dictam pecuniam statuerit vel assignaverit loco suo, Obligantes nos sub iuramento et heredes nostros, terras, possessiones nostras et omnia bona nostra mobilia et immobilia, presentia et futura, existentia tam in cismarinis partibus, quam in partibus transmarinis, ad solutionem ipsius pecunie, Et subicientes nos et heredes nostros predictos cohercioni domini pape et legati predicti, vel alterius cuiuscunque iudicis ecclesiastici vel secularis, quod possit nos per bona nostra predicta tam ad solutionem predicte pecunie, quam ad interesse et dampna, que acciderint per dilationem solutionis ipsius pecunie, sine strepitu iudiciali cohercere et compellere censura et districtione, qua viderint expedire, Renuntiando in hac parte

pro nobis et heredibus nostris exceptioni non numerate pecunie, non solute et non tradite nobis, cuilibet privilegio impetrato vel impetrando, constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, omni exceptioni, defensioni, appellationi et omni iuris remedio, quod obici possit contra hoc instrumentum vel factum, et omni iuris auxilio civilis aut canonici in contrarium valituro. In cuius rei testimonium sigillum nostrum una cum sigillis predictorum testium etc. Datum Dublinie die lune proxima ante festum Margarite virginis anno domini M.CC.LX.octavo.

Universis Christifidelibus presentes litteras visuris vel audituris, Galfridus de Geymuilla, salutem in domino. Noveritis nos recepisse sub testimonio venerabilis patris Hugonis Midensis episcopi, et religiosi viri dñi Iohannis abbatis sancte Marie Dublinensis a religiosis viris viceprovinciali fratrum predicatorum, ac de ministro fratrum minorum Hibernie de pecunia crucis, collecta per predictos fratres predicatores, preter pecuniam in nostris litteris aliis comprehensam, Centum marcas bonorum et legalium sterlingorum deferendas, solvendas et liberandas fideliter domino legato in Anglia, vel alii, quem dominus papa ad recipiendam dictam pecuniam statuerit vel assignaverit loco suo etc. ut supra. Datum apud Droucheda in crastino festi sancte Margarite virginis anno domini M.CC.sexagesimo nono.

Universis christi fidelibus has litteras visuris vel audituris, Galfridus de Geymuilla, salutem in domino. Noveritis nos recepisse sub testimonio venerabilis patris Hugonis Midensis episcopi, et religiosi viri domini Iohannis abbatis sancte Marie Dublinensis a religiosis viris viceprovinciali fratrum predicatorum, ac de ministro fratrum minorum Hibernensium, executoribus negotii crucis, collecta per predictos fratres predicatores, quadraginta marcas bonorum et legalium sterlingorum deferendas etc. ut supra. Datum apud Dubliniam die dominica in crastino purificationis sancte Marie, anno dñi M.CC.sexagesimo octavo.

Magister Reymundus de Nogeriis, domini pape capellanus, sedis apostolice in Anglia, Scotia et Hibernia nuncius, in Ihesu Christo sibi carissimo fratri Willelmo Leoministria (sic) ordinis fratrum predicatorum et eorum lectori apud Dubliniam, in salutis auctore salutem. Diligenti deliberatione habita cum discreto ac religioso viro ac nobis carissimo fratre Philippo, vicario ordinis vestri in Hibernia, super legatis et obventionibus terre sancte, taliter duximus ordinandum, ut vos et quicunque alii, qui de legatis terre sancte seu obventionibus aliquid in depositum, seu alio modo habetis, illud Hugotioni de Luca mercatori de societate Luce de Luca et sociorum suorum, vel Bandino mercatori de eadem societate nostro et ecclesie Romane nomine in presentia venerabilis viri domini Fromundi Le Brun, vel alterius persone publice, si eius copiam commode habere non poteritis, integraliter assignetis. Super quantitate pecunie, quam dictis mercatoribus vel eorum alteri tradideritis, seu tradi feceritis, facientes fieri litteras sigillis dictorum mercatorum vel alterius eorum, dictique domini Fromundi seu alterius persone autentice sigillatas. Quicquid vero super hoc feceritis, nobis per vestras patentes litteras harum seriem continentes significare curetis. Datum Londini apud fratres predicatores vicesimo quarto die mensis Augusti anno domini M.CC.septuagesimo tertio.

Universis has litteras visuris vel audituris, Huguitio et Bandynus de Luca mercatores de societate Luce de Luca et sociorum eius, Salutem. Noverit universitas vestra nos in festo beati Martini confessoris anno domini M.CC.septuagesimo tertio apud Dubliniam in domo fratrum predicatorum nomine romane ecclesie, et magistri Reymundi domini pape cappellani, apostolice sedis in Anglia, Scotia et Hibernia nuncii, ad mandatum dicti magistri Reymundi recepisse a viro religioso fratre Willelmo de Leomenistria (et) eorundem fratrum lectore, sub testimonio venerabili patris Hugonis dei gratia Midensis episcopi, ducentas quinquaginta tres marcas, quinque solidos, tres denarios et quadrantem sterlingorum bone et legalis monete, nobis ante confectionem presentium numeratis, et predicto magistro fideliter solvendas de pecunia crucis per fratres predicatores Hibernenses collecta, et in domibus eorundem fratrum Dublinie et Kilkennie deposita. In cuius rei testimonium hiis litteris sigilla nostra apposuimus, et sigillum venerabilis patris Midensis predicti apponi procuravimus. Datum Dublinie anno et die ut supra.

Universis presentes litteras inspecturis vel audituris, Thomas permissione divina Episcopus Lysmorensis, executor negotii crucis in Hibernia, Salutem in dño. Noverit universitas vestra nos recepisse tam per manus fratris Roberti de Londino, tunc prioris fratrum predicatorum de Lymerico, quam per manus fratris Iohannis, camerarii eiusdem ordinis, diversis temporibus sexagintasex libras, dempto uno denario, de pecunia crucis per ipsos et fratres suos in limitatione sua recollecta, a tempore quo se de huiusmodi negotio tam auctoritate nostra, quam auctoritate eis prius commissa intromiserunt, et non amplius, computatis in dicta quantitate quadraginta marcis, quas solvit venerabilis pater R. dei gratia Lymericensis episcopus, in quibus tenebatur in subsidium terre sancte, nec non et vasis argenteis et massis argenti per eos nobis liberatis ponderis tredecim librarum, decem et septem solidorum, et quatuor denariorum. In cuius rei testimonium etc. Datum apud Ardfinan die Veneris proxima ante festum pentecostes anno domini M.CC.sexagesimo septimo.

Universis presentes litteras visuris vel audituris, Thomas permissione divina Episcopus Lysmorensis, executor negotii crucis in Hibernia, Salutem in domino. Noveritis nos recepisse apud Atlon die sanctorum Processi et Martiniani, anno dñi M.CC.sexagesimo sexto, a fratribus Enea tunc priore et Comdino superiore fratrum predicatorum de Roscoman Nonaginta duas marcas de pecunia crucis, per ipsos et alios fratres suos usque ad dictum tempus in limitatione sua collecta, et non amplius. Recepimus insuper ab eisdem fratribus decem et septem solidos

et decem denarios, et non amplius de pecunia crucis collecta per priorem et fratres eiusdem ordinis domus de Slygaht in limitatione eorundem. In cuius rei testimonium etc. Datum die anno et loco supradictis.

Universis has litteras visuris vel audituris, Thomas permissione divina Episcopus Lysmorensis, executor negotii crucis in Hibernia, Salutem in domino. Noveritis nos recepisse a superiore et fratribus de Mollinger die Lune proxima post festum apostolorum Petri et Pauli, anno domini M.CC.sexagesimo sexto, triginta marcas et decem solidos, et non amplius de pecunia crucis, per ipsos a tempore, quo se de huiusmodi negotio intromiserunt, usque ad prenominatum diem in limitatione sua recollecta. In cuius rei testimonium etc. Datum apud Mollingger die et anno supradictis.

Universis has litteras visuris vel audituris, Thomas etc., Salutem in domino. Noveritis nos recepisse a fratre H. tunc priore fratrum predicatorum de Annery, triginta marcas de pecunia crucis, per ipsum et fratres suos in limitatione sua collecta pro temporibus, quibus eis fuerat negotium crucis commissum, usque ad diem Iovis proximam post festum beati Iacobi apostoli, anno domini M.CC.sexagesimo sexto, et non amplius. In cuius rei testimonium etc. Dat. die et anno supradictis.

Universis presentes litteras visuris vel audituris, Thomas permissione divina Episcopus Lysmorensis, executor negotii crucis in Hibernia a sede apostolica deputatus, Salutem in domino. Noverit universitas vestra nos recepisse apud Adlon die sanctorum Processi et Martiniani martirum, anno domini M.CC.sexagesimo sexto, a fratribus Henrico de Siscle, et fratre Iohanne Matugan ordinis fratrum predicatorum, tunc existentibus de conventu de Athlehan, viginti octo marcas et dimidiam de pecunia crucis, per ipsos et alios fratres suos in limitatione sua collecta, et non amplius. In cuius rei testimonium etc. Datum apud Athlon die et anno supradictis.

Universis praesentes litteras etc. Thomas permissione divina Lysmorensis episcopus etc. in Hibernia, Salutem in domino. Noverit universis vestra nos recepisse a fratre Clemente de ordine fratrum predicatorum apud Drotheda die beati Luce Evangeliste, anno domini M.CC.sexagesimo sexto, undecim libras, duodecim solidos, et octo denarios sterlingorum, et non amplius de pecunia crucis per eum collecta inter Hibernicos in provincia Ardmachana a tempore, quo se de huiusmodi negotio intromisit, usque ad dictum diem. In cuius rei etc. Datum die et loco supradictis.

Universis presentes etc. Thomas p. d. Episcopus Lymorensis, executor neg. cr. in Hibernia, Salutem in domino. Noveritis nos recepisse apud Drohtheda octavo die Februarii, anno domini M.CC.sexagesimo sexto, a fratre Clemente de ordine fratrum predicatorum tres libras, quatuor solidos, novem denarios de pecunia crucis collecta per Salomonem procuratorem ecclesie Clocherensis, et Symonem decanum de Clunrotherath auctoritate nostra in diocesi Clocherensi, et non amplius. Item quadraginta solidos de testamento Nemie Mathbehi dicte diocesis. Datum die et loco supradictis.

Thomas permissione divina Episcopus Lysmorensis, venerande religionis viro fratri priori fratrum predicatorum de Casselo, Salutem in domino. Mandamus vobis auctoritate super negotio crucis nobis a sede apostolica commissa, quatinus fratri Miloni de Lymerico ordinis vestri, latori presentium, unam marcam argenti de pecunia crucis penes vos deposita sine mora liberari faciatis, et hoc nullo modo omittatis. In cuius rei testimonium etc. Datum apud Ardfinan vigilia nativitatis beate Marie anno dñi M.CC. sexagesimo sexto.

Harum igitur exemplum litterarum scribi fecimus, et venerabili patri I. dei gratia Clonfertensi Epo, apostolice sedis in Hibernia nuncio, in festo sanctorum martirum Fabiani et Sebastiani, anno domini M.CC.LXX.quinto, sub sigillo nostro communi liberari.

CCLXIV.

Computus decimae crucis in regno Scotiae collectae. Ex originali.

Hoc est exemplum cuiusdam libri de papiro, in quo continetur collectio decime terre sancte, facta in Regno Scotie per Magistrum Boyamundum de Vitia, canonicum Astensem, collectorem dicte decime et superintendentem: cuius totalis summa est pro tribus annis VII. millia CXCV. librarum, VI. flor. et VI. denar. sterlingorum. Cuius etiam libri tenor talis est.

¶ Collectio decime terre sancte in Archidiaconatum Laodonie Episcopatus S. Andree facta apud Kelcon per Mag. Boyamundum pro terminis Nativitatis dñi Anno M.CC.LXXquarto, et beati Iohannis Baptiste Anno M.CC.LXXV. videlicet primo anno solutionis.

Rector ecclesie de Tymgham 9. marcas; de Herihot 51. solidos 8. denarios. Vicarius de Norberwic 10. sol. ultra 1. marcam; de Boulton 1. marc.; de Leswade 2. marcas. Rector ecclesie de Morington 4. marc.; de Bolhans 3. marc. Vicarius de Var. capella 2. marc. et dimid. Procurator de Gogger 1. marc. Rector ecclesie de Hilton 30. sol. Procurator Rectoris ecclesiarum de Lyston et Foulden 6. marc. 8. sol. Rector ecclesie de Keldeleth 5. marc.; de Secton 2. marc. Vicarius de Karedyn 6. sol. 8. den.; de Grenlau 20. sol. 16. den.; de Naythanthirn 1. marc.; de Foggou 20. sol. Rector ecclesie de Aldham 4. sol. Hospitale de Dous et ecclesia de Ellom 4. marc. Rector ecclesie de Conevech in Mervis 4. lib. Vicarius sancti Egidii de Edenburg dim. marc. Rector ecclesie de Pentland 8. sol. Vicarius de Inverwic 2. marc. Rector ecclesiarum de Dunbar et de Pentland 22. marc.; de Flemanan 3. sol. 8. denar. Vicarius de Bathkit 32. den. Rector ecclesie de Ratheu 6. marc.; de Criston 3. marc. Dominus ... Episcopus Sancti Andree pro omnibus bonis suis 119. lib. 17. den. Vicarius de Levigeston 1. marc. Rector ecclesie de Lynton 8. libr.; de Strabrot 2. marc. 8. sol.; de Neuton 20. sol.; de Halis 2. marc.; de Morame 2. marc. 5. sol. 4. den. Procurator Monasterii de Cambzkynel 7. marc. 15. sol. 5. den. ob. Vicarius de Hadington 20. sol.; de Lynlitheu 21. sol.

3. den.; de Rarale 4. marc. Procurator Monasterii de Driburc 40. marc. Vicarius de Childenthire 2. marc. et dimid. Procurator Mon. sancti Andree 20. lib. 23. sol. 9. d. Dominus Abbas de Passelay pro ecclesiis de Lynghardeswod et Inverwic 5. marcas. Vicarius de Loghorvert 20. sol.; de Graniston 1. marc. Executor Rectoris de Aldhanstok 10. marc. 4. sol. 4. den. ob. q. Vicarius de Stichil 1. marc.; de Edenham 1. marc.; de Doddingeston 1. m. Rector ecclesie de Smalberme 4. marc.; ecclesiarum de Chirnissede et de Wichosem 12. marc.; de Kynspinodi 4. marc. Vicarius de Swynton 1. marc.; de Ederham 1. marc. Rector ecclesie de Aldtambz 20. sol. Vicarius de Berwnt 4. marc. Rector ecclesie de Hupseclington 30. sol. Vicarius de Golyn 2. marc. et dimid. Idem Vicarius pro contumacia solvit subsidio terre sancte 5. sol. Rector ecclesie de Reth Marescall. 2. marc. Vicarius de Reth Undeby 1. marc. Prior de Insula de Levin 3. marc. et dimid. Rector ecclesie de Lastalric 3. marc. Idem pro ecclesia de Cokepen 3. marc. et dimid. 32. den. Idem pro vicaria de Langton 2. marc. Idem pro contumacia 1. marc. Vicarius de Aldcambz 16. sol. 4. den. Rector ecclesie de Flisc 2. marc. et dimid.; de Orole 12. marc. 8. sol. 4. den. Vicarius de Ligharwd 2. marc. et dimid. Procurator Monasterii sancte Crucis 62. lib. 5. sol. 9. den. Abbas de Kelcon 101. marc. et 16. den. Prior de Coldingham 74. marc. 9. den. ob. pro omnibus bonis suis. Pro Priore Dunelmensi 12. marc. 9. sol. 8. den. Abbas de Aberbroth 70. marc.; de Droburg 10. marc. Magister Adam de Malcarnistor pro omnibus ecclesiis suis 27. marc. Rector ecclesie de Fordim 11. marc. de Reth Marescall. nomine pene 1. marc. Vicarius de Rechundeby nomine pene dimid. marc. Abbas de Passelay 3. marc. 8. sol. 4. d. Vicarius de Erteldon 2. marcas. Vicarius de Genilif in Episcopatu Brekynensi dimid. marc. pro contumacia.

Summa totalis 590. libr. 3. sol. 3. den. ob. q.

Item de Collecta Magistri Iohannis de Muskelburg 43. lib. 7. sol. 4. den.

¶ Receptio decime in Archidiaconatu Sancti Andree pro anno predicto.

De ecclesia de Dinres 2. marc. Ecclesia de Dervesin 4. marc. Vicarius de Cupro 22. sol. 8. den.; de Kynros 2. marc. Ecclesia de Thanchais 6. marc. Vicarius de Eglesgirg 20. sol. 12. den. Ecclesia de Lundin 2. marc. et dimid. de Edewyn 17. sol. Vicarius de Strathegoin Comitus 5. sol. 4. den.; de Dimbloc 1. marc.; de Kinglassi 1. marc.; de Kericbar et de Inverarethin 3. marc. 2. sol. 8. den.; de Kerimur 2. marc. 2. sol. 8. d. Ecclesia de Aberimilay et de Andisgros 2. marc. 12. den. Vicarius de Largatus 22. sol. 6. den. ob. Ecclesia de Fercemoth 3. marc. Vicarius de Garnebrin 20. sol. De Magistro Fontis Scot. pro ecclesiis de Huchtermunsi et Karnant 35. sol. 4. den. Vicarius de Kyrcaldyn 1. marc. de Kyncroach 2. marc. Ecclesia de Kylmanyn 4. marc. 2. sol. 9. den. ob. Ecclesia de Muchard 1. marc.; de Disard 2. marc. 5. sol. 4. den. Vicarius de Losrech 1. marc.; de Clacmanan 22. sol. Ecclesia de Tony 10. sol. De ecclesiis de Donethac et Quilt 2. marc. 4. sol. Ecclesia de Kynelt 4. marc.; de Monimel 4. marc.; de Blar. 2. marc.; de Kylgoverin 3. marc. De ecclesiis de Kynel et de Aldebar 4. marc. 10. sol. 8. den. De ecclesiis de Benum et de Aberloth 11. marc. 6. sol. 8. d. De pensione R. de Brad apud Dufermelyn 10. sol. Ecclesia de Creith 11. marc.; de Culas 3. marc. 8. sol.; de Hughtermukedy 3. marc. et dimid.; de Legimnohaud 2. marc. Vicarius de Lostelresk per augmentationem 2. sol. 8. den. Ecclesia de Forthir dimid. marc. Vicarius de Nithbren 5. sol. 4. den.; de Oles 8. sol. 8. den.; de Neutil 10. sol. 8. den. Ecclesia de Kilgoverin per augmentationem 8. sol. Vicarius de Inverkileth 8. sol.; de Inchethur 20. sol.; de Cules 20. sol.; de Glamnes 32. sol.; de Monifoth 1. marc.; de Rossincleragh 10. sol. 8. den.; de Aberloth 16. sol.; de Foules in Goveryn 9. sol. 4. denar.; de Morens 4. sol. Ecclesia de Luncrethyn 20. sol.; de Dorvesin per augmentationem dimid. marc. Vicarius de Inverkethin 21. sol. 10. den. ob.; de Loghros 4. marc.; de Schony 1. marc.; de Forgrund 20. sol. Ecclesia de Methkil 8. sol.; de Monimel 3. marc. 12. den.; de Blar per augmentationem 2. marc. Vicarius de Kemanthin 10. sol.; de Forgrand in Goveryn 20. sol.; de Mathing 16. sol. Ecclesia de Quiult per augmentationem 4. sol.; de Dunvenanth per augmentationem 9. denar. ob.; de Inchebrioc 3. marc.; de Fecherkern 33. sol. 4. den.; de Syrais 3. marc.; de Lonchorn 6. marc.; de Hanevile 10. sol.; de Kynros 13. marc. Abbas de Cambzkynel 63. sol. 9. den. ob.; de Lundors 8. libr. 16. sol. 11. den. ob.; de Dunfermelyn 78. libr. 2. sol. In Archidiaconatu Sancti Andree Prior Sancti Andree 60. lib. 15. sol. 10. den. Item de bonis dicte Abbatie in Laodonia 23. lib. 8. s. 9. d. Item pro officio Sacriste 40. sol. Prior de Rustinoth 10. marc. 12. sol. Ecclesia de Essy 36. sol. 8. den.; de Magna Kyrgorna 100. sol. Adam de Anand per augmentum bonorum suorum 50. sol., videlicet de ecclesiis de Monimel et de Blar. Vicarius de Dim 6. sol. 8. den. Ecclesia de Kymnuyl 4. marc.; de Diminaght 3. sol. 4. den.; de Logyn 2. marc. Vicarius de Perch 1. marc.

Summa totalis 303. lib. 4. den. ob.

Et sciendum quod summa depositi est 321. lib. 16. sol. ob. Item de Schona 40. lib.

¶ Episcopatus Glasguensis.

Summa totius decime percepte in Episcopatu Glasguensi pro primo anno solutionis 531. lib. 17. s. 4. d. ob. Item 9. marc. et dim. computata decima Epī.

¶ Collectio decime in Episcopatu Abdonensi pro primo anno.

Decanatus de Garmath.

Abbas de Aberbroth. 40. marc.; de Lundors 33. lib. 3. s. 8. d. Ecclesia de Oven 3. m. Vicarius de Durnath 2. marc.; de Lesselyn 10. sol.; de Insula 17. sol. 4. den.; de Forg 20. sol.; de Culfamuel 10. sol. Ecclesia parrochialis de Munimusc 5. marc.

4. sol. Vicarius de Rathmuriel dimid. marc.; de Inverury 24. sol.; de Kynalkemurth 1. marc.; de Bourdi 8. sol. 8. den.; de Fintreth 17. sol. 4. den. Ecclesia de Tulynestin 2. marc. et dimid.; de Otcerlis 8. marc. Vicarius de Botheleny 10. sol.; de Prameth 10. sol. Ecclesia de Damoth 6. marc. Prior de Monimusc 10. marc. Ecclesia de Raan 8. marc.; de Kynkel 12. marc.

Summa 105. lib. 20. den.

Decanatus de Marr.

Ecclesia de Morthelac 5. marc.; de Ranandor 3. marc. 8. sol. Vicarius de Kegri 20. sol. Ecclesia de Creghi 10. sol.; de Quisseny 2. marc. et dimid. Vicarius de Afford dimid. marc. Ecclesia de Dimmeth 10. sol. Vicarius de Kymmuch 10. sol. 8. den.; de Cleyn 17. sol. 4. den.; de Cule dimid. marc.; de Eyth 31. sol. 4. den. Ecclesia de Obeyn 4. marc. Vicarius de Loyel 8. sol. 4. denar. Ecclesia de Gulugh 20. sol. Vicarius de Kynbethot 9. sol. 4. den. Ecclesia de Brasse 4. marc. et de aqua 1. marcam; de Colessen 2. marc. et dimid. Magister dedit. pro portione sua quam habet in ecclesia de Migmar 8. sol. 8. den. Ecclesia de Kyndromy 2. marc. et dim. Vicarius de Tarvelan 7. sol. 8. den. pro uno Turonense. Prior Sancti Andree 4. lib. 8. sol. 3. denar. Ecclesia de Forles 1. marcam; de Keryn 1. marc. Vicarius de Miganeth dimid. marc. Magister hospitalis de Onel pro omnibus ecclesiis et terris suis 14. marc. Ecclesia de Olat 3. marc. et dimid. 8. d. ob.; de Invernothy 3. marc.

Summa 44. 5. sol. 10. den. ob.

Decanatus de Aberdon.

G. de Saulyn pro portione quam habet in ecclesia de Albden 5. sol. Ecclesia de Benchori de Neveth 4. m. Vicarius de Cultur 1. m.; de Benchortarny 1. marc. 2. sol. 4. denar. Decanatus de Aberdon 12. m. pro decanatu suo. Procurator Capituli Aberdonensis pro ecclesiis communitatis 2. m. 32. den. Fratres sancte Trinitatis de Aberdon 16. sol. Magister S. de Bosco pro pensione sua in ecclesia de Der 24. sol.

Summa 15. lib. 16. sol. 8. den.

Decanatus de Bughan.

Ecclesia de Logyntalargy 3. marc. Vicarius de Lungle 24. sol.; de Garnavil 40. sol. Ecclesia de Inverugy Petri 3. marc.; de Lunmeth 24. sol.; de Rathi 4. marc. 5. sol. 4. den. Vicarius de Fivin 3. marc. Ecclesia de Glanes 2. marc.; de Filorth 2. marc. 5. sol. 4. denar.; de Foverne 8. marc.; de Methlech 5. marc. 10. sol. 8. denar.; de Retref 3. marc.; de Ciridan 5. marc.; de Olon 11. marc. Vicarius eiusdem 6. marc. Ecclesia de Furvi 1. marc.

Summa 40. lib. 56. sol.

Decanatus de Bothen.

Vicarius de Banf 20. sol.; de Tyry 10. sol. pro tota ecclesia. Ecclesia de Aveth 6. marc.; de Kynedword 4. marc.; de Forthes 8. marc.; de Ferglen 8. sol. Curator ecclesie de Aberdon 6. m. Hospitale de Torreth 6. marc. et de Rotheven 3. marc.

Summa 23. lib. 18. sol. preter decimam Epi.

Summa omnium summarum computata decima Episcopi 298. lib. 11. sol. 6. den. ob.

¶ Collectio decime in Episcopatu Moraviensi pro primo anno.

Dominus ... Episcopus pro omnibus bonis suis preter decimam seis (sic) 97. marcas ob. Prior de Ploshardyn 26. marc.; de Wrhard 8. marc. Decanus Moraviensis 20. marc. 5. sol. 4. den. Ecclesia de Essi 9. sol. 4. d. Vicarius de Dundurg 1. marc. Ecclesia de Ryni 2. marc. 4. sol. 8. den. Vicarius eiusdem 8. sol. 8. den. Ecclesia de Alveth 23. sol. Vicarius eiusdem 11. sol. 9. denar. Thesaurarius 9. marc. 5. sol. 4. den. Vicarius de Dalcros 15. sol. 4. den. Ecclesia de Petyn et de Branthely 5. lib. Vicarius de Petyn 20. sol.; de Branthely 20. sol.; de Durres 24. s. Ecclesia de Butruthi et de Aberloghor 4. marc. 9. sol. 2. d. Succentor Moraviensis 7. marc. 2. sol. 4. d. Ecclesia de Rathamurgus et de Dulergusi 29. sol. 4. den. Prebendarius ecclesiarum de Orony et de Limyn 4. marc. 7. sol. Ecclesia de Spyni 39. sol. 4. d. Vicarius eiusdem 16. sol. Ecclesia de Logikenvy 2. marc. 3. sol. 4. denar.; de Inveralian 2. marc. 3. sol. 4. den.; de Abernythi 16. sol.; de Artildol 1. marc. 2. sol.; de Ewen 2. marc. 12. sol.; de De Weth 2. marc. 5. sol. 4. den.; de Fernewey 11. sol. 4. den. Item pro decima duarum marcarum terre sancte de De Weth, et dimid. marc. de Inverloghyn et 4. bon. Vicarius de Deveth 10. sol. 8. den.; de Abernithi 14. sol. Ecclesia de Glas 28. sol. 2. den.; de Duffus 6. marc. Vicarius eiusdem 2. marc. Cappella eiusdem 16. sol. Vicarius de Aberkerchor 3. marc. 6. sol. 8. d.; de Dilse 22. sol. 8. d. Ecclesia de Althir 13. sol. 2. den. ob. Prebendarius ecclesiarum de Duthary et de Elchyn 5. marc. 6. sol.; ecclesiarum de Kengersi et de Inche 4. marc. 11. sol. 4. den.; de Kynnor et Dunbanan 5. marc. 8. den. Vicarius earumdem ecclesiarum 1. marc.; de Invernis 4. marc.; de Abertarf 21. sol. 4. den. Executor Precentoris defuncti 9. marc. 5. sol. 4. den. Vicarius de Conevay 9. sol. 4. denar. Ecclesia de Lundechi 3. marc. Vicarius de Wardlar 9. sol. 4. d. Archidiaconus Moraviensis 10. marc. Item de Synodalibus 3. sol. 9. den. ob. Vicarius de Elgyn 21. sol. 4. den. Ecclesia de Kyncardin 17. sol. 4. den. ob. Prebenda de Duppol 30. sol.; de Inverthony 5. marc. 8. sol.; de Moy 17. sol. 5. den. ob. Ecclesia de Brennagh 2. marc. Prebendarius de Dothol 3. lib. Prior de Belloloco 5. marc. 10. sol. 8. d. Vicarius de Abericacy 9. sol. 4. den. Ecclesie de Daltros et de Kelrewoc 34. s. Vicarius de Ewen 5. sol. 4. den. Prebenda C. Sol. 10. sol. Abbas de Aberbroth. 11. marc. 3. sol. 4. d. Garbe ecclesie de Abericacy 4. sol.

Summa 219. lib. 13. sol. 6. den. ob.

¶ Collectio decime in Episcopatu Dunkeldensi pro primo anno.

Ecclesia de Kynlyn 5. marc. 40. den. Item 5. sol. 2. den.; de Erdonny 8. sol. 8. den.; de Dul. 10. marc.; de Weme 30. sol.; de Logynrath ....; de Rathmeth 20. sol. 6. den. ob.; de Blar. 32. sol.

de Scutinar 20. sol.; de Kylmevenet 1. marc.; de Lod 9. sol. 4. den.; de Mulyn ....; de Kylmichel 4. lib. 2. sol. 8. den.; de Lundef .....; de Rothgortevyn .... Vicarius de Monythi 8. sol. Ecclesia de Loginbrid 14. sol.; de Loghantlot 2. marc. et dim. Abbas de Insula de Iy.... pro duabus ecclesiis 10. marc. Vicarius de Strathmigloc 16. sol. Ecclesia de Lethrith ....; de Maderdi 5. lib. 5. sol. 8. den. Vicarius de Gobermor 8. sol.; de Melging 32. sol. 9. den. qua. Ecclesia de Bendaghtyn ..... Vicarius de Rocheven 16. sol. 7. den. Ecclesia de Fern. 28. sol. 8. den. ob.; de Telyn 37. sol. 2. den. ob. qua. Vicarius de Huterus 10. sol. Ecclesia de Abermeth 2. marc.; de Mighil 2. marc. 4. sol.; de Mutresi 12. sol. 1. den. ob. Abbas sancti Columbe pro ecclesiis suis 12. lib. 7. sol. Ecclesia de Abercrumby ....; de Alinth et Lecreth 52. sol. 3. den. ob. Vicarius de Prestim 11. sol. 9. den.; de Aberlefdi 2. marc.; de Caramunth 10. sol. 8. den.; de Abertorn 16. sol. Decanus Dunkeldenis 12. lib. 4. s. Prebenda Thesaur. 6. lib. 16. sol. 7. den. ob.; Precentoris 35. sol. Cancellarius et collector .... Prebenda de Retref 2. marc. 2. sol.; de Ruffel ....; de Cathbathac 20. sol.; de Fyngruch 4. marcas; de Craghyn 8. sol. 8. den.; de Inchemegernoc 1. marc.; de Obeney 12. sol.; de Monychi 20. sol.; de Cref 57. sol. 9. den.; de Melmorech 67. sol. 8. den. Commune Canonicorum 6. lib. 6. sol. 8. den. Dominus Epus 100. marc.

Summa totalis 172. lib. 19. sol. 6. den. ob.

¶ Collectio decime in Episcopatu Rossensi pro primo anno.

Dominus Rex hoc anno confiscavit et cepit omnia bona Epatus sede vacante, una cum decimis ecclesiarum de Tarbere et de Rigge, mense Episcopali pertinentibus, nichil est solutum.

Abbas de Nova Ferma in Rossia cum decima Vicarii de Tarbere 7. marc. Prior et Conventus de Belloloco 5. marc. Ecclesia de Kylmor Australi et Ardrosser 2. marc. et dimid. Cancellarius 4. marc. Thesaurarius 4. marc. 4. sol. 2. den. pro ecclesiis de Dunthard et de Logynbrid. Ecclesia de Thany et de Ederthayn 2. marc.; de Inverasfran et de Loghbren 3. marc. et dimid. et 40. den.; de Lemmelare 2. marc. 5. sol.; de Logynmethet 19. sol.; de Alnesse 20. sol.; de Cultudyn 18. sol. 4. den.; de Conteyne 21. sol. 4. den.; de Fotherdyn et de Ederdover 5. marc.; de Tarvedal 10. sol. 8. den.; de Keltire 20. sol.; de Kelmormethet 20. sol.; de Nevoth et de Roskevene 32. sol.; de Dingenale 24. sol.; de Anagh, est Abbatis de Kynlos, nichil; de Kyncardyn 21. sol. 4. den.; de Loghcarn dimid. marc.; de Gerloth dimid. marc.; de Logalche 22. sol. 8. den.; de Ablecrosse 8. sol. Vicarius de Anagh 1. marc.; de Fotherchyn 8. sol.; de Nevoth 11. sol. 4. den.; de Logynbrid 6. sol. 8. den.; de Tayn 10. sol. 8. den.; de Nigge 10. sol. 8. den.; de Kelmormethet 5. sol. 4. den.; de Utherchain 6. sol. 8. den.; de Roskeven 6. sol.; de Kylmorus australi 10. sol.; de Sicthye iuratus 12. den.; de Alenesse 20. sol.; de Urchard 4. sol.; de Lemnelar 12. sol.; de Logymnechet 17. sol. 4. den.; de Alter nichil quia pauper; de Ederdover computatus cum personatu; de Culycudin, similiter.

Summa 44. lib. 2. sol. 10. den.

¶ Collectio decime in Episcopatu Cathanie pro primo anno.

De bonis dñi Episcopi receptis 11. lib. 2. sol. 9. den. ob. Prebenda Decani 3. lib. 6. sol. 8. den. ob.; Cantoris 50. sol.; Thesaurarii 50. sol. 1. d. ob.; Cancellarii 3. lib. 9. sol. 1. den. ob.; de Coldulmau 30. sol. 2. den.; de Olric 2. marc.; de Dimosc 33. sol. 4. den.; de Cranesby 40. sol.; de Ascend 5. sol. 4. den. Vicarius de Haukyrc 14. sol. 2. den. ob.; de Turishau 26. sol. 7. den. Capella de Haludal 9. sol. 4. den. Vicarius de Lagheryn 27. sol. 10. den.; de Ra 9. sol. 3. den. ob.; de Culmaliun 15. sol. 10. den. De pensione H. de Notingham 13. sol. 4. den.; dñi Eugenii 4. sol. De Ecclesia de Durnes 14. sol. 8. den. Vicarius dñi Episcopi nichil solvit de decima (7. marcas).

Summa 36. lib. 9. sol. 4. den.

¶ Collectio decime in Episcopatu Brekynensi pro primo anno.

Ecclesia de Stratheth Archidiaconi 3. marcas; de Glenbernyn Thesaurarii 5. marc. 12. sol. Vicarius de Panbride 1. marc.; de Monros 20. sol. Ecclesia de Struchaerat Precentoris 3. marc. 2. sol. 2. den. ob. Vicarius de Kateryn 1. marc.; de Dunde 2. marc. 5. sol. 4. den.; de Gingondrom 1. marc. 2. sol. 8. den. Ecclesia de Kilmous 9. sol. 4. den.; de Neutuer 12. sol. Cancellar. 3. sol. Ecclesia de Guchery 10. sol.; de Glimsfur 4. marc. Vicarius de Mouweky 20. s. Ecclesia de Fotheven 1. marc.; de Botherker.... Abbas de Aberbroth. 24. m. Vicarius de Maricon 3. sol. Magister S. Walais 2. lib.; I. Scot. 3. marc. et dimid. de Cortaghi. Adam de Brekyn pro se 2. lib. 8. sol. Vicarius de Brekyn 20. sol. Abbas de Limdors 4. lib. 13. sol. 3. den. Simon de Forfare dimid. marc. Ecclesia de Glemlif 22. sol. 8. d. Io. Wichard pro prebenda. 10. s. 5. d.

Summa 48. lib. 13. sol. 10. den. ob.

¶ Episcopatus Ergadiensis.

Summa decime collecte in Epatu Ergadiensi pro primo anno 34. lib. 12. sol.

¶ Collectio decime in Episcopatu Dumblanensi pro primo anno.

Abbas de Insula Missarum 24. lib. 13. sol. 3. den. q. Ecclesia de Abernychi pro Abbate de Aberbroth. 6. marc. 4. sol. De Vicaria eiusdem 2. marc. Abbas de Limdors 5. lib. 8. den. Prior de Insula sancti Calmoth 6. lib. 13. sol. 5. den. ob. De prioratu de Abernythi 33. sol. 4. d. Ecclesia de Struan 3. marc.; de Buthfuder 18. sol. Vicarius de Kylmadoc 2. marc.; de Aberothenyn 7. sol.; Fioles 17. sol. 4. den. Ecclesia de Glendelan 14. sol. 6. den. ob.; de Muthuthe 28. sol. 8. den. Clemens Capellanus de Keldera sua 2. sol. Vicarius de Strughet 2. marc. 16. den.; de Dunyn 12. sol.; de Druny 40. den. Ecclesia 16. sol.; de Sancto Maghot 20.

sol.; de Duppeli nichil; de Fossenwy 34. sol. 3. den.; de Tullibothnyn nichil quia pauper. Vicarius de Hughterardur 18. sol. Ecclesia de Tullalwy 3. den. De Garba de Logyn 42. sol. 8. den. Vicarius de Logyn 2. marc. De ecclesia de Kyppen 3. marc. Ecclesia de Cumery 24. sol.; de Aberful 12. sol. 3. den.; de Killebrid 18. sol. 8. den. ob. Vicarius de Gafcrift 5. sol. De Archidiaconatu 55. sol. 9. den. De Thesaurario 20. sol. De prebenda Magistri R. de Strivelyn 32. den.; domini I. de Clacinana 32. den. Dominus Episcopus pro decima sua 40. marcas.

Summa 108. lib. 9. sol. 2. den. ob. q.

Eplicit primus annus.

¶ Receptio decime terre sancte in Archidiaconatu Laudonensi Episcopatus Sancti Andree pro terminis Nativitatis dñi anno M.CC.LXXV. et beati Iohannis Baptiste an. M.CC.LXXVI. videlicet pro secundo anno solutio decime terre sancte.

Decanatus de Lynsithyn.

Vicarius de Strinlum 30. sol.; Ecclesia de Halis 1. marc. Vicarius de Leswad 1. marc.; de Kyrkeconus 46. sol. 8. den. Ecclesia de Malenil 6. sol. 8. den. Vicarius sancti Gutberti de Castro 6. sol. 8. den. Ecclesia de Lyston 6. marc. Vicarius sancti Egidii de Edenburg 10. sol. Abbas de Cambuskinel pro omnibus bonis suis, que habet in Archidiaconatu Laodonensi, 7. lib. 16. sol. 10. den. Vicarius de Coingeston 1. marcam. Item 1. marcam. Ecclesia de Strabrok 32. sol. 6. den.; de Keldelek 5. marc. Vicarius de Caledon Cler pro portione sua 4. sol.; de Wacher 8. sol.; de Leningeston 6. sol. 8. den. Ecclesia de Goger 8. sol. Vicarius de Ommianyn 6. sol. 8. den. Ecclesia de Ommianyn 42. sol.; de Cotpen 2. marc.; de Clistmathyn 1. marc. Vicarius de Var Capella 1. marc. Ecclesia de Slefmanyn 5. sol. 2. den.; de Conveth 40. sol. Dñus Epus Sancti Andree pro omnibus bonis suis 100. lib. Ecclesia de Keldeleth 5. marc.; de Lyston 6. marcas; de Caldorcler 4. sol.; de Egistmawyn 1. marc.; de Rfencon 20. sol. Vicarius sancti Egidii de Edemburg 10. sol.; de Leswad 1. marc. Ecclesia de Malenil 6. sol. 8. den. Vicarius de Var Capella 20. sol. Ecclesia de Oachen 4. libr.; de Penthland 10. sol. 8. den. Vicarius de Streniclyn 30. sol. Ecclesia de Goger 8. sol. Vicarius de Kyrketen 40. sol.; sancti Gutberti sub Castro 6. sol. 8. den.; de Lynlichtu 21. sol. 4. den. Ecclesia de Sleman 5. sol.; de Ommanyn 49. sol. 2. den. ob. Vicarius de Halis 1. marc. Ecclesia de Strabrok 10. sol. 10. den. Vicarius de Hert 5. sol. 4. den. Abbas sancte Crucis de Edenburg 60. lib. 4. den. ob. Ecclesia de Opsechinton 30. sol.; de Ponlewrnd 21. sol. 4. den. Vicarius de Backer 8. sol.; de Leningeston 6. sol. 8. den. Ecclesia de Hereyec 26. sol. 4. den. Prior Sancti Andree 10. lib. 9. sol. 4. den. ob. Fratres de Hinston 40. sol. Ecclesia de Lastalrus 40. sol. Abbas de Fasselay 8. marc. 8. sol. 4. den. Vicarius de Gumanyn dimid. marcar. Ecclesia de Donbar 7. libras, 16. sol. 10. den. per augmentum.

Decanatus de Hadington.

Executor dñi Iohannis de Adhamstok 40. sol. Vicarius de Bostim dimid. marc.; de Mulkiburg dimid. marc. Ecclesia de Adham 6. sol. Vicarius de Gravernenthe 14. sol. Ecclesia de Lincon 4. lib.; de Heryeth 25. sol. 4. den.; de Cimbar et de Pentheland 7. lib. 13. sol. 4. den.; de Rech Margcal 1. marc. Vicarius de Bechimdeby 6. sol. 8. den. Ecclesia de Penteland 10. sol. 8. den. Prior S. Andree 10. libr. 9. sol. 4. den. ob. Ecclesia de Creccon 20. sol.; de Clerkinton 6. sol. 6. denar.; de Bothans 40. sol. Vicarius de Forberwic 1. mar.; de Hadinton 1. marc. Ecclesia de Seccon 1. marc. Vicarius de Logohomur 6. sol. 8. den. Frater O. de Solcre 33. sol. 4. den. pro bonis suis in Episcopatu Sancti Andree. Ecclesia de Morbam 16. s.; de Timinghmin 60. sol. Vicarius de Muskelburg 6. sol. 8. den. de titulo s. Iohannis; de Bolton 6. sol. 8. d. Ecclesia de Lyncon 4. lib. Vicarius de Hadington 1. marc. Ecclesia de Halaham 5. sol. 8. den. Vicarius de Cranceston 1. marc. pro II. terminis. Ecclesia de Cockespen 2. marc. Vicarius de Tranernent 10. sol. Frater O. de Solcre 33. sol. 4. den. Ecclesia de Seccon 1. marc.; de Gimbar et de Pentathat 11. marc. 6. sol. 8. den.; de Bochans 40. sol. Vicarius de Forberwyc 1. marc. Ecclesia de Morham 16. sol.; de Timingeham 40. sol. Vicarius de Goly 18. sol. pro II. terminis. Fratres de sancto Germano 40. sol. Vicarius de Rechundilby dimid. marc. Ecclesia de Rech Marescal. 1. marc. Vicarius de Loghorwyr dimid. marc. Ecclesia de Crecton 20. sol.; de Crekinton dimid. marc.; de Ormiston 20. sol.

Decanatus de Merskis.

Procurator ecclesie de Sfuesdon 2. marc. Ecclesia de Mortington 2. marc. Vicarius de Berwyc 2. marc.; de Lechar de Wend 16. sol. 8. denar.; de Langton 10. sol.; de Swynton dimid. marc.; de Stichill. dimid. marc.; de Sfongu 10. sol.; de Grenlan 10. sol. 8. den.; de Erclydon 1. marcam; de Edercham dimid. marcam. Ecclesia de Osum 2. marc.; de Hylton 15. sol. Vicarius de Fiswent 6. sol, 8. den. Fratres ecclesie sancte Trinitatis de Berwyk 3. marc. Vicarius de Childechirche dimid. marc.; de Aldecamburg 8. sol.; de Wedile 40. sol.

De termino Nativitatis domini.

Vicarius de Erssedim 1. marc.; de Ederham dimid. marc. Ecclesia de Fenedeim 2. marc. Vicarius de Childewyrth dimid. marcam. Ecclesia de Hoton 3. marc. pro II. terminis. Vicarius de Langton 10. sol. Ecclesia de Hilton 15. sol.; de Morthinton 2. marc.; de Essum 2. marc. Vicarius de Fiswit dimid. marc.; de Swynton dimid. marc.; de Berwyk 2. marc.; de Logardewd 16. sol.; de Noycherchin 1. marc. pro II. terminis; de Stihill dimid. marc.; de Wdetamb 4. sol.; de Crenlan 10. sol. 8. den.; de Fongu 10. sol.; de Ederham 40. sol. pro toto. Ecclesia de Withofine 5. marc. 6. sol. 8. denar.; de Chirnefid 6. marcas, 6. sol. 8. denar.

Arreragio primi anni.

Fratres sancte Trinitatis de Berwyc 6. marc. Eccclesia de Ponlewrd 31. sol. 4. den. Fratres de Huteston 4. marc. Vicarius de Wedehale 2. marc. Ecclesia de Oachen 5. lib. 13. sol. 7. den.

Summa istius Archidiaconatus 328. lib. 3. s. ob.

¶ Receptio decime terre sancte in Archidiaconatu Sancti Andree pro duobus terminis secundi anni.

Vicarius de Simerkechin 16. sol. 8. den. Item 20. sol. pro arreragio. Item pro pena, quam incurrit eo, quod non solvit plenam decimam, 20. sol.; de Forgrund in Fifer 20. sold. Executores testamenti quondam W. rectoris de Kylgonery 24. solid. Item 24. sol. Ecclesia de Huctermukedy 30. sol. Item tantundem; de Thawenteteys 50. soldios. Item per augmentum 14. sol. 4. den.; de Auries 13. sol. 4. den. Item 13. sol. 4. den.; de Oernesy 30. sol. Item 30. sol. pro secundo termino; de Kenhacghy 8. sol. Item 8. sol. pro secundo termino. Vicarius de Oimbulger 6. sol. 8. den. Item tantumdem; de Lostrist 8. sol. Item 8. sol. Ecclesia de Kynspinedi 26. sol. 8. den. Item tantumdem. Vicarius de Marking 11. sol. 8. den. Item 12. sol. pro secundo termino; de Eghisgyrg 11. sol. Item 11. sol. Magister Fontis Scot. 18. sol. Item 2. marc. Vicarius de Ginpyr 11. sol. 4. den. Item tantumdem; de Forgrund in Grodyn 10. sold. Ecclesia de Cretth 13. sol. 4. den. Item tantumdem. Vicarius de Cles 10. sol. pro II. terminis; de Fotbir 40. sol. Item tantumdem; de Logiminrath 1. marc. Item tantumdem. Vicarius de Lonthers 26. sol. 8. den. Item tantumdem; de Kyrkald 13. sol. 4. den. Item tantumdem. Ecclesia de Ferthevihot 26. sol. 8. den. Item 23. solidos pro decima anni preteriti. Item 33. sol. pro II. terminis. Vicarius de Sconyn 6. sol. 8. den.; de Kynlassy dimid. marc. Ecclesia de Oysard 15. solid. 8. den. Item tantumdem; de Torri 5. sol.; de Kineff 40. sol. Item 38. sol. 8. den. pro secundo termino. Vicarius de Karnoly 10. sol.; de Largath 1. marc. Item 1. marcam. Ecclesia de Oimenath et de Quilt 24. solidos. Item tantumdem; de Merhkil 5. sol. Item 4. solidos; de Munimel et de Blar 64. sol. Vicarius de Karal 4. marc. pro 2. terminis; de Sunersunau 10. sol. tam pro arreragio, quam pro termino Nativitatis; de Clatman 12. sol. Item 12. sol. Ecclesia de Ossi 18. sol. 4. den.; de Fecherkern et de Rithebrioc 60. sol. 4. den.; de Blar 2. marc.; de Munimel 6. marc. Archidiaconus Sancti Andree 5. marc. de uno termino. De pensione Magistri H. Pikard 10. sol. 8. den. Vicarius Abirheloth 16. solid. pro duobus terminis; de Cullassy 20. sol.; de Kyrmur 29. sol. 4. den. pro duobus terminis; de Clammes 32. sol. 3. den ob. pro II. terminis. Ecclesia de Camecays 50. sol. pro termino beati Iohannis; de Limdy 33. sol. 4. den. pro II. terminis; de Fentil 12. sol. de II. terminis; de Fimkychelechyr 10. sol. 8. den. pro duobus annis; de Munifoch 13. sol. 4. den. de duobus annis; de Murenuysi 4. sol. de duobus annis. Ecclesia de Cullas 33. sol. 8. den. pro II. terminis; de Limtrechyn 16. sol. de duobus terminis; de Bemmi et de Abertruichenoch 10. marc. 12. sol. 11. denar. ob.; de Abercrimsby et de Ardengrost 2. marc. 12. den. de II. terminis; de Nendosh 21. sol. 3. den. ob. de II. terminis. Dominus Andreas de Anand 2. marc. 12. denar. per augmentum. Ecclesia de Kynraf 4. marc. pro secundo anno; de Conevech 4. marcam pro secundo anno; de Bemmi et Abbuchenocht 7. sol. ob. Vicarius de Funerkethyn 16. sol. 8. den. Ecclesia de Fetheressagh 40. sol. pro duobus annis; de Magnakingorn 4. lib. 13. sol. 2. den. pro duobus annis. Archidiaconus Sancti Andree 5. marc. pro termino sancti Iohannis. Ecclesia de Flosh 33. sol. et 4. den.; de Michard 13. sol. 4. den.; de Kilmamu 4. marc. 33 .den. ob. Abbas de Aberbrochoc 23. lib. 6. sol. 8. den. pro termino Nativitatis. Item 23. lib. 7. sol. 8. den. pro termino sancti Iohannis. Prior S. Andree 60. lib. 7. sol. 10. den. pro duobus terminis. Abbas de Dunfermelin 45. lib. 9. sol. 6. denar. pro bonis suis, que habet in Archidiaconatu Laodonensi et S. Andree, de primo termino. Item 50. lib. 15. sol. 4. d. ob. de secundo termino. Abbas de Lundors 8. lib. 16. sol. 11. den. ob. pro II. terminis; de Kambush 48. sol. pro primo anno integro et termino Nativitatis dñi secundi anni. Item 38. sol. pro termino s. Iohannis. Prior de Oustmot 10. m. 12. s. 8. d. de II. terminis. Eccl. ed Kimros 6. m. et dim. It. Vic. de Strachegium Com. 6. s. 8. d.

Summa totalis 351. lib. 7. sol.

¶ Item de Abbate de Schona 40. libr. De Magistro A. de Malcarveston 20. lib. Item de Coldingeham 57. lib. 18. sol. 1. den. ob. Item de Kelcou 53. lib. 6. sol. 8. den. De Driburg 33. lib. 6. sol. 8. d. Et sciendum, quod decima de Abbatiarum predicta bis computatur in computo Magistri B. facto domino Cardinali, et hoc per errorem scribentis.

¶ Summa totalis collectionis decime in Episcopatu Glasguensi pro secundo anno 377. lib. 8. sol. 6. d. ob. q. Item 11. lib. 15. sol. 5. den. ob. Item de decima Episcopi 80. lib.

¶ Solutio decime terre sancte in Episcopatu Aberdonensi pro duobus terminis secundi anni.

Decanatus de Mar.

Ecclesia de Obem 4. marc. Vicarius eiusdem loci 16. sol. Ecclesia de Innernogehy 40. sol. Vicarius de Cule 6. sol. 8. den. Ecclesia de Colecoyn 2. marc. et dimid. Vicarius de Kinbechoc 9. sol. 4. den.; de Syganech dimid. marc. Prior S. Andree pro bonis suis in Episcopatu predicto 4. lib. 8. sol. 3. den. Vicarius de Kynemine 5. sol. 4. den. pro uno termino. Item 5. sol. 4. den. Ecclesia de Grethy 5. sol. pro uno termino. Item 5. sol. Vicarius de Keger 22. sol. 8. den. Item de eodem pro arreragio primi anni 32. denar. Hospitale de Kinkardin Onel 14. marc. Ecclesia de Thuluth 20. sol. Vicarius de Afford 40. den. pro uno termino. Item 40. den.; de Heyth 21. sol. 4. denar.; de Loghel 8. sol. 4. den. Ecclesia de Brass 33. sol. 4. den. tam pro ecclesia, quam pro aqua pro uno termino. Item 2. marc. 6. s. 8. den. pro secundo termino. Eccle-

sia de Kyndromy 33. sol. 4. den.; de Morthelac 66. sol. 8. den.; de Danandor 48. sol. Vicarius de Tarvelan 1. marc. Pensio Magistri W. in ecclesia de Migmar 8. sol. 8. den.

Decanatus de Buthen.

Ecclesia de Alueth 6. marc. Vicarius de Tiry pro tota ecclesia 10. sol. Hospitale de Surreth 6. marc. Vicarius de Banf 20. sol. Item propter conscientiam 40. den. Curator ecclesie de Abden 6. marc. Ecclesia de Forglen 8. sol. Hospitale de Rethan 40. sol. Ecclesia de Kyneddeard 4. marc.; de Forthes 8. marc.

Decanatus de Garmath.

Ecclesia parrochialis de Munimosc 5. marc. 4. sol. Vicarius de Prameth 10. sol; de Durnagh 2. marc. 40. den; de Butheleny 10. sol; de Forg 20. sol; de Lesselyn 10. sol. Abbas de Lundors 23. lib. 3. sol. 8. den. Vicarius de Syntref 27. sol. 4. den. Vic. de Inverury 24. sol; de Bourdi 8. sol. 8. den; de Kynalkemund 1. marc; de Rathmuriel. dimid. marc; de Culsamuel 10. sol. Ecclesia de Oven 40. sol. Vicarius de Insula 17. sol. 3. den. Ecclesia de Tulynestyn 33. sol. 4. den; de Hugcerlis 8. marc. de Damoch 6. marc. Prior de Monimusc 10. marc. Ecclesia de Kynkel 12. marc; de Raan 8. marc.

Decanatus de Abden (Aberdon).

Vicarius de Culter 1. marc. Fratres sancte Trinitatis 16. s. Ecclesia de Benchorideneveth 4. marc. de Benchoritarny 15. sol. 8. den. Decanus Aberdon 8. lib. Commune Canonicorum 2. marc. 32. den.

Decanatus de Buthan.

Vicarius de Fynin 40. sol; de Lungle 25. sol. 4. den. Ecclesia de Retref 40. sol; de Logynathi 40. sol; de Inverugi Petri 40. sol; de Elon 11. marc. Vicarius 6. marc. Vicarius de Torvais 40. sol. Ecclesia de Foverne 8. m. de Rathi 4. marc. 5. sol. 4. d. de Slanes 2. marc. G. de Saulyn pro portione quam habet in ecclesia de Crudan 6. sol. 8. den. Item pro portione W. Cumyn in eadem ecclesia 4. marc. Ecclesia de Lommeth 24. sol.; de Filorth 32. sol. Dñus Episcopus 100. marc. Abbas de Abbatiarum 26. lib. 13. sol. 4. den.

¶ Episcopatus Ergadiensis.

Summa decime collecte in Episcopatu Ergadiensi pro secundo anno 24. lib. 12. sol. 1. den. ob.

¶ Collectio decime terre sancte in Episcopatu Cathanensi pro secundo anno.

Dñus Episcopus solvit de bonis suis et de ecclesia de Durnes 17. lib. 6. sol. 6. den. De bonis eiusdem in Suthland 2. lib. 11. s. 7. den. Vicarius de Laterne 32. sol. De pensione Magistri H. de Notigham 1. marc. Prebenda de Canenby 32. sol. Vicarius de Thorsan 2. marc. Capella de Helwedale 9. sol. 4. den. Vicarius de Ra 9. sol. 4. den. Vicarius de Hankyre 13. sol. 9. den. De pensione dñi Eugenii 2. sol. Vicarius de Ascend 5. sol. 4. den. Cancellarius 63. sol. 3. den. Decanus Cathanensis 2. marc. 4. sol. 5. den. ob. pro primo termino. Item pro secundo termino 38. sol. 9. den. ob. Prebenda de Olric 2. marc. De duabus partibus ecclesie de Scynand 18. sol. 8. den. Ecclesia de Dunost 2. marc. Prebenda de Keldoninave 2. marc. Vicarius de Culmalyn 17. sol. 5. den. De Precentore 63. sol. 11. den. De Thesaurario 48. sol. 10. den. De Vicario dñi Episcopi 8. sol.

Summa 45. lib. 11. sol. 10. den.

¶ Collectio decime terre sancte in Episcopatu Brekynensi pro primo termino secundi anni. De bonis dñi Episcopi 14. marc. Abbas de Abbatiarum 12. marc. Thomas Pelle 21. sol. 1. den. ob. Iohannes Witeberd. 5. sol. 2. den. ob. Vicarius de Glemlif 21. sol. 4. den.; de Kyngoudru 8. sol. Abbas de Cambzkynel 10. solidos pro ecclesia de Genilif. Prebenda de Kyrmur. 5. solidos. Ecclesia de Strathegcyn 23. sol. 4. den. Item dimid. marc. de anno preterito. Item de Archidiacono pro pensione, quam recepit de Magistro Symone, 2. sol. 6. den. Item pro anno preterito 5. sol. Vicarius de Munros 1. marc. Item 40. den. pro anno preterito; de Katerlyn dimid. marc. Item 40. den. Cancellarius 10. sol. 4. den. de anno preterito. Item 5. sol. pro termino presenti. Item per augmentum 20. den. Vicarius de Brekyn 10. sol; de Panbrid 10. sol. item dimid. marc. de anno preterito; de Munweki 10. sol. Abbas de Lundors 2. lib. 6. sol. 7. den. ob. Magister Iohannes Scot. 23. sol. 4. den. Item de Archidiacono 5. sol. pro emend. De Vicario de Katerlyn de arreragio anni preteriti dimid. marc. Item 20. sol. pro alia ecclesia. De Magistro Domus Dei de Brekyn 20. sol. de anno preterito. Vicarius de Dunde 17. sol. 4. den. Item 9. sol. de arreragio. De Magistro Symone Walays 36. sol. De Magistro dd. De Inuberuy 39. sol.

Summa secundi termini 32. lib. 8. sol 7. den. Summa vera totius secundi anni in Episcopatu Brekynensi 70. lib. 15. sol. 7. den. ob cum decima de Abbatiarum.

¶ Solutio decime in Episcopatu Dumblanensi pro secundo anno.

Ecclesia de Struan 50. sol. de Kyppen 40. s.; de Glendon 16. sol. 3. den.; de Mothieth 28. sol. sol 4. d.; de Buthfuder 16. sol. Ecclesia de Abernythi 6. marc. 4. sol. Vicarius eiusdem 2. marc. De Priore sancti Colmoti 9. marc. 13. sol. 1. den. ob. Abbas de Lundors 100. sol. 8. den. De Sancto Mathoco 24. s. Ecclecia de Drun 16. sol. Vicarius eiusdem 40. den; de Aberothen 7. sol.; de Dimy 12. sol; de Gasc. 5. sol; de Fonl. 17. sol. 4. den. Ecclesia de Tubbothen dimid. mar. Abbas de Cambzkynel 10. lib. 8. sol. 11. denar. Ecclesia de Logy 42. sol. 8. d. Vicarius eiusdem 2. marc. Prebenda dñi I. de Conplande 32. d. De Clemente Capellano 2. sol. Vicarius de Struget 28. s. Prebenda Magistri Ricci 32. d. Prior de Abernithi 6. marc. Vicarius de Hughterardor 18. s. De Cumery 24. sol. Abbas de Insula Missarum 24. lib. 13. sol. 3. den. q. De Aberpul 6. sol. 1. denar. ob. pro primo termino. De Killebrid 18. sol. 8. den. De Fossanwy 34. sol. 3. den. De Nesgasc 35. sol. 9. den. De Archidiacono 20. sol. 3. den. ob. De Vicario de Kylmadoc

2. marc. De Tulialwy 10. s. Prebenda Magistri I. de Loggy 14. sol. 10. denar. ob. De decima Episcopi 40. marc.

Summa 90. lib. 14. sol. 10. den. q.

¶ Solutio decime in Episcopatu Dunkeldensi pro secundo termino.

Abbas de Cambzkynel 26. sol. 1. den. ob. q. pro primo termino. Vicarius de Cref 5. sol. pro uno termino. Ecclesia de Maderthi 53. sol. 6. den. pro uno termino. Vicarius de Tubermor 8. sol. pro II. terminis. Ecclesia Melging 32. sol. 8. den. ob.; de Fern 28. sol. 10. den.; de Telyn 37. sol. 3. den. ob. Vicarius de Hugchus 10. sol. Ecclesia de Abernith 2. marc.; de Miggel 2. marc. Vicarius eiusdem 4. sol. Ecclesia de Recheven 16. sol. 7. d. Vicarius de Forgrund .... Ecclesia de Mukerfi 5. s. ob. q. pro uno termino. Monasterium sancti Columbe 12. lib. 7. sol. Vicarius de Stramigloc 16. sol. pro duobus terminis; de Aberlefdi 2. mc.; de Abercorn 16. sol.; de Preston 5. sol. 10. denar. ob. pro uno termino.; de Bonkel.; de Caremund 10. sol. 8. den. Ecclesia de Kynlyn 5. marc. 10. sol. 8. den.; de Ardoveny 8. sol. 8. den. Abbas de Iy. 9. lib. 12. d. Ecclesia de Dul 10. marc.; de Wein 30. sol.; de Rathineth 20. sol. 6. den. ob.; de Blarbrid 30. sol.; de Truban 20. sol.; de Kilmeuenoc 1. marc.; de Loed 9. sol. 4. den. pro uno termino.; de Kylmigliel 4. lib. 2. sol. Vicarius eiusdem dimid. marc. pro uno termino. Ecclesie de Lundef 4. sol. 4. denar.; de Kycleuyn 18. sol. 6. denar. pro uno termino.; de Logynbrid 14. sol.; de Logynauelath 30. sol. Abbas de Dunfermelyn 70. sol. Prebenda Decani cum ecclesiis de Inchecad et Clony 12. lib. 8. sol. Prebenda Thesaurarii 7. lib.; de Retref 8. sol. 8. den.; de Rossel 8. sol. 9. den. pro uno termino.; de Cathbethac 20. sol.; de Fyngor 4. marc. 16. den.; de Oragi....; de Inchemegnoc 16. sol. 8. denar.; de Obency 12. sol.; de Monithy 34. sol. 8. den.; de Cref 47. sol. cum portione Vicarii; de Melmorech 67. sol. 7. den. Cancellarius est Collector. Communia Canonicorum 7. libr. 2. sol. 7. denar. Dominus Episcopus 100. marc.

¶ Solutio decime terre sancte in diocesi ecclesie Candide Case pro diobus primis annis.

In Decanatu de Deesnes pro duobus annis.

Ecclesia Bothel 12. marc. Vicarius eiusdem 2. marc. Ecclesia de Geveliston 40. sol.; de Crosmighel 14. marc. Vicarius de Kelton 1. marc.; de Kirkeubrith 2. marc.; de Borg 20. sol.; de Tumbam 1. marc. Ecclesia de Sanneck 7. marc.; de Kircandrum Purcen. 9. marc. 8. sol. Vicarius de Anewich 2. marc. Ecclesia de Kurkedal 4. mc. Abbas sancte Crucis de Edenburg 31. lib. 10. sol. 8. denar. De bonis pertinentibus ad Insulam de Thrahil 14. lib. 14. sol. 6. d. De Monasterio de Tingeland 17. lib. 12. sol. Archidiaconus Candidecase 8. marc.

In Decanatu de Glenken pro duobus annis.

Ecclesia de Dalri 5. lib. 10. sol.; de Trevercarcou 3. lib. 18. sol. 8. den.; de Kelles 7. marc. et dim.; de Parcon 6. mc. Vicarius de Kircandres Balimeth 20. sol.

In Decanatu de Farnes pro duobus annis.

Ecclesia de Peningham 10. marc.; de Carnemal 20. marc.; de Lengast 32. sol. 2. den.; de Crugelton 4. marc. Vicarius eiusdem 17. sol. 2. den. Vicarius de Awengalteway 2. marc. De bonis pertinentibus ad Prioratum Candidecase 24. lib. 9. sol. 6. denar.

In Decanatu de Remes pro duobus annis.

Ecclesia de Insula 12. marc.: de Kirkemethen 5. marc.; de Tuskercon 32. sol.; de Leswalt 3. marc.; de Kyrcu 8. marc.; de Stanac 20. sol.; de Clotfent 3. marc. De bonis spectantibus ad Monasterium de Sede Animarum 4. lib. 16. sol.

Summa omnium Decanatuum et particulariter prescriptorum per duos annos 209. lib. 12. s. 1. d.

¶ Solutio decime terre sancte in Episcopatu Moraviensi pro duobus terminis secundi anni.

Dominus Episcopus 100. marc. 6. sol. 8. den. Item de alteragio de Elgyn solvit idem Episcopus 10. sol. 8. den. Decanus Moraviensis 20. marc. 9. sol. 7. den. Prior de Pleshardyn 17. lib. 6. sol. 8. den.; de Wrhard 8. marc.; de Belloloco 38. sol. 8. den. item tantumdem pro secundo termino. Prebenda de Duppol 35. sol.; de Inuthoni 37. sol. 4. den. item tantumdem pro secundo termino; de Moy 8. sol. 9. den. Ecclesia de Spiny 19. sol. 8. denar. Vicarius eiusdem 16. sol. Ecclesia de Lundethy 20. sol. Vicarius de Durres 24. sol.; de Conevay 9. sol. 4. den.; de Aberitacy 9. sol. 4. d.; de Alweth in Scrospe 11. sol. 9. denar. Ecclesie de Petyn et de Brantheli.... Vicarius de Petyn 20. s.; de Branthely 20. sol.; de Dunburg 1. marc.; de Ryni 8. sol. 8. den. Ecclesia 16. sol. 3. denar.; de Duff 2. marc. Ecclesia de Duffis 6. m. Capella eiusdem ecclesie 16. sol. Vicarius de Invernis 4. m.; de Wardlau 9. sol. 4. den. Ecclesia de Glas 14. s. 1. den. cum Vicario. Item 14. sol. 1. den. pro secundo termino. Subdecanus 6. marc. 5. sol. 4. d. Vicarius de Daltres 15. sol. 4. den. Ecclesia de Althir 13. sol. 3. den.; de Logykenni 15. sol.; de Inveralyan 15. sol.; de Abernithi 17. sol. 4. den.; de Artildol 15. sol. 4. den.; de Ewen 38. sol. 8. den.; de Deweth 32. sol. De terra eiusdem ecclesie et de dimid. marcam; de Inverlothin 20. den. Item 16. den. pro secundo termino.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXI.

CCLXV.

Iudicibus, ut de electione praesulis Lechlinensis inquirant, eamque, si canonice facta fuerit, confirment. Reg. An. I. ep. 3.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Clonfertensi, et dilectis filiis ... Priori Predicatorum et Guardiano Minorum fratrum ordinum Dublinensium, salutem etc. Ex parte dilectorum filiorum ... Decani et Capituli ecclesie Lechlinensis fuit expositum coram nobis, quod eadem ecclesia Lechlinensi olim per mortem bone memorie T. Episcopi Lechlinensis pastoris regimine destituta, iidem Decanus et Capitulum, die ad eligendum prefixa, prout moris est, convenientes in unum, vocatis et presentibus omnibus, qui debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode interesse, spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium Magistrum N. Archidiaconum Lechlinensem, virum scientia preditum, vite ac conversationis honeste, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in suum et eiusdem ecclesie Lechlinensis Episcopum et pastorem canonice ac concorditer elegerunt. Cumque Dublinensis ecclesia, cui prefata ecclesia Lechlinensis metropolitico iure subesse dinoscitur, pastore, sicut dicitur, vacet ad presens, ac sancte Trinitatis et sancti Patricii ecclesiarum de Dublino Capitula, sive Canonici inter se invicem super iure electionis et metropolitico ipsius Dublinensis ecclesie non modicum dissentiant et discordent, dicti Decanus et Capitulum Lechlinenses super electione sua de dicto Archidiacono in eorum ecclesia celebrata recursum ad sedem apostolicam habuerunt, electionem eandem confirmari per sedem ipsam instanter et suppliciter postulantes, presertim cum, sicut asserunt, electus ipse propter viarum timenda discrimina sedem eandem personaliter adire nequiverit, confirmationis sue beneficium petiturus. Cum autem nobis apud sedem predictam de meritis electi, et electionis huiusmodi plene liquere non potuerit, predictorum Decani et Capituli supplicationibus inclinati, discretioni vestre, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita de modo electionis, eligentium studiis, et electi meritis diligentius veritate, si electionem ipsam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, eandem auctoritate nostra confirmantes, ac ipsum electum in possessionem bonorum ipsius Episcopatus inducentes, faciatis eidem munus consecrationis impendi, sibique a personis et subditis ipsius ecclesie Lechlinensis obedientiam et reverentiam exhiberi, Contradictores etc. Non obstante indulgentia sedis eiusdem, per quam fratribus vestrorum ordinum, filii Prior et Guardiane, dicitur esse concessum, quod de negotiis, que ipsis a sede apostolica committuntur, se intromittere minime teneantur. Alioquin eadem electione rite cassata, faciatis ipsi ecclesie Lechlinensi per electionem vel postulationem canonicam de pastore ydoneo provideri. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu, frater Episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Nolumus tamen, quod per commissionem huiusmodi factam vobis hac vice aliquod ecclesie vel Archiepo Dublinensi, qui pro tempore fuerit, sive alicui persone in posterum preiudicium generetur. Dat. Viterbii IIII. Kal. Octobris, anno I.

CCLXVI.

Episcopo Cluanfertensi, ut duobus clericis, qui cum eo in negotio decimae crucis laborant, de beneficiis provideat. Reg. An. I. epist. 129.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratri Iohanni Episcopo Cluanfertensi, apostolice sedis nuntio in Ibernia, salutem etc. Cum tibi negotium collectionis decime concesse Terre sancte subsidio a sede apostolica sit commissum, nos congruum extimantes, ut clerici tecum in eodem negotio laborantes per sedem ipsam remunerationem aliquam ex labore huiusmodi consequantur, faciendi recipi auctoritate nostra duos ex predictis clericis in duabus ecclesiis tue civitatis et diocesis, ita quod in una earum unus ipsorum tantummodo admittatur, in Canonicos et in fratres, et providendi eis de prebendis, si in ecclesiis ipsis vacant ad presens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, nec non et[iam] contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, Non obstantibus de certo Canonicorum numero, vel quolibet alio statuto vel consuetudine ipsarum ecclesiarum contrariis iuramento, confirmatione sedis apostolice, seu quacumque firmitate alia roboratis, aut si pro aliis apostolica scripta in eisdem ecclesiis specialiter, vel in illis partibus generaliter sint directa, quibus nolumus per hoc preiudicium generari, sive in aliquibus a sede predicta indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, quodque ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, seu quod de prebendis et beneficiis ad eorum collationem spectantibus nequeat alicui provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, sive qualibet dicte sedis indulgentia cuiuscumque tenoris existat, per quam effectus huiusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris specialis mentio sit habenda, plenam et liberam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Dat. Viterbii Idibus Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

CCLXVII.

Eidem, ut percussores clericorum absolvere possit. Reg. An. I. ep. 131.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Cluanfertensi, salutem etc. Ut eo libentius executioni negotii collectionis decime tibi commissi ab apostolica sede insistas, quo potioribus gratiis per sedem ipsam te senseris honorari, absolvendi hac vice decem clericos vel laicos de Ybernia, qui violenta iniectione manuum in clericos, vel personas ecclesiasticas in canonem inciderunt sententie promulgate, ab huiusmodi excommunicationum sententiis iuxta formam ecclesie vice nostra, iniuncta eis penitentia salutari, dummodo passis iniuriam satisfaciant competenter, et eorum non sit adeo gravis et enormis excessus, quod propter hoc sint ad sedem destinandi predictam, fraternitati tue liberam concedimus auctoritate presentium potestatem. Datum ut supra.

EPISTOLAE NICOLAI PP. III.

CCLXVIII.

Ioannes de Derlinton ord. Praed. electus Dublinensis, reiecto Fremundo (alias Fromundo) dicto Lebrun, confirmatur. Reg. An. II. ep. 38.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio fratri Iohanni de Derlinthona Electo Dublinensi, salut. etc. De variis innumerisque negotiis iugiter emergentibus ex multarum inopinabilium diversitate causarum continua reddimur attentione solliciti, et profundis circa illa vigiliis excitamur, ne desit apostolice sollicitudinis studium, ubi pastorale tenemur iniunctum nobis officium exercere: sed in eo potissimum studiorum nostrorum sedulitas officiosa versatur, ut ad curam ecclesiarum omnium, quarum licet immeriti regimini presidemus, et earum maxime, quas viduitatis incommoda deplorare conspicimus, oportunam sollertiam et sollertem diligentiam impendentes, studeamus eis preficere viros ydoneos in pastores.

Sane quondam Fulcone Archiepo Dublinensi viam universe carnis ingresso, dilecti filii ... Prior et Conventus S. Trinitatis Dublinensis Fremundum dictum Lebrun, et dilecti filii ... Decanus et Capitulum ecclesie S. Patricii Dublinensis, hinc inde se requirentibus, et ad electionem vocantibus alternatim Magistrum Guillermum de Corneria, Capellanos nostros, in Dublinensem Archiepiscopum elegerunt. Porro huiusmodi electionum negotio ad sedem apostolicam deducto, felicis record. Gregorius papa X., predecessor noster, bone memorie S. tituli s. Martini presbiterum Cardinalem deputavit in ipso negotio partibus auditorem: coram quo procuratoribus partium constitutis, pro parte dictorum Prioris et Conventus dicti Fremundi, et pro parte Decani et Capituli predictorum eiusdem Guillermi electiones confirmari, ac infirmari mutuo suis modis seu formis cum instantia petebantur, et libellis exhibitis, lis super illis extitit contestata. Et tandem prestito a partibus iuramento de veritate dicenda, factis positionibus et responsionibus subsecutis, datis etiam articulis, receptis testibus et attestationibus super eis hinc et inde, ac postmodum publicatis, et in causa ipsa concluso, ac dicto Cardinali, sicuti domino placuit, expirante, et postmodum dilecto filio nostro Matheo s. Marie in Porticu diacono Cardinali auditore a pie memorie Iohanne papa XXI., predecessore nostro, in ipso negotio deputato, compertum extitit, quod dictus Guillermus resignaverat omne ius, quod sibi ex electione huiusmodi competebat, et quod dictus Fremundus tempore dicte electionis, de ipso taliter facte, Archidiaconatum Waterfordensem, et de Oranlye, de Lavinton et de Arclo Wintoniensis, Saresburiensis et Dublinensis diocesum ecclesias curam animarum habentes obtinebat, super quibus parte adversa, negante cum eodem Fremundo fuisse legitime dispensatum, quedam littera signata sigillo Venerabilis fratris nostri Epi Drumorensis extitit coram predicto Cardinali Matheo, in qua fatebatur Episcopus ipse, vidisse ac inspexisse litteras fel. record. Innocentii pape IIII., predecessoris nostri, certi tenoris dispensationem huiusmodi continentes, videlicet quod idem Fremundus, tunc Rector eiusdem ecclesie de Carle, preter ipsam ecclesiam de Carle, quam se canonice proponebat adeptum, aliud beneficium, etiam si curam haberet animarum, posset libere percipere, si sibi canonice offerretur, et una cum predicta ecclesia de Carle licite retinere, constitutione contraria non obstante.

Et licet procurator substitutus a predicto procuratore predictorum Decani et Capituli, qui litem in causa ipsa fuerat contestatus, et iam viam universe carnis ingressus, tenorem ipsum absque deliberatione plena dixerit se credere verum esse: tamen sequenti tunc die, cum in prima Auditoris copiam habere non posset, dictum huiusmodi, prout sibi licere de iure dicebat, necdum finito, sed pendente negotio revocavit, nec de illa dispensatione fuit nobis alia facta fides. Cumque postmodum quedam

alie littere ipsius predecessoris Innocentii, per quas eidem Fremundo concedabatur, ut preter duo beneficia curam animarum habentia, que obtinebat, unum beneficium, personatum seu dignitatem similem curam habentem, si sibi canonice offerretur, recipere libere ac retinere licite posset, constitutione sacri concilii non obstante. Et nichilominus alie littere pie mem. Urbani pape, predecessoris nostri, in quibus continebatur, quod idem Fremundus Archidiaconus Waterfordensis preter Archidiaconatum Waterfordensem et alia beneficia, que obtinebat, quamvis curam animarum habentia, adhuc unum vel plura beneficia, etiamsi similem animarum curam haberent, et eo resignante Archidiaconatum ipsum, unum alium personatum vel dignitatem loco eius usque ad summam septuaginta marcarum sterlingorum secundum communem extimationem valentia, dummodo sibi canonice offerrentur, recipere libere posset et cum prioribus licite retinere, constitutione generalis concilii non obstante, dicto Cardinali Matheo presentate fuissent: quia super hiis discussione habita diligenti, per easdem litteras ipsius predecessoris Innocentii clare constabat, cum eodem Fremundo de Archidiaconatu et tribus ecclesiis predictis recipiendis et ritinendis insimul non fuisse legitime dispensatum, cum etsi tenor literarum ipsarum dicti predecessoris Innocentii tria beneficia in dispensando videretur innectere, quartum tamen beneficium nullatenus includebat, et sicuti in eisdem litteris dicti Urbani predecessoris narrabatur, dispensatio ipsa non concessa simpliciter, sed sub certa conditione vel modo extiterat, videlicet si unum vel plura beneficia, que preter Archidiaconatum Waterfordensem et alia beneficia, que obtinebat quamvis curam animarum habentia, que idem Fremundus ex serie dispensationis ipsius videbatur posse recipere et cum obtentis licite retinere, certi valoris existerent, et ei canonice offerrentur: et constaret in iudicio contra dictum Fremundum de eo, quod erat illicitum, scilicet predictorum Archidiaconatus et trium ecclesiarum cum cura per eum dampnata sine dispensatione retentio, nec appareret de taxato valore huiusmodi beneficii, ad quod tantum se ipsius dispensationis certa determinatio referebat, cuius beneficii valorem determinationem dictarum litterarum predicti predecessoris Urbani pars adversa in iudicio asserebat excedere: nec a parte dicti Fremundi probaretur beneficium ipsum determinati sibi valoris existere, vel valorem ipsum infra determinationem huiusmodi comprehendi, ad cuius valoris probationem eundem Fremundum, ut eius retentio esset licita, iuris necessitas adigebat, et insuper deficiente prima dispensatione, que proponebatur non probari legitime, sequentes due propter hoc etiam reddi viderentur invallide, cum earum vigor dependeret a prima.

Nos hiis et ea contingentibus diligenter inspectis, electionem ipsam de dicto Fremundo, ut predicitur, factam, ne apud nos in derogationem sacrorum canonum esse persone videretur acceptio, de fratrum nostrorum consilio iustitia exigente cassantes, cassam et irritam nuntiantes, provisionem eiusdem Dublinensis ecclesie nobis ea vice duximus reservandam, ac decrevimus irritum et inane, si secus a quoquam contingeret attemptari. Et demum paterna volentes sollicitudine precavere, ne ipsa Dublinensis ecclesia dispendia prolixioris vacationis incurrat, et ad personam tuam, quam odor fame nobis reddit acceptam, cum habearis vir vite laudabilis, litterarum scientia preditus, discretionis maturitate conspicuus, preclarus meritis, et alias in spiritualibus et temporalibus circumspectus, nostre considerationis aciem extendentes, sperantes quoque, quod eandem ecclesiam salubri, dante domino, regimine gubernabis, ipsaque utilis presidio munita pastoris optatis affluet incrementis, te fratrem ordinis Predicatorum, licet absentem, predicte Dublinensi ecclesie de fratrum eorundem consilio, et apostolice plenitudine potestatis in Archiepiscopum preficimus et pastorem, tibi administrationem eiusdem ecclesie spiritualiter et temporaliter plenarie committentes. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino devote suscipiens, sic curam et administrationem prefate Dublinensis ecclesie diligenter gerere studeas, et salubriter ac utiliter prosequaris, quod ipsa sub tua vigilantia votivis amplietur commodis, et in omnibus divina cooperante clementia prospere dirigatur, tuque nostram et dicte sedis gratiam exinde tanquam benedictionis et obedientie filius uberius consequi merearis. Dat. Rome apud S. Petrum sexto Idus Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. ... Priori et Conventui S. Trinitatis, ... Decano et Capitulo S. Patricii, (clero et) populo civitatis et diocesis Dublinensis, Suffraganeis ecclesie Dublinensis, et ... Regi Anglie Illustri.

CCLXIX.

Constitutio facta super electione archiepi Dublinensis facienda inter capitula s. Trinitatis et s. Patricii ecclesiarum Dublinensium. Reg. An. II. ep. 81.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei geste memoriam. Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instantia, ut sollicitudinis debitum, ad quod universis ecclesiis obligamur, iugo apostolice servitutis circa earum singulas exolvamus, in eo potissime, ut ea per nostre providentie studium subducantur, que tempore vacationis ipsarum inter earum personas materiam dissentionis ingererent, et per consequens possent eisdem ecclesiis dispendia irrogare.

Circa hec itaque sedulo cogitantes, ad S. Trinitatis et S. Patricii ecclesiarum Dublinensium statum, quam a longis retro temporibus dispendiosis litigiorum anfractibus fluctuasse percepimus, nos ipsos abtraximus, et ad easdem ecclesias debite compassionis animum convertentes, libenter remedia oportuna perquirimus, quibus super hiis salubriter, dante domino, consulatur. Sane contigit hactenus, et contigit interdum, quod ... Priore et Conventu S. Trinitatis parte una ac ... Decano et Capitulo S. Patricii ecclesiarum predictarum ex parte altera super iure electionis de Archiepiscopo Dublinensi, que occurrit

pro tempore celebranda, litigantibus invicem pro eo, quod idem Prior et Conventus predictam Sancte Trinitatis solam, et dicti Decanus et Capitulum eandem S. Trinitatis et prefatam S. Patricii ecclesias asserunt cathedrales: unde provenit, quod cathedralis earum quelibet nominatur, occasione dissentionum huiusmodi electiones frequenter impediantur ibidem, et earum expeditiones frequentius differuntur: nec per hoc articulus iuris huiusmodi terminatur, cum ad illum finem in electionum expeditionibus non agatur.

Et licet accepimus, quod dudum tempore felicis recordationis Innocentii pape tertii, predecessoris nostri, per obitum quondam I. Archiepiscopi Dublinensis ecclesia Dublinensi vacante, S. Trinitatis et S. Patricii Dublinensis capitula, convenientibus eorum votis in unum, quondam H. tunc Archidiaconum Staffordensem insimul elegerunt sibi concorditer et canonice in pastorem: quodque idem predecessor cum depositionibus eorumdem et quorundam Episcoporum testimonialibus litteris, ac decreto electionis subscriptionibus predictorum Conventus et Capituli roborato exhibitis coram eo, intellexerit electionem eandem ab eis insimul canonice celebratam, eam duxit auctoritate apostolica confirmandam, mandans nichilominus eisdem Conventui et Capitulo communiter, ut eidem obedientiam et reverentiam debitam impendentes mandatis ipsius efficaciter obedirent.

Postmodum quoque inter Priorem et Conventum eosdem ex parte una, et Decanum et Capitulum predictos ex altera super iure predicto orta materia questionis, demum bone memorie Lucas Archiepiscopus Dublinensis, cuius ordinationi partes se [super se] super hoc certa pena submittere curaverunt, ratione huiusmodi submissionis dicitur ordinasse, quod sede Dublinensi vacante predicti Prior, Conventus, Decanus et Capitulum in prefata ecclesia S. Trinitatis conveniant, ibidem convenienter et canonice ad electionem procedant Archiepiscopi Dublinensis. Postmodum autem cum proximo ex tunc contingit memoratam sedem vacare, prefati Prior, Conventus, Decanns et Capitulum in dicta ecclesia S. Trinitatis die ad eligendum prefixa convenientes in unum, quondam Radulfum de Norvico, Canonicum ecclesie S. Patricii Dublinensis, in Dublinensem Archiepum communiter elegerunt, ac solempnes nuntios ad sedem apostolicam destinantes, a felicis recordationis Alexandro papa, predecessore nostro, suppliciter per eosdem nuntios petierunt, ut electionem huiusmodi confirmaret: idemque predecessor, quamquam electionem eandem, quia ex certis causis eam invenit minus canonice celebratam, de fratrum suorum consilio iustitia cassavit exigente, proficiendo bone memorie Fulconem de Sanforda, tunc Thesaurarium ecclesie sancti Pauli Londoniensis, Dublinensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem; in litteris tamen apostolicis, quas predecessor ipse Alexander Priori, Conventui, Decano et Capitulo supradictis communiter destinavit, ut eundem Fulconem Archiepum tamquam patrem et pastorem animarum (suarum) susciperent, sibique humiliter obedirent, in serie sue narrationis expressit, quod ad eosdem Priorem, Conventum, Decanum et Capitulum electio Dublinensis Archiepi pertinebat. Nuper etiam, dum ultimo prefata sedes vacaret, iidem Prior, Conventus, Decanus et Capitulum a carissimo in Christo filio nostro ... Rege Anglie Illustri, prout de consuetudine fore asseritur hactenus observatum, eligendi licentiam communiter petiisse dicantur, et etiam impetrasse, sicque prout legitime constitit in iudicio per ea, que fuerunt super electionibus inibi proximo preterito celebratis apud sedem actitata predictam, se requirentibus et ad electionem vocantibus alternatim de electione futuri Archiepiscopi Dubliensis, que imminebat tunc temporis facienda, certis modis et temporibus processerint: non tamen premissa sic plena probata fuerunt in iudicio, vel de ipsis et eorum singulis ad illum finem plene constitit coram nobis, quod huiusmodi dissentionis articulum possemus sententialiter terminare.

Sed nichilominus hiis et ea contingentibus paterna consideratione pensatis, et per ea, que super eisdem electionibus inibi celebratis ultimo actitata, et tractata sunt apud sedem eandem diebus istis preteritis, ac alias per verisimiles coniecturas de premissis informatione recepta, volentes indempnitati earundem S. Trinitatis et S. Patricii ecclesiarum in hac parte taliter precavere, quod occasione alicuius questionis, quam super predicto iure inter eosdem Priorem, Conventum, Decanum et Capitulum oriri, seu verti contingeret, ecclesie ipse vacationis non sustineant detrimenta, in premissis non iudicis, sed provisoris partem assumimus, et de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica ordinamus, ut quotiens predictam sedem Dublinensem vacare contigerit in futurum, predicti Prior et Conventus eosdem Decanum et Capitulum tali tempore vocent ad electionem huiusmodi celebrandam, sicque competentem terminum ad id prefigere studeant, quod predicti Decanus et Capitulum vocare valeant suos, quos de consuetudine, vel de iure vocare debuerint, et ex tunc in memorata ecclesia S. Trinitatis simul conveniant, ad inibi canonice atque communiter electionem Archiepi Dublinensis celebrent, et alia simul faciant, que ad electionem spectabunt eandem et ingruent facienda.

Volumus autem, quod per huiusmodi nostram ordinationem in favorem dumtaxat ipsarum ecclesiarum factam ad vacationum, ut premittitur, dispendia evitanda nullum iuri alterutrius partium quo ad petitorium, vel etiam possessorium, si super hoc in iudicio experiri voluerint, preiudicium generetur: sed predictam formam tamdiu volumus observari, quousque alterutram partium in possessorio vel petitorio contingat contra alteram sententialiter (sententiam) obtinere. Nulli ergo etc. nostre ordinationis etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Nonis Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCLXX.

Iudicibus, ut electum Cathanensem ad cessionem cogant. Reg. An. II. ep. 43.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Sancti Andree et ... Haberdonensi Episcopis, ac

dilecto filio ... Ministro provinciali ordinis fratrum Minorum in Scotia, salutem etc. Commissa nobis apostolatus cura requirit, ut more pastoris vigilis levemus in circuitu oculos nostros ad singula, que nostris incumbunt humeris, et quod gregi commisso nobis expediat, perquiramus, ne desit in aliquo studium apostolice servitutis, ubi specialiter agitur de substituendis pastoribus ecclesiis viduatis. Dudum siquidem, Cathanensi ecclesia pastoris solatio destituta, Capitulum ipsius ecclesie in electionis negotio delibarantes per viam procedere compromissi, compromiserunt in quosdam ex eis, qui consentientes in R. Decanum eiusdem ecclesie, ipsum in Cathanensem Episcopum concorditer elegerunt. Presentata itaque nobis electione huiusmodi, et dictis Capitulo per Henricum de Nottingan, procuratorem ad hoc constitutum, exhibentibus ipsius electionis decretum eiusdem Capituli et ipsius compromissi tenorem, ipsius Decani et Canonicorum ecclesie predicte sigillis munita, et plurium Episcoporum Scotie desiderantium, sicut asseritur, confirmationem electionis eiusdem testimoniales super meritis dicti Decani litteras, electionem quoque predictam petentibus confirmari, super electione ipsa examinatores dedimus iuxtam morem Romane ecclesie in talibus observatum: et tandem procurator ipse in nostra presentia constitutus confessus extitit, quod predictus Decanus habebat filium triginta annorum et amplius genitum de soluta, et quod alium habere, licet id ipse non crederet, dicebatur, asserens, quod predictus Decanus electioni de se facte consenserat, permittendo se ad altare predicte ecclesie more aliorum electorum sollempniter deportari cum decantatatione Te deum laudamus, ac recipiendo Canonicos predictos ad osculum, prout consueverunt recipi ab electis, et quod presens fuerat in ipso Capitulo, quando predictum Capitulum eidem procuratori mandatum exhibuit pro confirmatione huiusmodi postulanda, licet assertionem huiusmodi non probarit, et nichilominus aliquorum relatus adiecit, quod memoratus Decanus fuerit paralisis morbo percussus, estque confectus senio et debilitatus adeo, quod impotens existebat ad pastorale officium exequendum. Super hiis itaque cum fratribus nostris deliberatione habita diligenti, licet nonnullis videretur, quod ex eo potissime, quod idem Decanus a tempore presentate sibi electionis huiusmodi iuxta constitutionem Lugdunensis concilii non probatur infra mensem prestitisse consensum, quamquam dictus procurator prefati Capituli dixerit eundem Decanum infra dictum mensem eundem prestitisse consensum, quod tamen aliquatenus non probavit, predictum Decanum iure sibi ex huiusmodi electione quesitum eo ipso fore privatum, pro eo quoque, quod dictus Decanus per se vel per procuratorem infra trimestre tempus a tempore consensus prestiti iuxta constitutionem eandem petere confirmationem ipsius electionis omisit, eo ipso eius esset electio iuribus vacuata, et ex eo etiam, quod ex confessione predicti procuratoris de filio taliter procreato collegimus tamquam de persona inhabili celebrata, irrita nuntianda, tum non sequentes iuris rigorem, sed mansuetudinis et provisionis in hac parte gratie potius inherentes, per quam de sponso idoneo ecclesie provideretur eidem, et pudori dicti Decani sub honesto velamine parceretur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus ad notitiam dicti Decani premissa omnia provide deducentes, sano consilio suadeatis eidem, ut sibi et ipsi ecclesie compatiens renuntiet libere omni iuri, si quod fuisset ex electione prefata forsitan acquisitum, ut ex tunc Capitulum ipsum, prout alias ad ipsos pertinet, salubrius eidem ecclesie provideant de pastore. Alioquin de forma electionis, electi meritis, et de eo, quod de dictis filiis dicebatur, honestate vite et conversatione ipsius Decani, morbo, senio et debilitate, tempore, quo electioni consensit, et quod sibi extitit presentata, et an sciverit per Capitulum in Curia Romana electionis huiusmodi causa agi, aliisque pertinentibus ad predicta diligenter inquirentes, auctoritate nostra assignetis memorato electo terminum peremptorium, sicut expedire videritis, quod si non renuntiaverit, et sibi viderit expedire negotium electionis predicte prosequi, apostolice se conspectui personaliter representet, recepturus tam ex hiis, que sunt in ipsa Curia actitata, quam ex aliis, que ex inquisitione huiusmodi resultabunt, quod iustitia suadebit, et subiturus examinationem super litteratura, si fuerit examinationi subdendus, et per presentialem aspectum corporis super predictis morbo et senio se potentem et validum ostensurus: et predicatis eidem, quod sive venerit, sive non, ex tunc ad provisionem eiusdem ecclesie, prout nobis ex alto permissum extiterit, procedemus, ne tali pretextu ecclesia predicta cogatur diutine vacationis incommoda deplorare. Diem autem assignationis huiusmodi, eandem inquisitionem, et quidquid ex inquisitione inveneritis antedicta, et feceritis in premissis, nobis per vestras litteras harum serie continentes fideliter intimare curetis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum VII. Idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCLXXI.

Episcopo Cluanfertensi, ut archiep̄um Armachanum ob munus visitationis perperam peractum Romam citet. Reg. An. II. epist. 180.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri I. Ep̄o Cluamfortensi, sal. etc. Significavit nobis venerabilis frater noster ... Episcopus Dunensis, quod cum Venerabilis frater noster ... Armachanus Archiepiscopus loci metropolitanus suam provinciam visitans, postquam civitatem et diocesim Dunensem, ibidem officio visitationis impenso, exiverat, asserens, quod ipse de Villa Hay, de Castelberg et quasdam alias ecclesias dicte diocesis minime visitarat, quamvis ecclesie ipse non indigerent plus ceteris visitari, nec ad hoc ipsius Episcopi vel aliorum suffraganeorum suorum obtinuisset, nec etiam requisisset assensum, Angelum Clericum procuratorem suum ad eas-

dem ecclesias destinavit, qui auctoritate ac vice ipsius Archiepiscopi dictas ecclesias de facto, cum de iure nequiverit, visitavit, et a Rectoribus dictarum ecclesiarum quandam pecunie summam nomine procurationum, que ratione visitationis debentur, exigere ac extorquere presumpsit contra canonicas sanctiones in predicti Episcopi ac earundem ecclesiarum preiudicium et gravamen. Cumque idem Episcopus causas, que inter ipsum et dictum Archiepiscopum super hiis et aliis diversis articulis exorte fuerunt, ... Conerensi et ... Drumorensi Archidiaconis obtinuisset per apostolice sedis litteras sub certa forma committi: tandem causis huiusmodi ab audientia ipsius Archidiaconi Conerensis, qui solus, prout ex forma predictarum litterarum poterat, de causis cognoscebat eisdem, ad predictam sedem delatis, felicis recordationis Iohannes papa XXI., predecessor noster, post diversos auditores in supradictis causis, et Nos demum dilectum filium nostrum E. s. Georgii ad Velum aureum diaconum Cardinalem dedimus in causis ipsis partibus auditorem. Et licet per Lucam de Guarcino ipsius Epi, et quondam Walterum de Lufche dicti Archiepi procuratores in dictis causis coram eodem Cardinali aliquandiu processum extiterit, quia tamen eodem Waltero viam universe carnis ingresso, pro parte ipsius Archiepi coram eodem Cardinali nullus postmodum comparuit legitimus procurator, quamquam ex parte dicti Cardinalis in audientia publica pluries citatus fuerit, in causis prelibatis coram memorato Cardinali debitus non potuit haberi processus: quare dictus Epus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratum Archiepiscopum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra quatuor mensium spatium post citationem tuam per se, vel per procuratorem ydoneum cum omnibus actis, iuribus et monimentis suis predictas causas contingentibus apostolico se conspectui representet, facturus et recepturus super premissis, quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis huiusmodi et formam, et quidquid inde feceris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter studeas intimare. Datum Rome apud Sanctum Petrum vi. Kalend. Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCLXXII.

Ioanni electo Dublinensi conceditur, ut munus consecrationis ab archiepo Cantuariensi recipere possit. Reg. An. II. ep. 126.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Derlinton Electo Dublinensi, salutem etc. Ea, que iuste desideras, et ad tue consolationis cedunt solatium, quantum cum deo possumus, favorabiliter exaudimus. Tuis igitur supplicationibus inclinati, quod venerabilis frater noster... Archiepiscopus Cantuariensis, vel quivis alius Antistes catholicus gratiam et communionem apostolice sedis habens, ascitis secum duobus vel tribus Episcopis catholicis gratiam ac communionem apostolice sedis habentibus, quos duxeris nominandos, munus consecrationis tibi impendere valeant, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendis Iulii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCLXXIII.

Episcopo Londoniensi eiusque collegis, ut Ioanni electo Dublinensi, postquam consecratus fuerit, pallium tradant. Reg. An. II. ep. 127.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Londoniensi, ... Norwicensi et ... Wirgorniensi Episcopis, salutem etc. Cum dilectum filium I. de Derlinton Electum Dublinensem, in ordine sacerdotii constitutum, ecclesie Dublinensi tunc pastoris solatio destitute de fratrum nostrorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis in Archiepum prefecerimus et pastorem, sibique munus consecrationis mandaverimus exhiberi: Nos de industria dilectorum filiorum Magistrorum Stephani de Cendenore Rectoris ecclesie de Takele, et Ade de Novoburgo Clerici Lincolmensis et Conventrensis diocesum confisi palleum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ab eodem Electo cum instantia postulatum, de beati Petri corpore sumptum vobis per eosdem Rectorem et Clericum presentandum, ac per vos vel vestrum alterum dicto Electo tradendum providimus destinandum, ab eisdem Rectore et Clerico de prosequenda fideliter presentatione huiusmodi recepto nichilominus iuramento. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, palleo ipso recepto, illud eidem Electo, postquam extiterit consecratus, auctoritate nostra tradatis iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, recepturi ab eo postmodum nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramentum secundum formam, quam vobis sub eadem bulla providimus transmittendam. Formam autem iuramenti, quod ipsa prestabit, nobis de verbo ad verbum per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinetis. Dat. Duriani xii. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Dil. filiis Magistris Stephano de Cedonore(sic) Rectori ecclesie de Takele et Ade de Novoburgo Clerico Lincolmensis et Conventrensis diocesum. Cum dilectum filium I. de Derlinton Electum Dublinensem etc. ut supra usque exhiberi. Nos de industria vestra confisi palleum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, pro parte dicti Electi cum instantia postulatum, de corpore beati Petri sumptum per vos presentandum Venerabilibus fratribus nostris ... Londoniensi, ... Norvicensi et ... Wigorniensi Episcopis, ac per eos vel ipsorum alterum dicto Electo tradendum providimus destinandum, a vobis recepto de prosequenda fideliter presentatione huiusmodi iuramento. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta sub debito prestiti iuramenti mandamus, quatenus vos ad presentiam ipsorum Episcoporum personaliter conferentes huiusmodi palleum, sicut premittitur, dicto Electo tradendum fideliter

ipsis Episcopis presentetis. Volumus autem, quod si alterum vestrum medio tempore infirmari aut alias impediri, vel forte mori contingat, superstes nichilominus dictum palleum iuxta premissum modum presentet Episcopis memoratis. Quod si forte vos ambos, antequam presentatio huiusmodi fieret, de medio tolli contingat, providere curetis, ut palleum ipsum apud Cathedralem vel religiosam ecclesiam illius loci, ubi vos obire acciderit, fideliter deponatur eisdem Episcopis iuxta formam vobis traditam, quamcitius fieri poterit, presentandum. Dat. ut supra.

Forma tradendi palleum.

Ad honorem Dei omnipotentis, et beate Marie Virginis, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et domini pape Nicolai et Romane ecclesie, nec non ecclesie tibi commisse tradimus tibi palleum de corpore beati Petri sumptum, plenitudinis videlicet officii pontificalis insigne, ut utaris eo infra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimitur in privilegiis ab apostolica ei sede concessis.

CCLXXIV.

Episcopo Cloanfertensi, ut decanum et capitulum ecclesiae s. Patricii Dublinensis in causa electionis archiepiscopi Dublinensis Romam citet. Reg. An. II. epist. 179.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Cloamfertensi, salutem etc. Dudum bone memorie Fulcone Archiepiscopo Dublinensi nature debitum persolvente, dilecti filii ... Prior et Conventus sancte Trinitatis Fromundum dictum Lebrun, et dilecti filii ... Decanus et Capitulum sancti Patricii ecclesiarum Dublinensium Magistrum Guillielmum de Lacornere, Capellanos nostros, in Dublinensem Archiepiscopum elegerunt. Porro huiusmodi electionum negotio ad sedem apostolicam deducto, felicis recordationis Gregorius papa X., predecessor noster, bone memorie I. tituli sancti Martini presbiterum primo, et postmodum tam dicto predecessore, quam eodem Cardinali viam universe carnis ingressis, pie mem. Iohannes papa XXI., predecessor noster, dilectum filium nostrum M. sancte Marie in Porticu diaconum Cardinales dederunt in dicto negotio partibus auditores: et tandem cum predicte partes super electionibus ipsis ad invicem apud predictam sedem diutius litigassent, Nos ad vacationis diutine dispendia evitanda, cum per ea, que in huiusmodi causa acta fuerunt et probata, articulum dissensionis super iure eligendi, quod iidem Prior et Conventus ad se solum spectare, dictique Decanus et Capitulum huiusmodi electioni dicti Archiepiscopi una cum eisdem Priore et Conventu interesse communiter asserebant, non potuissemus plenius diffinire, volentes indempnitati earundem ecclesiarum taliter in hac parte precavere, quod occasione alicuius questionis, quam super predicto iure inter partes oriri seu verti contingeret, ecclesie ipse detrimenta vacationis minime sustinerent, in premissis partem non Iudicis, sed provisoris assumpsimus, et de fratrum nostrorum consilio ordinavimus, ut quotiens sedem Dublinensem vacare contigerit in futurum, predicti Prior et Conventus eosdem Decanum et Capitulum tali tempore vocarent ad electionem huiusmodi celebrandam, sicque competentem terminum ad id prefigere studerent, quod dicti Decanus et Capitulum vocare valerent suos, quos de consuetudine vel de iure vocare debuerint, et ex tunc in memorata ecclesia sancte Trinitatis insimul convenirent, ac inibi canonice atque communiter electionem Archiepiscopi Dublinensis celebrarent, et alia simul facerent, que ad electionem spectarent eandem et ingruerent facienda. Noluimus tamen, quod per huiusmodi nostram ordinationem in favorem dumtaxat ipsarum ecclesiarum factam ad vacationis, ut premittitur, dispendia evitanda nullum iuri alterutrius partium quo ad petitorium, vel etiam possessorium, si super hoc in iudicio experiri vellent, posset preiudicium generari: sed predictam formam voluimus tamdiu observari, quousque alterutram partium in possessorio vel petitorio contingeret contra alteram specialiter obtinere. Postmodum autem procuratore dictorum Prioris et Conventus, habente ab eis super hoc speciale mandatum, asserente, quod cum prefata ecclesia sancte Trinitatis Cathedralis dumtaxat existat, et ius eligendi Archiepiscopum Dublinensem, quotiens ipsam sedem Dublinensem vacare contingit, ad Priorem et Conventus prefatos solum et non ad alios pertineat; quodque predicti Prior et Conventus sint et fuerint in pacifica possessione vel quasi eligendi dictum Archiepiscopum a tempore, cuius memora non existit, et quod Decanus et Capitulum memorati, quominus dicti Prior et Conventus, prout ad eos pertinere proponunt, Archiepum Dublinensem, cum sedes ipsa vacat, libere eligere valeant per se ipsos contra iustitiam impedire presumunt: Nos in causa huiusmodi, quam iidem Prior et Conventus, prout dictus procurator eorum proposuit coram nobis, contra Decanum et Capitulum memoratos super hoc movere intendunt, eundem M. Cardinalem dedimus partibus auditorem. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus Decanum et Capitulum memoratos ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra quatuor menses post citationem tuam cum omnibus actibus, iuribus et munimentis suis causam ipsam contingentibus per se, vel per procuratorem ydoneum apostolico se conspectui representent, facturi et recepturi super hiis, quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis et formam, et quidquid inde feceris, nobis per tuas litteras harum serie continentes studeas fideliter intimare. Datum Viterbii ii. Non. Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCLXXV.

Nic. de Cusoach electus Darensis confirmatur. Reg. An. II. epist. 175.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Cusoach Electo Darensi, salut. etc. Rationis oculis intuentes commoda, que vacantibus ecclesiis de salubri provisione proveniunt, reddimur corde solliciti, ut circa provisionem huiusmodi faciendam fructuose attentionis studium habeatur. Olim siquidem Darensi ecclesia per mortem bone memor. Symonis Darensis

Episcopi destituta pastore, ac eiusdem ecclesie Canonicis, qui ad tractandum de futuri substitutione prelati convenerunt in unum, in diversos dividentibus vota sua, duas in ipsa ecclesia electiones, unam videlicet de dilecto filio Magistro Stephano Decano, et altera de Guillelmo eiusdem ecclesie Thesaurario, contigit ab ipsis Canonicis in discordia celebrari. Causa igitur predictarum electionum per appellationes partium ad sedem apostolicam devoluta, felicis recordationis Gregorius papa X., predecessor noster, in ea dilectum filium A. tituli sancte Praxedis presbiterum Cardinalem dedit eisdem partibus auditorem. Postmodum autem cum iam esset coram Cardinali predicto in causa prefata conclusum, memorato Thesaurario ius, si quod ex prefata electione facta de ipso competebat eidem, sponte per suas patentes litteras resignante, demum predictus Decanus constitutus personaliter coram nobis, omni iuri libere ac sponte cessit, quod sibi ex predicta electione celebrata de ipso forsan fuerat acquisitum. Nos itaque de ipsius ecclesie ordinatione, que diu vacationis incommoda est perpessa, ne prolixioris vacationis dispendiis exposita remaneret, solerti diligentia cogitantes, ac ei de tali persona providere volentes, cuius studio et providentia dicta ecclesia possit salubriter gubernari, nostre considerationis intuitum in te fratrum Minorum ordinis professorem duximus convertendum, teque, cui clara morum, vite ac scientie merita, prudentia spiritualium et temporalium providentia suffragari dicuntur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis ecclesie predicte prefecimus in Episcopum et pastorem, firma concepta fiducia, quod eadem ecclesia, deo auctore, per tuum ministerium preservabitur a noxiis, et gratis spiritualiter et temporaliter proficiet incrementis. Tolle igitur iugum domini tam leve collis humilibus, quam suave, et in dilectione dei pascendum suscipe gregem eius, super quem noctis vigilias diligens sollicitusque custodi, ut liber non pateat aditus invasori, et dominus insuspicabili hora venturus, si te invenerit sic agentem, cursu consumato, qui tuo labori proponitur, et horum fide servata, que tue sollicitudini committuntur, te fidelem compertum in modico supra multa constituat, et in dilecta gaudiorum suorum tabernacula introducat. Datum Rome apud S. Petrum v. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Decano et Capitulo ecclesie Darensis, clero et populo civitatis et diocesis Darensis, et ... Regi Anglie Illustri.

Ista Bulla iterum expedita fuit idibus Maii anno tertio. Reg. Tom. I. ep. 43. fol. 249.

CCLXXVI.

Willelmus electus S. Andreae confirmatur. Reg. An. III. fol. 251.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo Episcopo Sancti Andree in Scotia, salut. etc. Onerosa pastoris officii summi dispositione pastoris, qui pro suis ovibus animam posuit, nobis, licet insufficientibus meritis, cura commissa sollicita nos pulsat instantia, ut inter cetera, que undique negotia confluunt, quibusve noster animus redditur multiplici varietate distractus, ad provisionem ecclesiarum vacantium sollicitius intendamus, ne ipsis pastorum presidiis destitutis, ambulantis in circuitu lupi rapacis astutia earum oves rapiat et dispergat, ne manus avida eorum bona diripiat, ne iura presumptuosus usurpet. Ideoque solliciti reddimur, ut eedem ecclesie (a) pastoribus dirigantur ydoneis, et Rectoribus providis gubernentur. Sane ecclesia S. Andree in Scotia pastoralis solatio destituta, dilecti filii ... Prior et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, convenientes in unum communi deliberavere consensu per viam procedere compromissi ad provisionem de pastore ipsi ecclesie faciendam. Sicque predicti Capitulum eidem Priori et Ranulpho Superiori, Andree et Alexandro de Hadington, Guillielmo de Claty, Heruco de Kinros, Thome de Wedal, Ade de Karal Canonicis dicte ecclesie, necnon Magistro Gregorio Archidiacono Sancti Andree providendi per electionem canonicam ipsi ecclesie de persona ydonea in Sancti Andree Episcopum assumenda concesserunt concorditer liberam potestatem: qui, super hoc inter se tractatu habito diligenti, spiritus sancti gratia invocata, in te tunc Decanum Glasguensem, virum utique, prout testimonio fidedignorum accepimus, probate vite, magne scientie, ac circumspectionis experte unanimiter consenserunt, dictusque Prior de mandato collegarum suorum tam vice sua et ipsorum collegarum, quam Capituli predictorum canonice te elegit in S. Andree Epum et pastorem. Huiusmodi autem electione sollempniter publicata, tu ad Capituli eorumdem instantiam eidem electioni tuum prestitisti consensum, ac postmodum dicti Prior et Capitulum facientes nobis decretum electionis huiusmodi per suos ydoneos procuratores et nuntios ad hoc destinatos specialiter presentari, a nobis per ipsos, ut electionem confirmaremus eandem, suppliciter petierunt. Nos igitur personam tuam, et ipsius electionis processum, prout moris est, per Venerabilem fratrem O. Tusculanum Epum, et dilectos filios nostros G. Basilice XII. Apostolorum presbiterum et I. s. Marie in Cosmedin diaconum Cardinales, quibus hoc duximus committendum, examinari fecimus diligenter: et tandem facta nobis super hiis per eosdem Cardinales relatione fideli, electionem predictam, quia eam invenimus de persona ydonee canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmantes, te ipsi ecclesie prefecimus in Episcopum et pastorem, tibique munus consecrationis nostris manibus duximus impendendum, firmam spem fiduciamque tenentes, quod predicta ecclesia per tue diligentie studium tam circa spiritualia quam temporalia salubribus, deo propitio, proficiat incrementis. Tolle igitur iugum domini tam leve collis humilibus quam suave, et in caritate dei pascendum suscipe gregem eius, super quem noctis vigilias diligens sollicitusque custodi, ut liber invadendi aditus non pateat

invasori. Beatus siquidem eris, si dominus insuspicabili hora venturus te invenerit sic agentem, quia cursu consumato, qui tuo labori proponitur, et horum fide servata, que tue sollicitudini committuntur, te immarcessibili corona iustitie decorabit. Datum Rome apud Sanctum Petrum XII. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. ... Priori et Capitulo ecclesie Sancti Andree in Scotia ordinis sancti Augustini, Clero et populo civitatis et diocesis et universis Vassallis ecclesie Sancti Andree in Scotia, et ... Regi Scotie Illustri. Onerosa etc. quatenus dictum Episcopum ac prefatam ecclesiam sibi commissam habeas commendatos etc. Datum ut supra.

EPISTOLAE MARTINI PP. IV.

CCLXXVII.

Iudicibus, ut cum Hugone de Aberaithin Dumblanensis dioec. eiusque uxore super matrimonio dispensent. Reg. An. I. ep. 6.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Dumblanensi et ... Ergadiensi Episcopis, sal. etc. Lecta nobis dilecti filii nobilis viri Hugonis de Abirnithin Dumblanensis diocesis petitio continebat, quod ipse olim ignarus, quod quarto consanguinitatis gradu dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie uxori sue attineret, matrimonium publice in facie ecclesie cum ipsa contraxit, et inter eos carnali copula subsecuta ex eadem plures filios procreavit. Quare dictus nobilis remorsum conscientie inde habens, super hoc apostolice sedis misericordiam imploravit, et asserens, quod ex separatione huiusmodi matrimonii, si fieret, multorum strages accideret, ac scandala plurima provenirent, humiliter petebat a nobis, ut nos animarum corporumque periculis occurrentes cum Hugone ac Maria predictis, quod huiusmodi consanguinitatis gradu non obstante, in matrimonio ipso licite remanere valeant, dispensare misericorditer curaremus. Quia vero vos de facto et facti circumstantiis habere poteritis notitiam pleniorem, fraternitati vestre presentium tenore committimus, quatenus, si premissa vera sunt, et timeri possit de periculis, que narrantur, vosque id secundum deum expedire videritis, super quibus omnibus vestras intendimus conscientias onerare, cum eisdem Hugone ac Maria super premissis auctoritate nostra dispensare curetis, prolem ex eis susceptam legitimam reputantes, prout animarum suarum saluti videritis expediri. Datum apud Urbemveterem Nonis Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

CCLXXVIII.

Archiepo Dublinensi eiusque collegae, ut si opus fuerit, praelatos et clericos Angliae ad solvendam crucis decimam censuris ecclesiasticis compellant. Reg. An. I. epist. 29.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Ioh. Archiepiscopo Dublinensi, et dilecto filio Magistro Arditioni Primicerio Mediolanensi, Capellano nostro, Collectoribus decime terre sancte in Regno Anglie a sede apostolica deputatis, salutem etc. Significasti nobis, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, Abbates quoque, Capitula, Priores, Prelati, Rectores et alii Clerici ecclesiarum illarum partium, in quibus ministerium collectionis decime est vobis ab apostolica sede commissum, pro eo quod decimam proventuum ecclesiasticorum vel nullo modo, vel scienter non integre, aut non in constitutis super hoc in Lugdunensi concilio terminis solvunt, vel fraudem adhibent in solutione huiusmodi, seu alias impedimentum prestant, quominus solvatur decima supradicta, plerumque latam in Lugdunensi concilio in casibus huiusmodi sententiam excomunicationis incurrunt: quare a nobis petivistis humiliter doceri, qualiter debeatis procedere in premissis. Nos autem vobis duximus respondendum, ut eos ex predictis Prelatis, Rectoribus et Clericis, quos vobis constitit dictam sententiam incurrisse, vos vel alter vestrum per vos, vel per alium seu alios moneatis, ut infra certum terminum prefigendum a vobis huiusmodi decimam solvant integre, et de impedimento prestito satisfaciatur competenter, eis post solutionem et satisfactionem huiusmodi iuxta formam ecclesie absolutionis beneficium impensuri, et dispensaturi cum eis super irregularitate, si quam contraxerint sic ligati se divinis officiis immiscendo. Si vero iidem infra idem tempus non curaverint super hoc vestre monitioni parere, vos ipsos ex tunc peremptorie citare curetis, ut infra tres menses post citationem vestram per se vel per procuratores ydoneos compareant coram nobis, nostris in hac parte beneplacitis pariturі. Diem vero citationis et formam, et quidquid inde super hiis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum serie continentes studeatis fideliter intimare. Datum apud Urbemveterem Id. Octobris, Pont. nostri anno primo.

Eisdem. Significastis, quod Prelati Regni Anglie super solutione viam, quam elegerunt, non observant etc. ut super hoc servetis articulum memoratum.

CCLXXIX.

Magister Gifredus de Vezano omnium terrae sanctae debitorum receptor in partibus Angliae, Walliae, Scotiae et Hiberniae, exceptis decimis, constituitur. Reg. An. I. ep. 145.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Gifredo de Vezano, Canonico Cameracensi, Camere nostre clerico, apostolice sedis nuntio, salutem etc. De tue circumspectionis industria sinceram in domino fiduciam obtinentes, discretioni tue exigendi ac recipiendi per te, vel per alium seu alios nomine terre sancte in partibus Anglie, Wallie, Scotie et Ybernie ea omnia, que eidem terre sancte ex voto seu promisso, aut redemptionibus votorum tam crucesignatorum, quam aliorum, vel depositis seu testamentis, sive alias quacunque ratione, modo vel causa [eidem terre sancte] a quibuscunque personis debentur, exceptis decimis in eiusdem terre sancte subsidium deputatis, quorum collectio certis personis ab eadem sede specialiter est commissa, necnon et compellendi debitores et detentores huiusmodi ad solutionem predictorum omnium faciendam, postquam tibi vel eis, quibus super hiis commiseris vices tuas, de hoc per inquisitionem vel alio modo constiterit, eosque, qui pro huiusmodi debitis non solutis excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias incurrerint, a prefatis sententiis, postquam de hiis tibi satisfactum fuerit, absolvendi, ac dispensandi cum clericis super irregularitate, quam huiusmodi ligati sententiis celebrando divina officia seu immiscendo se illis forte contraxerint, et faciendi etiam super hoc litteras absolutionis et dispensationis illis, qui debita ipsa persolverunt, Contradictores quoque, cuiuscunque conditionis, dignitatis aut ordinis fuerint, appellatione postposita, per censuram ecclesiasticam compescendi, liberam auctoritate presentium concedimus facultatem, Non obstantibus, si personis aliquibus ab eadem sede indultum existat, quod per litteras sedis ipsius excommunicari vel interdici nequeant vel suspendi, et quibuscunque indulgentiis vel privilegiis, per que mandati nostri executio in hac parte impediri valeat, vel etiam retardari, et de quibus plenam etc. usque fieri mentionem, seu quibuscunque litteris apostolicis super exigendis et recipiendis eisdem debitis alii vel aliis destinatis, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Volumus autem, ut quecunque ex premissis recipere te contingat, illa sub testimonio fidedignarum personarum deponas in aliquibus tutis locis, et patentes litteras que et quanta et a quibus, quando et quare ipsa receperis continentes facias fieri, ac tuo et illarum personarum, sub quarum testimonio illa deposueris, sigillis muniri, quarum similes eisdem sigillis munitas nobis mittere non postponas. Datum apud Urbemveterem Nonis Martii, Pont. nostri anno primo.

CCLXXX.

Archiepus Dublinensis ab officio collectoris decimae terrae sanctae absolvitur, et licentia ad suam ecclesiam eundi datur. Reg. An. III. ep. 75.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Diligentis sollicitudinis studium, quod circa ea, que tibi a sede apostolica committuntur, fideliter adhibere dinosceris, promeretur, ut in petitionibus tuis, quas eidem sedi pro tempore porrigis, eam et favorabilem sentias et invenias gratiosam. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod cum olim Dublinensis ecclesia per novem annos et amplius viduitatis incommoda pertulisset, tandem sedis memorate benignitas de te duxit eidem ecclesie providendum. Sed quia, priusquam de te huiusmodi provisio (fieret), collectio decime terre sancte in Regno Anglie deputate subsidio tibi fuerat ab eadem sede commissa, nequivisti propter huiusmodi exercende collectionis officium ad predictam ecclesiam postmodum te conferre, propter quod memorata ecclesia occasione huiusmodi tue absentie in spiritualibus et temporalibus dampna non modica noscitur incurrisse. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum de pecunia decime supradicte a te dudum collecta plenam et debitam ad sedem ipsam in scriptis sub tuo et aliorum sigillis miseris rationem, te ab eiusdem onere collectionis absolvere, et ad predictam ecclesiam accedendi, cum tua noscatur quamplurimum indigere presentia, licentiam tibi concedere dignaremur. Tuis itaque supplicationibus inclinati, et attendentes benignius, quod in eiusdem collectionis officio, prout a fide dignis asseritur, prudenter et fideliter te gessisti, ac volentes ecclesie prefate profectibus utiliter providere, te auctoritate presentium ab onere predicte collectionis absolvimus, fraternitati tue postulatam licentiam concedentes. Dat. apud Urbemveterem v. Id. Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCLXXXI.

Magister Gilfredus camerarius archiepo Dublinensi in officio collectoris praedictae decimae substituitur. Reg. An. III. ep. 76.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Gilfredo Canonico Cameracensi, Camere nostre clerico, in Anglia commoranti, salutem etc. Exhibita nobis Venerabilis fratris nostri Iohannis Archiepiscopi Dublinensis petitio continebat, quod cum olim Dublinensis ecclesia per novem annos et amplius vacuisset, tandem ipsi ecclesie per apostolicam sedem provisum extitit de eodem. Sed quia, priusquam de ipso huiusmodi provisio fieret, collectio decime terre sancte in Regno Anglie deputate subsidio eidem Archiepiscopo fuerat a predicta sede commissa, nequivit ob ipsius exercende collectionis officium ad predictam ecclesiam postmodum se conferre, propter quod memorata ecclesia occasione huiusmodi sue absentie in spiritualibus et temporalibus dampna non modica noscitur incurrisse. Quare prefatus Archieps nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse de pecunia predicte decime ab eo dudum collecta plenam et debitam ad sedem ipsam in scriptis sub suo et aliorum sigillis miserit rationem, eum ab onere prefate collectionis absolvere, et ad predictam ecclesiam accedendi, cum ipsius presentia noscatur quamplurimum indigere, licentiam sibi concedere curaremus. Verum nos prefati Archiepiscopi sup-

plicationibus inclinati, ac attendentes benignius, quod ipse in suo officio supradicto, prout a fidedignis asseritur, se gerere studuit fideliter et prudenter, ac volentes ecclesie supradicte profectibus utiliter providere, prefatum Archiepiscopum per nostras litteras ab ipsius collectionis onere duximus absolvendum, sibi postulatam licentiam concedentes. Ne igitur ob defectum collectionis huiusmodi contingat subsidium impediri, nos de probitate tua plenam in domino fiduciam obtinentes, te dicto Archiepiscopo in prefate collectionis officio subrogamus, discretioni tue per apostolica scripta mandantes in remissionem tibi peccaminum iniungendo, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverentia huiusmodi negotium prompto assumens animo, ad executionem predicti negotii circa ea, que adhuc restant de predicta decima colligenda, et ad alia etiam, que negotium ipsum contingunt, sollicite procedere studeas, iuxta litterarum apostolicarum super hoc eidem Archiepo directarum tenores, lapsu temporis non obstante, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Volumus autem, ut nobis per tuas litteras frequenter insinues, quod et quantum de decima supradicta pro terra prelibata receperis, et qualiter in negotio procedatur. Datum Rome apud Urbemveterem Nonis Octobris, anno III.

CCLXXXII.

Archiepiscopo Dublinensi licentia testandi, et tribus idoneis tabellionatus officium conferendi datur. Reg. Tom. I. An. III. ep. 111.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Dublinensi, salutem etc. Quia presentis vite conditio statum habet instabilem, et ea, que visibilem habent essentiam, tendunt visibiliter ad non esse, tu hoc salubri meditatione premeditans, diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque non per ecclesiam seu ecclesias, alias tamen licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispensationi seu administrationi commissis, et que non fuerint altaris ministerio, seu alicui speciali divino cultui vel usui deputata, pro decentibus et honestis expensis tui funeris, et pro remuneratione illorum, qui tibi viventi servierint, sive sint consanguinei, sive alii, iuxta servitii meritum testari ac disponere possis, et alias, prius ecclesie tue ere alieno deducto, ut ipsa ecclesia non remaneat debitis obligata, de ipsis in pios usus ac licitos convertendis fraternitati tue plenam et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus autem, ut in eorumdem ecclesiasticorum dispositione bonorum iuxta quantitatem residui erga ecclesias, a quibus eadem percepisti, te liberalem exhibeas, prout tibi conscientia dictaverit et saluti anime tue videris expedire. Datum apud Urbemveterem Kal. Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Tua nobis fraternitas intimavit, quod ecclesia tua propter Tabellionum defectum, qui in partibus illis habetur, nonnunquam dampnum non modicum noscitur sustinere. Tuis itaque devotis supplicationibus inclinati, et huiusmodi dampnis eiusdem ecclesie obviare volentes, concedendi Tabellionatus officium iuxta formam, quam Romana ecclesia servare in talibus consuevit, duabus vel tribus personis, quas post diligentem examinationem ipsarum ad illud exequendum ydoneas esse reppereris, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum ut supra.

CCLXXXIII.

Berardo camerario, ut pecuniam decimarum terrae sanctae in Anglia et Hibernia collectarum apud diversos mercatores passim depositam Senensibus mercatoribus integre assignari faciat. Reg. Tom. II. fol. 88.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Berardo Camerario nostro, salutem etc. Sicut ex veridica relatione accepimus, Collectores decimarum Terre sancte in Regno Anglie et Ibernia collectarum magnam partem pecunie dictarum decimarum apud quam plures et diversos Mercatores, tam in Curia nostra, quam extra ipsam morantes, nimis particulariter deposuerunt pro sue libito voluntatis, de quorum Mercatorum fidelitate licet nobis (non) sit, ut dicitur, aliquatenus dubitandum, volentes tamen predicte Terre negotio in hac parte cautius et utilius providere, ac dictam pecuniam sic particulariter depositam ad magis compendiosa reducere deposita, ut suo loco et tempore ad opus dicte Terre sancte huiusmodi deposita facilius et commodius rehaberi valeant, presentium tibi auctoritate mandamus, quatenus huiusmodi pecuniam decimarum ipsarum apud eosdem Mercatores quocunque nomine depositam, seu eis alias etiam assignatam dilectis filiis Dominico Iohannis et Feo Bonfantini de Thome Spiliati et Hugoni Spine, Maynetto Raynaldi et Ammannato Rote de Pulicum et Rimbertinorum Florentinorum, Lamberto Wulpelli et Vanco Honesti de Riczardorum Lucanorum, ac Thure Bonamilii et Bindo Clareti de Bonaventura Bernardini et filiorum Bonsignoris Senensibus societatibus Mercatoribus, de quorum facultatum sufficientia et fidelitate experta plenam certitudinem obtinemus, nostro et ecclesie Romane ac predicte Terre sancte nomine in depositum facias equis portionibus integre assignari, eos, apud quos dicta pecunia reperitur, ad id, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam vel alias, prout expedire videris, appellatione postposita, compellendo. Nos enim de hiis, que Mercatoribus predictarum societatum predicto nomine fuerint assignata de decimis supradictis, faciendi nostro ac earundem ecclesie Romane et Terre sancte nomine plenam refutationem et quitationem ydoneam, restituendi quoque Instrumenta, litteras et obligationes sub quacunque conditione seu forma confecta, ita quod eorum pretextu (nec) hii, qui pecuniam ipsam solverint seu assignaverint, nec eorum socii, societates, successores vel heredes eorum pro rata solu-

tionis in perpetuum impeti vel molestari valeant, plenam tibi concedimus facultatem. Volumus autem, ut pro nostra, ecclesie Romane ac predicte Terre sancte cautela de singulis assignationibus predictis ipsarum societatum Mercatoribus, ut predicitur, faciendis facias confici publica Instrumenta in Archivis nostre Camere conservanda. Datum apud Urbemveterem VIII. Idus Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

CCLXXXIV.

Willelmus abbas de Aberbrothoc electus Dumblanensis confirmatur. Reg. Tom. I. An. IV. ep. 49.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo Episcopo Dumblanensi, sal. etc. Ex suscepte servitutis officio sollicitudine propulsamur assidua, ut ecclesiarum omnium spiritualibus et temporalibus commodis intendamus, et earum maxime per salubre provisionis ministerium necessitatibus consulamus, que noscuntur viduitatis incommoda deplorare. Sane Dumblanensi ecclesia dudum per obitum bone memorie Roberti Dumblanensis Epi pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum pro futuri substitutione pastoris, spiritus sancti gratia invocata, te tunc Abbatem Monasterii de Aberbrothoc ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis in eorum, et ipsius ecclesie communiter et concorditer elegerunt Epum et pastorem. Presentato itaque nobis huiusmodi electionis decreto, et eisdem Capitulo illam a nobis petentibus confirmari, Nos ipsius electionis negotium examinandum Venerabili fratri .... Penestrino Episcopo, ac dilectis filiis nostris Hugoni tit. sancti Laurentii in Lucina presbitero, et Iacobo s. Marie in Vialata diacono Cardinalibus duximus committendum: tuque postmodum iuri, quod tibi ex electione ipsa quesitum fuerat, sponte ac libere in nostris manibus resignasti. Nos vero de salubri, ut tenemur, provisione ipsius ecclesie cogitantes, ne prolixioris vacationis incommodis exposita remaneret, ad personam tuam, quam nobis et predictis et aliis fratribus nostris de litterarum scientia, vita laudabili, honestate morum, providentia spiritualium et circumspectione temporalium fidedignorum testimonia commendarunt, direximus oculos nostre mentis, teque de ipsorum fratrum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, administrationem ipsius tibi spiritualiter et temporaliter committentes, ac subsequenter per venerabilem fratrem nostrum O. Tusculanum Episcopum tibi fecimus munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, divinus ibi cultus augebitur, et ecclesia ipsa per tue circumspectionis industriam in spiritualibus et temporalibus prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Reverenter itaque suscipe iugum dei et suavi eius oneri humiliter colla flecte, ipsius ecclesie sollicitam curam gerens, gregem dominicum in ea tue dilectioni commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod per tue diligentie studium ecclesia ipsa votivis proficere commodis, et optatis consurgere valeat incrementis. Datum Perusii XV. Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri anno quarto.

In e. m. dilectis filiis Capitulo ecclesie Dumblanensis, Clero et populo civitatis et diocesis Dumblanensis, et dilecto filio nobili viro Molisio Comiti de Stratherno ecclesie Dumblanensis Patrono.

CCLXXXV.

Regi Anglie respondetur ad petitiones de decima crucis etc. sibi in Anglia, Hibernia et Scotia concedenda. Reg. An. IV. ep. 77.

Martinus episcopus etc. Carissimo in Christo filio E. Regi Anglie Illustri, salutem etc. Venientes ad nos diebus istis preteritis dilectus filius Magister W. Canonicus Wellensis, et nobilis vir Helyas nuntii tui, nobis ex parte tua quasdam petitiones Regias presentarunt. Nos autem circa petitiones easdem nostra studia convertentes, et tandem super hiis deliberatione prehabita, responsiones nostras ad petitiones huiusmodi tenore tibi presentium intimamus, tam petitiones quam responsiones predictas presentibus inseri facientes: quarum tenores tales sunt.

Prima petitio tua. Quod concedatur tibi tota decima tunc collecta in Regnis Anglie et Scotie et in omnibus terris tuis, videlicet in Ibernia, Wallia, Wasconia et Pontivo. Responsio. Tibi signum Crucis infra festum Natalis domini proximo futurum in terre sancte subsidium sollempniter assumenti, et publice deferenti concedimus decimam collectam in Regno Anglie, Ibernia et Wallia, et etiam in Regno Scotie ita, si ad id Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotie consensus accedat. In quo casu de decima ipsius Regni Scotie tenearis Magnatibus eiusde Regni transfretare volentibus iuxta provisionem sedis apostolice subvenire. Huiusmodi autem decima tibi assignabitur per biennium ante terminum ad passagium per sedem apostolicam prefigendum. In Wasconia vero et Pontivo decima eadem concedi non potest, quia Carissimo in Christo filio nostro ... Regi Francie Illustri secundum ordinationem Lugdunensis concilii est concessa.

Secunda petitio. Quod Romanus Pontifex mittat ad partes predictas aliquem, de quo confidas, qui possit inquirere, an decima sit rite et tempore suo soluta, et an Collectores aliquos mulctaverint pro decima nullo modo, seu suo tempore non soluta, vel si Collectores sub aliquo quocumque colore pecuniam receperint, et in usus suos converterint, et quod huiusmodi mulcte et pecunie sic recepte tibi similiter assignentur. Responsio. Mittetur aliquis, de quo tu possis et debeas confidere, cui per te ac per tuos assistere poteris in commissis, cum ab eo exstiteris requisitus, qui inquiret, an decima fuerit debite ac rite soluta, et quod per inquisitionem huiusmodi inveniri poterit et haberi, assignabitur tibi eo modo, ut decima supradicta. De mulctis vero et pecunia per Collectores male recepta, quod petitur, non potest decenter admitti: cum enim Collectores ad id

non habuerint potestatem, constat eas extortas fuisse illicite, sed qui eas extorserunt, puniendi sunt, et pecunia iuxta ordinationem ipsius sedis illis, a quibus extorta fuerat, est reddenda.

Tertia petitio. Item quod illi Nuntio sic mittendo possis aliquem de tuis adiungere, ita quod illi duo auctoritate apostolica possint inquirere et exequi supradicta. Responsio. Ista non conceditur, quia nulli invenitur esse concessa: immo licet aliquando petita fuerit, tamen fuit ex causis rationabilibus denegata tempore concilii Lugdunensis.

Quarta petitio. Item petis decimam secundum verum valorem in predictis Regnis et terris ad quinquennium pro terre sancte subsidio tibi dari. Responsio. Tibi signum crucis infra festum Natalis domini proximo futurum in terre sancte subsidium sollempniter assumenti, et publice deferenti concedimus decimam in Anglia, Wallia et Ibernia per tres annos competenti tempore, prout videbitur, colligendam, et assignandam per biennium ante dictum terminum ad passagium prefigendum.

Quinta petitio. Item petis omnia et singula ad terre sancte subsidium in Lugdunensi concilio assignata tibi similiter assignari. Responsio. Fiet iuxta ordinationem sedis apostolice, quod in ista petitione continetur, in terris illis, in quibus decima conceditur.

Sexta petitio. Item ea, que de redemptionibus votorum proveniunt, legata indistincte relicta, legata specialiter in terre sancte subsidium, et bona intestatorum ad tam pium negotium prosequendum petis tibi de benignitate apostolica assignari. Responsio. Tibi signum crucis infra festum Natalis domini proximo futurum in terre sancte subsidium sollempniter assumenti, et publice deferenti concedimus in terris illis, in quibus et decimam, redemptiones votorum terre sancte, et legata in subsidium terre sancte indistincte relicta: bona vere intestatorum concedi non possunt, quia bona illa de iure ad alium debent devolvi, et nunquam invenitur hoc fuisse concessum.

Septima petitio. Item petis primos fructos beneficiorum vacantium in predictis Regnis et terris ad decennium tibi dari, beneficiorum cum cura Rectoribus ad sustentationem eorum portione congrua per locorum ordinarios primitus assignata. Responsio. Hec petitio non conceditur, nec ulli adhuc principi etiam in terre sancte subsidium est concessa.

Octava petitio. Quod predictis petitionibus exauditis, te signum vivifice crucis assumes, ita quod circa quinquennium ad arripiendum iter versus terram sanctam nequaquam arteris, nec iter huiusmodi ultra quinquennium, nimium fortassis, donec senueris, differatur. Responsio. Placet, quod infra quinquennium ad iter arripiendum nequaquam arteris, nec ultra predictum quinquennium cogaris adeo id differre, quod ad negotium prosequendum inhabilis habearis. Scire quoque te volumus, quod si in premissis assumptione, delatione et insuper voti crucis prosecutione iuxta dicte sedis arbitrium te deficere forte contigerit, intendimus, quod dispositio predictorum omnium ad Romanam ecclesiam devolvatur, et apud eam remaneant libere, ac si facte per nos responsiones, seu concessiones huiusmodi non fuissent. Dat. apud Urbemveterem vii. Kal. Iunii, Pont. nostri anno quarto.

EPISTOLAE HONORII PP. IV.

CCLXXXVI.

Cum Io. de Sanford decano Dublinensi super defectu natalium et pluralitate beneficiorum dispensatur, et ut in sacris ordinibus remanere possit, et ad quascumque dignitates promoveri. Reg. An. I. ep. 10.

Honorius electus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Iohanni de Stanford, Decano ecclesie Dublinensis, sal. etc. Petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu licet defectum natalium patiaris de soluto genitus et soluta, tamen Thesaurariam ecclesie Fernensis primo, deinde parrochialem Kavenedisse Norwicensis intitulatam, ac postmodum de Loitheburche Lincolmensis diocesum tibi commendatas ecclesias absque dispensationis apostolice gratia, sed alias canonice recepisti, dictarumque Thesaurarie per sex annos, Kavenedisse vero per quatuor et de Loitheburche ecclesiarum per unum fructus et redditus percepisti. Cumque fel. recordationis Gregorius papa X. predecessor noster tecum postmodum dispensasset, sicut exhibita tibi dispensatio sub eiusdem predecessoris confecta nomine continebat, ut predicto non obstante defectu posses in susceptis ministrare ordinibus, et ad superiores etiam promoveri, ac beneficia ecclesiastica, que tunc temporis obtinebas, et alia etiam, si eis cura similis immineret, usque ad summam quingentarum librarum sterlingorum iuxta taxationem antiquam recipere libere, et cum obtentis licite retinere, nec non quod posses ad Archiepiscopalem vel Episcopalem dignitatem assumi, dum tamen te ad illam per electionem, postulationem, vel nominationem canonicam eligi contingeret, vel etiam

postulari: tu, predicta Thesauraria dimissa, Decanatum ecclesie Dublinensis, nec non et parrochialem ecclesiam de Yochel Clonensis diocesis recipiens, ipsos Decanatum et ecclesiam una cum Kavenedisse et de Loitheburche ecclesiis supradictis ex tunc retinuisti, et adhuc retines fructus ex eisdem percipiens, de prefata eiusdem predecessoris dispensatione confisus. Quia vero dicta dispensatio casu amissa dicitur, et solum tenor ipsius sub sigillo bone memorie Hugonis Episcopi Midensis apparet, nec per dispensationem ipsam tibi sufficienter provisum creditur in premissis, presertim cum et circa dispensationem eandem, etiam si originalem in forma, in qua predictus tenor exhibetur, haberi contingeret, dubium oriretur, pro eo quod in aliquibus, que idem tenor continet, non videtur stilum Romane Curie sapere in talibus consuetum, humiliter supplicasti tibi super hiis de benignitate sedis apostolice uberius provideri. Cum itaque fidedignorum testimonia, et laudabilis tua in eadem Curia conversatio aliaque manifesta perhibent argumenta, tu defectum huiusmodi, que non tua, sed tuorum culpa parentum et reatus illorum illicite commixtionis induxit, non solum vite munditia, sed et aliis virtutibus redimas, quibus te virtutum dominus decoravit: tuis supplicationibus, Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Anglie Illustris pro te per suos nuncios eiusdem sedis gratiam implorantis fultis instantia inclinati, tecum, ut eodem non obstante defectu, seu quod dictos Decanatum, Thesaurariam et ecclesias tenuisti, taliter fructus et obventiones, ut predicitur, percipiendo ex eis, quos tibi de gratia remittimus speciali, possis non obstante constitutione generalis concilii licite retinere, ministrare in susceptis ordinibus, et ad maiores promoveri, immo ad Episcopalem et etiam Archiepiscopalem dignitatem, si te ad illam canonice vocari contingat, assumi, misericorditer dispensamus, omnem maculam sive notam ex premissa retentione dictorum personatuum et ecclesiarum, ac perceptione fructuum eorumdem exortam de potestatis plenitudine, ita quod nullum possit tibi propter ea impedimentum vel obstaculum obici, abolentes. Nulli ergo etc. nostre remissionis, dispensationis et abolitionis etc. Nec mireris, quod bulla non exprimens nomen nostrum est appensa presentibus, que ante consecrationis et benedictionis nostre sollempnia transmittuntur, quia hii etc. consueverunt observare. Datum Perusii xv. Kal. Maii, Suscepti a nobis apostolatus officii anno primo.

CCLXXXVII.

Regi Angliae respondetur ad ea, quae per nuntios suos super collecta terrae sanctae decima sibi in regnis Angliae et Scotiae, in Hibernia et Wallia concessa et aliis dictae terrae subsidiis sedi apostolicae exposuit. Reg. An. 1. epist. 14.

Honorius electus episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro ... Regi Anglie Illustri, sal. etc. Accedentes ad apostolicam sedem dilecti filii Magister Walterus Canonicus Wellensis et nobilis vir Helias de Hauvilla, Regie magnitudinis nuntii, in presentia felicis recordationis Martini pape IV., predecessoris nostri, et nuper etiam coram nobis ex parte Regia retulerunt, quod ipsius sedis benignitas decimam in Regno Scotie pro subsidio terre sancte collectam pridem tibi pro ipsius prosecutione subsidii, ea in hoc addita conditione, concessit, si ad id Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotie Illustris consensus accedere nosceretur. In quo quidem casu Magnatibus dicti Regni transfretare volentibus teneris iuxta promissionem sedis eiusdem de predicta decima subvenire. Quare prefati nuntii pro parte tua humiliter supplicarunt, ut cum eiusdem terre conditionem longo experimento didiceris, et respicere noveris strennuitate validos et discretione probatos, prout ipsius terre necessitas exigit, provisionem huiusmodi benigne tibi sedes eadem committere dignaretur. Super quo Serenitati Regie taliter respondemus: quod cum pro pace ac tranquillitate negotii, et ut facilior et celerior eius sequeretur effectus, provisionem huiusmodi non sine multe deliberationis instantia predicte sedis arbitrio extiterit reservata, honestatem sedis ipsius aliquatenus non deceret, si nulla causa necessaria suggerente, quod in hoc prudenter providisse dinoscitur, immutaret: verum tamen intendimus suo loco et tempore requirere consilium tuum, et prout expedire ac decere viderimus, illud prosequi favorabiliter in hac parte. Adiecit etiam nuntiorum assertio predictorum, quod cum in predicte terre subsidium cupias proficisci, tibi dudum tam decimam ecclesiasticorum proventuum in Regno Anglie ac Ybernie et Wallie partibus per tres annos, quam etiam in Regno Scotie memorato collectam sub certa forma gratiose concessit munificentia dicte sedis. Verum cum predicta decima in Regnis et partibus collecta prefatis adeo, sicut pro vero comperisse te asseris, sit exilis, quod ex ipsa sperate subventionis commodum obtinere non possis, suppliciter postulasti, ut ne contingat pro necessarie provisionis defectu circa dicti prosecutionem subsidii hebetari desiderium mentis tue, huiusmodi triennium ad quinquennium saltem dicta sedes extendere dignaretur. Ad quod magnitudini Regie taliter respondere decrevimus: quod cum sedes ipsa se tibi super hoc, si diligenter attenditur, non modicum gratiosam munificamque reddiderit, cum huiusmodi concessio gratie tibi facte anni noni curriculum comprehendat, mansuetudo Regia impresentiarum sepedicto triennio sit contenta. Nam si, te signum crucis assumente sollempniter ac etiam sollicite prosequente, viderimus processu temporis augmentum gratie expedire, libenter in hoc petitioni Regie, prout ipse terre necessarium et alias expediens ac decens fore putabimus, annuere intendimus, si fuerimus requisiti. Petierunt quoque nuntii supradicti, ut universa et singula, que in concilio Lugdunensi terre sancte fuerunt assignata subsidia, mandaremus in prenominato Regno Scotie tue celsitudini assignari, prout tibi ab eadem sede in predictis Regno Anglie, Hybernia et Wallia sunt concessa. Super quo sic responsio nostra formatur: quod nos volentes satisfacere votis tuis, premissa, quatenus pro preterito tempore in prefato Scotie Regno pro eiusdem terre subsidio iuxta

memoratum concilium sunt collecta, dum tamen huiusmodi signum predicto modo assumas, et etiam prosequaris, tibi, prout decima ipsius Regni conceditur, ex nunc presentium auctoritate concedimus pro prosecutione subsidii supradicti. Preterea nuntiorum ipsorum sollicitudo subiunxit, ut bona ecclesiis vel aliis piis usibus, seu Prelatis ab intestato debita, que in predictis Anglie ac Scotie Regnis, immo et terris tue iurisdictioni subiectis frequenter haberi contigit, ac etiam si qua de huiusmodi bonis in Prelatorum vel aliarum personarum ecclesiasticarum predictorum Regnorum et terrarum potestate consistunt, tibi sedes eadem usque ad quinquennium de speciali concedere gratia dignaretur, si ad id eorumdem assensus accesserit Prelatorum. Super quo tibi breviter, sicut et alias per predecessorem eundem responsum extitit, duximus respondendum: quod cum adhuc huiusmodi concessio per sedem apostolicam alicui facta non fuerit, eam tibi quantumcumque personam Regiam sincero prosequamur affectu, facere decenter non possumus, et proinde non debemus, cum in iuris preiudicium alieni et in pernitiosum exemplum procul dubio redundaret. Proposuerunt insuper nuntii supradicti, quod tu arduis variisque tui Regni negotiis impeditus, crucis predicte signaculum in eiusdem terre sancte subsidium hucusque assumere nequivisti. Unde cum ad susceptionem illius zelo intime devotionis aspires, ac in suscipiendi, ut tuis verbis utamur, firmo proposito perseveres, humiliter supplicasti, ut tibi sedes ipsa concederet, quod infra festum beati Iohannis Baptiste primo venturum, vel in die ipsius festi huiusmodi signum assumere, ac eo assumpto possis infra quinquennium a festo beati Michaelis post eiusdem sancti Iohannis festum proxime occurrente libere transfretare, si velis, nec ad id valeas interim coartari: alioquin huiusmodi elapso quinquennio tenearis omnino, prout de beneplacito et mandato sedis antedicte processerit, in ipsius terre sancte subsidium proficisci. Nos autem, qui te, fili carissime, ac inclitam domum tuam fide preclaram et devotione sinceram, dum essemus in minori officio constituti, speciali affectione dileximus, et diligere intendimus in futurum, considerantes attentius ingentis devotionis affectum, quo sub continuatione laudabili fervere dinosceris erga Romanam ecclesiam matrem tuam, et volentes propterea personam Regiam favore prosequi gratioso, tibi, quod infra Natale domini, vel in ipsius Natalis die signum assumere valeas memoratum, de gratia concedimus speciali. Super eo vero, quod Magnitudo Regia postulavit, ut videlicet infra quinquennium ab eiusdem s. Michaelis festo primo venturo libere transfretare valeas, si de tua processerit voluntate, nec ad id interim cogi possis, Nos tue potentie magnitudinem attendentes ac advertentes, quod sicut verisimiliter creditur, magnam et honoratam armatorum tecum duceres comitivam, quam quidem necessariam pro ipsius terre tantum custodia non videmus ad presens, pro eo quod tregua inter christianos illarum partium et ... Soldanum hactenus inchoata dicitur, adhuc non modici temporis spatium duratura, et utinam ad recuperationem eiusdem terre potentia ipsa etiam plurium aliorum subsidiis suffulta sufficeret, maxime cum interrogati predicti nuntii de numero bellatorum, quos tecum ad partes ipsas ducere, ac de mora, quam contrahere proponis ibidem, responderint predictorum certitudinem non habere, responsionem nostram super hoc duximus suspendendam: sed nichilominus processu temporis nobis de huiusmodi numero et mora et dicte terre utilitate constaret, prout suaderet temporis qualitas, et alias videremus expediens, prosequeremur in hac parte favorabiliter vota tua, cum libenter illis, in quibus possumus, annuamus. Nec mireris etc. Datum Perusii XII. Kal. Maii, Suscepti a nobis apostolatus officii anno primo.

CCLXXXVIII.

Episcopo S. Andreae, ut fratribus ord. Praedicatorum de Veranyco villam quandam vendat. Reg. An. I. epist. 73.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Sancti Andree in Scotia, salutem etc. Ex parte dilectorum filiorum ... Prioris et Conventus fratrum domus de Veranyco ordinis Predicatorum tue diocesis nobis extitit intimatum, quod dicta domus a villa predicti loci et ab habitatione hominum adeo est remota, ut accessus fidelium ad domum ipsam valde difficilis sit et rarus pro faciendis confessionibus suis, ac illorum orationibus ac predicationibus, sicut desiderant, audiendis: dictis quoque fratribus nimis est grave ad infirmos ville predicte, cum ab illis vocantur, accedere pro salutaribus consiliis impendendis eisdem. Alias autem fratres ipsi utpote in loco degentes solitario, et sicut premittitur, a villa ipsa distante, multis patent periculis ac plurimis subiacent detrimentis. Quare dicti Prior et Conventus nobis humiliter supplicarunt, ut eis locum, quem fratres ordinis Penitentie Ihesu Christi infra supradictam villam predicte tue diocesis habuerunt, utpote omnino derelictum ab eis, dictisque Priori et Conventui satis aptum, vendi de benignitate apostolica mandaremus. Sane felicis recordationis Gregorius pape X., predecessor noster, in generali concilio Lugdunensi ordines qui non meruerunt per sedem apostolicam confirmari revocans, confirmatos auctoritate predicta, quibus habendi possessiones seu redditus ipsorum regula sive constitutione obsistentibus facultas non aderat, sed victum per questum publicum incerta mendicitas ministrabat, ita subsidere voluit, quod nullum ex tunc ad eorum professionem admitterent, nec de nova domum aut aliquem locum reciperent, neque domos seu loca, que tunc obtinebant, alienare valerent: quas quidem domos et loca dictus predecessor noster reservabit dispositioni sedis eiusdem in terre sancte subsidium, vel pauperum, aut alios pios usus per locorum ordinarios, vel eos, quibus hoc sedes ipsa committeret, convertenda, prout in constitutione super hoc in supradicto concilio edita plenius continetur. Nos igitur et animarum providere saluti, ac tantis dictorum Prioris et Conventus incommodis et periculis obviare volentes, eorumque supplicationibus inclinati, frater-

nitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si quod de prefati loci desertione proponitur, veritate fulcitur, ipsum cum pertinentiis suis prefatis Priori et Conventui, vel procuratori dicti ordinis Predicatorum auctoritate nostra vendas pro pretio competenti, convertendo in subsidium memoratum, dictique loci emptorem, postquam huiusmodi pretium tibi fuerit integre persolutum, ipsius ordinis Predicatorum nomine in eiusdem loci ac pertinentiarum predictarum corporalem possessionem inducas, et defendas inductum, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, significaturus nobis quantocius per tuas litteras, quod et quantum inde receperis, et penes quos illud duxeris disponendum. Datum Rome apud Sanctum Petrum xv. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

CCLXXXIX.

Ioanes de Sanford electus Dublinensis confirmatur. Reg. An. I. ep. 28.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Saunfordia Electo Dublinensi, sal. etc. Dudum ecclesia Dublinensis per obitum bone memorie Iohannis Dublinensi Archiepi pastoris solatio destituta, et eius corpore tradito ecclesiastice sepulture, dilecti filii sancte Trinitatis et sancti Patricii Dublinensium ecclesiarum Capitula, ad quos communiter spectare dicitur electio Archiepiscopi Dublinensis, certa die ad eligendum prefixa, vocatis et presentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, prout est moris, insimul convenerunt, et spiritus sancti gratia invocata, in te ipsius ecclesie s. Patricii tunc Decanum direxerunt concorditer vota sua, te quasi per inspirationem divinam in Dublinensem Archiepiscopum concorditer eligendo. Presentato itaque postmodum fel. record. Martino pape, predecessori nostro, per procuratores eorum ad hoc specialiter constitutos decreto super huiusmodi electione confecto, tam tu propter hoc apud sedem apostolicam constitutus, quam dicti procuratores cum instantia postulastis ab eo, ut electionem eandem confirmare de benignitate sedis apostolice dignaretur. Cumque, datis super huiusmodi negotio examinatoribus per predecessorem eundem, alique difficultates inciderent, que huiusmodi electionis de te celebrate negotium in longi temporis producere videbantur excursum, non sine dispendio ipsius ecclesie Dublinensis. Tu cupiens indempnitati eiusdem ecclesie precavere, memorato predecessori viam, prout domino placuit, universe carnis ingresso, et nobis eidem in apostolatus apice substitutis, ius, quod tibi ex eadem electione acquisitum fuerat, in nostris manibus sponte ac libere resignasti. Nos autem, quibus licet immeritis omnium ecclesiarum cura generaliter est commissa, benigna consideratione pensantes longa et discriminosa viarum spatia, quibus a Romana Curia distare dinoscitur Dublinensis ecclesia supradicta, quodque tanti prosecutio itineris pluries occasione huiusmodi repetendi labores graves, sumptusque non modicos exigisset, si huiusmodi celebranda electio per nos remissa fuisset Capitulis prelibatis, presertim si forsan inimico homine seminante zizania, in electionis processu aliqua discordia incidisset, ac volentes obviare dispendiis, que solent ecclesiis ex ipsarum vacatione diutina imminere, tibi et aliis quinque Canonicis predictarum sancte Trinitatis et sancti Patricii ecclesiarum tunc propter huiusmodi negotium apud sedem constitutis eandem, eligendi ea vice Archiepiscopum Dublinensem de fratrum nostrorum consilio concessimus vive vocis oraculo plenam et liberam potestatem. Te igitur ac prefatis quinque Canonicis in electione huiusmodi eligentibus per viam scrutinii procedere. Nos tua et Canonicorum ipsorum vota diligentius perscrutantes, comperimus, quod tu in dilectum filium Magistrum Iohannem de Notingham, ecclesie sancti Patricii supradicte Canonicum, eligendum in Archiepiscopum Dublinensem tuum, reliqui vero quinque in te dixerunt in huiusmodi scrutinio vota sua, dictusque Iohannes de Notingham, qui erat unus ex Canonicis memoratis, vice sua et aliorum, qui in te consenserant, et de mandato ipsorum elegit te in Archiepiscopum Dublinensem, et electionem huiusmodi de te factam in nostra et fratrum nostrorum presentia publicavit. Quia vero electionem ipsam canonicam invenimus et de persona ydonea canonice celebratam, eam de fratrum ipsorum consilio duximus confirmandam, te ipsi ecclesie Dublinensi preficientes in Archiepiscopum et pastorem, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, ecclesia ipsa per tue circumspectionis industriam dirigetur prospere in utrisque. Reverenter itaque suscipe impositum a dño tibi onus, ipsius ecclesie Dublinensis sollicitam curam gerens, gregem dominicum in illo tibi commissum discretione, doctrina verbi et operis informando, ita quod predicta ecclesia tue diligentie studio multiplicibus gaudere commodis et optatis consurgere valeat, auctore domino, incrementis. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Decano et Capitulo ecclesie s. Patricii Dublinensis, Priori et Conventui ecclesie s. Trinitatis Dublinensis, Clero et populo civitatis et diocesis Dublinensis, et universis ecclesie Dublinensis Vassallis, ac ... Regi Anglie Illustri.

CCXC.

Capitulis s. Trinitatis et s. Patricii Dublinensis ius eligendi archiepum Dublinensem iuxta constitutionem Nicolai PP. III. confirmatur. Reg. An. I. epist. 29.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis sancte Trinitatis et s. Patricii ecclesiarum Dublinensium Capitulis, salutem etc. Cum, sicut asseritis, ad vos communiter ius eligendi Archiepiscopum Dublinensem spectare noscatur, presentium tenore decernimus, ut pro eo, quod in electione dilecti filii Magistri Iohannis de Saunfordia Dublinensis Electi, Decani ecclesie sancti Patricii Dublinensis, de nostro beneplacito nuper apud sedem apostolicam celebrata, quatuor de Canonicis ipsius ecclesie s. Patricii

computato ipso Electo, duo vero dumtaxat ex vobis, filii Capitulum ecclesie s. Trinitatis, interfuisse contigit, iuri eiusdem ecclesie sancte Trinitatis, seu vobis ipsius ecclesie Capitulo memorato non derogetur in aliquo, quin iuxta ordinationem fel. recor. Nicolai pape tertii, predecessoris nostri, in electione Dublinensis Archiepiscopi facienda pro tempore procedatur. Nulli ergo etc. nostre constitutionis etc. Datum ut supra.

CCXCI.

Electo Dublinensi, ut sacros ordines a quocumque maluerit catholico epo Angliae vel Hiberniae recipere possit. Reg. An. I. ep. 41.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Dublinensi Electo, salutem etc. Devotionis tue supplicationibus annuentes, tibi, qui iam, ut asseris, es in subdiaconatus ordine constitutus, recipiendi rite statutis temporibus superiores ordines a quocumque malueris catholico Episcopo Anglie vel Ybernie, gratiam et communionem apostolice sedis habente, ipso quoque Episcopo conferendi sic tibi eosdem ordines plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

CCXCII.

Lechlinensi et Fernensi episcopis, ut alter eorum electo Dublinensi, postquam sacros ordines receperit, munus consecrationis impendat. Ib. ep. 42.

Honorus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Lechlinensi et ... Fernensi Episcopis, salutem etc. Cum nos dilecti filii Iohannis Dublinensis Electi supplicationibus annuentes sibi, qui, sicut asserit, subdiaconus iam extitit, recipiendi rite statutis temporibus superiores ordines a quocumque maluerit catholico Episcopo Anglie vel Ybernie gratiam et communionem sedis apostolice obtinente, ipsi vero Epo conferendi sibi eosdem ordines liberam concesserimus per nostras litteras facultatem: fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Electo, postquam prefatos ordines iuxta dictarum nostrarum continentiam litterarum receperit, alter vestrum, qui commodius potuerit, ascitis sibi duobus vel tribus Epis Dublinensis ecclesie suffraganeis, vel aliis ad hoc ydoneis, vice nostra sine difficultate qualibet in eadem ecclesia Dublinensi munus consecrationis impendat. Datum ut supra.

CCXCIII.

Iisdem, ut electo Dublinensi pallium tradant. Reg. An. I. ep. 43.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Lechlinensi et ... Fernensi Episcopis, salutem etc. Dilecti filii Iohannis Dublinensis Electi supplicationibus annuentes etc. usque conferendi eosdem ordines liberam concedentes per nostras litteras facultatem, vobis sub certa forma scripta nostra dirigimus, ut eidem Electo, postquam prefatos ordines sic rite receperit, alter vestrum, qui commodius poterit, ascitis duobus vel tribus Episcopis sibi munus consecrationis impendat. Volentes itaque gratiam ei facere ampliorem eiusque parcere laboribus et expensis, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum palleum insigne pontificalis officii de corpore beati Petri sumptum, quod per dilectos fil. fratrem Audoenum sancte Trinitatis et Magistrum Henricum de Bathkimi Dublinensium ecclesiarum Canonicos, latores presentium, vobis duximus transmittendum, prefato Electo, postquam predictos ordines ac premissum consecrationis munus secundum tenorem predictarum litterarum receperit, iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, liberaliter assignare curetis, recepturi ab eo postmodum pro nobis et ecclesia Romana fidelitatis solite iuramentum secundum formam aliam, quam vobis interclusam sub bulla destinamus eadem. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinetis. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

CCXCIV.

Electo Dublinensi, ut duobus viris idoneis tabellionatus officium conferre possit. Reg. An. I. ep. 44.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Dublinensi Electo, salutem etc. Tua nobis devotio intimavit, quod Dublinensis ecclesia propter Tabellionum defectum, qui in partibus illis habetur, nonnunquam dampnum non modicum noscitur sustinere. Verum licet felicis recordationis Martinus papa, immediatus predecessor noster, propter hoc bo. mem. Iohanni Archiepiscopo Dublinensi, predecessori tuo, concedendi Tabellionatus officium iuxta formam, quam Romana ecclesia servare in talibus consuevit, nonnullis personis, quas post diligentem examinationem ipsarum ad illud exequendum repererit esse ydoneas, concesserit per suas litteras liberam facultatem: quia tamen idem Archiepiscopus, antequam in aliquo huiusmodi litteris apostolicis uteretur, viam fuit universe carnis ingressus, humiliter petebas a nobis, ut providere super hoc paterna diligentia curaremus. Nos itaque tuis devotis supplicationibus inclinati, et premissis dampnis eiusdem ecclesie obviare volentes, concedendi predictum Tabellionatus officium duabus dumtaxat personis ydoneis secundum dictarum apostolicarum litterarum tenorem, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Rome apud S. Petrum Idibus Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

CCXCV.

Regi Scotiae, ne per suos officiales collectiones decimae terrae sanctae turbare etc. permittat. Reg. An. I, ep. 62.

Honorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... Regi Scotie Illustri, salutem etc. Dilecti filii Maynettus Raynaldi de Pulicum et Rimbertinorum, Dinus Iohannis de Thome Spiliati et Lapi Hugonis, Tura Bonamiki de Bonaventure Bernardini et Vantus Honesti de Riczardorum societatibus Florentine, Senensis et Lucane Civitatum, Camere nostre

Mercatores, in nostra proposuerunt presentia constituti: quod licet felicis recordationis Martinus papa, predecessor noster, decimam terre sancte collectam in Regno tuo per dilectum filium Magistrum Baiamunmundum Canonicum Astensem, ipsius decime Collectorem, ad opus dicte terre sancte ex certis causis mandaverit earumdem societatum Mercatoribus assignari, tamen officiales tui Mercatoribus dictarum societatum ad recipiendum predictam decimam deputatis se graviter opponentes eos, quominus decimam ipsam habere ac de Regno prefato extrahere valeant, inquietant, nec illos decimam ipsam de dicto Regno extrahere permittentes, nisi prius datis cautionibus ab eisdem de representando se personaliter cum huiusmodi decima ad ipsorum officialium beneplacitum et mandatum. Quare prefati Mercatores nobis humiliter supplicarunt, ut providere super hoc eis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur cupientes in hiis et aliis circa provisionem negotii terre sancte predicte obstaculum quodlibet submovere, per quod posset ipsius terre profectus et commodum impediri, Serenitatem Regiam, de cuius conniventia prefatos officiales non credimus talia attemptasse, rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverentia super premissis prefatis Mercatoribus te propitium exibens et benignum, quidquid super arrestatione et asportatione ipsius decime per dictos officiales, vel alios de mandato eorum presumptum esse dinoscitur contra Mercatores eosdem, revoces et facias revocari, ac prefatis cautionibus relaxatis eis, precipias, quod de cetero similis non presumant, sed potius super hoc Mercatoribus ipsis cum oportunum fuerit, exhibeant auxilium, consilium et favorem, ita quod ipsi de benignitate Regia se commendare valeant, et nos devotionem tuam proinde dignis in domino laudibus merito attollamus. Datum Palumbarie III. Nonas Iulii, Pont. nostri anno primo.

CCXCVI.

Eidem regi, ne Rossensem et Moraviensem episcopos a suis officialibus molestari patiatur, iuraque eorum ecclesiarum tueatur. Reg. An. I. ep. 59.

Honorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... Regi Scotie Illustri, salutem etc Inter cetera desideria mentis tue illud convenit esse perpetuum, ut cum iudicium diligat Regis honor, Regalis sublimitas suos actus et opera sic prudenter diludicet, sic rationabiliter dirigat, sic provide moderetur, ut increpationi non pateant, nec limam correctionis exposcant, sed ea potius in conspectu Altissimi, per quem regnas, tuique Regni solium gubernatur, accepta resplendeant, iuris terminos non excedant, equitati conveniant, et laudum preconia mereantur. Sane Venerabiles fratres nostri ... Rossensis et ... Moraviensis Episcopi nobis exponere curaverunt, quod ipsis et eorum ecclesiis non sine preiudicio ecclesiastice libertatis per tue Magnitudinis Officiales et litteras dispendiosa gravamina, enormes iniurie, vexationes plurime molestieque multiplices a longis sunt retro temporibus irrogata, nec adhuc ab eorum irrogatione desistitur: quin immo ei tanto insistitur acrius, tantoque illa propensius suscipit incrementum, quanto perduci conspicitur in temporis prolixioris excursus. Et quamquam ex parte predictorum Episcoporum ad te iam pluries super hiis habitus sit recursus, nondum tamen Regalis sublimatas remedium in hac parte adhibuit oportunum. Quare prefati Episcopi nobis humiliter supplicarunt, ut eis et eorum ecclesiis super premissis providere benignius dignaremur. Quia igitur ex debito pastoralis officii cura nobis ecclesiarum omnium imminet generalis, et propterea predictorum Episcoporum et ecclesiarum iniurias, molestias et offensas sub dissimulatione transire non possumus nec debemus: Serenitatem Regiam rogamus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus sollicita mediatione recogitans, quod omnipotenti deo, per quem Reges regnant et principes dominantur in terris, quique te Regie dignitatis insigniis decoravit, tamque sublimi pretulit potestate, ad hoc specialiter inter cetera non indigne teneris, ut ecclesias et personas ecclesiasticas benigne prosequens et affectuose pertractans, iura et bona illorum Regii favoris presidio tuearis, predictis gravaminibus, iniuriis, molestiis et offensis, que non moleste ferre non possumus, utpote tue saluti obvia et proinde contraria votis nostris, pro divina et apostolice sedis ac nostra reverentia, sublato difficultatis obstaculo, metam ponas, ne procedant vel committantur ulterius, efficaciter inihibendo, illud in hac parte studium, illam efficaciam benignius impensurus, ut exinde ab eo, qui nullum bonum irremuneratum preterit, nullum malum deserit impunitum, condigna premia consequaris, nosque devotionem Regiam, quam in hac parte promptam invenire cupimus, uberibus laudibus attollamus. Datum Tibure XV. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

CCXCVII.

Margaritae quondam Alexandri principis Scotiae viduae dotalitium ipsi a rege assignatum confirmatur. Reg. An. I. ep. 145.

Honorius episcopus etc. Dilecte in Christo filie Nobili mulieri Margarite, filie dilecti filii Nobilis viri Guidonis Comitis Flandrie, relicte quondam Alexandri primogeniti Carissimi in Christo filii nostri ... Regis Scotie Illustris vidue, salutem etc. Petitio tua nobis exhibita continebat, quod Carissimus in Christo filius noster Alexander Rex Scotie Illustris olim, tempore videlicet quo tu et Alexander primogenitus eiusdem Regis, vir tuus, matrimonium ad invicem contraxisti, voluit et concessit, quod si ipso matrimonio consumato superviveres dicto primogenito, toto tempore vite tue in quocumque statu esses, annuatim prima die Augusti post obitum ipsius primogeniti mille trecentas marcas sterlingorum de proventibus ville de Bervich in Scotia, tunc ad Regem ipsum spectantibus, nec non et ducentas marcas sterlingorum de manerio suo de Linlithen Sancti Andree diocesis, cuius proventus valoris annui ducentarum marcarum sterlingorum esse dicebat, in dotalitium seu donationem propter nuptias perciperes et haberes, dotans te nichilominus de eisdem, ac in donationem

propter nuptias eadem tibi concedens, et adiciens, quod si proventus dicti manerii ducentas marcas annuas, ut predicitur, non valerent, quod deesset, in predicta villa de Bervich omni anno dicta die perciperes ab eadem. Dedit insuper eidem suo primogenito potestatem de predictis omnibus te dotandi, seu tibi eadem in donationem propter nuptias concedendi, quod idem primogenitus iuxta potestatem sibi traditam adimplevit. Dictas quoque Rex supplicavit etiam hoc per Romanum Pontificem confirmari, prout in patentibus litteris inde confectis, ac signatis sigillis Regis et primogeniti predictorum plenius dicitur contineri. Cum autem dictus primogenitus, te supertite, in fata concesserit post dictum inter ipsum et te matrimonium consumatum, supplicasti humiliter premissa dotalitium sive donationem propter nuptias confirmatione sedis apostolice communiri. Nos itaque tuis et eiusdem Regis supplicationibus inclinati, dotalitium sive donationem eadem, sicut provide facta sunt, rata habentes et grata, ipsa auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Dat. Tibure viii. Idus Octob. an. i.

CCXCVIII.

Stephanus episcopus Waterfordensis ad ecclesiam Tuamensem transfertur. Reg. An. II. epist. 58.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Episcopo quondam Waterfordensi, in Archiepiscopum Tuamensem Electo, salutem etc. Romani Pontificis, qui disponente illo, cuius providentie magnitudo celestia simul et terrena disposuit, preesse dinoscitur universis, plena curis et labore non vacua sollicitudo requirit, ut ipse circa cuiuslibet statum ecclesie sic sollerter invigilet, sic prospiciat diligenter, ut per eius circumspectionem providam et providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, nunc per ministerium translationis accommode, prout locorum et temporum qualitas exigit, ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus, rector providus deputetur, ut superni favoris cooperante suffragio, ecclesie ipse votive prosperitatis successibus gratulentur. Olim siquidem Tuamensi ecclesia per obitum bone mem. Thome Archiepiscopi Tuamensis pastoris solatio destituta, dilecti filii ... Decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, insimul convenerunt, ac deliberantes ad provisionem faciendam ipsi ecclesie de prelato per viam procedere compromissi, septem ex Canonicis eiusdem ecclesie tunc presentibus providendi ea vice eidem ecclesie de pastore potestatem unanimiter concesserunt, promittentes, quod illum in Archiepiscopum eorum reciperent, quem iidem septem vel maior pars ipsorum eligendum duxerit seu etiam postulandum. Dicti autem Canonici secesserunt in partem, et post varios tractatus ab eis super hoc habitos, cum non possent omnes in unum pariter concordare personam, quinque ipsorum Magistrum Nicolaum de Machin Canonicum eiusdem ecclesie in Tuamensem Archiepum elegerunt, dicto Decano et reliquis duobus Canonicis post electionem huiusmodi, cui etiam iidem duo ea publicata consenserant, eligentibus fratrem Malachiam ordinis Minorum de Conventu Lunbricensi ad regimen ecclesie supradicte. Cumque huiusmodi negotium ad apostolicam sedem, cui dicta ecclesia immediate subest, delatum fuisset, idemque Magister Nicolaus, presentato felicis recordationis Nicolao pape, predecessori nostro, sue electionis decreto, humiliter supplicasset, ut electionem ipsam auctoritate apostolica confirmaret: dictus predecessor Venerabilibus fratribus nostris B. Albanensi et Gerardo Sabinensi Episcopis, tunc tituli Basilice xii. Apostolorum presbitero, et dilecto filio nostro I. sancte Marie in Via lata diacono Cardinalibus tam processus eiusdem electionis, quam persone dicti Magistri Nicolai examinationem commisit: qui dicto predecessore vivente de predicto processu electionis ipsius cognoscere inceperunt. Post obitum vero predecessoris eiusdem quamquam prefatus frater Malachias comparuisset personaliter coram Episcopis et I. Cardinali predictis, idem tamen, dum adhuc sedes ipsa vacaret, illicentiatus de Curia Romana discessit, nec electionis sue causam fuit ulterius prosecutus. Dicto itaque Magistro Nicolao a pie memorie Martino papa predecessore nostro suppliciter postulante, ut huiusmodi examinationem sic inceptam perfici facere dignaretur, idem predecessor Martinus, cui fuerat intimatum, quod eidem electioni supradicti Magistri Nicolai se aliqui opponebant, dilectum filium nostrum Comitem tituli sanctorum Marcellini et Petri presbiterum Cardinalem deputavit super hoc auditorem: coram quo predicto Magistro Nicolao personaliter, et procuratore dictorum Decani et Capituli in iudicio comparentibus, idem procurator libellum obtulit, in quo petebat predictam electionem factam de dicto fratre Malachia, cassata et irritata reliqua, confirmari. Verum ex parte prefati Magistri Nicolai propositis quibusdam exceptionibus contra dictum libellum, ac aliis pluribus hinc inde in ipsius Comitis Cardinalis presentia rationibus alligatis, demum idem C. Cardinalis hec et alia, que in negotio predicto acta fuerunt, nobis fideliter referre curavit: dictusque Magister Nicolaus volens memoratam ecclesiam a dispendiis, que sibi ex litigiorum anfractibus imminere poterant, preservari, sponte ac libere in manibus nostris cessit omni iuri, si quod ei ex electione predicta fuerat acquisitum. Nos igitur habito super hiis cum fratribus nostris diligenti tractatu, de ipsorum consilio predictam electionem de memorato fratre Malachia factam, quia eam invenimus post aliam electionem predictam, et contra formam prefatis septem Canonicis a memoratis Capitulo traditam de facto presumptam, dictumque fratrem Malachiam, ut premissum est, illicentiatum de prefata Curia recedisse, nec electionem ipsam fuisse postmodum prosecutum, cassam et irritam duximus nuntiandam. Ac deinde attenta sollicitudine de ordinatione ipsius ecclesie cogitantes, ne prolixionis vacationis incommodis eadem ecclesia subiaceret, ac ei cupientes

illum preesse pontificem, de quo plenam fiduciam habere possemus, quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimirent, nec dubia esset eius caritas erga plebem sue custodie committendam, et in cuius fide fida recumberet securitas subditorum, in te direximus oculos nostre mentis, quem nobis et eisdem fratribus nostris de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritualium, temporalium providentia, nec non et sincera devotione ad Romanam ecclesiam habita fidedignarum testimonia commendarunt. Quapropter gregi dominico speciali volentes diligentia providere, de consilio eorumdem fratrum nostrorum et apostolice plenitudine potestatis te a vinculo, quo tenebaris Waterfordensi ecclesie, cui preeras, absolventes, transferimus te ad predictam ecclesiam Tuamensem, ac preficimus te ipsi Tuamensi ecclesie in Archiepūm et pastorem, liberam tibi dantes licentiam ad eandem Tuamensem ecclesiam transeundi, firma concepta fiducia, quod cum esse dicaris vir eximie probitatis, dictamque Waterfordensem ecclesiam hactenus salubriter gubernasse, dirigente domino actus tuos, dicta ecclesia Tuamensis per tue circumspectionis industriam preservabitur a noxiis et adversis, et spiritualiter et temporaliter grata suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem Tuamensem ecclesiam te conferens, regimen et curam ipsius diligenter geras et sollicite prosequaris, gregem dominicum in illa tue circumspectioni commissum doctrina verbi et operis informando: ita quod ipsa Tuamensis ecclesia gubernatori circumspecto, et fructuoso administratori quoad spiritualia et temporalia gaudeat se commissam, et bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, et preter benedictionis eterne premium benevolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Datum Tibure ɪɪɪɪ. Idus Iulii, Pont. nostri anno secundo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Tuamensis, Clero et populo civitatis et diocesis Tuamensis, Vassallis ecclesie Tuamensis, Venerabilibus fratribus Suffraganeis ecclesie Tuamensis, et Carissimo in Christo filio ... Regi Anglie Illustri.

CCXCIX.

Stephano electo Tuamensi pallium mittitur. Reg. An. II. ep. 68.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Episcopo quondam Waterfordensi, in Archiepiscopum Tuamensem Electo, salutem etc. Cum nos nuper te de fratrum nostrorum consilio a vinculo, quo tenebaris Waterfordensi ecclesie, absolventes, transtulerimus te ad Tuamensem ecclesiam tunc vacantem, preficiendo te ipsi Tuamensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, ac liberam tibi dando licentiam ad eandem Tuamensem ecclesiam transeundi: ne te oporteat ad apostolicam sedem pro obtinendo ab ipsa palleo, quod est insigne pontificalis officii, accedere, aut nuntium destinare, palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum, a nobis ex parte tua cum ea, qua decet, instantia postulatum, per Dilectos filios Dionisium Archidiaconum ac Magistrum Adam de Folebourn Capellanum nostrum, Canonicum Tuamensem, duximus Venerabilibus fratribus nostris ... Elfiensi et ... Aladensi ac ... Waterfordensi Epis destinandum, ut illud tibi studeant assignare iuxta formam, quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla ipsis dirigimus, fidelitatis solite recipiant iuramentum. Tu vero palleo ipso intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, si quod geris exterius, illud serves in mente, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iustitiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, servare studeas, que suum servant ac promovent servatorem, et Tuamensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, actore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum ut supra.

CCC.

Aladensi, Elfiensi ac Waterfordensi epis, ut electo Tuamensi pallium tradant. Reg. An. II. ep. 69.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Aladensi et ... Elfiensi ac ... Waterfordensi Epis, salutem etc. Cum nos nuper Venerabilem fratrem nostrum Stephanum Episcopum quondam Waterfordensem, in Archiepiscopum Tuamensem Electum, de fratrum nostrorum consilio a vinculo, quo tenebatur Waterfordensi ecclesie, absolventes etc. ut in proxima superiori verbis competenter mutatis usque transmittendum per vos assignandum eidem. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus palleum ipsum vos, aut duo, vel unus vestrum eidem Electo assignare curetis sub forma, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, et ab ipso nomine nostro et ecclesie Romane sub forma, quam vobis sub eadem bulla dirigimus, recipiatis fidelitatis solite iuramentum. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinetis. Datum ut supra.

CCCI.

Walterus electus Waterfordensis confirmatur. Reg. An. II. ep. 75.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri Waltero Epo Waterfordensi, salutem etc. In supreme dignitatis specula, licet immeriti, disponente domino, constituti, curis continuis angimur et pulsamur insultibus successivis, ut de personis illis provideatur ecclesiis pastoribus, quarum industria et virtute eedem ecclesie in suis iuribus et libertatibus conserventur, reddatur tranquillior Cleri status, et commodis salutis et gaudii plebs letetur. Olim siquidem, sicut accepimus, Venerabilis frater noster Armachanus Archiepiscopus asserens, quod ecclesia Midensis tanto tempore pastore vacarat, quod ad eum erat eius provisio secundum generalis statuta concilii legitime devoluta, te prefecit eidem ecclesie in Epum

et pastorem, tibique munus consecrationis impendit. Verum dilecto filio Thoma Midensi Electo, de quo nuper eidem Midensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio duximus providendum, et qui dicebatur tunc a maiori parte Cleri Midensis, ad quos electio Epi Midensis de consuetudine asseritur pertinere, ad ipsius ecclesie regimen electum fuisse, proponente se a dicto Archiepiscopo ad sedem apostolicam appellasse, pro eo quod, ut dicebat idem Electus, Archiepiscopus ipse presentatam sibi electionem huiusmodi renuerat contra iustitiam confirmare: fel. rec. Martinus papa, predecessor noster, in causa huiusmodi, que inter ipsum Electum et dictum Archiepiscopum vertebatur, dilectum filium nostrum Comitem tit. sanctorum Marcellini et Petri presbiterum Cardinalem dedisse dinoscitur auditorem. Demum autem tam tu, quam prefatus Thomas volentes dictam Midensem ecclesiam a dispendiis, que per litigiorum anfractus incurrere poterat, preservari, sponte et libere in manibus nostris cessistis omni iuri, si quod tibi ex huiusmodi provisione de te facta per dictum Archiepiscopum, seu Thome predicto ex prefata electione sua fuerat acquisitum. Nos igitur huiusmodi cessione recepta, benignius attendentes litterarum scientiam, vite munditiam morumque honestatem et alia multiplicia merita probitatis, que tibi suffragari dicuntur, ac volentes de persona tua Waterfordensi ecclesie, que per translationem Venerabilis fratris nostri Stephani Episcopi Waterfordensis, in Archiepiscopum Tuamensem Electi, ad ecclesiam Tuamensem per nos factam nuper noscitur vacavisse, speciali diligentia providere, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis te preficimus ipsi Waterfordensi ecclesie in Episcopum et pastorem, firma concepta fiducia, quod cum esse dicaris vir eximie bonitatis, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectus, dicta Waterfordensis ecclesia per tue circumspectionis industria grata, deo actore, suscipiet in spiritualibus et temporalibus incrementa. Tolle igitur iugum domini tam leve collis humilibus quam suavè, et in dilectione dei pascendum suscipe gregem eius, super quem noctis vigilias diligens, sollicitusque custodi, ut liber non pateat aditus invasori, et dñus insuspicabili hora venturus, si te invenerit sic agentem, cursu consumato, qui tuo labori proponitur, et horum fide servata, que tue sollicitudini committuntur, te fidelem compertum in modico supra multa constituat, ac in dilecta gaudiorum suorum tabernacula introducat. Dat. Tibure IIII. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Waterfordensis, Clero et populo civitatis et diocesis Waterfordensis, Venerabili fratri Archiepo Cassellensi, et Carissimo in Christo filio E. Regi Anglie Illustri.

CCCII.

Thomas de Sancto Leodegario electus Midensis confirmatur. Reg. An. II. epist. 78.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Thome de Sancto Leodegario Electo Midensi, salutem etc. Licet continuata supervenientium negotiorum instantia nos, qui disponente domino universali regimini quamquam immeriti presidemus, insultibus imperat successivis: sollicitudo tamen omnium ecclesiarum nostris incumbens humeris tanto artius nos cotidiana meditatione perurget, quanto ad id sumus specialius, immo principalius obligati. Sane dudum Midensi ecclesia per obitum bo. memorie Hugonis Episcopi Midensis pastoris solatio destituta, dilecti filii .... Archidiaconus et Clerus Midensis, ad quos electio Midensis Epi de antiqua et approbata, et hactenus pacifice observata consuetudine dicitur pertinere, die ad eligendum prefixa convenientes in unum, dilectum filium Magistrum Iohannem de Dumbeltono, Rectorem ecclesie de Kenles, ad ipsius ecclesie regimen concorditer elegerunt: sed cum idem Rector renuisset electioni huiusmodi consentire, dicti Archidiaconus et Clerus, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, ad tractandum de futuri prelati substitutione insimul convenerunt, et in huiusmodi negotium(o) per viam scrutinii procedentes, tres de ipso Clero fidedignos ad scrutandum sua et omnium aliorum vota iuxta formam constitutionis generalis concilii assumpserunt. Dictis autem tribus sua et aliorum predictorum vota secrete ac singulatim perscrutantibus, et mox publicantibus in communi, compertum extitit, quod maior et sanior pars dicti Cleri in te tunc Archidiaconum de Kenles in eadem ecclesia Midensi suos prestitere consensus. Sicque unus ipsorum trium vice sua et illorum omnium, qui in te consenserant, et de ipsorum mandato te in Episcopum Midensem elegit, tuque huiusmodi electioni de te facte ad eorum instantiam consensisti. Verum quia postmodum Venerabilis frater noster... Armachanus Archiepiscopus, loci Metropolitanus, presentatam sibi predictam electionem celebratam de te confirmare dicitur indebite recusasse, pro parte tua fuit ad sedem apostolicam appellatum. Dictus vero Archiepiscopus, postquam iter arripueras propter hoc ad sedem apostolicam accedendi, pretendens, quod ad eum erat provisio ipsius ecclesie Midensis secundum instituta canonica devoluta, Ven. fratrem nostrum Walterum Episcopum, tunc Decanum Waterfordensem in Epum eidem ecclesie Midensi propria auctoritate prefecit, sibique munus consecrationis impendit. Cumque postmodum felicis recordationis Martinus papa predecessor noster in huiusmodi causa, que inter te ac prefatum Archiepiscopum vertebatur, dilectum filium nostrum Comitem tituli sanctorum Marcellini et Petri presbiterum Cardinalem dederit auditorem: demum tam tu, quam prefatus Walterus volentes dictam Midensem ecclesiam a dispendiis, que per litigiorum anfractus incurrere poterat, preservari, sponte ac libere in manibus nostris cessistis omni iuri, si quod tibi ex predicta electione tua, seu dicto Waltero ex huiusmodi provisione facta de ipso per dictum Archiepiscopum fuerat acquisitum. Nos igitur huiusmodi cessione recepta, de ipsius ecclesie Midensis ordinatione mente vigili cogitantes, et cupientes ei

personam preficere, per quam posset in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernari, ad te, quem nobis et fratribus nostris de litterarum scientia, morum gravitate, munditia vite, et aliis probitatis meritis fidedignorum testimonia multipliciter commendarunt, convertimus aciem nostre mentis. Ideoque volentes dicte Midensi ecclesie paterna diligentia providere, te de ipsorum fratrum nostrorum consilio ac apostolice plenitudine potestatis eidem ecclesie Midensi prefecimus in Episcopum et pastorem, firma spe fiduciaque tenentes, quod dicta Midensis ecclesia per tue industriam providentie, auctore deo, a noxiis preservabitur et adversis, optatis quoque prosperitatis commodis spiritualiter et temporaliter proficiet ac honoris. Quocirca discretioni tue per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus impositum a domino tibi onus suscipiens reverenter, curam et administrationem eiusdem Midensis ecclesie diligenter geras, et sollicite prosequaris, ita quod ipsa ecclesia Midensis tuo labore ac studio, auxilio cooperante divino, in spiritualibus et temporalibus multipliciter augeatur. Datum Tibure IIII. Id. Iulii, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Dilectis filiis Clero et populo civitatis et diocesis Midensis, universis Vassallis ecclesie Midensis, et Carissimo etc. Regi Anglie Illustri.

CCCIII.

Electo Midensi, ut sacros ordines et munus consecrationis a quocumque maluerit catholico episcopo, sine praeiudicio archiepiscopi Armachani, recipere possit. Reg. An. II. ep. 76.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Thome Midensi Electo, salutem etc. Cum te in subdiaconatus ordine constitutum nuper Midensis ecclesie de fratrum nostrorum consilio prefecerimus in Episcopum et pastorem, devotioni tue, ut a quocumque malueris catholico Episcopo gratiam et communionem apostolice sedis habente, in diaconum et presbiterum te possis facere statutis temporibus promoveri, et quod postquam ad predictos ordines fueris rite promotus, quivis talis Episcopus a te super hoc requisitus, ascitis sibi duobus vel tribus Episcopis aliis, consecrationis munus vice nostra tibi valeat impertiri, auctoritate presentium duximus concedendum: ita tamen, quod per hoc ecclesie Armachane, cui dicta Midensis ecclesia est Metropolitico iure subiecta, nullum in posterum preiudicium generetur. Dat. Tibure x. Kal. Augusti, Pont. nostri anno secundo.

CCCIV.

Guillelmus Glifford praeficitur ecclesiae Imelacensi. Reg. An. II. ep. 130.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Guillelmo Glifford Electo Imelacensi, salutem etc. In supreme dignitatis specula licet immeriti, disponente domino, constituti, curis continuis angimur et pulsamur insultibus successivis, ut de personis talibus provideatur ecclesiis viduatis, per quarum industriam in suis iuribus et libertatibus conserventur, reddatur status Cleri tranquillior, et commodis salutis et gaudii plebs letetur. Dudum siquidem, Imelacensi ecclesia per obitum bone memorie David Imelacensis Episcopi pastoris solatio destituta, ... Decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, die ad eligendum prefixa, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, convenerunt in unum pro futuri substitutione pastoris. Verum post tractatum super hoc inter eos habitum diligentem, eorum votis in diversa diversis, maior et sanior pars quondam Magistrum Adam Cancellarium eiusdem ecclesie tunc viventem eligere, minor vero pars ipsius Capituli Magistrum Philippum Decanum Corcaiensem postulare in Imelacensem Episcopum curaverunt. Postmodum vero felicis recordationis Martinus papa predecessor noster in causa electionis et postulationis huiusmodi, ab audientia Venerabilis fratris nostri ... Archiepiscopi Casellensis loci Metropolitani, auctoritate Metropolitica cognoscentis de ipsa, ad sedem apostolicam legitime devoluta, Venerabilem fratrem nostrum ... Ostiensem Episcopum concessit partibus auditorem. Sed idem Cancellarius, dum coram eodem auditore huiusmodi cause prosecutioni aliquandiu personaliter institisset, dicto Decano causam ipsam iuxta Constitutionem felicis recordationis Nicolai pape, predecessoris nostri, super hoc editam personaliter minime prosequente, inter moras diem clausit extremum. Nos itaque attendentes, quod eadem Constitutio tam Electorum, quam Postulatorum, qui non sunt aliis ecclesiis alligati, quique liberum non habent sine sedis apostolice permissione volatum, comparitionem exigit personalem, propter quod dictum Decanum, quia in huiusmodi comparitione personali Constitutioni non satisfecit eidem, in penam privationis iuris, si quod ex postulatione huiusmodi acquisitum sibi fuerat, in ipsa Constitutione contentam pronuntiavimus de fratrum nostrorum consilio incidisse, provisionem eidem ecclesie faciendam de Prelato hac vice sedi apostolice reservantes. Quare nos de ipsius ecclesie ordinatione celeri cogitantes, ne viduitatis subiaceret incommodis, ac cupientes eidem ecclesie regimini presidere personam, per quam posset ecclesia ipsa in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernari, in te tunc Capellanum nostrum, cui clara merita sunt nobis et fratribus nostris ex longa experientia non ignota, direximus oculos nostre mentis, teque de ipsorum fratrum consilio ipsi ecclesie preficimus in Episcopum et pastorem, firma spe fiduciaque concepta, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam preservata diligenter a noxiis, salutaribus directa consiliis, utilibus extolletur augmentis. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus humiliter suscipiens impositum a domino tibi onus, eiusdem ecclesie sollicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod ipsa ecclesia diligenti tuo studio laudabilibus, Deo auctore, in spiritualibus et temporalibus proficiat incrementis. Datum Tibure Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo Imelacensi, Clero et populo civitatis et diocesis Imelacensi, Universis

vassallis ecclesie Imelacensis, Venerabili fratri Archiepiscopo Cassellensi, et Carissimo in Christo filio... Regi Anglie Illustri.

CCCV.

Eidem electo Imelacensi, ut a quocumque maluerit catholico antistite sacros ordines et munus consecrationis recipere, et viro idoneo tabellionatus officium conferre possit. Ibid. ep. 131. et 150.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Willelmo de Glifford Electo Imelacensi, salutem etc. Cum te, in subdiaconatus ordine constitutum, nuper Imelacensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio prefecerimus in Episcopum et pastorem, devotioni tue, ut a quocumque malueris Archiepiscopo vel Episcopo, gratiam et communionem sedis apostolice habente, in diaconum et presbiterum te possis statutis temporibus facere promoveri, et quod postquam ad predictos ordines fueris rite promotus, quivis talis Archiepiscopus vel Episcopus a te super hoc requisitus, ascitis sibi duobus vel tribus Episcopis aliis, consecrationis munus vice nostra tibi valeat impertiri, auctoritate presentium duximus concedendum: ita tamen quod per hoc ecclesie Cassellensi, cui ecclesia Imelacensis iure metropolitico subesse dinoscitur, nullum in posterum preiudicium generetur. Datum Rome Id. Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Guillelmo Electo Imelacensi, salutem etc. Ut eo magis subditis tuis gratiosus appareas, quo ipsi per te auctoritate nostra munitum gratiam senserint potiorem, discretioni tue concedendi iuxta formam, quam in hoc Romana servat ecclesia, Tabellionatus officium uni persone, quam ad illud post diligentem examinatiotionem ydoneam esse repereris, plenam auctoritate presentium concedimus potestatem. Datum Rome apud Sanctam Sabinam III. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLAE NICOLAI PP. IV.

CCCVI.

Matthaeus electus Dunkeldensis confirmatur. Reg. An. I. ep. 17.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Matheo Episcopo Dunkeldensi, salutem etc. Onerosa pastoralis officii summi dispositione pastoris, qui pro suis ovibus animam posuit, nobis licet immeritis cura commissa sollicita pulsat instantia mentem nostram, inter cetera, que undique confluunt varia et diversa negotia, quibusve noster animus redditur multiplici varietate distractus, ad provisionem ecclesiarum vacantium sollicitis studiis intendimus, ne, illis pastorum presidio destitutis et Rectorum provida gubernatione carentibus, ambulantis in circuitu lupi rapacis astucia earum oves rapiat et disperdat, nec manus avida illorum bona diripiat, ne iura presumptuosus usurpet: propter quod magna reddimur attentione solliciti, ut ecclesiis supradictis pastores deputentur idonei, ac eorum regimen personis providis committatur. Sane dudum ecclesia Dunkeldensi per obitum bone memorie Willelmi Episcopi Dunkeldensis pastoris solatio destituta, dilecti filii Symon Decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, deliberaverunt in huiusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi: dictique Capitulum quinque ex eis, tibi videlicet tunc Decano Aberdonensi, supradicto Decano, ac dilectis filiis Gregorio Sancti Andree ac Guillelmo Thenidalie in ecclesia Glasguensi Archidiaconis, et Thome de Prestona Canonico Dunkeldensi potestatem dederunt, ut vos, vel maior pars vestrum per electionem canonicam de pastore ydoneo ex vobis ipsis, vel aliis de ipsius ecclesie gremio ecclesie provideretis eidem. Tu vero ac Decanus et alii tui college predicti secessistis in partem, ac inter vos tractatu habito diligenti, demum Decanus et reliqui college prefati direxerunt in te concorditer vota sua: dictusque Thomas de consensu et mandato dictorum collegarum suorum vice sua, et ipsorum ac omnium aliorum de dicto Capitulo in electionem ius habentium, et huiusmodi potestate tibi ac Decano et aliis collegis predictis concessa, te in Episcopum Dunkeldensem elegit: tuque postmodum electioni huiusmodi de te facte ad instantiam dictorum Capituli consensisti. Dicti autem Capitulum facientes nobis decretum huiusmodi electionis per eorum speciales procuratores et nuntios presentari, a nobis, ut electionem ipsam confirmaremus, suppliciter postularunt. Nos igitur tam processum electionis predicte, quam personam tuam per Venerabilem fratrem nostrum ... Portuensem Episcopum, et dilectos filios nostros Comitem tituli sanctorum Marcellini et Petri presbiterum et Benedictum sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter: et quia electionem ipsam invenimus

de te, viro utique honestate morum et vite, litterarum scientia et aliis virtutum meritis redimito, canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, preficientes te ipsi Dunkeldensi ecclesie in Episcopum et pastorem, tibique munus consecrationis impendimus per nos ipsos, firma concepta fiducia, quod, dirigente Domino actus tuos, predicta ecclesia per tue circumspectionis industriam preservabitur a noxiis et adversis, er grata in temporalibus et spiritualibus suscipiet incrementa. Reverenter itaque suscipe impositum a Domino tibi onus, ipsius ecclesie Dunkeldensis sollicitam curam gerens, gregem dominicum in illa tue fraternitati commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod prefata ecclesia tue diligentie studio multipliciter gaudere commodis et optatis consurgere valeat, auctore Domino, incrementis. Datum Rome apud S. Petrum Id. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Dilectis filiis ... Decano et Capitulo ecclesie Dunkeldensis, Clero et populo civitatis et diocesis Dunkeldensis, Universis vassallis ecclesie Dunkeldensis, Venerabilibus fratribus ... Sancti Andree et ... Glasguensi Episcopis, ac dilectis filiis aliis Ecclesiarum Prelatis et Custodibus Regni Scotiae, et Carissime in Christo filie Margarithe nate Carissimi in Christo filii nostri Regis Norweie.

CCCVII.

Episcopo Imelacensi, ut ad alterum biennium beneficia ecclesiastica, quae tempore promotionis suae obtinebat, retinere possit. Reg. An. I. ep. 249.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Imlacensi, salutem etc. Grandis affectus, quem ad personam tuam gerimus, ac devotionis integritas, quam ad Romanam ecclesiam te habuisse conspicimus, merito nos inducunt, ut te favorabiliter prosequentes tibi specialem gratiam faciamus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod fel. record. Honorius papa, predecessor noster, conditiones ecclesie Imlacensis, que propter vacationem longam et guerrarum discrimina molestias graves pertulerat et iacturas, ac debitorum onera, quibus predicta erat ecclesia obligata, diligenter attendens, tibi tunc Electo Imlacensi de Wessinton, de Brinton et de Hyrecestre Dunelmensis et Lincolmensis diocesum ecclesias curam animarum habentes, quas promotionis tue tempore canonice obtinebas, auctoritate apostolica usque ad biennium de speciali gratia reservavit, et decrevit ex tunc irritum et inane, si secus super hiis contra huiusmodi reservationis tenorem a quoquam contingeret attemptari, tibi nichilominus eadem auctoritate concedens, ut fructus, redditus et proventus earumdem ecclesiarum, etiam postquam esses in Episcopum consecratus, ex tunc predictum biennium ubique cum ea integritate percipere posses, cum qua illos perciperes, si personaliter in eisdem ecclesiis resideres. Non obstante constitutione generalis concilii, seu quibuslibet aliis statutis et consuetudinibus contrariis, iuramento etc. effectus huiusmodi tibi facte gratie impediri posset quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore in litteris dicti predecessoris super hoc confectis esset habenda mentio specialis. Cum autem, sicut asseris, predicta ecclesia Imlacensi propter premissas causas, que adhuc extare noscuntur, adeo sit collapsa, quod nondum aliquid pro sustentatione tua de ipsius redditibus percepisti, nec est spes, quod hinc ad multos annos aliquid de bonis ipsius ecclesie Imlacensis, quod tibi et competenti familie tue sufficere possit, percipere debeas et habere, nobis humiliter supplicasti, ut cum aliud non sit tibi, ex quo tu et familia tua possitis aliquatenus sustentari, nisi redditus predictarum ecclesiarum dumtaxat tibi aliter concessarum, nec adhuc predictum biennium sit decursum, quamquam de illius tempore parum restet, providere tibi super hoc de apostolice sedis affluentia dignaremur. Nos igitur attendentes, quod tu nobilis genere, virtutibus affluis, et officii honorificentia nosceris preminere, considerantes quoque, quod quanto fecundius abundabis, tanto facilius et commodius oportunitatibus ecclesie prefate succurreres, et illam poteris liberare a presentibus nocumentis et a noxiis preservare, dignum duximus, ut gratanter introducaris ad gratiam paterne dilectionis tibi ianuis reseratis, propter quod tuis supplicationibus inclinati fraternitati tue de Wessinton, de Brinton et de Hyrecestre ecclesias nominatas, quas, ut premittitur, promotionis tue tempore canonice obtinebas et adhuc retines, auctoritate apostolica usque ad biennium a fine ipsius biennii computandum de speciali gratia reservamus, ac decernimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis contra reservationis nostre tenorem a quoquam contigerit attemptari, tibi eadem auctoritate nichilominus concedentes, ut non obstantibus omnibus supradictis fructus, redditus et proventus predictarum ecclesiarum ex nunc per dictum biennium cum ea integritate percipere possis, cum qua illos perciperes, si personaliter in eisdem ecclesiis resideres. Proviso quod ecclesiarum ipsarum ministris seu servitoribus congrua portio reservetur, ita quod ecclesie ipse interim debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre reservationis, constitutionis et concessionis etc. Dat. Rome apud Sanctam Mariam Maiorem IIII. Kalend. Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

CCCVIII.

Fratribus de Lundors ordinis s. Benedicti S. Andreae diocesis donatio cuiusdam ecclesiae parrochialis ipsis facta confirmatur. Reg. An. I. fol. 67.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii de Lundors ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis, salutem etc. Cum a nobis petitur etc. usque effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod quondam Rogerus de Quenci Comes Wyntonie, Constabularius Scotie, ius patronatus ecclesie de Cullessy Sancti Andree diocesis tunc ad ipsum pertinens, vobis et Monasterio vestro, dum viveret, de consensu bone memorie Gamelini Episcopi Sancti Andree loci diocesani liberaliter contulit intuitu pietatis, ac

idem Episcopus de assensu Capituli sui vobis eandem ecclesiam in proprios usus ordinaria auctoritate concessit, ita quod cedente vel decedente ipsius ecclesie Rectore, qui tunc vivebat, eiusdem ecclesie possessionem ingredi libere possetis alicuius assensu minime requisito, Vicario perpetuo in dicta ecclesia servituro portione congrua de ipsius ecclesie proventibus reservata, ex qua commode sustentari possit, ac incumbentia sibi onera supportare, prout in patentibus litteris inde confectis Comitis et Epi ac Capituli predictorum sigillis munitis plenius dicitur contineri. Vosque postmodum dictam ecclesiam per cessionem prefati Rectoris vacantem iuxta concessionem huiusmodi in predictos usus habentes, ipsam in usus eosdem canonice retinetis, Vicario per vos, ut premittitur, servituro in eadem ecclesia constituto, sibique de ipsius ecclesie proventibus portione congrua assignata. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super premissis provide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem Idus Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

CCCIX.

Episcopo S. Andreae in Scotia et collegae, ut fratribus ord. Praed. de Berwic domum quandam emendi licentiam dent, et pretium eiusdem moderandum curent. Reg. An. I. ep. 285. fol. 68.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo Sancti Andree in Scotia, et dilecto filio Giffrido de Vezano, Camere nostre clerico, in Anglia commoranti, salutem etc. Sua nobis dilecti filii ... Prior et Conventus fratrum domus de Berwico ordinis Predicatorum Sancti Andree diocesis petitione monstrarunt, quod eis significantibus olim felicis recordationis Honorio pape IIII. predecessori nostro, quod dicta domus a villa predicti loci et ab hominum habitatione adeo remota erat, quod accessus fidelium ad domum ipsam valde rarus et difficilis existebat pro faciendis confessionibus suis, ac illorum, sicut desiderabant, orationibus et predicationibus audiendis, et quod fratribus ipsis nimis erat grave ad infirmos ville predicte, cum ab illis vocabantur, accedere pro salutaribus consiliis impendendis eisdem, quodque fratres ipsi utpote in loco degentes solitario, et sicut premittitur, a villa predicta distante, multis patebant periculis et detrimentis plurimis subiacebant, ac supplicantibus dicto predecessori, ut locum, quem fratres ordinis Penitentie Ihesu Christi infra supradictam villam habuerant, dictis Priori et Conventui vendi de apostolice sedis benignitate mandaret. Idem predecessor attendens, quod pie memorie Gregorius papa X., predecessor noster, in generali concilio Lugdunensi ordines, qui non meruerunt confirmari per sedem apostolicam, revocarat, et confirmatos ipsius sedis auctoritate, quibus habendi possessiones vel redditus ipsorum regula seu constitutione obsistentibus facultas non aderat, sed victum eis per questum publicum incerta mendicitas ministrabat, ita subsidere voluit, quod nullum ex tunc ad eorum professionem admitterent, nec de novo domum aut aliquem (locum) reciperent, neque domos seu loca, que tunc obtinebant, alienare valerent, reservans nichilominus domos et loca huiusmodi dispositioni sedis eiusdem in terre sancte subsidium, vel pauperum, aut alios pios usus per locorum ordinarios, vel eorum, quibus hec sedes ipsa committeret, convertenda, et volens dictus predecessor Honorius animarum providere saluti, tibi, frater Episcope, suis dedit litteris in mandatis, ut locum ipsum cum pertinentiis suis prefatis Priori et Conventui, vel procuratori dicti ordinis Predicatorum auctoritate dicti predecessoris Honorii venderes pro protio competenti, convertendo in subsidium memoratum. Cumque tu, predicte Episcope, ipsius loci examinationem quibusdam laicis vicinis dicti loci faciendam commisisses, ipsi locum predictum ultra valorem competentem et debitum, ut dicitur, extimarunt. Quare pro parte dictorum Prioris et Conventus fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipsi ad solvendum ad presens pretium dicti loci, etiam si iusto esset pretio extimatus, propter paupertatem nimiam, qua gravantur, reddantur penitus impotentes, extimationem predictam reduci ad debitum pretium, eisque ad dictum pretium persolvendum competentes inducias concedi de benignitate apostolica mandaremus. Nos itaque ipsorum Prioris et Conventus votis et necessitatibus in hiis, que digne possumus, providere volentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si vobis constiterit, locum predictum ultra valorem debitum extimatum fuisse, vos extimationem huiusmodi moderantes, locum ipsum pro pretio, quod vobis competens visum fuerit, memoratis Priori et Conventui, sive procuratori dicti ordinis predicatorum vendere Procuretis iuxta predictarum ipsius predecessoris continentiam litterarum, ac eis ad solvendum dictum pretium trium annorum terminum concedatis, ita quod annis singulis in termino (a) vobis statuendo tertiam partem eiusdem pretii solvere teneantur. Ceterum pecuniam, quam vos pro dicto loco recipere contigerit, in aliquo tuto loco nostro et ecclesie Romane nomine convertendam in predictum subsidium deponatis, et super depositione huiusmodi confici faciatis duo publica instrumenta, quorum unum ad cautelam penes vos retineatis et conservetis, reliquum cum litteris vestris seriem presentium, et quidquid super premissis feceritis continentibus nobis per fidelem nuntium transmissuri. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem VII. Idus Februarii, Pontificat. nostri anno primo.

CCCX.

Fratribus de Lundors ord. s. Benedicti S. Andreae dioecesis, ut propter frigus in quibusdam solemnitatibus pileo uti possent. Reg. An. II. ep. 98.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui de Londors (sic) ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis, salutem etc. Favor vestre religionis exposcit, et devotionis vestre merita nos

inducunt, ut vos specialis favoris gratia prosequentes petitionibus vestris, quantum cum deo possumus, annuamus. Sane, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, in Monasterio vestro de longa consuetudine observatur, quod singuli vestrum in singulis festivitatibus sollempnibus totius anni ad honorem Dei et beate Marie Virginis, matris eius, ad cuius honorem ac vocabulum ecclesia predicti Monasterii est constructa, dum divina ministeria celebrantur, et etiam in processionibus albis et capis sericis revestiri ac capitibus nudis stare tenentur, sicque quia in terra frigida est regio Scoticana, aliquorum Monachorum dicti Monasterii capita tantum frigus invadit, quod nonnulli ex eis occasione huiusmodi infirmitates longissimas incurrerunt, et adhuc frequenter incurrunt: Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum in Monasterio ipso divinus cultus a multis et in multis occasione huiusmodi minuatur, providere vobis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos itaque, quantum cum deo possumus, omnem causam intendentes demere, per quam idem cultus in prefato Monasterio valeat impediri, vestris supplicationibus inclinati, ut quotiens in aliquibus festivitatibus et processionibus vos revestiri contigerit, ut pilleis ordini vestro congruentibus in divinis huiusmodi valeatis, vobis auctoritate presentium indulgemus: Ita tamen, quod in lectione evangelica, ac in elevatione corporis domini nostri Ihesu Christi et omnibus aliis debita reverentia observetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum apud Sanctam Mariam Maiorem Idibus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXI.

Rogerio priori monasterii de Mucinor ord. s. Augustini Conerensis diocesis, ut non obstante defectu natalium eidem monasterio preesse possit. Reg. An. II. epist. 155.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Reggerio Priori Monasterii de Mucinor, per Priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini Conerensis diocesis in Ybernia, salutem etc. Specialem a domino gratiam consecutus, sic meritorum laudabilium multorum testimonio commendaris, sic affluere diceris ubertate virtutum, quod non indigne mereris affluentia liberalitatis apostolice sedis specialibus gratiis honorari. Sane tua nobis exhibita petitio continebat, quod cum susceperis ortum ex copula, quam fedus matrimonii non cognovit, utpote de soluto genitus et soluta, obtinuisti, cum esses clericus secularis et in minoribus ordinibus constitutus, ut ad omnes sacros ordines promoveri, et beneficium ecclesiasticum, etiam si curam animarum haberet, posses retinere licite, auctoritate felicis recordationis Alexandri pape IIII. predecessoris nostri misericorditer dispensari. Postmodum vero ad frugem melioris vite aspirans, ecclesia curam animarum habente, quam pretextu dispensationis prefate habueras, liberaliter resignata, in Monasterio de Mucinor fuisti receptus in Canonicum regularem. Demum vero eodem Monasterio per mortem Augustini olim ipsius Monasterii Prioris vacante pastore, Conventus eiusdem Monasterii Venerabili fratri nostro ... Conerensi Episcopo loci diocesano, et dilecto filio Magistro Hugoni Ladel eius officiali providendi canonice dicto Monasterio de Priore dederunt liberam potestatem: qui, huiusmodi potestate recepta, te prefecerunt ipsi Monasterio in Priorem. Verum dubitans propter bonum conscientie, utrum pretextu dispensationis huiusmodi dictum Monasterium possis licite retinere, nobis humiliter supplicasti, ut providere super hoc anime tue et saluti misericorditer curaremus. Nos igitur Metropolitani tui ac eorumdem Episcopi et Conventus pro te humiliter intercedentium, ac tuis supplicationibus inclinati, ut Monasterium ipsum licite retinere et gubernare valeas, tecum auctoritate presentium de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Datum Rome apud S. Mariam Maiorem x. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXII.

Willelmus electus Tuamensis confirmatur. Reg. An. II. epist. 279.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Willelmo Electo Tuamensi, salutem etc. Militanti ecclesie, disponente domino, licet immeriti presidentes, circa curam omnium ecclesiarum sollertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta pastoralis officii debitum commissi nobis gregis dominici curam utiliter gerere, divina cooperante clementia, studeamus: et quamquam assidue circa singularum commoda vigilemus, tamen erga illas, que deplorant viduitatis incommoda propensiori cura et maiori pulsamur instantia, ut eis preficiamus viros ydoneos in pastores. Dudum siquidem Tuamensi ecclesia per obitum bone memorie Stephani Archiepi Tuamensis pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie ad tractandum de futuri substitutione Prelati, prout moris est, insimul convenerunt, ac per viam compromissi in huiusmodi negotio procedentes, dilectis filiis Iohanni Maiori et Concordi Maionensi Archidiaconis, Iohanni de Alatro Precentori, et Nicolao de Hyndeberge Thesaurario, Thome de Wacford Cancellario, Alano de Wellis et Nicolao de Guarcino Canonicis ecclesie supradicte providendi ea vice eidem ecclesie de pastore concesserunt liberam potestatem: qui auctoritate concessionis huiusmodi te, tunc Rectorem ecclesie de Athnerwy Tuamensis diocesis, in Tuamensem Archiepiscopum concorditer elegerunt, tuque electioni huiusmodi consensisti: ac demum super huiusmodi electionis negotio de te facte personaliter ad apostolicam sedem accedens, ne prefata ecclesia sub dilationis expectatione, que quandoque in negotiorum examinatione emergit, diutius incommoda viduitatis sentiret, omne ius, quod tibi ex electione huiusmodi competebat, sponte ac libere in nostris manibus resignasti. Nos itaque huiusmodi resignatione recepta, de ordinatione ipsius ecclesie sollicite cogitantes, ac talem eidem ecclesie cupientes preesse pontificem, per quem posset salubriter gubernari, ad personam tuam direximus oculos nostre mentis, cui de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritua-

lium, temporalium providentia et generis nobilitate laudabile testimonium perhibetur, teque de fratrum nostrorum consilio ecclesie predicte prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, firmam spem fiduciamque tenentes, quod eadem ecclesia per tue diligentie studium preservabitur a noxiis, et spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Tolle igitur iugum domini tam leve collis humilibus quam suave, et in dilectione dei pascendum suscipe gregem suum, super quem noctis vigilias diligens sollicitusque custodi, ut liber non pateat aditus invasori, et dominus insuspicabili hora venturus, si te invenerit sic agentem, cursu consumato, qui tuo labori proponitur, et horum fide servata, que tue sollicitudini committuntur, te fidelem compertum in modico supra multa constituat, ac in dilecta gaudiorum suorum tabernacula introducat. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem vi. Nonas Maii, Pont. nostri anno secundo.

In e. m. Dilectis filiis ... Decano et Capitulo ecclesie Tuamensis, Clero et populo civitatis et diocesis Tuamensis, Universis Vassallis ecclesie Tuamensis, Universis Suffraganeis ecclesie Tuamensis, Carissimo in Christo filio ... Regi Anglie Illustri.

CCCXIII.

Cum rectore ecclesiae de Tyrnachtin Tuamensis dioecesis de defectu natalium et de pluralitate beneficiorum dispensatur. Reg. An. II. ep. 250.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Guillelmo Rectori ecclesie de Tyrnachtin Tuamensis diocesis, salutem etc. Constitutus dudum in presentia nostra nobis exponere curavisti, quod tu, dum infra undecimum annum tue etatis existeres, primo de Cuccanffan, ab eo tamen, ad quem ipsius ecclesie collatio pertinebat, ac deinde postquam vicesimum tertium tue etatis exigeres, de Moydrisie, ac etiam post generale concilium Lugdunense, perfecto ipsius etatis legitimo tempore, de Achnetyg et de Castro Oconheuri, ac demum de Tyrnachtin Cassellensis, Laonensis, Tuamensis et Aladensis diocesum ecclesias, quibus animarum cura iminet, recepisti, illasque omnes tibi collatas, predicta ecclesia de Tyrnachtin duntaxat excepta, quam per menses undecim tantum possedisse, nichilque de illius fructibus adhuc percepisse te asseris, absque dispensatione sedis apostolice per annos plurimos possedisti, fructus et proventus percipiens ex eisdem, nec te infra annum iuxta tenorem constitutionis super hoc in eodem concilio edite fecisti in presbiterum promoveri. Te itaque supplicante nobis humiliter, ut providere tibi super premissis salubriter dignaremur, Venerabilis frater noster Iohannes Tusculanus Episcopus, cui hoc commisimus oraculo vive vocis, ut non obstante, quod ecclesias ipsas et earum fructus, quos tibi remisit de gratia speciali, taliter recepisti, et absque dispensatione aliqua diutius tenuisti, nec fecisti te, ut tenebaris, in presbiterum promoveri, quod ad Episcopalem vel Archiepiscopalem dignitatem, si te ad illam canonice evocari contigerit, assumi possis, tecum misericorditer dispensavit, omnem notam sive maculam ex huiusmodi receptione ac retentione dictarum ecclesiarum et fructuum predictorum perceptione, ac etiam quia, ut premittitur, et tenebaris, non fecisti te in presbiterum ordinari, contra te obortam, prout ex eadem commissione poterat, nichilominus penitus absolvendo, ita quod eorum pretextu nichil tibi possit obici, nullamque obstaculum interponi, prout in patentibus litteris inde confectis, ipsius Cardinalis sigillo munitis, plenius continetur. Nos igitur tuis supplicationibus devotis inclinati, quod super hoc per eundem Cardinalem provide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem ipsarum litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est.

Iohannes miseratione divina Tusculanus Epus, discreto viro Magistro Guillelmo Rectori ecclesie de Tyrnachtin Tuamensis diocesis, Salutem in domino. Nuper vos in Sñi patris et domini nostri, dñi Nicolai divina providentia pape IIII. presentia retulistis, quod olim, cum essetis in etatis vestre anno undecimo constituti, ecclesiam de Cuccanffan Cassellensis diocesis curam animarum habentem, collatam vobis ab illo, ad quem eius pertinebat collatio, recepistis, et postmodum ante quam eiusdem etatis annum vigesimum tertium compleretis, ecclesiam de Moydrisie Laonensis diocesis, cui similis cura imminet, adepti fuistis, et postquam ad etatem legitimam pervenistis, et etiam post generale concilium Lugdunense novissime celebratum, de Achnetyg et de Castro Oconheuri, et demum de Tyrnachtin ecclesie curam animarum habentes Tuamensis et Aladensis diocesum vobis collate fuerunt, illasque omnes per multos annos, predicta ecclesia de Tyrnachtin dumtaxat excepta, quam per undecim menses tantum vos asseritis possedisse, nichilque vobis provenisse de ipsius proventibus, absque dispensatione sedis apostolice tenuistis, percipiendo earumdem ecclesiarum redditus et proventus, nec fecistis vos ad sacerdotium promoveri iuxta constitutionem super hoc editam in concilio supradicto. Quare dicto domino papa humiliter supplicastis, ut providere vobis super hiis salubriter dignaretur. Nos igitur auctoritate dicti domini pape oraculo vive vocis nobis specialiter in hac parte commissa, vobiscum super eo, quod predictas ecclesias taliter recepistis, tenuistis, et fructus, redditus et proventus percipistis ex eis, quos vobis remittimus, quodque vos, ut premittitur, promoveri ad sacerdotium non fecistis, et constitutione generalis concilii, vel alia quavis contraria super hoc edita nequaquam obstantibus, ad Episcopalem et Archiepālem dignitatem, si vos ad eam canonice vocari contigerit, valeatis assumi, auctoritate predicta misericorditer dispensamus, omnem notam sive maculam ex premissis receptione, retentione predictarum ecclesiarum, seu perceptione fructuum eorumdem, et ex eo etiam, quod fuistis, ut predictum est, in presbiterum ordinatus, obortam, eadem auctoritate penitus abolentes, ita quod nichil vobis proinde possis obici, nullumque obstaculum interponi. In cuius rei testimonium presentes littera fieri fecimus, et nostri sigilli munimine

roborari. Datum Rome apud S. Mariam Maiorem IX. Kal. Maii, anno Nativitatis dñi M.CC.LXXXIX. Indictione II., pontificatus domini Nicolai pape IIII. anno secundo.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Reate XV. Kal. Iunii, Pont. nostri anno secundo.

CCCXIV.

Tuamensi electo, ut a quocumque antistite catholico presbyteratus ordinem recipere possit. Reg. An. II. fol. 169.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Guillelmo Electo Tuamensi, salutem etc. Cum te, in subdiaconatus ordine constitutum, Tuamensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio prefecimus in Archiepum et pastorem, et postmodum de nostra licentia fueris ad ordinem diaconatus promotus, discretioni tue suscipiendi, postquam ad ecclesiam ipsam perveneris, statuto ad hoc tempore presbiteratus ordinem a quocumque malueris catholico Epo, gratiam et communionem apostolice sedis habente, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Rome VII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXV.

Clonfertensi et Aladensi epis, ut eorum alter electo Tuamensi munus consecrationis impendat. Reg. An. II. fol. 169.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Clonfertensi et ... Aladensi Episcopis, salut. etc. Cum nos nuper Tuamensi ecclesie de dilecto filio Guillelmo Electo Tuamensi, tunc Rectore ecclesie de Achnerwi Tuamensis diocesis, auctoritate apostolica duximus providendum, preficientes ipsum eidem Tuamensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio in Archiepiscopum et pastorem: fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Electo, cum ab eo super hoc fueritis requisiti, ascitis duobus aliis Episcopis suffraganeis ipsius ecclesie Tuamensis, gratiam et communionem apostolice sedis habentibus, sibi alter vestrum auctoritate nostra munus consecrationis impendat, recepturus postmodum ab eo nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam vobis sub bulla nostra transmittimus interclusam, fidelitatis solite iuramentum. Datum ut supra.

CCCXVI.

Iudicibus, ut cum Roberto dicto Flamingo milite Aberdonensis dioec. et uxore eius de matrimonio dispensent. Reg. An. II. ep. 246.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis ... Archidiacono et ... Thesaurario ecclesie Aberdonensis, salutem etc. Exhibita nobis dilecti filii Roberti dicti Flamingi militis, et dilecte in Christo filie Affrice nate nobilis viri Reginaldi dicti Lichen Aberdonensis diocesis petitio continebat, quod ipsi olim ignorantes, quod aliqua esset consanguinitas inter eos, publice in facie ecclesie matrimonium ad invicem contraxerunt, nullo super hoc contradicente, vel impedimentum aliquod opponente, ac deinde inter ipsos carnali copula subsecuta, diu insimul ut coniuges habitantes, plures filios procrearunt. Postmodum autem compertum extitit, quod predicti Robertus et Affrica quarto sunt consanguinitatis gradu coniuncti: quare nobis ipsi humiliter supplicarunt, ut cum ex separatione huiusmodi matrimonii, si eam contigeret fieri, grave sicut asserunt posset scandalum exoriri, providere super hoc ipsis de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur scandalo huiusmodi obviare, ac dictorum Roberti et Affrice devotis supplicationibus in hac parte favorabiliter annuere, quantum cum deo possumus, intendentes, gerentes quoque de vestra circumspectione fiduciam in domino pleniorem, discretioni vestre auctoritate presentium committimus et mandamus, quatenus, si vobis constiterit de premissis, super quibus vestras intendimus conscientias onerare, cum predictis Roberto et Affrica auctoritate nostra dispensare curetis, quod impedimento non obstante predicto possint in prefato matrimonio licite remanere, prolem eorum susceptum et suscipiendam legitimam nuntiando. Datum Reate IIII. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXVII.

Guillelmo electo Tuamensi pallium conceditur. Reg. An. II. ep. 291.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Clonfertensi ... Aladensi et ... Akadensi Episcopis, salutem etc. Nuper Tuamensi ecclesie tunc destitute pastore de dilecto filio Guillelmo Electo Tuamensi, tunc Rectore ecclesie de Achnerwi Tuamensis diocesis, auctoritate apostolica duximus providendum, preficientes ipsum eidem ecclesie Tuamensi de fratrum nostrorum consilio in Archiepiscopum et pastorem, vobisque, Clonfertensis et Aladendis fratres Episcopi, per alias nostras dedimus litteras in mandatis, ut eidem Electo alter vestrum, cum ab eo super hoc requisiti fueritis, ascitis sibi duobus aliis Episcopis predicte ecclesie Tuamensis suffraganeis, gratiam et communionem apostolice sedis habentibus, auctoritate nostra munus consecrationis impendat. Ne igitur dictum Electum oporteat ad apostolicam sedem pro obtinendo ab ipsa palleo, quod est insigne pontificalis officii, accedere seu nuntium destinare, ac exinde laboribus seu sumptibus fatigari: Nos ipsius Electi supplicationibus inclinati, palleum ipsum cum ea, qua decet, instantia postulatum de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios Iohannem Archidiaconum, et Thomam Cancellarium predicte ecclesie Tuamensis assignandum prefato Electo vobis duximus destinandum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus postquam dictus Electus consecrationem predictam receperit, palleum ipsum ei vos vel duo aut unum vestrum assignare curetis sub forma, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, et ab ipso nomine nostro et ecclesie Romane sub forma, quam vobis sub eadem bulla dirigimus, recipiatis fidelitatis solite iuramentum. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eius patentes litteras suo sigillo signatas per per proprium nuntium quantocius destinetis. Datum Rome VI. Idus Iulii, Pont. nostri anno secundo.

CCCXVIII.

Episcopo Waterfordensi, ut cum Willelmo dicto Lebutill eiusque uxore super matrimonio dispenset. Reg. An. II. ep. 313.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo Waterfordensi, salutem etc. Petitio dilecti filii nobilis viri Willelmi dicti Lebutill, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Iohanne de Fitifelt tue diocesis nobis exhibita continebat, quod ipsi, qui quarto sunt consanguinitatis gradu coniuncti, adinvicem matrimonium publice, nemine contradicente, in ecclesie facie contraxerunt, impedimentum consanguinitatis huiusmodi tunc penitus ignorantes, et carnali postmodum inter eos copula subsecuta, plures filios et filias procrearunt. Quare dicti Willelmus et Iohanna nobis humiliter supplicarunt, ut cum ex separatione huiusmodi matrimonii, si eam contingeret fieri, grave, sicut asserunt, posset scandalum exoriri, providere ipsis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur scandalo huiusmodi obviare, dictorumque Willelmi et Iohanne saluti super hoc paterna sollicitudine consulere intendentes, ac gerentes de tua circumspectione fiduciam in domino pleniorem, fraternitati tue presentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus, si per diligentem inquisitionem a te super hoc faciendam, super qua tuam intendimus conscientiam onerare, tibi constiterit de premissis, cum Willelmo et Iohanna prefatis, ut impedimento non obstante predicto possint in prefato matrimonio licite remanere, auctoritate nostra dispenses, prolemque eorum susceptam et suscipiendam legitimam nuntiando. Datum Reate XII. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXIX.

Electo Tuamensi, ut omnia beneficia, quae tempore promotionis suae obtinebat, ad triennium retinere, ac redditus et proventus beneficiorum vacantium primi anni in solutionem debitorum ecclesiae suae percipere possit. Reg. An. II. ep. 400 et 401.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Willelmo Electo Tuamensi, sal. etc. Cum sicut nobis exponere curavisti, Tuamensis ecclesia, cui de te nuper duximus providendum, propter grandia debitorum onera, quibus pregravata dinoscitur, et etiam ob multimoda guerrarum discrimina, et occupationes ac invasiones bonorum ipsius ecclesie, a nonnullis dampnabili temeritate presumptas, fructus, redditus et proventus eiusdem ecclesie sint adeo diminuti, quod ex eis non potes commode satisfacere de debitis supradictis, et iuxta dignitatis Archiepiscopalis decentiam commode sustentari: Nos tuis supplicationibus inclinati, ut de Cuockgrafan Cassellensis, de Moydrisue Laoniensis, de Athnery Tuamensis, et de Castro Coukufin Aladensis diocesum ecclesias curam animarum habentes, quas electionis huiusmodi de te facte tempore de facto tenebas, possis per triennium una cum Archiepiscopatu Tuamensi licite retinere, ac fructus et proventus earum libere percipere in solutionem debitorum huiusmodi, ac tuos sumptus necessarios convertendos, non obstante constitutione concilii generalis, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem: proviso quod interim predicte ecclesie debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Reate Nonis Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Willelmo Electo Tuamensi, salutem etc. Cum sicut etc. ut supra: Nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut fructus, redditus et proventus primi anni personatuum, dignitatum, prebendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet, que de iure nulli alii vel aliis debita in civitate ac diocesi Tuamensi usque ad triennium vacare contigerit, libere percipere valeas in solutionem debitorum huiusmodi convertendos, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem: proviso quod interim personatus, dignitates, prebende ac beneficia ipsa debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. Datum ut supra.

In e. m. Venerabilibus fratribus ... Lismorensi et ... Laoniensi Episcopis. Cum, sicut dilectus filius Willelmus Electus Tuamensis nobis exposuit etc. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos, vel per alium seu alios eidem Electo fructus, redditus et proventus eosdem iuxta concessionis nostre tenorem faciatis integre exhiberi. Contradictores etc.

CCCXX.

Archiepo Dublinensi conceditur, ut incendiarios ecclesiarum etc. absolvere possit. Reg. An. II. ep. 467.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Lecta coram nobis fraternitatis tue petitio continebat, ut cum in provincia tua et in partibus Ybernie nonnulli clerici et laici, tam propter ecclesiarum, villarum et aliorum locorum destructionem incendii, quam propter spoliationes publicas, quas olim commisisse noscuntur, auctoritate apostolica sint diversis excommunicationis sententiis innodati, et easdem sententias per tempora sustinuerint longiora, et ex ipsis aliqui propter capitales inimicitias, aliqui propter debilitatem proprii corporis, aliqui vero propter nimiam paupertatem pro obtinendo absolutionis beneficio sedem apostolicam adire non possunt, tu de ipsorum salute sollicitus provideri eis de beneficio absolutionis per apostolice sedis misericordiam petiisti. Nos igitur de circumspectione tua plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue, ut hac vice talibus, prius ab eis de parendo mandatis ecclesie ydonea cautione recepta, et imposita eis pro modo culpe penitentia salutari, ac restitutis dampnis per eos occasione huiusmodi irrogatis, in quantum facultates patiuntur ipsorum, auctoritate nostra de absolutionis beneficio valeas providere, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Reate Nonis Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXXI.

Episcopo Aberdonensi, ut ad ampliandam ecclesiae suae cathedralis structuram proventus primi anni omnium beneficiorum vacantium per triennium convertere possit. Reg. An. II. ep. 450.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo Aberdonensi, salutem etc. Gaudemus in domino, et in eius clementia gloriamur, quod sedentis in throno gratia in tuo corde diffusa, sensus tuos pietati operum deputans, templa dominica, in quibus hostia iubilationis offertur, libenter de novo construis et satagis ampliare constructa, ut ex hoc et aliis piis tuis actibus faciem maiestatis eterne splendore incomprehensibili radiantem merearis in celi palatio contemplari. Et siquidem, sicut accepimus, bone memorie Hugo Aberdonensis Episcopus predecessor tuus ecclesiam Aberdonensem, que inter ecclesias illarum partium titulo nobilitatis prefulget, dudum scemate constructa dedecoro, in sollempniorem et ampliorem formam erigere cupiens, ipsam structura nobili admodum construere incepit opere plurimum sumptuoso, ad cuius consumationem proprie non suppetunt facultates: quare super hoc apostolice gratie subsidium humiliter implorasti. Ut igitur circa perfectionem tam pii operis facilius oportuni adictione consilii valeas laudabile tuum propositum adimplere, fraternitatis tue precibus benignius annuentes, fructus, redditus et proventus primi anni omnium ecclesiarum, prebendarum, beneficiorum ecclesiasticorum, etiam si personatus et dignitates existant, et curam habeant animarum, que usque ad triennium in Aberdonensi civitate et diocesi vacare contigerit, tibi auctoritate apostolica percipiendos concedimus in eiusdem ecclesie fabricam convertendos, ita quod per hoc receptis et recipiendis in eadem Aberdonensi, et in aliis ecclesiis beneficia in predictis civitate et diocesi auctoritate apostolica spectantibus nullum preiudicium generetur: proviso, quod huiusmodi fructus, redditus et proventus in alios quam ipsius fabrice usus minime convertantur, et quod interim personatus, dignitates ecclesiastice, prebende et beneficia huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Dat. Reate vii. Idus Septembris, Pont. nostri anno secundo.

In e. m. Dilecto filio ... Archidiacono Moraviensi. Gaudemus in domino etc. ut supra, verbis competenter mutatis, usque negligatur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te, vel per alium seu alios huiusmodi fructus, redditus et proventus eidem Episcopo iuxta huiusmodi concessionis nostre tenorem facias integre assignari, Non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici etc. Datum ut supra.

CCCXXII.

Iudicibus, ut cessionem electi Cloanensis recipiant. Reg. An. II. ep. 441.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Armachano et ... Episcopo Clochorensi, salutem etc. Ad hoc nos deus pretulit in familia domus sue, ut oportuna singulis provisionis auxilia ex iniuncte servitutis officio sollicita providentia pro tempore dispensemus, eorum presertim necessitatibus intendendo, qui in partem sollicitudinis sunt assumpti, cum quanto sunt potioris dignitatis titulo insigniti, tanto notabiliora in ipsis paupertatis incommoda cernerentur. Cum itaque dilectus filius Gilbertus Electus Cloanensis confirmatus, sicut nobis significare curavit, per quosdam perditionis filios emulos et inimicos suos oculorum suorum lumine sit privatus, ac per hoc inhabilis et insufficiens ad regimen Cloanensis ecclesie sit effectus, velit cedere regimen ecclesie supradicte: nobis per suas litteras humiliter supplicavit, ut cessionem ipsius admittere, et sibi de bonis eiusdem ecclesie pro sustentatione sua provisionem congruam assignari de benignitate apostolica mandaremus. Nos tam eiusdem ecclesie, quam prefato Electo, ne in obprobrium clericalis ordinis et universalis ecclesie mendicare cogatur, paterno compatientes affectu, ac de circumspectione vestra gerentes in domino fiduciam pleniorem, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eiusdem Electi vice nostra cessione recepta, de redditibus et proventibus ecclesie predicte prefato Electo provisionem congruam, ex qua cum decenti familia commode sustentari valeat, assignatis, ab eo quandiu vixerit retinendam, Non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, vel contingat in posterum indulgeri, quod ad provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint per litteras apostolicas, que plenam et expressam de indulto huiusmodi non fecerint mentionem, sive qualibet alia indulgentia dicte sedis cuiuscumque tenoris existat, per quam in nostris litteris non insertam vel totaliter non expressam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua de verbo ad verbum fieri debeat mentio specialis. Contradictores etc. Ceterum, tu frater Archiepiscope, prefato iniungas Capitulo, ut sibi per electionem canonicam de ydonea persona provideant, que tanto congruat oneri et honori. Datum Reate Idibus Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXXIII.

Regi Angliae respondetur ad ea, quae per nuntios suos pontifici de tempore passagii ultramarini exposuit, et de decima terrae sanctae in Angliae et Scotiae regnis et in terris Walliae et Hiberniae collecta et colligenda etc. Reg. An. II. ep. 565.

Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Anglie Illustri, salutem etc. Copiosus in misericordia dominus, qui de sue habundantia pietatis corda Regum et Principum devotionis igne succendit, ad salubrium exercitium actionum precordiis Regiis gratiam inspirationis exhibuit, ut innumeris afflictionibus et pressuris terre sancte compatiens, quas efferi hostis impietas multiplicare non desinit, ad ulciscendas ipsius terre, quin immo nostri Salvatoris iniurias et gravamina relevanda fervens dirigatur desiderium mentis tue, super quo tibi eo congaudemus obnixius, quo Regie salutis augmen-

tum votis propensioribus affectamus. Sane, fili carissime, huius tuum salutare deoque acceptum propositum felicis recordationis Martino, et postmodum recolende mem. Honorio Romanis Pontificibus, predecessoribus nostris, per litteras tuas et nuntios exponere curavisti, nonnullis petitionibus, ut efficacior propositi regii executio proveniret, eidem Honorio predecessori per eosdem nuntios destinatis. Qui propositum ipsum condignis laudibus prosequens, tibique in illo pia benignitate congaudens, certas responsiones super petitionibus antedictis regie duxit magnitudini faciendas, prout in suis super hoc confectis litteris plenius et seriosius noscitur contineri, expresse adiciens in eisdem, quod si te in assumptione crucis, statuto super hoc per apostolice sedis providentiam tempore, aut ipsius ex tunc delatione vel prosecutione negotii iuxta predicte sedis arbitrium deficere fortasse contingeret, dispositio illorum, que in eisdem responsionibus et litteris habebantur, ad Romanam devolverent ecclesiam, et apud eam libera perinde remanerent, ac si facte per ipsum responsiones huiusmodi non fuissent. Nuper autem dilecti filii frater Guillelmus de Hothum ordinis Predicatorum, et nobilis vir Oddo de Grandisono Regie celsitudinis nuntii ad nostram presentiam accedentes, nobis ex parte tua exponere curaverunt, quod licet in eiusdem terre subsidium vivifice crucis signum in statuto tibi ab eadem sede termino sollempniter duxeris assumendum, illud ex tunc iuxta ordinationem sedis ipsius publice deferendo, postmodum tamen arduis occupatus, tuo, prout tam ardui negotii qualitas exigit, preparando passagio iuxta tuum vacare desiderium nequivisti, nobis nichilominus quibusdam petitionibus ad efficacem executionem prefati negotii ex parte regia presentatis, nostris ad eas de fratrum nostrorum consilio, prout expedire putavimus, responsionibus subsecutis. Petitiones autem ipsas et responsiones ad eas presentibus fecimus annotari. Prima igitur petitio continebat: quod cum eiusdem terre utilitati expediat, et necessitati congruat certum terminum passagio universali prefigi, ut exinde illa, que ad hoc necessaria sunt, et per iamdicte sedis providentiam ordinanda procedant efficacius promptiusque votivum sortiantur effectum, et hii, quorum in hoc deus corda tetigerit, ad id solertius animentur, nos premissis et aliis tam ardui negotii totiusque status populi Christiani circumstantiis attente pensatis, terminum eiusdem passagii prefigamus qualitati et quantitati negotii congruentem. Responsio. Necessitas dicte terre, presertim post dolorosam captionem et destructionem Tripolitane Civitatis, non patitur diu generale passagium prorogari: et ideo de fratrum predictorum consilio terminum dicti generalis passagii duximus statuendum, festum videlicet nativitatis beati Iohannis Baptiste, et quod erit anno domini M.CC.LXXXXII. ita quod tunc, mora qualibet omnino postposita, fiat passagium generale.

Secunda petitio. Quod post termini prefixionem, quamcito comode videremus expediens, mandaremus Crucem per omnes terras christianorum in terre memorate subsidium predicari. Responsio. Postquam responsiones nostras et omnia alia inserta presentibus per tuas patentes litteras infrascripti tenoris duxeris acceptandas, intendimus crucem per omnes Christianitatis partes facere predicari, prout viderimus expedire.

Tertia petitio. Quod licet ordinatum fuerit, quod decima in Anglie et Scotie Regnis, ac in terris Wallie et Ybernie iam collecta in terre predicte subsidium in triennio assignaretur, tibi divisa per tres partes annis singulis singulariter persolvendas, placeret nobis pro eo, quod negotium multis oneribus et sumptibus est onustum, mandare, ut in primo anno post passagii prefixionem eadem tibi decima assignetur. Responsio. Mandabimus tibi decimam collectam in subsidium terre sancte in Anglie et Scotie Regnis, et in terris Wallie et Ybernie assignari in duobus terminis, videlicet medietatem ipsius in festo nativitatis beati Iohannis Baptiste primo venturo, et aliam medietatem in alio festo nativitatis eiusdem sancti deinde secuturo: ita tamen, quod de restitutione illarum, que de decima receperis supradicta, si te deficere in transfretando contigerit, facienda cautionem prestes in festum Resurrectionis dominice primo venturum in forma subscipta, que talis est.

Sanctissimo in Christo patri etc. Eduardus etc. Presentium tenore vobis, sanctissime pater, vestrisque successoribus Romanis Pontificibus et ecclesie Romane promitto, quod si me sponte vel culpa mea deficere in transfretando in subsidium terre sancte contigerit, seu per me steterit, quominus in prefixo generali passagii termino transfretem, omnia, que de decima michi concessa in Anglie et Scotie Regnis, ac in terris Wallie et Ybernie me recepisse contigerit, restituam ad vestrum dictorumve successorum et ecclesie Romane mandatum, etiam si pars ipsorum receptorum, vel omnia ipsa recepta in preparatione transfretationis fuisset expensa. Si vere non transfretavero in ipso termino aliquo impedimento legitimo prepeditus, expense, que facte fuerint in preparatione predicta, pro medietate michi, et pro medietate reliqua imputentur predicte decime, seu de ipsa deducantur, et si quid facta imputatione seu dedutione huiusmodi apud me de decima ipsa remanserit, illud fideliter restituam ad vestrum dictorumque successorum et ecclesie Romane mandatum. Si quid etiam de expensis, que fient in preparatione predicta, vel de datis seu assignatis eius occasione me taliter impedito recuperari contingat, vel de rebus preparatis occasione passagii illius medietatem similiter restituam, et reliqua medietas erit mea. Pro hiis itaque omnibus firmiter observandis et plenarie adimplendis me, successores meos, Regnum et alia bona mea vobis, dictis successoribus vestris, et Romane ecclesie obligo specialiter et expresse, presentes litteras Regio pendente sigillo munitas vobis, supradictis vestris successoribus et ecclesie in veritatis testimonium concedendo. Datum etc.

Quarta petitio. Quod omnes crucesignati, qui esse poterunt habiles ad pugnandum, moneantur, quod

preparent se ad transfretandum, et transfretare tempore passagii compellantur. Responsio. Varie circumstantie suggerunt, ut non absolute dicamus, quod omnes crucesignati sint indistincte compellendi ad transfretandum in dicto passagio, vel quod omnes indistincte compellere intendamus: sed intendimus ad omnes crucesignatos, qui esse poterunt habiles ad pugnandum, vel alias utiles ipsi terre, monitionibus et persuasionibus efficacibus uti, ut in passagio ipso transfretentur, et eos compellere, prout qualitas tempotis suaserit, et ipsorum conditio suggeretur, et sedes ipsa expedire viderit compellendos.

Quinta petitio. Quod licet ad petitionem tuam, quam fecisti, ut tibi de totali decima collecta in subsidium dicte terre in terris ipsis, quarum domini non transfretabunt, terre prefate in persona tua provideretur, fuerit tibi benigne responsum: quia tamen generalis est responsio, eam specificaremus, et ita tibi de dicta decima provideremus in tempore, quod possis ad id, ad quod conceditur, utiliter uti ea, cum oporteat te et sumptuum et societatis quantitatem ex facultatum tuarum et obventionum qualitate metiri. Responsio. Varia et gravia impedimenta, que per memoratos nuntios tibi deliberavimus exprimenda, nostris et tuis votis obsistunt, ut ad hanc petitionem non possit ad presens certius responderi, sicut excellentia Regia impedimentis ipsis sibi expositis manifeste cognoscet: intendimus tamen, impedimentis illis, domino favente, sublatis, tibi de ipsa decima ceterisque subventionibus taliter subvenire, quod merito poteris esse contentus.

Sexta petitio. Quod decime concesse tibi per sex annos in Regnis Anglie, Scotie, ac terris Wallie et Ybernie iuxta responsionem prefati pred. Honorii incipiant colligi tempore passagii assignato, et singulis annis, prout colligentur, tibi integre assignentur ad prosequenda et preparanda necessaria tanto negotio de ipsis et aliis tuis facultatibus et concessionibus negotio factis eidem. Responsio. Prout per dictos nuntios tuos nobis fuit expositum, tu arduis occupatus imparatus existis ad transfretandum in memorate terre succursum infra triennium in dicti predecessoris Honorii litteris comprehensum, prout exigit negotii tanti arduitas, et haberet arbitrium dicte sedis, licet ad id ex tunc posses compelli, periculis et necessitatibus supradicte terre pensatis: quia tamen grave foret ipsi ecclesie ad hoc te imparatum et invitum prorsus urgere, tibi renuntianti omni concessioni colligende decime per sex annos futuros pro memorate terre succursu a predictis predecessoribus tibi facte, ac penitus recedenti a tractatibus super hoc habitis cum eisdem, Nos de novo de eorumdem fratrum consilio sex annos decimam in dictis Regnis Anglie et Scotie ac terris Wallie et Ybernie concedimus, quam tibi mandabimus assignari, postquam in dicto passagii tempore duxeris transfretandum sic magnifice, sic potenter, prout tue magnitudini congruet et arduitas negotii supradicti. Interim etiam decimam ipsam sex futurorum annorum annis singulis mandabimus colligi, tibi, prout collecta fuerit, postquam transfretaveris, assignandam: fiet autem collectio et exactio ipsius decime per personas ecclesiasticas iuxta extimationem, modum et formam, quos sedes eadem ordinabit.

Septima petitio. Quod tibi ante passagium, prefixo tamen passagii termino, assignentur omnes obventiones pro subsidio terre sancte collecte, et etiam colligende in terris illis, quorum domini non transfretabunt in dicte terre succursum. Responsio. Obventiones in dictis Anglie et Scotie Regnis, ac in terris Wallie et Ybernie collectas in duobus terminis mandabimus assignari, prout respondetur superius de sex annorum decima iam collecta.

Ultimo extitit ex tua parte petitum: quod cum negotium illud multum dependeat a christianorum concordia principum, et statu pacifico populi christiani, circa hoc studeremus sollicite remedium adhibere, prout nobis divina clementia ministrabit. Responsio. Petitionem istam libenter admittimus cum commendatione multiplici petitoris, hanc promptis affectibus in effectum deducere affectamus, ad hec instantius disponimus studia nostra convertere, prout nobis altissimus ministrabit. Ceterum reservatis sedi prefate interpretatione et declaratione cuiuslibet dubii, quod super premissis quomodolibet oriretur, et quod tam tu, quam successores tui cogi possitis ad observandum omnia, que, ut premittitur, per litteras tuas promittes, scire volumus excellentiam Regiam, quod tunc demum predictas concessionem decime sex futurorum annorum et responsiones nostras efficaciam habere volumus, postquam infra predictum Resurrectionis dominice festum nobis tuas patentes litteras feceris assignari super acceptatione omnium predictorum sub forma subscripta, que talis est.

Sanctissimo in Christo patri etc. Eduardus etc. Litteras sanctitatis vestre recepi infrascripti tenoris. Nicolaus etc. Copiosus in misericordia dominus etc. usque in finem. Quarum litterarum vestrarum tenore michi diligenter exposito et plenius intellecto, responsiones vestras et omnia alia in eisdem litteris comprehensa sponte recipio et accepto, ipsisque meum presto assensum, et predicta omnia et singula, quatenus me et successores meos contingant vel contingere possunt, me ac ipsos inviolabiliter observaturos promitto, volens ipsa robur plene firmitatis habere, ac presentes litteras nostras Regio pendente sigillo munitas vobis, et Romane ecclesie concedo in testimonium veritatis. Datum etc.

Quas si, ut predicitur, nobis non feceris assignari, volumus, quod dispositio predictorum omnium ad Romanam ecclesiam revertatur, et libera perinde remaneat apud ipsam, ac si facte per nos concessiones et responsiones huiusmodi non fuissent. Datum Reate Nonis Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXXIV.

De iurisdictione archiepiscopi Armachani in suos suffraganeos circa visitationem. Reg. An. II. epist. 646.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Armachano et ... Episcopo Midensi,

sal. etc. Per vestras nobis litteras intimastis, quod cum tu, frater Archiepiscope, tuam novissime provintiam visitando ad Midensem diocesim subiectam tibi iure metropolitico accessisses, ut in illa visitationis officium exerceres, pretendebas per Rectores, Vicarios et Capellanos dicte diocesis de notoriis excessibus visitandorum secreto et singillatim te debere ac posse inquirere, cum id expedire videris: te vero, frater Episcope, pro te tuisque subditis e contrario asserente, videlicet quod non in secreto et singillatim, sed clericis cuiuslibet decanatus insimul congregatis in communi et publico super huiusmodi a te Archiepo queri debebat ab eisdem, inter vos exinde hesitatio est exorta, super quo sedem apostolicam consulere voluistis. Verum quia per felicis recordationis Innocentium papam IIII. predecessorem nostrum, qualiter Metropolitani suas provintias visitantes contra notorios criminosos procedere debeant et punire eosdem, est statutum: propter quod, unde timor abest, ibi non est aliquatenus trepitandum, vobis taliter respondemus, quod tu, Archiepe, huiusmodi officium in tua provintia exercendo, in locis tibi Metropolitico iure subiectis notoria crimina, que examinatione non egent, punire potes et debes, prout tibi dictum statutum et alii super hoc editi a sacris patribus canones indicabunt. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem IIII. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXXV.

Episcopo Brechinensi licentia datur testandi. Reg. An. II. ep. 661.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Willelmo Episcopo Brechinensi, salutem etc. Quia presentis vite conditio etc. usque prevenire. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispensationi seu administrationi commissis, que non fuerunt altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, vel que ordinis Predicatorum, quem fuisti professus, non existant, nec non et quibuscumque bonis mobilibus a te per ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis, pro decentibus et honestis expensis tui funeris, et pro remuneratione illorum, qui tibi viventi serviverint, sive sint consanguinei, sive alii, iuxta servitii meritum testari ac disponere possis, et alias, prius tue ecclesie ere alieno deducto, ut ipsa ecclesia non remaneat debitis obligata, de ipsis in pios usus ac licitos convertendis fraternitati tue plenam et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus tamen, ut in eorumdem ecclesiasticorum dispositione etc. ut supra pag. 127. Datum Rome apud S. Mariam Maiorem III. Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXXVI.

Archiepo Dublinensi proventus primi anni beneficiorum etc. vacantium usque ad triennium conceduntur. Reg. An. II. ep. 694.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Cum sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, fructus, redditus et proventus ad Archiepiscopalem mensam Dublinensem spectantes propter multimoda guerrarum discrimina, que hactenus in illis partibus invaluisse dicuntur, sint adeo diminuti, quod ex eis non potes iuxta dignitatis Archiepalis decentiam commode sustentari: Nos tuis et dilecti filii Nobilis viri Odonis de Grandisono nobis super hoc pro te cum instantia supplicantis devotis precibus inclinati, ut fructus, redditus et proventus primi anni omnium dignitatum, personatuum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum ad quorumcumque collationem spectantium, etiam si curam habeant animarum, que usque ad triennium in civitate vel diocesi Dublinensi vacare contigerint, dummodo ad collationem vel presentationem non pertineant exemptorum, et per hoc illis, qui beneficia ecclesiastica, personatus et dignitates in ipsis partibus auctoritate litterarum apostolicarum expectant, preiudicium nullum fiat, libere percipere possis in tuos sumptus necessarios convertendos, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, Non obstantibus aliquibus ecclesiarum, in quibus beneficia ipsa fuerint, contrariis consuetudinibus et statutis iuramento, confirmatione sedis apostolice, sive quacumque firmitate alia roboratis, aut si est aliquibus communiter vel divisim ab eadem sede indultum, quod ad provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, seu quod de fructibus dignitatum, personatuum et beneficiorum suorum nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, aut qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris specialis mentio sit habenda. Proviso, quod interim dignitates, personatus et beneficia ipsa debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Rome apud S. Mariam Maiorem V. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXXVII.

Cum Nicolao de Clara archidiacono Dublinensi de pluralitate beneficiorum dispensatur. Reg. An. II. ep. 709.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao de Clara presbitero, Archidiacono Dublinensi, salutem etc. Benigno tibi sunt illa concedenda favore, per que, sicut pie desideras, anime tue salutem ac conscientie pacem, deo propitio, consequaris. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod tu Archidiaconatum Dublinensem primo, ac deinde post novissimum generale concilium Lugdunense de Loxondi Midensis et de Rathymegan Darensis diocesum ecclesias, quibus animarum cura imminet, recepisti, et eas simul cum eodem Archidiaconatu per plures annos absque dispensatione apostolica detinens, percepisti fructus etiam ex eisdem, nec

te fecisti infra annum, iuxta tenorem constitutionis in eodem concilio super hoc deite, in presbiterum ordinari: propter quod a nobis humiliter petiisti, tibi, qui postmodum in presbiterum es promotus, circa statum tuum, retentionem dictorum Archidiaconatus et ecclesiarum, perceptionem huiusmodi fructuum, et quamlibet maculam sive notam, que tibi proinde posset impingi, per apostolice clementie gratiam provideri. Nos igitur intendentes pio affectu tue saluti et statui providere, ac volentes tibi, consideratione nobilis viri Odonis de Grandisono pro te super hoc supplicantis instanter, gratiam facere specialem, tibi quod predictos Archidiaconatum et ecclesias ac fructus ex eis medio tempore perceptos, ita quod de ipsis fructibus sic perceptis centum marchas sterlingorum convertendas in aliquam evidentem utilitatem earumdem ecclesiarum ac Archidiaconatus dare, nec de reliquo dictorum fructuum, quod tibi de gratia speciali remittimus, restituere aliquid tenearis, possis licite retinere, dummodo ad presentationem laicorum non pertineant, nec alii debeantur, auctoritate presentium indulgemus. Omnem insuper maculam sive infamiam, et quamlibet aliam inhabilitatis notam, si quam ex [receptione] retentione Archidiaconatus et ecclesiarum predictorum, ex(et) receptione huiusmodi fructuum contraxisti, totaliter abolemus de apostolice plenitudine potestatis, Non obstantibus constitutionibus super hoc in contrarium promulgatis. Proviso attentius, quod Archidiaconatus et ecclesie predicte debitis non fraudentur obsequiis, et in eis animarum cura nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre remissionis, concessionis et abolitionis etc. Datum Rome apud S. Mariam Maiorem Idibus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXXVIII.

Regi Angliae, ut decima terrae sanctae in Hibernia, Scotia etc. iuxta verum proventuum valorem persolvatur etc. Reg. An. II. ep. 719.

Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio E. Regi Anglie Illustri, salutem etc. Nuper Celsitudini Regie decimam ecclesiasticorum redditum et proventuum in Anglie et Scotie Regnis, ac Ybernia et Wallia in terre sancte subsidium sub certa forma per certi temporis spatium duximus concedendam, prout in litteris apostolicis super hoc confectis plenius et seriosius continetur. Cum autem in Regnis ac Ybernia et Wallia supradictis diverse, ut dicitur, fiant extimationes reddituum et proventuum predictorum, statuimus, ut iuxta verum ipsorum valorem tibi predicta decima persolvatur. Concedimus quoque tibi obventiones quaslibet in predictis Regnis ac Ybernia et Wallia deinceps eiusdem terre sancte subsidio proventuras, et que provenerint etiam inibi a tempore, quo fel. record. Honorius papa, predecessor noster, eas tibi duxit, dum viveret, concedendas, dummodo conditiones appositas in concessione predicte decime tibi facta plene studeas acceptare. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem IIII. Idus Ianuarii, P. n. anno II.

CCCXXIX.

Eidem super modo praedictam decimam colligendi. Reg. An. II. ep. 729.

Nicolaus episcopus etc. Carissimo in Christo filio E. Regi Anglie Illustri, salutem etc. Gerentes cordi negotium terre sancte Celsitudini tue decimam ecclesiasticorum reddituum et proventuum in Anglie et Scotie Regnis ac Ybernia et Wallia in ipsius terre sancte subsidium sub certa forma per certi temporis spatium duximus concedendam, prout in apostolicis litteris super hoc confectis plenius et seriosius continetur. Quia tamen in Regnis ac Ybernia et Wallia supradictis diverse, ut dicitur, sunt extimationes reddituum et proventuum predictorum, statuimus, ut iuxta verum ipsorum valorem tibi predicta decima persolvatur. Sed ne in collectione ipsius, si congruo modo non fieret, multorum scandala et animarum possent pericula suboriri, nostre intentionis existit, ut in collectione ipsa per deputandas ab apostolica sede personas taliter, auctore domino, procedatur, quod et huiusmodi scandala sive pericula valeant evitari, et indempnitati tue condigno favore quantum ad perceptionem prelibate decime providere consulatur. Datum Rome apud S. Mariam Maiorem IIII. Idus Ianuarii, Pont. nostri anno secundo.

CCCXXX.

Episcopo S. Andreae, ut cum Richardo de Nudrif et eius uxore super matrimonio dispenset. Reg. An. II. ep. 768.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Sancti Andree, salut. etc. Petitio dilecti filii nobilis viri Riccardi, nati dilecti filii nobilis viri David Marescalli de Nudrif, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Agnetis, nate Riccardi Siwart militis, tue diocesis nobis exhibita continebat, quod dudum inter progenitores eorum, humani generis inimico superseminante zizaniam, adeo extitit gravis guerrarum materia suscitata, quod exinde multorum utrinque hominum strages, terrarum incendia, devastatioque bonorum, ac alia pericula multipliciter evenerunt; quodque tandem mediantibus bonis viris utriusque partis, amicis et concordie zelatoribus, pro medio pacis extitit ordinatum, quod iidem R. et A. sese matrimonialiter adinvicem copularent. Verum quia postmodum est compertum, quod ipsi quarta consanguinitatis linea se contingunt, super hoc ipsi apostolice sedis misericordiam implorantes, ac asserentes, quod si huiusmodi ordinatio non haberet effectum, ex resumptione guerrarum ipsarum possent rerum et personarum, ac animarum pericula longe maiora prioribus et graviora in partibus illis scandala suscitari, nobis humiliter supplicarunt, ut eis in hac parte providere de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui libenter Christifidelibus pacis commoda procuramus, volentes obviare periculis et scandalis supradictis, ac de circumspectione tua specialem in domino fiduciam obtinentes, quia tu de facto et facti circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tue presentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus, si premissis veritas suffragatur, et timea-

tur de periculis, que narrantur, super quibus intendimus tuam conscientiam onerare, cum eisdem R. et A., quod impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante, inter se matrimonium contrahere licite valeant, et tandem in contracto licite remanere, auctoritate nostra dispenses, prout tua circumspectio viderit expedire. Dat. Rome apud S. Mariam Maiorem v. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCXXXI.

Cum Simone de Ianvilla eiusque uxore super matrimonio dispensatur. Reg. An. III. ep. 155.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Simoni de Ianvilla, et dilecte in Christo filie Iohanne[te] dicte Leonem Midensis diocesis, salutem etc. Etsi coniunctio copule coniugalis in quarto consanguinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, provida tamen apostolice sedis circumspectio rigorem nonnunquam mansuetudine temperans super hiis provide dispensat interdum, et quod negat iuris severitas, de gratia pietatis indulget, presertim cum, conditione personarum, locorum et temporum diligenter inspecta, id utiliter viderit expedire. Exposita siquidem nobis dilecti filii nobilis viri Galfridi de Ianvilla, patris tui, fili Symon, petitio continebat, quod cum terra Ybernie ac eius incole, ut tenentur, nec sedi eidem, nec Regi Anglie obedirent, sed velut effrenes per campum licentie ducerentur, clare memorie Henricus olim Rex Anglorum de voluntate sedis ipsius armata manu terram predictam intravit, et eam ac habitatores ipsius ad eiusdem sedis obedientiam suaque pro posse reduxit, et tam idem Rex, quam eius successores in Regno prefato probos viros nationis alterius studuerunt successu temporis in terra memorata Ybernie ad continuandam inibi sedis eiusdem obedientiam collocare, inter quos idem Galfridus in ipsius Ybernie partibus contracto matrimonio cum quadam nobili partium earumdem magnam terram adeptus, intentionem eorumdem Regum studuit et adhuc studet per se ac suos pro viribus adimplere, incolas ipsos in obedientia retinendo predicta, et pacem inter eos sollicite conservando. Quia vero ad hec efficacius exequendum tam ipse, quam eius filii sibi, ut sperari potest, utiliter successuri pluribus indigent consanguineis et amicis, quod facile obtinere non possunt, nisi per matrimonia cum magnatibus eiusdem provincie, quorum quamplures dictis filiis gradu sunt coniuncti prohibito, contrahenda, dictus nobilis pro sua et vestra parte nobis supplicavit humiliter, ut cum inter vos, filia Iohanna, que generosa in partibus illis et multis munita consanguineis esse diceris, et te, fili Symon, matrimonium tractatum esse dicatur, nec id licite contrahi valeat pro eo, quod estis invicem quarto consanguinitatis gradu coniuncti, dispensare super hoc ob tam evidentem utilitatem de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque, qui cunctis fidelibus pacem libenti animo procuramus, attendentes, quod per hoc commune bonum ac pacificus et tranquillus status dictarum partium procuratur, quodque vestra et vestrorum, ac etiam habitatorum partium predictarum devotio, quo ad deum et predictam sedem, exinde multis modis augeri, multaque per coniugium huiusmodi personarum et animarum pericula rerumque dispendia poterunt evitari, ac volentes, quantum cum deo possumus, tantum bonum favorabiliter prosequi et utiliter promovere, vestris et dicti G. supplicationibus inclinati, quod impedimento huiusmodi nequaquam obstante, possitis adinvicem matrimonium libere contrahere, ac in contracto licite remanere, vobiscum auctoritate presentium dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Datum Rome apud S. Mariam Maiorem iiii. Idus Maii, Pontificatus nostri anno tertio.

CCCXXXII.

Stephanus electus Cassellensis confirmatur. Reg. An. III. epist. 337.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Archiepiscopo Cassellensi, salutem etc. Militanti ecclesie, disponente domino, licet immeriti presidentes, circa curam animarum omnium solertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta pastoralis officii debitum crediti nobis dominici gregis custodiam utiliter geceres, divina cooperante clementia, studeamus. Et licet earum omnium sollicitudo nobis immineat generalis, circa illas tamen tenemur attentius per debite provisionis ministerium providere, que deplorare viduitatis incommoda dinoscuntur. Dudum siquidem Cassellensi ecclesia per obitum bone mem. David olim Archiepiscopi Cassellensis solatio destituta pastoris, dilecti filii... Decanus et Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, prout moris est, convenientes in unum pro futuri substitutione pastoris, diem ipsum in alium proximo subsequentem continuare curarunt. Et tandem invocata spiritus sancti gratia per viam compromissi ad electionem procedere intendentes, in predictum Decanum et Magistrum Galfridum Thesaurarium Corkagensem, et Nicolaum Maclin Canonicos eiusdem ecclesie unanimiter et concorditer compromittere curaverunt, promittentes, quod illum in suum et ipsius ecclesie Cassellensis Archiepiscopum reciperent et haberent, quem ipsi tres vel duo ex eis de se ipsis vel aliis de ipsius ecclesie gremio eligendum ducerent vel etiam postulandum. Dicti vero compromissarii, huiusmodi compromisso recepto, secedentes in partem, et demum inter se deliberatione prehabita diligenti, considerantes attente personam tuam a gratiarum datore, virtutum domino, multis preventam gratiis et virtutibus adornatam, huiusmodi compromissi forma servata in te, tunc Archidiaconum Clendelacensem in ecclesia Dublinensi, et ecclesie Cassellensis predicte Canonicum, in suum et ipsius ecclesie Cassellensis Archiepiscopum et pastorem unanimiter consenserunt, et prefatus Decanus nomine suo et de collegarum suorum expressa voluntate, ac speciali mandato de te Cassellensi ecclesie memorate providit, te nichilominus eligens in eiusdem Cassellensis ecclesie

Archiepiscopum et pastorem. Tuque postmodum prestito a te infra tempus legitimum super eadem electione consensu, iter iuxta formam constitutionis nove super hoc edite veniendi ad Romanam Curiam arripere curavisti, te apostolice sedis conspectui presentando. Demum presentata nobis electione huiusmodi de te facta, quia ipsam invenimus de persona ydonea non solum scientia, sed et vita et moribus commendata canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio confirmavimus, preficentes te in Archiepūm Cassellensi ecclesie supradicte, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo: et subsequenter tibi per nos munere consecrationis impenso, deinde per dilectos filios nostros M. sancte Marie in Porticu, I. sancte Marie in Via lata, et P. sancti Eustachii diaconos Cardinales palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne pontificalis officii, tibi fecimus exhiberi, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, predicta Cassellensis ecclesia per tue circumspectionis industriam spiritualiter et temporaliter prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrumenta. Suave igitur iugum domini, cui te reverenter et humiliter submisisti, studeas portare viriliter, manumque mittens ad fortia, ipsius administrationem ecclesie prudenter exequi studeas, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter et constanter, oppositurus te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipso reddita in die stricti examinis ratione, Regnum patris eterni ab origine mundi paratum electis accipias, in dilecta domini tabernacula letabundus introeas, et eundem tibi commissum gregem ad uberioris retributionis cumulum introducas. Datum apud Urbemveterem xii. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Dilectis filiis ... Decano et Capitulo Cassellensi, Clero et populo civitatis et diocesis Cassellensis, Universis ecclesie Cassellensis Vassallis, Venerabilibus fratribus universis ecclesie Cassellensis Suffraganeis, et Carissimo in Christo filio ... Regi Anglie Illustri.

CCCXXXIII.

Archiepiscopo Dublinensi, ut archidiaconatum Glandensem (sup. Clendelacensem), quem archiepiscopus Cassellensis tempore promotionis suae obtinebat, alicui probo viro Hiberno conferat. Reg. An. III. epist. 378.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri .., Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Cum Archidiaconatus Glandensis in ecclesia Dublinensi per promotionem et consecrationem Venerabilis fratris nostri Stephani Archiepiscopi Cassellensis apud sedem apostolicam vacare noscatur ad presens: Nos personam tuam super collatione eiusdem Archidiaconatus, alias ad collationem tuam pertinente, honorare volentes, et alicui probo viro de partibus Ybernie de Archidiaconatu predicto, ut ex eo erga deum et Romanam ecclesiam ipsius viri devotio augeatur, et alii eius exemplo ad virtutum studia propensius excitentur, Archidiaconatum ipsum per te auctoritate nostra disponendo providimus conferendum. Volumus igitur et per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandamus, quatenus prefatum Archidiaconatum cum iuribus et pertinentiis suis alicui discreto viro de eiusdem partibus Ybernie oriundo, qui de legitimo matrimonio procreatus, vel in Theologica facultate provectus, aut in decretis doctor, vel in iure civili professor existat, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, auctoritate nostra conferas et assignes, faciens eum in prefata ecclesia Dublinensi, prout moris est, in Archidiaconum recipi et admitti, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie assignatis, ac ei de ipsius Archidiaconatus fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus et iuribus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus quibuscumque contrariis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie, iuramento, confirmatione sedis apostolice vel quacumque alia firmitate vallatis, seu si aliqui super provisione sibi facienda de dignitatibus vel personatibus, seu beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales, vel in ipsa ecclesia speciales predicte sedis litteras impetrarunt, etiam si ad inhibitionem, reservationem aut decretum sit earum auctoritate processum, quibus omnibus illum, cui dictum Archidiaconatum contuleris, in eius volumus assecutione preferri, sed quo ad alios personatus, dignitates et beneficia nullum per hoc preiudicium generari, seu si aliquibus communiter vel divisim a sede sit indultum eadem, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, quodque ad id compelli non possint, et quod de personatibus, dignitatibus et beneficiis ad eorum collationem, electionem, ordinationem vel dispositionem spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, aut qualibet alia prefate sedis indulgentia generali vel speciali, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum fieri debeat in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod is, cui Archidiaconatum contuleris supradictum, prout cura requirit, resideat in eodem. Datum apud Urbemveterem v. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCCXXXIV.

Archiepiscopo Cassellensi, ut cum Waltero Letyng et eius uxore super matrimonio dispenset. Reg. An. III. ep. 407.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Cassellensi, salutem etc. Petitio dilecti filii nobilis viri Walteri dicti Letyng, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Dionisie, nate dilecti filii nobilis viri David dicti Machatwyl, tue diocesis nobis exhibita continebat, quod ipsi olim ignari, quod aliqua esset affinitas inter eos, que matrimonium impediret, publice matrimonium insimul contraxerunt, nullo super hoc contradicente vel impedimentum aliquod opponente, ac tandem inter eos carnalis copula extitit subsecuta. Verum quia postmodum ad eorum pervenit notitiam, quod, sicut quidam asserunt, tertio affinitatis gradu ad invicem se attingunt, ipsi

super hoc apostolice sedis misericordiam implorarunt, et asserentes, quod ex huiusmodi separatione matrimonii, si fieret, gravia possent inter progenitores, consanguineos et amicos eorum scandala generari, nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christifidelibus quietis commoda procuramus, volentes predictis scandalis obviare, ac predictorum Walteri et Dionisie animarum saluti paterna in hac parte diligentia consulere intendentes, gerentes quoque de circumspectione tua fiduciam in domino pleniorem, fraternitati tue presentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus, si per diligentem inquisitionem super hoc a te faciendam tibi constiterit de premissis, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum prefatis Waltero et Dionisia, quod, impedimento affinitatis huiusmodi non obstante, possint in dicto matrimonio licite remanere, auctoritate nostra dispenses. Datum apud Urbemveterem v. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCCXXXV.

Fratribus de Lundors ord. s. Benedicti S. Andreae dioec. innovatur privilegium sibi a Coelestino PP. III. concessum, inserto eodem privilegio. Reg. An. III. ep. 475.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii de Lundores, ad Romanam ecclesiam nulla medio pertinentis, ordinis s. Benedicti Sancti Andree diocesis, salutem etc. Privilegium, quod felicis recordationis Celestinus papa, predecessor noster, monasterio vestro concessisse dinoscitur, nobis humiliter vestra devotio presentavit. Quia vero illud incipit nimia vetustate consumi, nos ipsius tenorem ad instantiam supplicationis vestre de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari: qui talis est.

Celestinus episcopus servus servorum dei, Dilectis filiis ...... Abbati et fratribus monasterii de Londores, Salutem et apostolicam benedictionem. Officii nostri debitum et caritas bene ordinata requirunt, ut eorum devotionem ad incrementum plenius attenta sollicitudine provocemus, qui ampliando creatoris obsequio diligenter insistunt, et firmum iam propositum assumpserunt ad idem fortius ac ferventius ipsius favente gratia intendendi. Eapropter, dilecti in domino filii, propensius attendentes, quod dilectus filius noster Nobilis vir David Comes, frater Carissimi in Christo filii nostri W. Illustris Regis Scotie, Monasterium vestrum ea intentione fundaverit et dilataverit plurimis bonis, ut dignus in eo debeat domino sub monastico habitu famulatus impendi, et in affectu habeat possessiones et redditus eius uberius ampliandi, eius instanti supplicatione devicti, monasterium ipsum, in quo divino mancipati estis obsequio, a iurisdictione qualibet eximentes, in ius et proprietatem beati Petri suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, prestante domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis per suas rectas divisas ex dono et concessione eiusdem Comitis, et liberam curiam in terra vestra et firmam pacem infra diversas ipsius ville de Londores, sicut carta ipsius Comitis protestatur. Ecclesiam quoque eiusdem ville de Londores cum omnibus pertinentiis suis, et terram ad predictam ecclesiam pertinentem per rectas divisas suas et alias terras in eadem villa, que terre in carta eiusdem Comitis continentur, et asiamenta insule, que vocatur Redinche, communia vobis sicut et Comiti ad proprios usus vestros, et unam piscariam in Tey iuxta prenominatam insulam, et molendinum predicte ville de Lundores cum omni secta sua et multura. Ecclesiam quoque de Dunde cum omnibus pertinentiis suis, et unum Tofftum in burgo de Dunde liberum et quietum ab omni servitio et exactione. Et ultra Munech Fintreth per rectas divisas suas cum omnibus pertinentiis, et ecclesiam eiusdem ville cum pertinentiis suis. Et in Garviah, Ledgavel et Malind cum omnibus pertinentiis suis, et per rectas divisas suas, et ecclesiam de Rothaet cum capellis suis, scilicet in Verurin et Munkegin, et cum aliis pertinentiis suis. Et ecclesiam de Durnach, ecclesiam de Prame, ecclesiam de Radinuriel, ecclesiam de Ingemabanin, ecclesiam de Culsamaiel, et in Episcopatu Lincolniensi ecclesiam de Cumgtun, ecclesiam de Kelalemund cum capellis earumdem ecclesiarum, terris et decimis, et omnibus earum pertinentiis ad proprios usus et sustentationes vestras, et unum Tofftum in burgo de Invethurin liberum et quietum ab omni servitio et exactione. Decimam etiam omnium lucrorum et placitorum eiusdem Comitis infra terram suam et extra ultra Munech, quam habuit tempore, quo fecit donationem istam, et decimam omnium lucrorum ipsius, que ei proveniunt de lucris predicti Regis in toto Regno suo, et decimam omnium rerum dicti Comitis et heredum suorum ultra Munech. Ex donatione quoque memorati Regis unum plenarium Tofftum in burgo suo de Berewic, et unum plenarium Tofftum in burgo suo de Strivelin, et unum plenarium Tofftum in burgo suo de Karel, et unum plenarium Tofftum in burgo suo de Pert, et unum plenarium Tofftum in burgo suo de Forfare, et unum plenarium Tofftum in burgo suo de Munros, et unum plenarium Tofftum in burgo suo de Aberden. Ex donatione vero Roberti de Lundres, filii prefati Regis, unum plenarium Tofftum in burgo de Inverkerthin, sicut hec, que prediximus, iuste ac pacifice possidetis, et in donatorum eorum scriptis autenticis continetur, vobis et per vos ve-

stro monasterio auctoritate apostolica confirmamus. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque Abbatis sui licentia de eodem loco, nisi artioris religionis obtentu discedere: Discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. In parrochialibus vero ecclesiis, quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, et diocesanis Episcopis presentare, quibus, si ydonei fuerint, Episcopi curam animarum committant, ut eis de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationem altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis Episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam et communionem apostolice sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire Antistitem, gratiam et communionem apostolice sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Obeunte vero te nunc eiusdem ecclesie Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia proponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum maior pars consilii sanioris secundum deum et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Prohibemus etiam, ne quis in vos vel monasterium vestrum excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam sine manifesta et rationabili causa promulgare presumat. Interdicimus autem, ut nulli licitum sit intra terminos parrochiarum vestrarum ecclesiam, cimiterium, oratorium, vel xenodochium de novo construere, seu constructa alii subdere absque nostra et Episcopi diocesani assensu, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Sepulturam preterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepelire deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit personas vestras, seu monasterium ipsum temere perturbare, vel novis et indebitis exactionibus fatigare, aut hanc nostre paginam confirmationis, exemptionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. usque incursurum. Ad indicium autem huiusmodi a sede apostolica libertatis percepte duos bisantios nobis et nostris successoribus annis singulis persolvetis. Datum Laterani VIII. Idus Martii, Pontificatus nostri anno quarto.

Ceterum, ut huiusmodi tenor omnimodam rei seu facti certitudinem faciat sic insertus, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eumdemque vigorem per omnia habeat et retineat, quem habet privilegium supradictum, et eadem prorsus sibi fides adhibeatur quandocunque et ubicunque, sive in iudicio vel alibi fuerit exhibitum et ostensum, et stetur ei firmiter in omnibus, sicut eidem privilegio staretur, si foret exhibitum vel ostensum, et firmam fidem per omnia faciat, etiam si originale sive privilegium predictum non exhiberetur, nec appareret, nec etiam haberetur. Nulli ergo etc. nostre annotationis et constitutionis etc. Datum apud Urbemveterem Idibus Septembris, Pont. nostri anno tertio.

CCCXXXVI.

Episcopo Artfertensi, ut cum Donchuch eiusque uxore super matrimonio dispenset. Reg. An. III. ep. 441.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri .... Episcopo Arthfertensi, salutem etc. Petitio dilecti filii nobilis viri Donchuch iuvenis dicti Marbarchy, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Eve, filie Thome filii David, tue diocesis nobis exhibita continebat, quod ipsi olim ignari, quod aliqua esset affinitas inter eos, que matrimonium impediret, insimul matrimonium publice in facie ecclesie contraxerunt, inter eos carnali copula subsecuta. Verum quia postmodum est compertum, quod quondam Sathin, filia Reginaldi dicti Oneyl, quam dictus Donchuch carnaliter cognoverat, eidem Eve quarto consanguinitatis gradu, dum viveret, attinebat, Donchuch et Eva predicti asserentes, quod ex huiusmodi matrimonii separatione, si fieret, gravia possent in partibus illis scandala generari, aliaque pericula evenire, nobis humiliter supplicarunt, ut eis de oportune dispensationis beneficio providere misericorditer dignaremur. Nos autem, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christifidelibus quietis commoda procuramus, huiusmodi scandalis et periculis obviare volentes, fraternitati tue presentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus, si per diligentem inquisitionem super hoc a te faciendam tibi constiterit de premissis, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum eisdem Donchuch et Eva, quod impedimento predicte affinitatis nequaquam obstante, in dicto matrimonio remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses. Datum apud Urbemveterem VIII. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCCXXXVII.

Episcopo Lismorensi, ut cum Lobi Onel eiusque uxore super matrimonio dispenset. Reg. An. III. ep. 440.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri .... Episcopo Lismorensi, salutem etc. Petitio dilecti filii nobilis viri Lobis Onel, et dilecte in Christo nobilis mulieris Derworgul, nate Mahilwin Osegyth, tue diocesis nobis exhibita continebat, quod ipsi dudum ignari, quod aliqua esset consanguinitas inter eos, que matrimonium impediret, adinvicem matri-

monium publice in facie ecclesie contraxerunt, ac fere per triginta annos insimul ut coniuges habitantes, plures filios procrearunt. Verum quia postmodum est compertum, quod ipsi quarto consanguinitatis gradu adinvicem se contingunt, ipsi asserentes, quod ex huiusmodi matrimonii separatione, si fieret, gravia possent in partibus illis scandala generari, aliaque personarum et rerum pericula evenire, nobis humiliter supplicarunt, ut eis de oportune dispensationis beneficio providere misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum et libenter Christifidelibus quietis commoda procuramus, volentes obviare scandalis et periculis supradictis, fraternitati tue presentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus, si premissis veritas suffragatur, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum predictis Lobi et Derworgul, quod predicte consanguinitatis impedimento nequaquam obstante, possint in dicto matrimonio licite remanere, auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam nuntiando. Datum apud Urbemveterem VIII. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCCXXXVIII.

Epo S. Andree, ut de perversis abbatis monasterii de Avirbrech (Aberbrochot) actis inquirat, et monasterium reformet. Reg. An. III. ep. 459.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Sancti Andree, salutem etc. Pastoralis officii cura nos admonet, ut circa Monasterium de Avirbrech ordinis sancti Benedicti tue diocesis paterne considerationis intuitum dirigentes, attente sollicitudinis studium impendamus, per quod, sublatis impedimentis quibuslibet, in statu tranquillo et prospero, actore domino, conservetur. Sane dilectorum filiorum Riccardi de Balergus et Roberti de Werdal, prefati Monasterii monachorum, petitio nobis exhibita continebat, quod dilectus filius Henricus ipsius Monasterii Abbas, qui iam per quinquennium eidem Monasterio prefuit, non tanquam pastor benivolus, sed veluti lupus rapax se in suis actibus direxit et dirigit, gregem sibi creditum multiplicis afflictionis aculeis et persecutionis multifarie morsibus affligendo: propter quod quamplures ipsius Monasterii monachi eius tollerare tyrannidem nequeuntes, de dicto Monasterio recesserunt, et adhuc nonnulli alii persecutionum huiusmodi formidine dira deterriti monasterium ipsum deserere non sine mentis amaritudine luctuosa disponunt. Dictus insuper Abbas carnis et sanguinis igne succensus, et ad parentum suorum divitias accumulandas estuans, permittit ultroneus ipsius Monasterii bona per eos multipliciter occupari et detineri taliter occupata. Nec de hiis contentus, sorores et neptes ipsius cum bonis eisdem tradere nuptui, amplasque sibi domos et possessiones non modicas emere non sine gravi eiusdem Monasterii detrimento presumit. Preterea mercationis illicitis actibus se immiscens, facultates ipsius Monasterii tam inhonesti executione comertii consumere non veretur. Nec quicquam de hiis, que in sui ordinis regula vel statutis generalis capituli continentur, observat. Annuas etiam pensiones dictique Monasterii terras ad firmam absque conventus Monasterii memorati consensu, quin immo illo etiam renitente concedit. Et cum contingit aliquos de conventu predicto sibi nolle in talibus consentire, cum exinde prefato Monasterio preiudicium dampnumque non modicum generetur, illos dure prosequitur et gravi afflictione perturbat, cogendo ipsos per hoc Monasterium deserere prelibatum in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Prefatus quoque Abbas, precaritatis affectu, qui circa confratres suos habendus existeret, a se penitus relegato, unde illis de vestibus providere deberet, suis exhibet indumenta cognatis, preferendos indigne postponens, et indebite preferens postponendos in predictorum fratrum grave dispendium et iacturam. Et quia datus in sensum reprobum, et monastice religionis oblitus spiritualia pretermittit et negligit, divina spernit, honesta respuit, religiosa contempnit, utpote secularibus actibus et operibus mundanis immersus. Nec sunt hec, prout asseritur, in occulto, neque prefati Monasterii latent notitiam personarum, cum premissa omnia et alia etiam ab Abbate memorato commissa, per que deum offendit et fidelium animos scandalizat, non solum in Monasterio ipso, verum etiam in vicinis eidem partibus publice fame relatibus divulgentur. Quare prefati Riccardus et Robertus a nobis suppliciter postularunt, ut eorum et dicti Monasterii miserabili et periculoso statui providere de benignitate solita dignaremur. Nos itaque nolentes talia, si veritate nitantur, equanimiter sustinere, ac gerentes de tue circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad Monasterium ipsum te personaliter conferens, si per diligentem inquisitionem et indagationem, quam per te fieri volumus, tibi constiterit de premissis, circa correctionem et reformationem eiusdem Monasterii auctoritate nostra officii tui debitum exequaris. Contradictores etc. Si quid vero difficile aut dubium te in hiis invenire contigerit, illico nobis per tuas litteras harum serie continentes studeas quantocius intimare. Datum apud Urbemveterem Nonis Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

CCCXXXIX.

Episcopo Ardachadensi, ut cum Ioanne de Lamare et Ioanna Legrosse super matrimonio dispenset. Reg. Tom. III. ep. 604.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri .... Epo Hardekadensi, sal. etc. Petitio dilecti filii nobilis viri Iohannis dicti de Lamare, et dilecte in Christo filie Iohanne Legrosse (nobilis) mulieris tue diocesis nobis exhibita continebat, quod ipsi olim ignari, quod aliqua esset affinitas inter eos, que matrimonium impediret, publice in facie ecclesie matrimonium insimul contraxerunt, nullo super hoc contradicente vel impedimentum aliquod opponente, ac tandem inter eos carnali copula subsecuta, filios procrearunt. Verum quia postmodum ad eorum pervenit notitiam, quod quedam mulier, quam dictus

Iohannes ante contractum huiusmodi matrimonium carnaliter cognoverat, eidem Iohanne tertio est consanguinitatis gradu coniuncta, ipsi super hoc apostolice sedi smisericordiam implorarunt, et asserentes, quod ex huiusmodi separatione matrimonii, si fieret, maxime cum impedimentum huiusmodi sit occultum, gravia possent inter parentes, consanguineos et amicos eorum scandala generari, nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christifidelibus salutis commoda procuramus, volentes predictis scandalis obviare, et predictorum Iohannis et Iohanne animarum saluti paterna in hac parte diligentia consulere intendentes, gerentes quoque de circumspectione tua fiduciam in domino pleniorem, fraternitati tue presentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus, si per diligentem inquisitionem super hoc a te faciendam tibi constiterit de premissis, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum prefatis Iohanne et Iohanna quod, impedimento affinitatis huiusmodi non obstante possint in dicto matrimonio licite remanere, auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ab eis legitimam nuntiando. Dat. apud Urdemveterem VIII. Kalend. Decembris, anno tertio.

CCCXL.

Episcopo Moraviensi, ut cum Andrea monacho de Kenles Cisterciensis ord. super defectu natalium dispenset, eumque ad omnes ordinis dignitates suscipiendas habilitet. Reg. An. IV. ep. 236.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo Moraviensi, salutem etc. Regularis ordinis professoribus religionis favore non indigne aliqua conceduntur, que solent aliis interdici. Cum itaque ex parte dilecti filii ... Abbatis Monasterii de Kinlos Cisterciensis ordinis Moraviensis diocesis fuerit nobis humiliter supplicatum, ut cum fratre Andrea dicto Cantore presbitero, Monacho dicti Monasterii, super defectu natalium, quem patitur de presbitero genitus et soluta, dispensare misericorditer dignaremur. Nos attendentes, quod ad religionem conversi, si fuerint in Monasteriis suis laudabiliter conversati, iuris permissione, illegitimitatis macula non obstante, licenter possunt ad ordines promoveri, fraternitati tue presentium tenore committimus et mandamus, quatenus cum eodem fratre Andrea, eius ad hoc suffragantibus meritis, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, quod eodem non obstante defectu possit in susceptis ministrare ordinibus, et ad administrationes et prelaturas citra Abbatiam sui ordinis dumtaxat assumi valeat, auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum et anime sue saluti videris expedire. Dat. apud Urbemveterem Id. Maii, anno IV.

CCCXLI.

Episcopo Clonfertensi, ut cum Rogero Cantwel eiusque uxore super matrimonio dispenset. Reg. An. IV. ep. 216.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo Clonfertensi, salutem etc. Petitio dilecti filii nobilis viri Rogerii Cantwel, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Talty Omulmoych tue diocesis nobis exhibita continebat, quod ipsi olim ignari, quod aliqua esset affinitas inter eos, que matrimonium impediret, publice in ecclesie facie matrimonium insimul contraxerunt, ac tandem inter eos copula carnali subsecuta, filios procrearunt. Verum quia postmodum ad eorum pervenit notitiam, quod quedam mulier, quod dictus Rogerus ante contractum huiusmodi matrimonium carnaliter cognoverat, eidem Talty quarto est consanguinitatis gradu coniuncta, ipsi super hoc apostolice sedis misericordiam implorarunt, et asserentes, quod ex huiusmodi matrimonii separatione, si fieret, gravia possent inter parentes, consanguineos et amicos eorum scandala generari, aliaque pericula evenire, nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christifidelibus quietis commoda procuramus, volentes predictis scandalis et periculis obviare, et predictorum R. et T. animarum saluti paterna in hac parte diligentia consulere intendentes, gerentes quoque de circumspectione tua fiduciam in domino pleniorem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si per diligentem inquisitionem super hoc a te faciendam tibi constiterit de premissis, super quibus intendimus tuam conscientiam onerare, cum prefatis R. et T., quod impedimento affinitatis huiusmodi non obstante, possint in dicto matrimonio licite remanere, auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam et suscipiendam legitimam nuntiando. Datum apud Urbemveterem VII. Idus Maii, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCXLII.

Cum Nicolao de Clara archidiacono Dublinensi super pluralitate beneficiorum dispensatur. (Conf. supra pag. 149.) Reg. An. IV. ep. 441.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Clera Archidiacono Dublinensi, salutem etc. Lecta coram nobis tua petitio continebat, quod tu olim post generale concilium Lugdunense novissime celebratum de Yoghel primo, et postmodum de Loxundi ecclesias Clonensis et Midensis diocesum curam animarum habentes, et deinde in Darensi ecclesia Canonicatum et quandam prebendam, cui quidem prebende ecclesia de Rathymegan Darensis diocesis, cui similis cura imminet, est annexa, et demum Archidiaconatum Dublinensem nosceris recepisse, ac easdem ecclesias cura animarum habentes cum dictis Archidiaconatu, Canonicatu et prebenda per plures annos insimul tenuisti, fructus percipiens ex eisdem. Verum per dilectum filium nobilem virum Othonem de Grandisono, qui pro te super hoc intendebat a sede apostolica dispensationis gratiam impetrare, tanquam facti seriem ignorantem, fuit pro parte tua propositum coram nobis, quod tu predictum Archidiaconatum primo, et deinde post prefatum concilium predictas de Loxundi et Rathymegan ecclesias receperas, et eas cum eodem Archi-

diaconatu per plures annos detinueras, et fructus perceperas ex eisdem, ac a nobis extitit suppliciter postulatum, ut circa statum tuum, retentionem dictorum Archidiaconatus et ecclesiarum de Loxundi et Rathymegan, et perceptionem ipsorum fructuum, et quamlibet maculam sive notam, que tibi exinde posset impingi, curaremus per apostolice clementie gratiam providere. Verum nos intendentes pio affectu tue saluti et statui providere, ac volentes tibi obtentu prefati Nobilis nobis pro te supplicantis gratiam facere specialem, tibi, quod predictos Archidiaconatum, et de Rathymegan et de Loxundi ecclesias, ac fructus ex eis medio tempore perceptos, ita quod de ipsis fructibus sic perceptis centum marchas sterlingorum convertendas in aliquam evidentem utilitatem earumdem Archidiaconatus et ecclesiarum dare, nec de reliquo dictorum fructuum, quod tibi de gratia speciali remisimus, restituere aliquid tenereris, posses licite retinere, dummodo ad presentationem laicorum non pertinerent, nec alii deberentur, per nostras litteras duximus indulgendum, omnem maculam sive infamiam et quamlibet aliam inhabilitationis notam, si quam ex receptione ac retentione Archidiaconatus et ecclesiarum predictarum, et perceptione dictorum fructuum contraxeras, totaliter abolentes de apostolice plenitudine potestatis, non obstantibus constitutionibus in contrarium promulgatis. Quare tu asserens, quod ex tenore predictorum litterarum nostrarum, in quibus expressum non fuit, quod prefata ecclesia de Rathymegan memorate prebende foret annexa, cum per hoc circa eius retentionem tibi non esset dispensatio seu indulgentia oportuna, patet aperte, quod nos dispensando tecum, ut premittitur, super retentione ipsius et predictorum Archidiaconatus et ecclesie de Lu(o)xundi intendebamus tibi concedere, ut cum predicto Archidiaconatu posses duas parrochiales ecclesias retinere, et quod licet dicta ecclesia de Yoghel alias ad presentationem laici patroni pertinere dicatur, tamen patronus ipse, postquam eam vacare scivit, per tantum temporis spatium negligenter omisit ad eandem ecclesiam aliquem presentare, quod eius collatio est ad sedem apostolicam secundum Lateranensis statuta concilii legitime devoluta, nobis humiliter supplicasti, ut ne pro eo, quod in predictis huiusmodi nostre dispensationis litteris est in aliquibus suppressa veritas et suggesta falsitas per ignorantiam impetrantis, prout superius est expressum, spe, quam ex eadem dispensationis gratia concepisse dinosceris, maneas defraudatus, providere in hac parte tibi per oportuni additionem favoris de benignitate apostolica curaremus. Nos igitur ob tuorum exigentiam meritorum, super quibus fidedignorum testimonio commendaris, et consideratione predicti nobilis dignum et congruum existimantes, ut predictam tibi factam per nos gratiam effectu benivolo prosequamur, tecum auctoritate apostolica dispensamus, ut premissis veris existentibus, que a te taliter enarrantur, predictas de Yohel et de Luxundi ecclesias cum Archidiaconatu, Canonicatu, prebenda et eadem ecclesia de Rathymegan ipsi prebende annexa possis licite retinere, fructus quoque a te sic perceptos, dummodo illas centum marchas sterlingorum, que secundum continentiam earumdem litterarum in eiusdem Archidiaconatus et de Yoghel et de Loxundi ecclesiarum utilitatem converti debebant, tantummodo in evidentem ecclesiarum ipsarum utilitatem convertas, tibi remittimus de gratia speciali, omnem notam sive maculam ex premissis receptione et retentione ipsarum ecclesiarum, seu perceptione fructuum et proventuum ex eisdem obortam de apostolice potestatis plenitudine penitus abolentes. Nulli etc. nostre dispensationis et abolitionis etc. Datum apud Urbemveterem XVI. Kal. Augusti, P. n. anno quarto.

CCCXLIII.

Episcopo Dumblanensi licentia testandi datur. Reg. An. IV ep. 404.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Guillelmo Episcopo Dumblanensi, salutem etc. Quia presentis vite conditio etc. usque desideras prevenire. Verum quia nobilis vir Malisius Comes de Stratherno tue diocesis, ac predecessores ipsius Comitis de Stratherno, qui fuerunt pro tempore, consueverunt bona mobilia decedentium Episcoporum Dumblanensium, predecessorum tuorum, undecumque acquisita essent, ex quadam prava consuetudine, que corruptela dicenda est potius, occupare, tu timens, ne ipsius dispositionis executio propterea valeat impediri, provideri tibi super hoc per sedem apostolicam implorasti. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque, non per ecclesiam seu ecclesias, alias tamen acquisitis licite, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispositioni seu administrationi commissis, et que non fuerunt altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, nec non et quibuscumque bonis mobilibus, a te per ecclesiam seu ecclesias acquisitis, pro decentibus et honestis expensis tui funeris, et pro remuneratione illorum, qui tibi servierunt viventi, sive fuerint consanguinei sive alii, iuxta servitii meritum testari ac disponere possis, et alias, prius tue ecclesie ere alieno deducto, ut ipsa ecclesia non remaneat debitis obligata, de ipsis in pios usus et licitos convertendis fraternitati tue plenam et liberam auctoritate presentium, predicta consuetudine non obstante, concedimus facultatem. Volumus autem, ut in eorundem ecclesiasticorum dispositione bonorum iuxta quantitatem residui erga ecclesias, a quibus eadem percepisti, te liberalem exhibeas, prout etc. expedire. Datum apud Urbemveterem II. Kalendas Augusti, Pont. nostri anno quarto.

CCCXLIV.

Iudicibus, ut transcripta privilegiorum hospitali s. Ioannis ordinis sancti Augustini Dublin. a sede apostolica concessorum pro eorum innovatione Romam mittant. Reg. An. IV. ep. 65.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri .... Archiepiscopo Armachano, et dilectis filiis ... Priori

Predicatorum ac ... Guardiano Minorum fratrum ordinum de Ponte Armachane diocesis, salutem etc. Ex parte dilectorum filiorum ... Prioris et fratrum domus Hospitalis sancti Iohannis Dublinensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis s. Augustini fuit humiliter supplicatum, ut cum ipsi quedam privilegia et indulgentias apostolice sedis habeant, que desiderant innovari, et propter guerrarum discrimina illa dubitent ad eandem sedem mittere innovanda, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque ipsorum in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestre, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, quorumque conscientias in hac parte intendimus onerare, per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, predicta privilegia et indulgentias diligenter inspicientes, transcripta illorum sub sigillis vestris inclusa nobis fideliter transmittere procuretis, significaturi nobis, que et quanta fides sit eis de privilegiis et indulgentiis adhibenda. Datum apud Urbemveterem Idibus Februarii, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCXLV.

Providetur quibusdam clericis de beneficiis. Reg. An. IV. fol. 28, 121 et 122.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo Clochorensi, salutem etc. Ut cum Odone Matinuolynd accolito sue diocesis, qui Romam venerat, super defectu natalium dispensare possit. Datum apud Urbemveterem vi. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Conrado de Brunforte, Capellano nostro, Rectori ecclesie de Dunbernyru S. Andree diocesis, sal. etc. Confert ipsi dictam ecclesiam, non obstante quod in Aberdonensis, Leodiensis, et de sancto Audomaro Morinensis diocesum ecclesiis canonicatus et prebendas iam obtineat. Datum Rome apud S. Mariam Maiorem vii. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao dicto Odubartig clerico Ymlacensis diocesis, salutem etc. Dispensatur cum ipso super defectu natalium. Datum Rome apud S. Mariam Maiorem Nonis Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

EPISTOLAE BONIFACII PP. VIII.

CCCXLVI.

Robertus monachus ord. s. Benedicti ecclesiae Clonfertensi in episcopum praeficitur. Reg. An. 1. fol. 136.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Roberto Episcopo Clonfertensi, salutem etc. In supreme dignitatis specula, licet immeriti, disponente domino, constituti angimur, et pulsamur insultibus successivis, ut de personis talibus provideatur ecclesiis pastoribus viduatis, quarum industria et virtute eedem ecclesie in suis iuribus et libertatibus conserventur, reddatur tranquillior cleri status, et commodis salutis et gaudii plebs letetur. Dudum siquidem Clonfortensi ecclesia per translationem Venerabilis fratris nostri Iohannis Archiepiscopi Beneventani, tunc Episcopi Clonfertensis, ad Beneventanam ecclesiam tunc vacantem pastore per nos factam, pastoris regimine destituta, Nos provisionem ipsius ecclesie Clonfertensis ordinationi sedis apostolice hac vice duximus reservandam: et deinde de ordinatione ipsius ecclesie Clonfertensis sollicite cogitantes, ac talem ipsi ecclesie Clonfertensi preficere in pastorem cupientes, de quo certam haberemus notitiam, quod salubriter prodesse posset eidem Clonfertensi ecclesie ac preesse, in te tunc Monachum ecclesie Christi Cantuariensis ordinis s. Benedicti, quem nobis et fratribus nostris de litterarum scientia, honestate morum ac vite, prudentia spiritualium, et temporalium providentia fidedignorum testimonia commendarunt, direximus oculos nostre mentis, teque de ipsorum fratrum nostrorum consilio ac apostolice plenitudine potestatis preficimus eidem Clonfertensi ecclesie in Episcopum et pastorem: tibique fecimus subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum G. Episcopum Sabinensem munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque tenentes, quod eadem ecclesia Clonfertensis, Deo auctore, per tue industrie ac circumspectionis fructuosum studium preservabitur a noxiis et adversis, et spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Reverenter itaque suscipe iugum domini, et tua eius oneri humiliter colla submitte, manumque viriliter mittens ad fortia, curam et administrationem eiusdem ecclesie Clonfertensis prudenter exequi studeas, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, sollerter et constanter, oppositurus te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipsa reddita in die districti examinis ratione, Regnum patris eterni ab origine mundi paratum electis accipias, letabundus in eterna domini tabernacula intraturus. Datum Rome apud S. Petrum iiii. Nonas Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Dilectis filiis... Decano et Capitulo ecclesie Clonfertensis, Clero et populo civitatis et diocesis Clonfertensis, universis Vassallis ecclesie Clonfertensis, Venerabili fratri... Archiepo Tuamensi, et Carissimo in Christo filio E. Regi Anglie Illustri.

CCCXLVII.

Eidem electo Clonfertensi licentia datur mutuum contrahendi. Reg. An. I. fol. 143.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Roberto Episcopo Clonfertensi, salutem etc. Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis necessariis, quam pro ecclesie Clonfertensis negotiis apud sedem apostolicam expediendis utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam trecentarum marcharum sterlingorum mutuum contrahendi licentiam daremus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo.

CCCXLVIII.

Thomas ecclesiae Rossensi praeficitur in episcopum. Reg. An. I. fol 127.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Thome dicto de Dono Dei, Electo Rossensi in Scotia, salutem etc. Pastoralis officii summa dispositione pastoris, qui pro suis ovibus animam suam posuit, nobis licet immeritis cura commissa, sollicita nos pulsat instancia, ut inter cetera, quibus undique negotiorum emergentium multitudine noster gravatur animus, et multiplici varietate distrahitur, ad ecclesiarum provisionem vacantium sollicite intendamus, ne ipsis pastorum presidiis destitutis, ambulantis in circuitu lupi rapacis astucia earum oves rapiat et dispergat, ne manus avida illarum bona diripiat, et iura presumptuosus usurpet. Ideoque solliciti reddimur, ut eedem ecclesie pastoribus dirigantur idoneis, et rectoribus ydoneis gubernentur. Tunc enim puppis salubri processu dirigitur, cum rectoris industrii gubernatione non caret: tunc etiam fructibus ager exuberat, cum sibi cultoris non deest presentia diligentis. Sane vacante ecclesia Rossensi, ad Romanam ecclesiam immediate spectante, per obitum bone mem. Roberti Rossensis Episcopi, due fuerunt ibi electiones, una videlicet de te tunc Canonico in Romana curia existente, et alia de dilecto filio Magistro Adam Precentore dicte ecclesie Rossensis, in discordia celebrate. Cumque tibi decretum electionis de te facte presentatum fuisset, tu desiderans dictam ecclesiam preservare a dispendiis, que incurrere occasione discordie huiusmodi potuisset, ac eidem electioni consentire nolens, ei et omni iuri, si quod tibi ex ipsa fuerat acquisitum, in manibus Venerabilis fratris nostri H. Ostiensis et Velletrensis Episcopi, cuius tunc eras capellanus et commensalis, quique recipiendi a te iuris predicti renunciationem speciale a nobis innodatum habebat, libere ac sponte renunciare curasti. Verum predicto Precentore electionem de se factam petente in nostra et fratrum nostrorum presentia confirmari, ac duobus ex Canonicis ecclesie prefate, qui ad prosequendum electionis tue predicte negotium ad apostolicam sedem accesserant, se sibi super hoc opponere nolentibus, tandem dictus Precentor quieti sue ac eiusdem ecclesie tranquillitati ac paci consulere cupiens salubriter, in hac parte spontanea et libera voluntate renuntiavit omni iuri in manibus Venerabilis fratris nostri G. Sabinensis Episcopi, habentis licentiam a nobis recipiendi renunciationem iuris predicti, si quod acquisitum Precentori extiterat supradicto. Nosque huiusmodi renunciationibus acceptatis, diligenti meditatione pensantes, quod si ecclesie predicte Rossensis provisio differretur, multis subiaceret periculis, et gravia in spiritualibus et temporalibus detrimenta subiret, ac volentes propter hoc eidem ecclesie Rossensi de pastore ydoneo celeriter providere, ad personam tuam, litterarum scientia insignitam, specialiter nostre mentis oculos duximus dirigendos: et considerantes, quod cum sis vir tam morum, quam generis nobilitate preclarus, consilio providus, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectus, acceptusque nobis et fratribus nostris tue merito probitatis, predicta ecclesia Rossensis per te poterit, divina cooperante gratia, salubriter gubernari, te supradicte ecclesie Rossensi in Epum preficimus et pastorem de fratrum eorumdem consilio et apostolice plenitudine potestatis, curam et adminitrationem ipsius tibi plenam in spiritualibus et temporalibus committendo, firma ducti fiducia, quod in utrisque tua circumspectione laudabili et providentia circumspecta ecclesia ipsa Rossensis gratis, tribuente dño, proficiet incrementis. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum a domino tibi onus devote suscipiens, super credito tibi grege taliter vigilare procures, extirpando vitia et plantando virtutes, ut in extremo districti examinis die coram tremendo iudice, qui reddet unicuique secundum opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Rome apud S. Petrum xiiii. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Dilectis filiis... Decano et Capitulo ecclesie Rossensis in Scotia, et Carissimo in Christo filio... Regi Scotie Illustri.

CCCXLIX.

Iudicibus, ut rectori ecclesiae de Raynefreu Glasguensis dioecesis super quibusdam iuribus ei debitis iustitiam faciant. Reg. An. I. fol. 161.

Bonifacius episcopus etc. Dilectis filiis ... de Kelconia et... de Gerdewert Monasteriorum Abbatibus, ac Priori prioratus de Colderigam Glasguensis et Sancti Andree diocesum, salutem etc. Exposuit nobis dilectus filius Magister Iohannes de Berwic, Rector ecclesie de Raynefreu Glasguensis diocesis, quod licet tam ipse, quam predecessores sui eiusdem ecclesie Rectores, qui fuerunt pro tempore, decimas tam piscium, quam aliarum rerum infra parrochiam ipsius ecclesie consistentium a parrochianis predicte ecclesie percipere consueverint et habere, tamen Venerabilis frater noster... Episcopus Glasguensis, et Magister Alexander de Konnedi, officialis eius, cum prefatos parrochianos ad civitatem Glasguensem ad vendendum pisces et res predictas ire contingit, me-

dictatem piscium et rerum ab eisdem parrochianis pretextu venditionis huiusmodi extorquere presumunt, licet eis non competat de consuetudine vel de iure, in eorumdem Rectoris et ecclesie preiudicium et gravamen. Quare idem Magister Iohannes nobis humiliter supplicavit, ut cum propter potentiam et malitiam dictorum Episcopi et officialis non possit in illis partibus assequi iusticie complementum, faceremus eis super hiis apud sedem apostolicam iusticie plenitudinem exhiberi. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum per vos, vel per alium seu alios predictos Episcopum et officialem moneatis et inducatis, ut eidem Rectori de huiusmodi decimis sic extortis infra unum mensem post monitionem huiusmodi plenam satisfactionem impendant, et ab ipsarum exactione in posterum omnino desistant. Alioquin predictos Epum et officialem ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra trium mensium spacium, predictum unum immediate sequentium, per se vel per procuratorem ydoneum apostolico se conspectui representent, facturi et recepturi super hiis, quod iustitia suadebit. Diem vero citationis etc. Datum Rome apud S. Petrum x. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo.

CCCL.

Nicolaus ecclesiae Brechinensi in episcopum praeficitur. Reg. An. II. fol. 146.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Brechinensi, salutem etc. Regimini universalis ecclesie, disponente domino, presidentes, de universis orbis ecclesiis nos oportet iuxta pastoralis officii debitum sollicite cogitare, sed de eis precipue, que ad Romanam ecclesiam nullo pertinent mediante, de quibus presertim, cum vacationis eas detrimenta pati conspicimus, eo cogitamus attentius, quo earum gravamina specialius nos contingunt, et studiosa diligentia, quantum nobis ex alto permictitur, procuramus viros illi preficere ydoneos in pastores, sub quorum regimine preserventur a noxiis et ad salubria eorum studio dirigantur. Dudum siquidem ecclesia Brechinensi, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone memorie V. Episcopi Brechinensis vacante, nos attendentes, quod eadem ecclesia gravia posset maxime hoc tempore propter guerras in illis partibus imminentes ex longa vacatione dampna subire, de ipsius provisione cepimus cogitare: et post deliberationem, quam ad preficiendum in ea approbatam ydoneamque personam apposuimus diligentem, tandem consideratis muneribus gratiarum, quibus te divina bonitas, prout accepimus, ex testimonio tam quorumdam ex fratribus nostris, quam aliorum prelatorum et fidedignarum personarum illarum partium secundavit, ad te tunc subdecanum eiusdem ecclesie duximus mentis oculum dirigendum. Intendentes igitur ex hiis tam eidem ecclesie, quam gregi dominico de persona tua salubriter providere, te de predictorum et aliorum nostrorum fratrum consilio predicte ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, faciendo tibi postmodum per Venerabilem fratrem nostrum S. Episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi, firma de te concepta fiducia, quod cum fore dicaris vir litterarum scientia preditus, moribus et vita laudabilis, in spiritualibus providus et temporalibus circumspectus, fuerisque de gremio, immo nobile membrum ecclesie supradicte, eius curam et regimen, gratia tibi suffragante divina, salubriter exercebis. Iugum itaque domini propterea devote suscipias, et suavi eius oneri reverenter colla submictas, in eiusdem ecclesie gerendo regimine te sic exhibens diligentem, quod de talento tibi credito dignam possis in extremo examine reddere rationem, nosque non immerito gratulari possimus in domino, cum a spe, quam de tua bonitate concepimus, fuerimus non fraudati. Datum Rome apud S. Petrum vii. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Dilectis filiis ... Decano et Capitulo ecclesie Brechinensis, (Clero et) populo civitatis et diocesis Brechinensis, Carissimo in Christo filio ... Regi Scotie Illustri.

CCCLI.

Cum episcopo Clonfortensi super visitatione liminum apostolorum dispensatur. Reg. An. II. fol. 168.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Roberto Episcopo Clonfortensi, salutem etc. Nuper te apud sedem apostolicam constitutum, ecclesie Clonfortensi, tunc pastore carenti, de fratrum nostrorum consilio prefecimus in Episcopum et pastorem, et subsequenter tibi fecimus per Venerabilem fratrem nostrum G. Sabinensem Episcopum munus consecrationis impendi: tuque deinde iuramento, prout moris est, corporaliter prestito promisisti, quod apostolorum limina singulis trienniis per te, vel per tuum nuntium visitares, licet ecclesia Clonfortensis privilegium exemptionis non habeat, sed iurisdictioni Venerabilis fratris nostri... Tuamensis Archiepiscopi loci Metropolitani subiecta existat: quare nobis humiliter supplicasti, ut te ab huiusmodi iuramento absolvere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque personam tuam in hac parte speciali gratia prosequentes, te ab huiusmodi promissione, quam de visitando limina supradicta fecisti, et iuramento super hoc prestito, quoad ipsam visitationem dumtaxat, auctoritate presentium duximus absolvendum, volentes in ceteris iuramentum ipsum inviolabiliter observari. Datum Rome apud Sanctum Petrum xi. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCLII.

Guilielmus ecclesiae Dublinensi praeficitur. Reg. An. II. fol. 54.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio fratri Guillelmo de Othum ordinis Predicatorum, Electo Dublinensi, salutem etc. Romane matris ecclesie summa benignitas, cui superni potentia principis nullis inclusa limitibus, nullis finibus comprehensa, super universas orbis terrarum ecclesias contulit principatum, pium et sedulum ad ecclesias ipsas in hac terrestri

patria constitutas gerens intenta provisione respectum, eas laudabili studet observantia custodire, ut cum de ipsarum provisionibus agitur, earum regimini persone deputentur industrie, pastores ydonei preponantur. Ex hoc profecto nos, qui licet insufficientibus meritis in sublimi apostolici culminis specula, disponente illo, qui cuncta disponit et ordinat, noscimur constituti, curis continuis angimur, cogitationibus excitamur innumeris, ut eedem ecclesie per nostre sollicitudinis et vigilantie studium Prelatis dirigantur utilibus, Rectoribus providis gubernentur. Sane Dublinensi ecclesia ordinis sancti Augustini per obitum bone memorie I. Archiepiscopi Dublinensis solatio destituta pastoris, dilecti filii ... Prior et Conventus eiusdem ecclesie pro futuri substititione pontificis, prout moris est, convenientes in unum, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa et spiritus sancti gratia invocata, vota sua in dilectum filium Magistrum Thomam de Reddeworte, Decanum ecclesie sancti Patritii Dublinensis, concorditer direxerunt, eum quasi per inspirationem divinam in suum et ipsius Dublinensis ecclesie Archiepiscopum et pastorem unanimiter eligendo: ac subsequenter idem Prior vice sua et singulorum de Conventu predicto electionem huiusmodi publicavit, dictusque Magister Thomas ad eorumdem Prioris et Conventus instantiam electioni predicte de se facte consensit. Verum etsi prefati Prior et Conventus decretum super eadem electione confectum per procuratores eorum nobis duxerint presentandum, predictus tamen Magister Thomas nec infra tempus legitimum, neque post illud coram nobis comparere curavit. Et quamquam dilectus filius Magister Riccardus de Conventre clericus procurator eiusdem Magistri Thome, prout eius habebat assertio, longe post ipsius lapsum temporis in nostra presentia constitutus, prefati Magistri Thome absentiam visus fuerit excusare: Nos tamen excusationes huiusmodi, cum illis nec suffragium rationis adesset, neque favor assisteret equitatis, tamquam indignas et frivolas, exigente iustitia, non duximus admittendas, ac electionem eandem de dicto Magistro Thoma, sicut premittitur, celebratam non persone merito, sed propter huiusmodi eius absentiam et alias rationabiles causas multiplices de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate cassavimus, et cassam et irritam curavimus nuntiare, provisionem eiusdem Dublinensis ecclesie hac vice sedi apostolice reservantes. Nos itaque, prout pastoralis officii debitum exigit, de ordinatione ipsius ecclesie sollicite cogitantes, et cupientes illi iuxta cor nostrum de pastore ydoneo providere, tandem post multe discussionis et deliberationis examen ad personam tuam, grandi utique dono scientie preditam, religione conspicuam, fama pollentem, elegantia morum insignem, conversationis et vite honestate preclaram, in spiritualibus et temporalibus circumspectam, ac aliarum virtutum titulis insignatam direximus oculos mentis nostre, te, tunc Priorem provincialem ordinis Predicatorum in Regno Anglie, de fratrum predictorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem Dublinensi ecclesie preficientes in Archiepiscopum et pastorem, firma ducti fiducia, quod dirigente domino actus tuos, eadem ecclesia per tuam circumspectionem providam et providentiam circumspectam prospere dirigetur, ac salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Reverenter igitur et devoto animo suscipe impositum a domino tibi onus, ac ipsius Dublinensis ecclesie sollicitam curam geras, gregem dominicum in illa tue vigilantie creditum doctrina verbi et operis informando, ita quod ecclesia ipsa tue diligentie studio multiplicibus comodis gaudeat, et cooperante clementia summi Regis, optatis consurgat augmentis. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Dilectis filiis ... Priori et Conventui ecclesie Dublinensis, Dilectis filiis Clero et populo civitatis et diocesis Dublinensis, universis Vassallis ecclesie Dublinensis, Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Dublinensis, et Carissimo in Christo filio E. Regi Anglie Illustri.

CCCLIII.

Adam Cathanensi ecclesiae in episcopum praeficitur. Reg. An. II. fol. 40.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Ade Episcopo Cathanensi in Scotia, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio sollicitudine pulsamur assidua, ut ecclesias omnes, quarum cura nobis est summi dispositione pastoris commissa, spiritualibus et temporalibus commodis augeamus, et earum maxime per debite provisionis ministerium necessitatibus consulamus, que noscuntur pastoris solatio destitute. Dudum siquidem, ecclesia Cathanensi in Scotia per obitum bone memorie Alani Cathanensis Episcopi pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, ut moris est, convenientes in unum pro futuri substitutione pastoris, dilectum filium I. Archidiaconum Cathanensem in eorum et dicte ecclesie Cathanensis Episcopum elegerunt: ac huiusmodi electionis decreto nobis postmodum presentato, nos tam electionem ipsam, quam eiusdem Electi personam examinari fecimus diligenter, et demum quia invenimus electionem eandem minus canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus irritandam. Demum vero cupientes eidem ecclesie, ne ulterius viduata maneret, de pastore ydoneo providere, ac considerantes laudabile testimonium, quod tibi de honestate morum, conversatione vite laudabilis, providentia spiritualium et circumspectione temporalium perhibetur, digne ad personam tuam convertimus nostre considerationis intuitum, ipsam fore perutilem ad ipsius ecclesie regimen arbitrantes: ideoque te, tunc Precentorem ecclesie Rossensis, de predictorum fratrum nostrorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis prefate Cathanensi ecclesie in Epum preficimus et pastorem, tibi curam et administrationem ipsius Cathanensis ecclesie in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac subsequenter munus consecrationis per

Venerabilem fratrem nostrum H. Ostiensem Epum tibi fecimus elargiri, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, predicta ecclesia Cathanensis per tue circumspectionis industriam spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Suscipe igitur iugum domini reverenter, et suavi eius oneri colla submitte, ipsius ecclesie Cathanensis administrationem prudenter exequi studeas, et gregis tibi commissi custodiam cures prosequi diligenter, ut laudabili de ipso coram deo reddita ratione, una cum eo Regnum dei a mundi primordiis preparatum electis accipere, ac introire in dilecta dñi tabernacula merearis. Dat. Rome apud S. Petrum III. Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Cathanensis, populo civitatis et diocesis Cathanensis, et Carissimo in Christo filio ... Regi Scotie Illustri.

CCCLIV.

Roberto episcopo Clonfertensi conceditur, ut testamentum condere possit Reg. An. II. fol. 75.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Roberto Epo Clonfortensi, salutem etc. Quia presentis vite conditio etc. ut in forma usque desideras prevenire. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispositioni seu administrationi commissis, que non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, vel que ordinis s. Benedicti, quem fuisti professus, non existant, necnon quibusvis bonis mobilibus a te per ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis, pro decentibus et honestis expensis tui funeris, et pro remuneratione illorum, qui tibi viventi serviverint, sive sint consanguinei, sive alii, iuxta servitii meritum, moderate tamen disponere et erogare possis, et alias, prius de ipsis earumdem ecclesiarum ere alieno deducto, ut ipse ecclesie non remaneant debitis obligate, de illis in pios usus convertere plenam et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus tamen, ut in eorumdem ecclesiasticorum dispositione bonorum iuxta quantitatem residui erga ecclesias, a quibus eadem percepisti, te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit, et anime tue saluti videris expedire. Datum Rome apud S. Petrum VI. Idus Maii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCLV.

Alpinus ecclesiae Dumblanensi in epum praeficitur. Reg. An. II. fol. 121.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Alpimo Epo Dumblanensi, sal. etc. Et si de cunctis orbis ecclesiis (sic), quibus nos pretulit apostolice preminentia dignitatis, (queque) pastoris regimen expetunt, dum presidium postulant, defensoris munus ac commode provisionis et celeris de nostra sibi sollicitudine sentiant provenire, nec tanquam relicte neglectui vacationis incurrant dispendia gravioris. Sane Dumblanensi ecclesia, sedi apostolice immediate subiecta, per obitum bone mem. Guillelmi Epi Dumblanensis solatio destituta pastoris, dilecti filii ... Decanus et Capitulum ipsius ecclesie certa die ad eligendum prefixa, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, convenientes in unum, et tandem, prout est moris, spiritus sancti gratia invocata, deliberantes in huiusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi, dilectis filiis Thome de Insula Missarum, Herrico de Abirbrochot, et Patricio de Cambuskynel Monasteriorum Abbatibus, cum idem Abbas de Insula Missarum Precentoriam, reliqui vero duo Abbates Canonicatus et prebendas in dicta ecclesia ratione dictorum Monasteriorum obtinebant, nec non Iohanni Decano, Waltero Archidiacono, Petro Cancellario, Galfrido Thesaurario, Michaeli de Dono Dei, et Willelmo de Goffurd Canonicis eiusdem ecclesie providendi ea vice de ipsius ecclesie gremio, ac etiam de se ipsis potestatem infra tempus ad eligendum a canonibus diffinitum plenariam unanimiter concesserunt, promictentes, quod illum in suum et eiusdem ecclesie Dumblanensis Episcopum et pastorem reciperent, et etiam haberent, de quo dicti compromissarii, vel maior pars eorum de gremio eiusdem ecclesie, vel de se ipsis prefate ecclesie providerent. Memorati vero compromissarii, huiusmodi potestate recepta, secedentes in partem, tractatu super hoc inter se habito diligenti, demum in te tunc ipsius ecclesie Dumblanensis (Canonicum) direxerunt concorditer vota sua, et tandem prefatus Decanus ex commissa sibi suisque collegis predictis ab eodem Capitulo huiusmodi potestate, de ipsorum collegarum consensu et mandato expresso infra idem tempus, vice omnium te in Episcopum Dumblanensem elegit, dictique Capitulum electionem huiusmodi ab eodem Decano sollempniter publicatam, concordi voto et voluntate unanimi approbarunt: tuque postmodum electioni predicte de te facte infra tempus a iure statutum consensisti, te propter hoc apostolice sedis conspectui personaliter presentando, et tam tu per te ipsum, quam prelibati Capitulum per eorum procuratores et nuntios, ad hoc specialiter destinatos, presentato nobis eiusdem electionis decreto, a nobis infra tempus debitum cum instantia suppliciter postularunt, ut electionem eandem confirmare de benignitate solita dignaremur. Nos autem electionem ipsam, tuamque personam per Venerabilem fratrem [nostrum] H. Episcopum Hostiensem, et dilectos filios (nostros) R. tituli s. Susanne presbiterum, ac G. sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter: et tandem facta nobis super hoc a Cardinalibus ipsis relatione fideli, quia predictam electionem invenerimus de te, viro utique de litterarum sciencia, nobilitate generis, honestate morum, conversationis et vite meritis et aliis virtutum titulis multipliciter commendato, canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, teque ipsi ecclesie Dumblanensi preficimus in Episcopum et pastorem: tibique subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum M. Portuensem Epum fecimus munus consecrationis impendi, firma conce-

pta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, ecclesia ipsa per tue circumspectionis industriam in utrisque prosperis dirigetur, et salubria deo dante suscipiet incrementa. Suscipe igitur iugum dñi reverenter, ac suavi eius oneri humiliter colla submicte, manumque mictentes ad fortia, ipsius administrationem ecclesie prudenter exequi studeas, et commissi tibi dominici gregis custodiam cura prosequi diligenti, constanter oppositurus te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipso reddita in die districti examinis ratione, regnum patris eterni ab origine mundi paratum electis accipias, in dilecta domini tabernacula letabundus introeas, et eundem tibi gregem commissum ad uberioris meriti fructum et maioris retributionis cumulum introducas. Datum Rome apud S. Petrum XVII. Kalend. Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo Dumblanensi, Clero civitatis et diocesis Dumblanensis, nobili viro ... Comiti de Stratherno (alias Stratheryn) ecclesie Dumblanensis patrono.

CCCLVI.

Electo Dublinensi, ut a quovis antistite catholico munus consecrationis recipere possit. Reg. An. III. fol. 253.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio fratri Guillelmo de Othum ordinis Predicatorum, Electo Dublinensi, salutem etc. Pridem Dublinensis ecclesie ad apostolicam sedem provisione legitime devoluta, Nos intendentes ipsi ecclesie de persona secundum cor nostrum ydonea providere, ac tandem considerantes attentius, quod bonorum dator Altissimus te grandium decoravit insigniis meritorum, te de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis ecclesie prefate prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus commictendo. Cum autem propter viarum discrimina varia, que impresenciarum, procurante pacis emulo, imminere noscuntur, ad sedem predictam secure te conferre non valeas pro consecrationis munere obtinendo: Nos volentes in hac parte tib ide salubris adhibitione remedii patris more benivoli providere, teque favore prosequi gratie specialis, tuis supplicationibus inclinati, ut quivis antistes catholicus gratiam et communionem apostolice sedis habens, ascitis sibi duobus vel tribus vicinis episcopis huiusmodi gratiam et communionem habentibus, quos duxeris nominandos, tibi consecrationis munus impendere valeant, tuque illud licite possis recipere ab eisdem, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum apud Urbemveterem XVI. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno tertio.

CCCLVII.

Eidem electo Dublinensi pallium conceditur. Reg. An. III. fol. 253.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio G. Electo Dublinensi, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet pontificalis officii, ex parte tua fuisset a nobis per dilectos filios Andream de Sancto Albano et Petrum de Othum, procuratores et nuntios tuos, clericos, cum ea qua decuit instantia postulatum: Nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum Venerabilibus fratribus nostris ... Londoniensi et ... Herefordensi Episcopis per eosdem clericos destinamus, ut illud tibi sub forma, quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam, assignare procurent, recepturi a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam eis sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite iuramentum. Tu vero palleo ipso intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato etc. ut in forma solita. Datum apud Urbemveterem VII. Id. Iulii, Pontificatus nostri anno tertio.

CCCLVIII.

Londoniensi et Herefordensi episcopis, ut pallium electo Dublinensi conferant. Reg. An. III. fol. 253.

Bonifacius episcopus etc. Venerabilibus fratribus... Londoniensi et... Herefordensi Episcopis, salutem etc. Ex parte dilecti filii nostri G. Electi Dublinensis fuit nuper a nobis per dilectos filios Andream de Sancto Albano et Petrum de Othum clericos, ipsius Electi procuratores et nuntios, palleum insigne videlicet pontificalis officii cum ea qua decuit instantia postulatum. Cum itaque ipsius Electi supplicationibus benigne duxerimus annuendum, et predictum palleum de corpore beati Petri sumptum vobis, de quorum probitate fiduciam in domino gerimus specialem, per eosdem clericos destinemus per vos eidem Electo assignandum: fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus palleum ipsum a clericis recipientes eisdem, illud prefato Electo sub forma, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam ex parte nostra assignare curetis, recepturi ab eo nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam vobis sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite iuramentum, ac nichilominus significaturi nobis plenarie per vestras licteras harum seriem continentes, quod in hac parte duxeritis faciendum. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum apud Urbemveterem VII. Idus Iulii, Pont. nostri anno tertio.

CCCLIX.

Andreas electus Cathanensi ecclesiae praeficitur in episcopum. Regest. An. III fol. 206.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Andree Electo Cathanensi, salutem etc. Dum ad universas orbis ecclesias iuxta pontificalis officii debitum apostolice dirigimus considerationis intuitum, earum propensior sollicitudo nos angit, que ad Romanam ecclesiam nullo pertinent mediante, cum presertim propriis destitute pastoribus vacationis incommodis exponuntur, ut illis, nostro cooperante ministerio, viri preficiantur ydonei, quorum industria et virtute salubriter gubernentur. Dudum siquidem, ecclesia Cathanensi, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone mem. A. Epi Cathanensis,

qui nuper apud civitatem Senensem diem clausit extremum, vacante, Nos ad provisionem ipsius, ne prolixe vacationis dampna subire (cogatur), diligentius intendentes, post deliberationem solempnem super hoc habitam, tandem considerantes in te ingentium dona virtutum, super quibus testimonia prelatorum et aliorum fidedignorum illarum partium te commendant, ad te, Abbatem Monasterii de Cupro Cisterciensis ordinis Sancti Andree diocesis, virum utique, prout ex testimoniis recepimus antedictis, moribus et vita laudabilem, discretionis maturitate conspicuum, in spiritualibus providum, et temporalibus circumspectum, oculum direximus nostre mentis. Sperantes igitur, premissis omnibus diligenti meditatione pensatis, quod eadem ecclesia per te, qui hactenus dicto Monasterio salubriter prefuisti, salutaria recipiet incrementa, cum preteritorum consideratio rationem probabilem soleat inducere de futuris, de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem ecclesie providemus, teque licet absentem preficimus ipsi ecclesie de eorumdem fratrum consilio in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie commictendo, firma de te concepta fiducia, quod eadem ecclesia sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propitia, per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam salubriter et prospere dirigetur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino reverenter suscipiens, et suavi eius iugo humiliter collum flectens, sic regimen eiusdem ecclesie tue gubernationi commisse studeas exercere sollicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa, gratia tibi suffragante divina, votivis iugiter amplietur commodis et salubribus proficiat incrementis. Datum Rome apud S. Petrum XVI. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Dilectis filiis... Decano et Capitulo ecclesie Cathanensis, et Carissimo in Christo filio... Regi Scotie Illustri.

CCCLX.

Aberdonensi, Glasguensi et Rossensi episcopis, ut munus consecrationis electo Cathanensi impendant. Reg. An. III. fol. 289.

Bonifacius episcopus etc. Venerabilibus fratribus... Aberdonensi,... Glasguensi et... Rossensi Epis, salutem etc. Cum nos nuper ecclesie Cathanensi, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, tunc vacanti de dilecto filio A. Electo Cathanensi absente de fratrum nostrorum consilio duximus providendum, eidemque Electo, prout ex parte ipsius fuit propositum coram nobis, propter guerrarum discrimina in illis partibus imminentia, et viarum pericula valde grave ac periculosum existat apostolicam sedem adire pro consecrationis munere obtinendo: Nos eidem Electo circa predicta providere volentes, ipsius supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus ad predictam ecclesiam vel aliam, cum ab eo super hoc fueritis requisiti, vos personaliter conferentes, unus vestrum, quem ipse voluerit, reliquis ei assistentibus, dicto Electo munus consecrationis impendat, recepturus postmodum ab eodem nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum iuramentum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eiusdem patentes litteras ipsius sigillo munitas per proprium nuntium quantocius destinare curetis. Quod si aliquis vestrum hiis exequendis interesse forte nequiverit, reliqui duo alii unum Epum gratiam et communionem dicte sedis habentem ad eorum executionem assumant. Datum apud Urbemveterem Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

CCCLXI.

Ioannes electus Brechinensis confirmatur. Reg. An. IV. fol. 48.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Brechinensi, salut. etc. In supreme dignitatis honore suprema disponente clementia constituti, ad provisionem celerem ecclesiarum vacantium, presertim apostolice sedi nullo medio subiectarum, quarum cura nobis est specialiter commissa, vigilanter intendimus, vacamus sollicite, ac studium efficax impertimur, ut apostolici favoris fulte suffragio et presidio communite, habitu viduitatis abiecto, indumento connubii decorentur, et multis gravibusque dispendiis, que solet illis ingerere prolixe vacationis instantia, evitatis, prosperis gratulentur eventibus, et ope comite celestis auxilii, spiritualibus et temporalibus proficiant incrementis. Dudum siquidem, Brechinensi ecclesia sedi predicte immediate subiecta per obitum bone memorie N. Episcopi Brechinensis solatio destituta pastoris, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, certa die ad eligendum prefixa, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, insimul convenerunt: et tandem, prout moris esse dignoscitur, spiritus sancti gratia invocata, nonnullis super huiusmodi electionis negotio tractatibus habitis, quorum effectus non extitit subsecutus, deliberantes in eodem negotio per viam procedere compromissi, dilect. filiis Magistro Guillelmo de Clony Precemptori, Roberto de Dunde Thesaurario, Fulconi Raynardi, Iacobo dicto Godisman, et Thome dicto Marchand ecclesie predicte Canonicis, eligendi ea vice canonice aliquem dumtaxat de ipsius ecclesie gremio in eiusdem ecclesie Epum et pastorem concesserunt unanimiter et concorditer potestatem, promittentes, quod illum in suum et eiusdem ecclesie Epum reciperent et haberent, quem prefati compromissarii de se ipsis, aut aliis de gremio supradicto ducerent eligendum. Memorati vero compromissarii, recepta huiusmodi potestate, in partem secedere curaverunt, et tractatu super hoc inter se habito diligenti, demum in te, tunc eiusdem ecclesie Archidiaconum, vota sua voluntate unanimi direxerunt: et tandem dictus Precentor ex commissa sibi suisque in hac parte collegis ab eodem Capitulo plenaria potestate, de consensu et expresso collegarum ipsorum mandato, te in Epum eiusdem Brechinensis ec-

clesie duxit canonice eligendum: dictique Capitulum electionem huiusmodi per eundem Precentorem eis solempniter presentatam concorditer et voluntarie approbarunt. Tuque postmodum eidem electioni, sicut premictitur, de te facte consensum tuum impendere curavisti, te nichilominus propter hoc infra tempus a iure statutum apostolice sedis conspectui presentando, et tam tu per te ipsum, quam prelibati Capitulum per certos ipsorum procuratores et nuntios ad hoc specialiter destinatos, presentato nobis electionis memorate decreto, a nobis suppliciter postulastis, ut electionem predictam confirmare de benignitate solita dignaremur. Nos autem electionem ipsam, et personam tuam per Venerabilem fratrem G. Sabinensem Episcopum, et dilectos filos nostros Nicolaum tituli s. Laurentii in Damaso presbiterum, et Iacobum s. Georgii ad Velum aureum diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter: et demum facta super hoc nobis relatione fideliter ab eisdem, Nos electionem predictam, quia eam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio confirmamus, tibi curam et administrationem ipsius ecclesie spiritualiter et temporaliter commictentes: tibique subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum M. Portuensem Episcopum fecimus munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod actus tuos dirigente illo, a quo universorum carismatum dona manant, prenominata ecclesia per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam laudabiliter gubernabitur, et prospere dirigetur, ac salubria in utrisque suscipiet incrementa. Tu igitur tamquam devotionis et obedientie filius beneplacitis apostolicis te conformans, iugum domini reverenter et devote suscipias, eique suavi oneri humiliter colla submictas, curam et administrationem ipsius ecclesie sic diligenter exerceas et sollicite prosequaris, ut illa gubernatori provido et administratori perutili gaudeat se commissam, tibique proinde divine retributionis premium, ac eiusdem sedis favor et gratia circa te non immerito augeatur. Datum Rome apud S. Petrum Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno quarto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Brechinensi, Clero et populo civitatis et diocesis Brechinensis, Universis ecclesie Brechinensis Vassallis, et Carissimo in Christo filio ... Regi Scotie Illustri.

CCCLXII.

Willelmus de Lamberton ecclesiae Sancti Andreae in Scotia in episcopum praeficitur. Reg. An. IV. fol. 50.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo de Lamberton Episcopo S. Andree in Scotia, salutem etc. Licet cunctarum ecclesiarum ex debito pastoralis officii sollicitudo nobis incumbat, circa illas tamen, que apostolice sedi sunt immediate subiecte, tanto vigilamus attentius, et curam de ipsis gerimus potiorem, quanto potius nostra interesse dinoscitur, ut de ipsarum statu prospero cogitemus. Illud autem erga eas maxime, qui deplorant viduitatis incommoda, curam nostram specialiter excitat, ut eis pastores ydonei preponantur, quorum industria spiritualibus fulgeant et temporalibus proficiant incrementis. Sane ecclesia Sancti Andree in Scotia per obitum bone memorie Willelmi Fraser, eiusdem ecclesie Episcopi, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, convenientes in unum, ac deliberantes super hoc per viam procedere compromissi, dilectis filiis Iohanni Priori, Iohanni Maiori, et Willelmo Landono Archidiacono, Ade Suppriori, Iohanni Kayrer, Ade de Laurbeden, et Thome de Hucermickedy Canonicis ipsius ecclesie providendi ea vice eidem ecclesie de pastore potestatem plenam et liberam unanimiter contulerunt, promictentes illum in suum Epum et pastorem recipere et habere, quem ipsi vel maior pars ipsorum ducerent eligendum. Idem vero Prior, Archidiaconus, Supprior et Canonici, in se huiusmodi potestate recepta, attendentes, quod per te utpote magne prudentie et discretionis virum, et de litterarum scientia, honestate vite, ac morum gravitate multipliciter commendatum supradicta ecclesia poterat laudabilia suscipere incrementa, in te, tunc Cancellarium ecclesie Glasguensis, direxerunt unanimiter vota sua: ac idem Prior ex huiusmodi potestate sibi dictisque Archidiacono, Suppriori et Canonicis ab eodem Capitulo tradita, de ipsorum Archidiaconi, Supprioris et Canonicorum consensu et mandato te elegit in ipsius Sancti Andree Episcopum et pastorem, et electionem huiusmodi ab eodem Priore solempniter publicatam dicti Capitulum unanimiter approbarunt. Tuque dicte electioni de te facte infra legitimum tempus consentiens, propter hoc ad sedem apostolicam accessisti, et tam tu personaliter, quam predicti Prior et Capitulum per dilectos filios Iohannem dictum Rufum, Martinum de Ketketon et Thomam de Houctyr Mokedy Canonicos eiusdem ecclesie Sancti Andree, eorum procuratores et nuntios ad hoc specialiter destinatos, presentato nobis huiusmodi electionis decreto, ut confirmaremus electionem huiusmodi, nobis humiliter supplicastis. Nos igitur processu super hoc habito, et personem tuam examinari fecimus diligenter, et quia electionem ipsam de persona ydonea canonice celebratam (invenimus), eam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus confirmandam, preficientes te ipsi ecclesie in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius (tibi) in spiritualibus et temporalibus commictendo, ac postmodum per Venerabilem fratrem nostrum M. Epum Portuensem fecimus tibi munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque tenentes, quod predicta ecclesia S. Andree, deo auctore, per tue industrie ac circumspectionis fructuose studium preservabitur a noxiis et adversis, et spiritualibus ac temporalibus proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus regimen ipsius ecclesie reverenter suscipiens et prosequens diligenter, sic in animarum tibi commissarum cura sollicitum, et in eiusdem ecclesie utilitatibus spiri-

tualibus et temporalibus procurandis te reddas attentum, quod in die discussionis extreme rationem de talento tibi credito redditurus, illud duplicatum afferas commictenti, et tua fama erga remotos et proximos exinde clareat per effectum, ac in delectationem nobis veniat te oportuno tempore prosequi gratiose, tuisque desideriis favorem benivolum impertiri. Datum Rome apud S. Petrum xv. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno quarto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Sancti Andree in Scotia, Clero et populo civitatis et diocesis Sancti Andree in Scotia, Universis Vassallis ecclesie S. Andree in Scotia, et Carissimo in Christo filio ... Regi Scotie Illustri.

CCCLXIII.

Guilielmus prior provincialis ordinis Praedicatorum in Anglia ecclesiae Dublinensi praeficitur. Reg. An. IV. fol. 51.

Bonifacius episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori et Conventui sancte Trinitatis ordinis sancti Augustini, ac ... Decano et Capitulo s. Patricii ecclesiarum Dublinensium, sal. etc. Romane matris ecclesie summa benignitas, cui supremi potentia principis, nullis inclusa limitibus, nullis finibus comprehensa, super universas orbis terrarum ecclesias contulit principatum, pium et sedulum ad ecclesias ipsas in hac terrestri patria constituta gerens intenta provisione respectum, eas laudabili studet observantia custodire, ut cum de ipsarum provisionibus agitur, earum regimini persone deputentur industrie, pastores ydonei proponantur. Ex hoc profecto nos, qui licet insufficientibus meritis in sublimi apostolici culminis specula, disponente illo, qui cuncta disponit et ordinat, noscimur constituti, curis continuis angimur, cogitationibus excitamur innumeris, ut eedem ecclesie per nostre sollicitudinis et vigilantie studium Prelatis dirigantur utilibus et Rectoribus providis gubernentur. Sane Dublinensi ecclesia per obitum bone memorie I. Archiepiscopi Dublinensis solatio desti tuta pastoris, vos, ad quos communiter electio Archiepiscopi Dublinensis, cum ecclesiam ipsam vacare contigit, pertinet, pro futuri substitutione pastoris, prout moris est, convenientes in unum, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, spiritus sancti gratia invocata, vota vestra in dilect. filium Magistrum Thomam de Caddeworte, Decanum ecclesie s. Patricii Dublinensis, concorditer direxistis, cumque quasi per inspirationem divinam in Dublinensem Archiepiscopum unanimiter eligendo. Verum etsi vos decretum super huiusmodi electione confectum per procuratores vestros nobis duxeritis presentandum, predictus tamen Magister Thomas nec infra tempus legitimum, neque post illud coram nobis comparere curavit, et quamquam dilectus filius Magister Riccardus de Conventre, clericus et procurator eiusdem Magistri Thome, prout eius tenebat assertio, longe post ipsius lapsum temporis in nostra presentia constitutus, prefati magistri Thome absentiam visus fuerit excusare, nos tamen excusationes huiusmodi, cum illis nec suffragium rationis adesset, neque favor assisteret equitatis, tamquam indignas et frivolas, exigente iustitia, non duximus admictendas, ac electionem eandem de dicto Magistro Thoma, ut premictitur, celebratam, non persone vitio, sed propter huiusmodi eius absentiam, et alias rationabiles causas multiplices de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate cassavimus, et cassam et irritam curavimus nuntiare, provisionem ipsius Dublinensis ecclesie ea vice sedi apostolice reservantes. Ac deinde, prout pastoralis officii debitum exigit, de ordinatione ipsius ecclesie sollicite cogitantes, et cupientes illi iuxta cor nostrum de pastore ydoneo providere, post multe discussionis et deliberationis examina ad personam Venerabilis fratris nostri Guillelmi Archiepiscopi Dublinensis, grandi utique dono scientie preditam, religione conspicuam, fama pollentem, elegentia morum insignem, conversationis et vite honestate preclaram, in spiritualibus et temporalibus circumspectam, ac aliarum virtutum titulis insignitam, direximus oculos nostre mentis, ipsum Guillelmum, tunc Priorem provincialem ordinis Predicatorum in Regno Anglie, de fratrum nostrorum predictorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis eidem Dublinensi ecclesie preficientes in Archiepum et pastorem, firma ducti fiducia, quod dirigente domino actus eius, predicta ecclesia Dublinensis per ipsius circumspectionem providam, et providentiam circumspectam prospere dirigetur ac salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Quocirca vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Archiepiscopo, tamquam patri et pastori animarum vestrarum, plene ac humiliter intendentes, obedientiam et reverentiam debitam sibi exhibere curetis. Alioquin sententiam etc. usque observari. Datum Rome apud S. Petrum xv. Kal. Iulii, Pont. nostri anno quarto.

CCCLXIV.

David electus Moraviensis confirmatur. Reg. An. V. fol. 188.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri David Episcopo Moraviensi, salutem etc. Ad exercendum universalis ecclesie regimen divina dispositione vocati, circa quarumlibet statum ecclesiarum aciem sollicite considerationis extendimus, pastoralis partes officii vigilantius adhibentes, ut singule pastoribus gubernentur ydoneis, Rectoribus providis disponantur, quatenus eorum circumspectione provida et providentia circumspecta, illius cooperante clementia, qui pastorum pastor agnoscitur, et bonorum est omnium elargitor, spiritualium et temporalium proficere valeant incrementis. Sane Moraviensi ecclesia per obitum bone mem. Archebaldi Moraviensis Epi pastoris solatio destituta, dilecti filii ... Decanus et Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, pro futuri substitutione pastoris, prout moris esse dinoscitur, insimul convenerunt. Et tandem in huiusmodi electionis negotio per viam scrutinii procedentes, nonnullos ex ipso Capitulo fide

dignos assumere curaverunt, qui sua prius, et subsequenter aliorum Canonicorum eiusdem ecclesie vota diligentius scrutarentur, eaque in scriptis redacta publicarent illa in communi: quibus huiusmodi forma servata sollicite procedentibus in hac parte compertum extitit, quod tresdecim in te, tunc Canonicum, et quatuor in predictum Decanum, ac unus in Iohannem Archidiaconum, et tres de dicto Capitulo in Henricum Cancellarium eiusdem ecclesie direxerunt vota sua. Et deinde memoratus Decanus de speciali mandato, et expresso consensu totius Capituli supradicti te in suum et eiusdem Moraviensis ecclesie elegit Episcopum et pastorem, ac tu electioni predicte infra tempus a iure statutum ad instantiam prelibati Capituli consensisti. Postmodum autem prenominati Decanus et Capitulum, facientes nobis decretum super huiusmodi electione confectum per dilectos filios Magister Iacobum, et Rogerium ecclesie predicte Canonicos presentare, a nobis humiliter supplicarunt, ut electionem ipsam confirmare de benignitate sedis apostolice dignaremur. Nos autem volentes in hoc more solitum observari, ipsius electionis formam examinari fecimus diligentius, et quia in ea videbatur esse defectus, propter quem electionis eiusdem impediebatur effectus, tu provido ductus consilio electioni predicte coram nobis sponte cedere curavisti, cuius cessionem benigne duximus admictendam. Attendentes itaque diligenter grande ac laudabile testimonium, quod tibi de litterarum scientia, nobilitate generis, honestate morum, discretionis industria, et aliarum virtutum insigniis perhibetur, volentes etiam obviare dispendiis, que solent viduatis ecclesiis ex diutine vacationis instantia imminere, sperantes quoque, quod ecclesia ipsa per tuam circumspectam prudentiam, favente Domino, utiliter dirigi poterit et salubriter gubernari, de te prefato Moraviensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine providimus, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus comictendo, tibique faciendo per Venerabilem fratrem nostrum M. Portuensem Episcopum munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, speque indubbia suggerente, quod predicta ecclesia per tue circumspectionis industriam et solertiam studiosam defendetur a noxiis, preservabitur ab adversis, et spiritualibus, deo actore, proficiet incrementis. Reverenter itaque iugum domini suscipere studeas, et suavi eius oneri humiliter colla submictere non omictas, manumque mictens ad fortia, ipsius administrationem ecclesie laudabiliter exequaris, et commissi tibi dominici gregis custodiam procures prosequi diligenter, sic te in omnibus, que tuo incumbunt officio, habiturus, ut Regnum patris altissimi ab origine mundi paratum electis accipere merearis, et eundem gregem ad uberioris meriti fructum, et ad retributionis maioris cumulum introducas. Datum Anagnie ɪɪ. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Moraviensi, Dil. fil. Clero civitatis et diocesis Moraviensis.

CCCLXV.

Custodibus regni Scotiae, ut electum Moraviensem foveant, eiusque ecclesiae bona sede vacante occupata restitui faciant. Reg. An. V. fol. 188.

Bonifacius episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Custodibus Regni Scotie, salutem etc. Habet nostre fiducie plenitudo, quod vos tamquam devotionis et obedientie filii nostris et apostolice sedis beneplacitis conformantes, ea, super quibus vos nostris excitamus licteris, propitiis affectibus ad effectum perducere studeatis. Nuper siquidem, prout iam forsitan fame precurrentibus affatibus didicistis, Moraviensi ecclesie, tunc solatio destitute pastoris, de Venerabili fratri nostro David, tunc ipsius ecclesie Canonico, de consilio fratrum nostrorum et apostolice plenitudine potestatis duximus providendum, ipsumque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius sibi spiritualiter et temporaliter commictendo. Cum, sicut fidedigne relationis assertio nostro apostolatui patefecit, vos nonnulla bona et iura eiusdem ecclesie, dum adhuc viduitatis incommoda tolleraret, duxeritis occupanda, que adhuc detinere noscimini taliter occupata, nosque ad ipsius statum ecclesie prosperum paternis studiis intendamus: Nobilitatem vestram rogamus, et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pro divina et apostolice sedis, ac nostra reverentia eidem Episcopo, submoto difficultatis et dilationis obiectu, bona et iura predicta integre restitui faciatis, ac nichilominus eundem Episcopum, quem suis exigentibus meritis affectione prosequimur speciali, et commissam sibi ecclesiam habentes propensius commendatos, exhibeatis vos ei favorabiles et benignos, ut vestri favoris fultus auxilio commissum sibi regimen efficacius prosequatur, nosque devotionem vestram dignis exinde in domino laudibus attollamus. Datum Anagnie ɪɪ. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXVI.

Richardus electus Dublinensis confirmatur. Reg. An. V. fol. 195.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Riccardo Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Dum sollicite considerationis indagine perscrutamur, quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis ecclesiarum vacatio diuturna, multiplici nec immerito reddimur attentione solliciti, ac operose vigilantie studium adhibemus, ut ecclesiis pastoris solatio destitutis, nubilio viduitatis excluso et vacationis tenebris profugatis, celeris provisionis et utilis radius illucescat. Dudum siquidem Dublinensi ecclesia per obitum bone memorie Guillelmi Archiepiscopi Dublinensis solatio destituta pastoris, dilecti filii sancte Trinitatis et sancti Patricii Dublinensium ecclesiarum Canonici, ad quos Archiepiscopi Dublinensis electio communiter pertinere dinoscitur, cum illa in eadem ecclesia imminet facienda, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, certa die ad eligendum prefixa, pro futuri substitutione pastoris in simul convenerunt. Et tandem, prout est moris, spiritus sancti gratia invocata, in huius-

modi electionis negotio per viam scrutinii procedentes, dilectum filium Adam de Balsaham, Priorem sancte Trinitatis, et Thomam de Chedelwerch, Decanum sancti Patricii ecclesiarum predictarum, in suum et eiusdem Dublinensis ecclesie Archiepiscopum in discordia elegerunt. Cumque iidem Electi cum nonnullis ex Canonicis electoribus supradictis propter hoc ad sedem apostolicam accessissent, tandem prefati Electi in nostra presentia constituti ius, si quod ipsis ex huiusmodi eorum electionibus competebat, sponte ac libere in nostris manibus resignarunt, quorum resignationem benigne duximus admictendam. Et demum gerentes ad prefatam Dublinensem ecclesiam specialis dilectionis affectum, et ad eius tranquillum statum et prosperum paternis studiis intendentes, prefatis Ade ac Thome atque Canonicis, cum adhuc in Romana Curia morarentur, nominandi aliquam personam ydoneam de se ipsis, aut etiam aliunde ad eiusdem Dublinensis ecclesie regimen plenam liberamque licentiam vive vocis oraculo duximus commictendam. Qui tandem, inter se deliberatione prehabita diligenti, te, tunc Archidiaconum Cantuariensis ecclesie, in Archiepiscopum ipsius ecclesie Dublinensis unanimiter et concorditer nominarunt. Nos itaque sollicite advertentes, quod ex tua multiplici probitate processit, quod per Adam et alios antedictos tam concordi voto tamque unanimi voluntate ad eandem fuisti nominatus ecclesiam Dublinensem, considerantes etiam grande ac laudabile testimonium, quod tibi de licterarum scientia, honestate morum et aliarum virtutum insigniis perhibetur, volentes quoque obviare dispendiis, que solent viduatis ecclesiis ex diutine vacationis instantia imminere, te tunc, sicut premictitur, Cantuariensem Archidiaconum de fratrum nostrorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis eidem Dublinensi ecclesie in Archiepiscopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus commictentes, tibique facientes per venerabilem fratrem nostrum M. Portuensem Episcopum munus consecrationis impendi: et subsequenter palleum, plenitudinem pontificalis officii, iuxta morem fecimus tibi tradi, firma concepta fiducia, quod actus tuos et opera illius clementia dirigente, a quo universorum carismatum dona manant, prelibate Dublinensi ecclesie per tuam curiosam solertiam, tuumque ministerium studiosum honoris et prosperitatis multiplicis votiva provenient incrementa. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus nostris et apostolice sedis beneplacitis humiliter te coaptans, et reverenter suscipiens impositum a domino tibi onus, sepefate Dublinensis ecclesie curam sollicitam gerere studeas, eiusque vacare profectibus non omictas, gregem dominicum tue in illa discretioni commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod ecclesia ipsa per tue diligentie studium laudabilibus in spiritualibus, et temporalibus ad divini nominis gloriam proficere valeat incrementis. Datum Anagnie Kalendis Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

In e. m. Dilectis filiis sancte Trinitatis et sancti Patricii Dublinensium ecclesiarum Capitulis, Clero et populo civitatis et diocesis Dublinensis, universis Vassallis ecclesie Dublinensis, Veneralibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Dublinensis, et Carissimo in Christo filio E. Regi Anglie Illustri.

Bonifacius episcopus etc. Eidem, salutem etc. Datur ipsi in Romana Curia constituto palleum per Matheum s. Marie in Porticu, Napoleonem s. Adriani, Petrum s. Marie nove et Riccardum s. Eustachii diaconos Cardinales. Datum ut supra.

Bonifacius episcopus etc. Eidem, salutem etc. Ut usque ad summam quatuor milium florenor. auri mutuum contrahere possit. Dat. Anagnie xv. Kal. Iulii anno quinto. Ibidem ep. 196. fol. 178.

CCCLXVII.

Collectoribus, ut certis mercatoribus Florentinis decimam terrae sanctae in Armachana, Dublinensi, Cassellensi ac Tuamensi provinciis collectam assignent. Reg. An. V. fol. 200

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Midensi, et dilecto filio ... Decano ecclesie Dublinensis, salutem etc. Cum olim felicis recordationis Nicolaus papa IIII. predecessor noster, collectionem decime omnium ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventionum Armachane, Dublinensis, Cassellensis et Tuamensis provintiarum, quam pro sex annis predecessor ipse concesserat carissimo in Christo filio nostro E. Regi Anglie Illustri, ad prosecutionem commodiorem et efficaciorem negotii terre sancte, quod idem Rex personaliter prosequendum assumserat, duxerit vobis per suas sub certa forma licteras committendam: discretioni vestre presentium tenore districte precipiendo mandamus, quatenus dilectis filiis Rogerio et Lapo Spine, Guidoni Bertaldi, Cino Bosii et aliis eorum sociis de Societate Spinorum de Florencia, nostre Camere Mercatoribus, vel alicui seu aliquibus eorumdem, de quorum legalitate ac sufficientia facultatum plene confidimus, aut eorum procuratori seu procuratoribus specialiter ad hoc ab eis constitutis, has nostras deferentibus licteras, quidquid est de dicta decima collectum per vos vel vestrum alterum, aut per subcollectores vestros vel alterius vestrum, quod nondum sit alii vel aliis de speciali mandato sedis apostolice assignatum, infra duorum mensium spatium a receptione presentium, et colligendum etiam de dicta decima, siquid restat, quod vos habere contigerit in futurum, sine diminutione aliqua integre, omni occasione, difficultate ac mora postpositis, ecclesie Romane nomine assignare curetis, facientes de assignatione huiusmodi confici publica instrumenta, que, ipsorum similibus penes vos retentis, una cum vestris licteris continentibus, quid et quantum et quibus de predicta decima duxeritis assignandum, nobis per fidelem nuntium transmictatis, Non obstante aliquo mandato contrario a dicta sede, vel a nobis olim facto super ipsa decima vel eius parte aliis quibuscumque Mercatoribus assignanda. Sic vos in hac parte, ac in executione officii prelibati vigilanter, fideliter et efficaciter habi-

turi, quod redargui de negligentia non possitis, sed debeatis potius de diligentia commendari. Datum Anagnie v. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

CCCLXVIII.

Andreas electus Ergadiensis confirmatur. Reg. An. V. fol. 360.

Bonifacius episcopus dtc. Venerabili fratri Andree Episcopo Ergadiensi, salutem etc. Pastoralis officii debitum exigit, ut inter sollicitudines varias, quibus assidue premimur, circa ecclesias solertiam adhibentes ipsorum utilitatibus intendamus, in eo maxime, ut viduatis ecclesiis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter, auctore deo, continuum suscipiant incrementum. Ad hec enim nostra tendit intentio, circa id instantia nostre cogitationis vigilat, ut tales in partem sollicitudinis evocemus, ut commissum sibi gregem sciant non solum verbo, sed opere informare, prudenter regere, ac in viam dirigere salubrium actionum, commissasque illis ecclesias velint et valeant utiliter et salubriter gubernare. Olim siquidem Ergadiensi ecclesia per obitum bone memorie Laurentii Ergadiensis Episcopi pastoris regimine destituta, dilecti filii ... Decanus et Capitulum ipsius ecclesie certa die ad eligendum prefixa, vocatis et presentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, pro futuri substitutione pastoris, prout moris est, insimul convenerunt, et spiritus sancti gratia invocata, in te, ordinis fratrum Predicatorum professorem, vota sua quasi per inspirationem divinam concorditer direxerunt, te in Ergadiensem Epum eligendo: tuque infra tempus a iure statutum ad multam Decani et Capituli predictorum instantiam huiusmodi electioni de te facte, superioris tui super hoc non obtenta licentia, de facto consentire curasti. Ac postmodum cum procuratoribus ipsorum Decani et Capituli, ac decreto electionis huiusmodi pro confirmationis electionis ipsius munere obtinendo ad apostolicam sedem accessisti: et tandem presentato nobis eodem decreto, omne ius, si quod tibi ex electione competebat eadem, sponte et libere in manibus nostris resignasti. Nos autem huiusmodi resignatione recepta, provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni sedis ipsius reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et demum de provisione ipsius ecclesie, ne diu viduitatis subiaceret incomodis, sollicite cogitantes, post deliberationem, quam super hoc habuimus diligentem, ad personam tuam, licterarum scientia, vite munditia, honestate morum, et religionis observantia, ac aliis virtutum decoratam (titulis), direximus oculos nostre mentis, teque de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem ecclesie Ergadiensi prefecimus in Episcopum et pastorem, ipsius curam et administrationem plenariam tibi in spiritualibus et temporalibus commictentes: tibique postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Theodorium Civitatis Papalis Episcopum fecimus munus consecrationis impendi, firmam spem fiduciamque tenentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam preservabitur a noxiis et adversis, ac grata, deo auctore, in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Reverenter itaque iugum domini suscipe, et suavi eius oneri humiliter colla submicte, ipsius Ergadiensis ecclesie sollicitam curam gerens, gregem dominicum in ea tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod per tue diligentie studium memorata Ergadiensis ecclesia votivis proficere commodis, et optatis consurgere valeat incrementis. Datum Laterani xv. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. Clero et populo civitatis et diocesis Ergadiensis, Venerabili fratri ... Epo Sancti Andree, et dilectis filiis Nobilibus viris Iohanni nato Nobilis viri Iohannis Corvin et Ingerammo de Vinfrevilla in Regno Scotie per Communitatem eiusdem Regni Custodibus deputatis.

CCCLXIX.

Nicolaus abbas de Aberbrothot ecclesiae Dumblanensi praeficitur in episcopum. Reg. An. VII. fol. 78.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Epo Dumblanensi, salut. etc. Dumblanensem ecclesiam apostolice sedi nullo mediante subiectam sinceris affectibus prosequentes, et intendentes sollicite ad quietum et prosperum statum eius, cum ipsam contingit pastoris gubernatione destitui, ad provisionem ipsius celerem, ne prolixe vacationis perferat (incommoda), opem solerter et operam impartimur. Dudum siquidem prefata ecclesia per obitum bone memorie Alpimi Episcopi Dumblanensis solatio destituta pastoris, dilecti filii ... Decanum et Capitulum ipsius ecclesie, certa die ad eligendum prefixa, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum, post diversos tractatus inter se super hoc habitos, ex quibus effectus non extitit subsecutus, in huiusmodi electionis negotio per viam scrutinii procedere elegerunt. Et tandem ipsorum votis in diversos diversis, plures electiones, una videlicet de te, tunc Abbate Monasterii de Aberbrothoc ordinis s. Benedicti Sancti Andree diocesis, ac alie de nonnullis aliis ecclesie predicte Canonicis, fuerunt in ea in discordia celebrate. Cumque tu postmodum propter hoc ad sedem apostolicam personaliter accessisses, huiusmodi Electis reliquis nec per se, neque per procuratores eorum comparentibus coram nobis in termino a iure statuto, vel etiam post ipsum, quamvis diutius expectatis: demum postquam huiusmodi electionum negotium in presentia nostra propositum extitit, omne ius, si quod tibi ex electione huiusmodi competere poterat, in nostris manibus sponte ac libere resignasti. Nosque resignationem tuam huiusmodi duximus admictendam. Verum diligentius attendentes laudabilia testimonia, que tibi de litterarum scientia, honestate morum, vite munditia, et aliis multiplicis probitatis meritis perhibentur, et propter-

ea sperantes indubie, quod prefata ecclesia per tuam circumspectam prudentiam salubriter gubernabitur et utiliter dirigetur, te de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem Dumblanensi ecclesie in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, faciendo tibi subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Theodericum Civitatis Papalis Episcopum munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, eidem ecclesie per tuam curiosam solertiam tuamque industriam studiosam, favente domino, a quo bona cuncta procedunt, honoris et prosperitatis votiva provenient incremanta. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus nostris et apostolice sedis beneplacitis humiliter te coaptans, et reverenter supportans impositum a domino tibi onus, eiusdem ecclesie sollicite curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod eiusdem status ecclesie per tue diligentie studium, auctore domino, laudabiliter augeatur. Datum Laterani Idibus Novembris, Pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. Dilectis filiis ... Decano et Capitulo ecclesie Dumblanensis.

CCCLXX.

Collectoribus decimae in Anglia et Hibernia, ut medietatem eiusdem decimae regi Angliae tradant, alteram per mercatores Florentinos ad curiam Romanam mittant. Reg. An. VIII. fol. 175.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo, et dilecto filio Magistro Bartholomeo de Ferentino Canonico Londoniensibus, decime omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum in toto Regno Anglie, totaque Ybernia pro oneribus et necessitatibus ecclesie Romane per nos pridem ad triennium imposite collectoribus deputatis, salutem etc. Cum vobis collectionem decime omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum in toto Regno Anglie totaque Ybernia, pro ecclesie Romane oneribus et necessitatibus per nos pridem ad triennium imposite, duximus per alias nostras sub certa forma litteras committendam, ac mandavimus, ut Carissimo in Christo filio nostro Eduardo Regi Anglie Illustri, vel procuratori seu procuratoribus eius medietatem ipsius decime collecte et colligende exhibere liberaliter curaretis: reliquam vero medietatem pro nobis et eadem ecclesia conservaretis fideliter ad nostrum beneplacitum et mandatum: Nos, ut huiusmodi reliquam medietatem habere possimus in promptu, discretioni vestre tenore presentium districte precipiendo mandamus, quatenus totam pecuniam, que de ipsa decima pro huiusmodi reliqua medietate ad manus vestras, vel illorum, quos ad huiusmodi collectionis ministerium deputastis et deputabitis, iam pervenit ac perveniet in futurum, dilectis filiis Thome ac Iohanni de Mozis, et Nicolao Burghi et eorum sociis de societate Mozorum, Rogerio et Lapo Spine, ac sociis suis de societate Spinorum de Florentia, Clarentino Anselmi, Baldo Raynerii, et Iohanni Ildebrandini et sociis eorum de societate Clarentum de Pistorio, nostre Camere mercatoribus, aut alicui vel aliquibus cuiuslibet societatum earumdem, vel procuratori seu procuratoribus suis, quem vel quos mercatores cuiuslibet ipsarum societatum, vel eorum aliqui seu aliquis pro societate qualibet ad hoc specialiter duxerint ordinandos, has nostras litteras deferentibus nostro et eiusdem ecclesie nomine, sublato difficultatis obstaculo, equis portionibus, pro tertia parte videlicet secundam ratam dicte relique medietatis, pro societate qualibet assignetis integraliter, et per subcollectores deputatos et deputandos a vobis assignari similiter faciatis, conservandam per eos ac solvendam nobis in Romana Curia iuxta nostrum beneplacitum et mandatum, facientes de singulis assignationibus huiusmodi singula confici publica instrumenta, illa nobis, penes vos retentis similibus, per fidelem nuntium transmissuri, et significaturi nobis nichilominus per vestras litteras harum seriem continentes, quicquid super hiis duxeritis faciendum. Sic itaque in hac parte vos vigilanter et fideliter habere curetis, quod possitis exinde merito commendari. Datum Laterani IIII. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno octavo.

CCCLXXI.

Episcopis Scotiae, ut populos sibi creditos ad pacis consilia revocent, concordiamque inter Scotiae et Angliae reges promoveant. Reg. An. VIII. fol. 207.

Bonifacius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Episcopis per Regnum Scotie constitutis, salutem etc. Inter assiduas curas et universas sollicitationes, que nobis ex ministerio apostolice servitutis incumbunt, de statu catholicorum Orbis terre Principum et Regnorum sollicite cogitare nos convenit, ut in Regnis ipsis, quietis, tranquillitatis et pacis gratia nutriatur, ne illis dissentionum turbine fluctuantibus, animisque populorum circa exercitium guerrarum intentis, ac emergentibus exinde corporum animarumque dispendiis, devotio tepeat in eisdem, et cultus christiane fidei minuatur. Et licet ad singulas regiones sub eiusdem professione fidei constitutas mentis nostre diffundamus intuitum, tamen ad statum Regni Scotie tanto nimirum ferventius excitamur, quanto illud carius noscitur in nostris et apostolice sedis precordiis constitutum. Nostis quidem, et plurimorum, quinimmo universorum fere notitia non ignorat, quod peccatis exigentibus, multiplicata iam longo desursu temporis gravis discordia inter vos, et alios incolas dicti Regni ex parte una, et Carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem et Regnum Anglie Illustrem ex altera dudum ex diversis causarum suborta generibus, quarum vos incentores, fautores et nutritores precipuos communis tenet opinio, utrumque Regnum in guerrarum discrimine posuit, et magnam hinc inde animarum et corporum lesionem, utinam non exterminationem, induxit. Verum cum ex hiis nos et Romana mater ecclesia multiplicibus afficiamur angustiis, et gravibus molestiis perturbemur, ac terre

sancte, quam mentaneis oculis depressam, utinam non prostratam, cum anxietate respicimus, dispendia et tribulationes immineant: Nos exemplo illius, qui de populo suo fomitibus odiorum exclusis, voluit in eo pacis superseminari consilia, sollicitudinem nostram libenter exponimus, et studia nostra desideranter convertimus et labores, ut sedatis scandalis et discordiis amputatis, vera pax et plena concordia hinc inde, dante domino, reformetur. Ideo fraternitates vestras monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandantes, quatenus attendentes, quod dum nos tantorum malorum culpa reddit obnoxios, dum Scoticanum populum, cuius vos decet esse ductores providos et salutiferos directores, sicut oves errantes per devia tempestatum obducitis, et in angustiam desolationis irreparabilis incitatis, multum fame vestre deperit et saluti, oculos, mentes et actus vestros erigatis reverenter ad dominum, et de scandalorum inviis vos et predictum populum ad salutis, pacis et concordie semitas reducentes, studia vestra diligenter et sollicite convertatis, ut rancoribus exclusis et odiis, ac derelictis scandalis, pacis amenitas et tranquillitatis commoda, domino faciente, proveniant, perpetuis, dante ipso, temporibus duratura. Sic vos in premissis diligenter et efficaciter habituri, quod odire scandala et promovere pacem vos laudanda opera evidenter ostendant, et nos providentiam vestram exinde commendare merito valeamus, nec cogamur super hiis aliud remedium adhibere. Datum Anagnie Idibus Augusti, Pontificatus nostri anno octavo.

CCCLXXII.

Episcopo Glasguensi super eodem argumento. Reg. An. VIII. ep. 214.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Glasguensi, salutem etc. Gravi mentis turbatione movemur, et vehementi cordis afflictione gravamur, cum de Prelatis ecclesiarum illa nostris auribus referuntur, que sunt honestati contraria, et pontificali derogant dignitati. Profecto non sine grandi admiratione percepimus, quod tu sicut lapis offensionis et petra scandali, divine Maiestatis offensam, tue salutis et fame dispendium, ac Regni Scotie grave dampnum et periculum non evitans, totius turbationis, dissensionis et discordie, que fuit et est inter Carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Anglie Illustrem et Scotos, ex qua gravia animarum discrimina, strages hominum et dampna rerum innumera obvenerunt, inductor et fautor precipuus extitisti. Verum cum ex hiis deo et hominibus reddaris obnoxius, decet te assumere ac prosequi penitudinis spiritum super eis, et tua efficaciter convertere studia, qualiter super tam gravibus discriminibus tuo satisfacere valeas creatori, ut si huiusmodi discordiarum et guerrarum auctor extiteris, promotor et reformator pacis et concordie pro tuis viribus comproberis. Cum itaque nos inter eosdem Regem et Scotos reformari pacem et solidari concordiam cupientes, super hoc universis Prelatis Scotie speciales nostras litteras dirigamus: fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes, quatenus promotioni eorum, que tibi et Prelatis ipsis in genere scribimus, tua studia et operationes cum diligentia summa convertens, procures et facias, quod iuxta ipsarum continentiam litterarum nostris monitis, exhortationibus et preceptis devote ac efficaciter intendatur. Datum Anagnie Idibus Augusti, Pont. nostri anno octavo.

CCCLXXIII.

Iudicibus, ut de archiepiscopi Tuamensis nefariis actis inquirant, eumque Romam citent. Reg. An. IX. fol. 346.

Bonifacius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Lumbricensi, ... Lacimensi et ... Furnabarensi Episcopis, sal. etc. Ad reformandos in Clero mores et actus iuxta pastoralis officii debitum intendentes, circa corrigendos actus nepharios Prelatorum, cum ad nostrum perferuntur auditum, eo attentius invigilamus, quo ipsi ab illis magis abstinere tenentur, et eorum excessus dampnabilius tollerantur, cum et pericula pariant graviora, et in exempli perniciem facilius transeant aliorum. Accedens siquidem ad presentiam nostram dilectus filius Dionisius, Decanus ecclesie Enachdunensis, nobis denunciare curavit, quod Venerabilis frater Willelmus Archiepiscopus Thuamensis loci Metropolitani, si dici Venerabilis mereatur, ceca cupiditate seductus, ad bona Enachdunensis ecclesie vehementer hanelans, ecclesiam ipsam cum bonis eius predictis motu proprio dampnabiliter occupavit, et occupata detinere presumit, et ut ea liberius valeat retinere, provisionem ipsius ecclesie pastore carentis quibuscumque potest viis et modis impedire conatur, et diutius impedivit: licet enim quondam Iohannes de Uffort, Archidiaconus Enachdunensis, fuerit tempore fel. recordationis M. pape IIII. predecessoris nostri in Episcopum Enachdunensem Electus, dictus tamen Archiepiscopus, huiusmodi electionis negotio apud apostolicam sedem pendente, ipsi Electo, ut eum ab ipsius prosecutione retraheret, contulit Archidiaconatum ecclesie Thuamensis, propter quod Electus ipse ab eadem sede recedens, non fuit dictum negotium ulterius prosecutus. Coegit etiam dictus Archiepiscopus personas et Canonicos dicte ecclesie Enachdunensis ad resignandum in suis manibus dignitates, personatus, canonicatos, prebendas et beneficia, que inibi obtinebant, dictumque Decanum, qui etiam est ibi Canonicus, Decanatu, Canonicatu et prebenda suis eiusdem ecclesie Enachdunensis, quia eos resignare noluit, spoliavit, proventus eorum similiter in usus proprios convertendo. Archidiaconatum vero dicte ecclesie Enachdunensis univit motu proprio de facto, cum de iure non posset, Archidiaconatui dicte ecclesie Thuamensis. Archam vero dicte ecclesie Enachdunensis depositam apud locum fratrum Minorum de Clar Enachdunensis diocesis, in qua mitra, sandalia, baculus pastoralis, quidam anulus et liber, qui dicitur Pontificalis, nec non lictere ac privilegia apostolica, et alia bona Episcopalia ad dictam eccle-

siam Enachdunensem spectantia erant recondita, exinde asportari, et fractis eiusdem seris, predicta omnia ibi existentia inde trahi, et eorum aliqua lacerari fecit dictus Archiepiscopus, et alia concremari. Occupavit insuper idem Archiepiscopus, et occupatum detinet Episcopatum Maionensem sue provincie, cum omnibus bonis suis. Cumque quondam frater Marianus, tunc Electus Elfinensis, ab eodem Archiepiscopo, pro eo quod electionem de ipso ad Episcopatum Elfinensem de eadem provincia canonice celebratam renuerat confirmare, ad sedem appellasset predictam, ac eiusdem electionis confirmationem a sede obtinuisset eadem: prefatus Archiepus horum nequaquam ignarus, in eiusdem sedis contemptum Malachiam, tunc Abbatem Monasterii de Buellio Elfinensis diocesis, qui nunc pro Episcopo Elfinensi se gerit, recepta propter hoc ab eo quadam pecunie summa, in Episcopum Elfinensem non absque symoniaca labe preficere, quin potius intrudere non expavit: sicque eodem Electo antequam ad ecclesiam ipsam Elfinensem accederet, nature debitum persolvente, predictus Malachias occupavit eandem, et adhuc detinet occupatam. Idem quoque Archiepiscopus, certis ex causis maiori excommunicatione ligatus, divina officia dicitur in contemptum clavium celebrasse, suamque ponens cum malefactoribus portionem, interfectores clericorum et alios maiori excommunicatione ligatos retinet scienter in mensa, participare non metuens cum eisdem, suosve subditos, quos paterna tenetur caritate fovere, intollerabilibus procurationibus et exactionibus aliis gravat iugiter et molestat, ac electiones consumans, et beneficia ecclesiastica conferens, mediante vitio symonie, appellationibus, que interponuntur ab ipso, ad sedem eandem deferre non curat, quin potius provocatur ex eis, et magis aggravat appellantes: et ut aliqui appellare ab eo, vel appellationes suas ab ipso interpositas prosequi non attemptent, publico predicat, presertim suffraganeis eius presentibus, quod propter guerrarum discrimina nulli possunt absque periculo ad sedem accedere prelibatam. Quondam preterea Canonicum regularem cuiusdam Prioratus, in sacerdotio constitutum, pro eo solum, quod idem Canonicus non permisit micti equum dicti Archiepiscopi in secretarium (sic) dicti Prioratus, ubi Eucaristie sacramentum et ornamenta ecclesiastica dicti Prioratus erant recondita, capi fecit et mancipari carceri, diversisque tormentis affligi, extorto ab eo postmodum iuramento, quod hec nemini revelaret. Cum autem hec et alia plura, que non fuerunt per dictum Decanum de prefato Archiepiscopo nuntiata, si veritate nitantur, nolimus, prout etiam nec debemus, sub dissimulatione transire: fraternitati vestre, de qua fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus apud civitatem Lumbricensem vel in alio loco, qui ad hoc vobis magis videatur ydoneus, convenientes in unum, et habentes pre oculis solum deum, inquiratis super predictis et aliis, que in articulis dicti Decani vobis ad hoc expediendis videbitis contineri, contra dictum Archiepiscopum diligentius veritatem, ac nichilominus partes ad concordiam, prout expedire videbitis, inducatis: quod si ad id induci forte nequiverint, que super hiis inveneritis, fideliter in scriptis redacta sub vestris inclusa sigillis ad nostram presentiam transmittatis, prefixo eisdem partibus termino peremptorio competenti, quo compareant legitime coram nobis, mandatis nostris et beneplacitis in hac parte plenarie pariture, ac alias facture et recepture, quod iustitia suadebit. Diem vero huiusmodi prefixionis et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum serie continentes fideliter intimetis. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc. Datum Anagnie XIII. Kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno nono.

CCCLXXIV.

Episcopo Clonfertensi et archiepiscopo Dublinensi varia privilegia conceduntur. Reg. An. II. epist. 280—287. fol. 69. et An. VI. fol. 96.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Roberto Episcopo Clonfortensi, salut. etc. Ut ecclesias et cimeteria sue diocesis violatas per se et alios reconciliare; duabus personis tabellionatus officium conferre; et in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina celebrare; et loca remotiora diocesis sua per alios visitare; et nullus sine speciali mandato sedis apostolice in diocesi sua sententias interdicti vel excommunicationis publicare; ad celebrandum officium, quod celebrare tenebatur iuxta instituta sui ordinis vel consuetudinem ecclesie Cantuariensis, de qua ad episcopalem dignitatem assumptus fuerat, non teneatur, sed illud officium celebrare licite valeat, quod in ecclesia Clonfortensi singulis horis celebratur; et confessorem sibi eligere et altare portatile habere possit. Datum Rome apud Sanctum Petrum VI. Idus Maii, Pontificatus nostri anno secundo.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Riccardo Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Ut cimeteria sue diocesis per effusionem sanguinis vel seminis violata per se vel alios reconciliare, et duabus personis tabellionatus officium in commodum sue diocesis conferre possit. Dat. Laterani XV. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno sexto.

EPISTOLA BENEDICTI PP. XI.

CCCLXXV.

Mauritius archidiaconus ecclesiae Cassellensi in archiepiscopum praeficitur, et de more commendatur. Reg. An. 1. fol. 30.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Mauritio Electo Cassellensi, salutem etc. Militanti ecclesie, disponente domino, licet immeriti presidentes, circa curam ipsius solertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta pastoralis officii debitum commissi nobis dominici gregis custodiam utiliter gerere, divina cooperante clementia, studeamus: et quamquam assidue circa singularum ecclesiarum commoda vigilemus, tamen erga illas, que deplorant viduitatis incommoda, propensiori sollicitudine ac maiori excitamur instantia, ut eis preficiamus viros ydoneos in pastores. Dudum siquidem Cassellensi ecclesia per obitum bone memorie Stephani Archiepiscopi Cassellensis pastoris solatio destituta, dilecti filii ... Decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, post diversos tractatus per eos habitos, qui sortiti effectum debitum non fuerunt, deliberantes per viam scrutinii ad electionem futuri pastoris procedere, tres fidedignos ex ipsis, videlicet Magistros Riccardum de Sam Cancellarium, presbiterum Offeida, et Nicolaum Florentii Canonicos ipsius ecclesie, ad scrutandum primitus vota sua, et deinde aliorum Canonicorum eiusdem ecclesie concorditer assumpserunt: qui huiusmodi potestate recepta, secedentes in partem votis suis primo seorsum, et postmodum omnium aliorum Canonicorum predictorum secreto et singillatim diligentius exquisitis, et in scriptis redactis, mox in communi vota huiusmodi publicarunt, et collatione habita diligenti, compertum extitit, quod maior et sanior pars Capituli predictorum in te, tunc Archidiaconum Cassellensem, in diaconatus ordine constititum, direxerunt vota sua; minor vero pars eorumdem Capituli Venerabilem fratrem nostrum ... Episcopum Laoniensem in Cassellensem Archiepiscopum postularat: et deinde prefatus Cancellarius de mandato eiusdem maioris partis, vice sua et ipsius maioris partis, te in Archiepiscopum Cassellensem elegit, ac electionem huiusmodi solemniter publicavit. Tuque dicto maioris partis devictus instantia infra tempus a iure statutum electioni huiusmodi consensisti; predicta vero minor pars, quia dictus Episcopus, presentata sibi huiusmodi postulatione de se facta, eidem postulationi sua sponte dissensit, attendentes diligenter electionem tuam fore de persona ydonea canonice celebratam, adhesit voluntarie electioni predicte, ac ipsam etiam approbavit: et postmodum tam tu per te ipsum, quam iidem Capitulum per eorum certos procuratores et nuntios ad nos propter hoc specialiter destinatos, presentato nobis huiusmodi electionis decreto, a nobis infra tempus debitum suppliciter postulastis, ut confirmare electionem huiusmodi dignaremur. Nos igitur electionem eandem, tuamque personam per Venerabilem fratrem I. Episcopum (Tusculanum), et dilectos filios nostros Robertum tituli s. Pudentiane presbiterum, et Neapoleonem s. Adriani diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter: et facta nobis ab eisdem Cardinalibus super hoc relatione fideli, quia eandem electionem invenimus de te, cui a fidedignis de litterarum scientia, etatis maturitate, morum gravitate, prudentia spiritualium, et temporalium providentia laudabile testimonium perhibetur, canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmantes, te prefate ecclesie in Archiepiscopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo: ac subsequenter tibi fecimus per dictum Episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque tenentes, quod dirigente domino actus tuos, eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, et salubria, dante domino, in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum a domino tibi onus devote suscipiens, sic curam et administrationem predictas diligenter gerere studeas, quod eadem ecclesia sub tua vigilantia votivis ampliatur commodis, ac in omnibus prospere dirigatur, tuque nostram et dicte sedis gratiam uberius exinde consequi merearis. Datum Laterani xv. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Dilectis filiis ... Decano et Capitulo ecclesie Casssellensis, Clero civitatis et diocesis Cassellensis, Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Cassellensis, et Carissimo in Christo filio ... Regi Anglie Illustri.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. V.

CCCLXXVI.

Ioannes ecclesiae Armachanae praeficitur. Reg. An. I. fol. 13.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Armachano, salutem etc. Dum attente considerationis indagine perscrutamur commoda plurima, que vacantibus ecclesiis de salubri proveniunt provisione pastorum, multa nimirum reddimur attentione solliciti, ut circa provisionem huiusmodi faciendam solertius vigilantie nostre studium impendamus. Dudum siquidem Armachana ecclesia per obitum bone memorie Nicolai Armachani Archiepiscopi solacio destituta pastoris, licet dilectus frater Michael Maglachlyn ordinis fratrum Minorum per viam compromissi fuit per dilectos filios ... Decanum et Capitulum ipsius ecclesie in Armachanum Episcopum postulatus, felicis tamen recordationis Benedictus papa XI. predecessor noster, postulationis huiusmodi sibi presentato decreto, postulationem eandem certis ex causis legitimis non admisit; set eidem ecclesie de dilecto filio Dyonisio ecclesie prefate Decano providit, preficiendo eum in Archiepiscopum Armachanum: qui demum iuri, si quod ei fuerat ex provisione huiusmodi acquisitum, in manibus dilectorum filiorum nostrorum Thome tituli sancte Sabine presbiteri, et Petri sancti Viti in marcello diaconi Cardinalium renuntiavit libere atque sponte, dictique Cardinales de mandato nostro, facto eis oraculo vive vocis, resignationem huiusmodi admiserunt. Nos itaque de statu ipsius Armachane ecclesie sollicite cogitantes, ac volentes paterna sollicitudine precavere, ne predicta ecclesia prolixioris dispendia vacationis incurrat, ac ad personam tuam, quam odor fame laudabilis nobis reddidit acceptam, cum haberis vir licterarum scientia preditus, vite laudabilis, conversationis honeste, morum honestate decorus, discretionis maturitate conspicuus, preclarus meritis, et alias in spiritualibus et temporalibus circumspectus, mentis nostre dirigentes intuitum, sperantes quoque, quod virtutibus de sursum tibi traditis insignitus eandem ecclesiam salubri, dante domino, regimine gubernabis, ipsaque utilis praesidio munita pastoris optatis affluet incrementis, te ipsi ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus commictendo. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum a domino tibi onus suscipiens reverenter, curam et administrationem eiusdem ecclesie sic diligenter geras, et salubriter ac sollicite exequaris, quod eadem ecclesia per tue vigilantie studium votivis, auctore domino, commodis amplietur, et felicibus proficiat incrementis, tuque preter benedictionis eterne premium, nostram et prefate sedis gratiam exinde uberius merearis. Datum Burdegalis vi. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Decano et Capitulo ecclesie Armachane, Clero civitatis et diocesis Armachane, Suffraganeis ecclesie Armachane, et Eduardo Regi Anglie Illustri.

CCCLXXVII.

Pontifex provisionem ecclesiae Dublinensis sibi et sedi apostolicae reservat. Reg. An. I. fol. 76.

Clemens episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Cum ecclesia Dublinensis per obitum bone memorie Richardi Archiepiscopi Dublinensis vacare noscatur: nos ad eandem ecclesiam paterne considerationis intuitum dirigentes, ac cupientes, quod illi per nostre sollicitudinis ministerium preficiatur pastor secundum cor nostrum ydoneus, qui sciat, velit et possit eius regimen salubriter exercere, ex nunc provisionem ipsius ecclesie hac vice dispositioni nostre, ac sedis Apostolice reservamus, districtius inhibentes dilectis filiis ... Capitulo ipsius ecclesie et quibuslibet aliis, ad quos electio Archiepiscopi Dublinensis, cum facienda imminet, seu provisio vel quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne ad electionem, provisionem, vel quamcumque dispositionem de futuro Archiepiscopo faciendam procedere quoquomodo presumant, ac decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli etc. nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis etc. Si quis etc. Datum apud Vignadraldum xiii. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

CCCLXXVIII.

Electo Dublinensi tempus ad curiam veniendi pro impetranda electionis suae confirmatione ad tres menses prorogatur. Reg. An. II. ep. 70.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Riccardo de Averingues Electo Dublinensi, salutem etc. Tue merita devotionis exposcunt, ut petitionibus tuis favorabiliter annuamus. Cum itaque ratione electionis de te facte ad Archiepiscopatum Dublinensem, secundum tenorem constitutionis felicis recordationis Nicolai pape III. predecessoris nostri super hoc editam, arripere iter ad sedem apostolicam veniendi infra certi temporis spatium pro eiusdem electionis prosequendo negotio tenearis, nec id comode implere possis, ex eo quod te ad presens oportet pro quibusdam negotiis Carissimi in Christo filii nostri E. Regis Anglie Illustris in Aquitanie partibus immorari: nos super hoc

tibi providere volentes, tuis supplicationibus inclinati tempus huiusmodi usque ad tres menses a dicto tempore computandum auctoritate apostolica prorogamus, ita quod tibi interim huiusmodi tempus constitutionis non currat, nullumque propterea tibi aut iuri tuo preiudicium generetur. Nulli etc. prorogationis etc. Datum apud Fontemcoopertum Xanctonensis diocesis III. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCLXXIX.

Idem electus Dublinensis confirmatur. Reg. An. II. ep. 213.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Richardo Electo Dublinensi, salutem etc. Pastoralis officii debitum, cui, disponente dño, presidemus, continua nos pulsat instantia, ut ad universas orbis ecclesias, quarum cura nobis imminet generalis, apostolice considerationis intuitum extendentes, de illis specialius cogitemus, que propriis destitute pastoribus deplorant viduitatis incommoda, et vacationum periculis exponuntur, ut eis per cooperationis nostre ministerium de celeris et salubris provisionis remedio succurratur, ne quod absit, eorum vacationibus prorogatis, ambulantis in circuitu lupi rapacis astucia earum oves rapiat et dispergat, manus avida illarum bona diripiat, et iura presumptuosus usurpet. Ideoque solliciti reddimur, ut personis talibus commictamus regimen earumdem, que sciant et possint eis preesse salubriter et provide. Navis enim, que provido remige ducitur, rectius et celerius liquida percurrit spatia, et domus ubertate rerum excrescit, que patrefamilias regitur studioso, ac vinea, quam diligens cultor curat, in butros exuberat opulentos, ager quoque in segetem fecundam fructificat, quem agricola bonus colit. Vacante siquidem dudum Dublinensi ecclesia per obitum bone memorie Richardi Archiepiscopi Dublinensis, Nos cupientes, quod ipsius regimen per apostolice sedis providentiam commicteretur persone, per quam eadem ecclesia posset feliciter gubernari, provisionem ipsius ea vice dispositioni nostre ac dicte sedis duximus reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Verum dilecti filii ... Prior et Conventus sancte Trinitatis, ac Decanus et Capitulum sancti Patricii Dublinensis, ad quos communiter electio Archiepiscopi Dublinensis pertinere noscitur, pro facienda futuri Archiepiscopi electione, ut moris est, insimul convenerunt: quibus reservationem et decretum huiusmodi ignorantibus, ac in diversos dirigentibus vota sua, duas ibi contigit electiones, unam videlicet de te per Decanum et Capitulum, et alteram de dilecto filio Nicolao dicto le Butiler clerico per Priorem et Conventum predictos, ad Archiepiscopatum Dublinensem post reservationem et decretum predictam de facto in discordia celebrari. Porro te ac dicto Nicolao pro ipsarum electionum negotio prosequendo ad dictam sedem personaliter accedentibus, eodemque negotio coram nobis et fratribus nostris exposito, Nos attendentes, quod electiones predicte nulle erant, utpote post reservationem et decretum huiusmodi attemptate, eas irritas nuntiavimus et inanes. Ac postmodum de provisione dicte ecclesie, ne prolixioris vacationis detrimemtum subiret, sollicite cogitantes, post deliberationem, quam super hoc habuimus cum dictis fratribus diligentem, consideratis virtutum donis, quibus personam tuam dominus illustravit, ad te dicte ecclesie Precentorem, virum utique genere nobilem, licterarum scientia preditum, moribus et vita laudabilem, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua, nobis et predictis fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, dicte ecclesie providemus, preficiendo te ipsi de fratrum eorumdem consilio et apostolice plenitudine potestatis in Archiepiscopum et pastorem, curamque et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commictende, in illo qui dat gratias et elargitur premia confidentes, quod eadem ecclesia sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propitia, salubriter et prospere dirigetur, et salutaria recipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipias, et suavi eius oneri humiliter collum flectas, commissumque tibi dicte ecclesiae regimen sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod eadem ecclesia sponso utili et gubernatori provido gaudeat se commissam, nosque merito letari possimus in domino, cum a spe, quam de tua bonitate concepimus, fuerimus non fraudati. Datum Pictavis VI. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Dilectis filiis ... Priori et Conventui sancte Trinitatis, et ... Decano et Capitulo sancti Patricii Dublinensis, Dilectis filii Clero civitatis et diocesis Dublinensis, Carissimo in Christo filio Regi Anglie Illustri, Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Dublinensis, Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Dublinensis, et universis Vassallis ecclesie Dubinensis.

CCCLXXX.

Eidem electo Dublinensi ad quinquennium reservantur fructus suorum beneficiorum, et ut ipse ea post dictum terminum viris idoneis conferat, indulgetur. Reg. An. II. epist. 269.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Richardo Electo Dublinensi, salutem et apost. ben. Tu emerita devotionis exposcunt, ut nos personam tuam paterna benivolentia prosequentes, que suppliciter deposcis a nobis, tibi favorabiliter concedamus. Cum itaque, sicut oblata nobis ex parte tua petitio continebat, ecclesia tua debitorum sarcina sit oppressa, graviaque propter frequentes et diutinas vacationes, et guerrarum discrimina ingruentia in illis partibus passa fuerit in spiritualibus et temporalibus detrimenta: Nos ad relevamen debitorum et detrimentorum huiusmodi paternis studiis intendentes, ac volentes tibi in hac parte de alicuius subventionis remedio providere, tibique gratiam facere specialem, ut eo magis ad ecclesie predicte tibi commisse commoda promovenda concrescas, quo a nobis gratiam adeptus

fueris ampliorem, tuis supplicationibus inclinati, omnia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, etiam si dignitates aut personatus existant, que nunc obtines, tibi auctoritate apostolica reservamus, retinenda per te usque ad quinquennium a tempore, quo fructus ex eis ex nunc percipere inceperis, computandum, ita quod ea una cum Archiepiscopatu Dublinensi, etiam postquam fueris in Archiepiscopum consecratus, et palleum receperis iuxta morem, retinere licite valeas, ac fructus percipere ex eisdem. Tuam quoque volentes honorare personam, et per honorem tibi exhibitum aliis provideri, conferendi interim auctoritate nostra, predicta beneficia tibi taliter reservata, cum eorum iuribus et pertinentiis, singula videlicet singulis personis ydoneis, de quibus tibi videbitur, ac inducendi personas easdem vel procuratores suos eorum nomine in illorum corporalem possessionem, et inductas etiam defendendi, ac faciendi personas easdem, vel procuratores predictos ipsorum nomine, ad eadem beneficia, ut est moris, admicti, eisque de ipsorum beneficiorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores insuper per censuram etc. usque compescendo, plenam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Non obstantibus quibuscumque statutis ac constitutionibus etc. Datum Pictavis III. Nonas Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCLXXXI.

Walterus ecclesiae Armachanae praeficitur in archiepiscopum, et licentia mutuum contrahendi conceditur. Reg. An. II. ep. 313.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Waltero Archiepiscopo Armachano totius Ybernie Primati, salutem etc. Regimini universalis ecclesie, quamvis insufficientibus meritis, disponente domino, presidentes, de universis orbis ecclesiis pro earum statu salubriter dirigendo, quantum nobis ex alto permittitur, sollicite cogitamus: Set earum propensior sollicitudo nos angit, quas propriis pastoribus destitutas subiacere viduitatis incomodis intuemur, ut illis per cooperationis nostre ministerium viri preficiantur ydonei in pastores, qui sciant et possint ipsis preesse utiliter et prodesse. Vacante siquidem nuper ecclesia Armachana per obitum bone memorie Iohannis Archiepiscopi Armachani, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, nos attendentes, quod nullus preter nos de ipsius ecclesie provisione se intromictere poterat, pro eo quod nos olim ante vacationem huiusmodi, circa primordia nostre promotionis ad summi apostolatus officium, provisiones omnium ecclesiarum tum Archiepiscopalium, quam aliarum Cathedralium, quas apud dictam sedem vacare contingeret, dispositioni nostre ac dicte sedis duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ad provisionem dicte ecclesie, ne prolixe vacationis exponeretur incomodis, cepimus intendere diligenter, ac post deliberationem, quam ad ponendum ibi approbatam ydoneamque personam cum fratribus nostris habuimus, ad te demum ordinem fratrum Predicatorum professum, virum utique nobilem, moribus et vita laudabilem, litterarum scientia preditum, religione conspicuum, fama pollentem, in spiritualibus providum, et temporalibus circumspectum, direximus aciem nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione discussis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, dicte ecclesie duximus providendum, preficiendo te illi de fratrum eorumdem consilio et apostolice plenitudine potestatis in Archiepiscopum et pastorem, curamque et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie commictendo, ac postmodum per Vener. fratrem Nicolaum Epum Ostiensem tibi fecimus munus consecrationis impendi: et subsequenter palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet pontificalis officii, a te cum ea qua decuit instantia postulatum, per dilectos filios nostros Landulfum sancti Angeli diaconum Cardinalem tibi fecimus exhiberi, firma spe fiduciaque concepta, quod eadem ecclesia sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propitia, salubriter et prospere dirigetur, et grata suscipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris promptа devotione supportes, dicteque ecclesie commissum tibi regimen sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod eadem ecclesia sponso utili et gubernatori provido gaudeat se commissam, tuque proinde premium retributionis eterne, nostramque ac dicte sedis benedictionem et gratiam plenius consequi merearis. Datum Pictavis VIII. Id. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Decano et Capitulo ecclesie Armachane, Clero et populo civitatis et diocesis Armachane, universis Vassallis, et Suffraganeis ecclesie Armachane et ... Regi Anglie.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Waltero Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Ut usque ad summam quatuor millium florenor. mutuum contrahere possit. Datum Pictavis Id. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCLXXXII.

Richardo electo Dublinensi usque ad biennium prorogatur tempus recipiendi consecrationem. Reg. An. II. ep. 266.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Richardo Electo Dublinensi, salutem etc. Paterne dilectionis affectus, quem ad personam tuam, tue devotionis exigentibus meritis, gerimus, nos inducunt, ut in hiis que suppliciter deposcis a nobis, nos tibi reperias favorabiliter gratiosos. Cum itaque, sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, expeditioni plurium negotiorum Carissimi in Christo filii nostri E. Regis Anglie Illustris, et dilecti filii nobilis viri E. primogeniti sui Principis Wallie, quorum utriusque obsequiis immoraris, te oporteat frequenter intendere: Nos, ut eisdem negotiis liberius intendere valeas, tuis supplicationibus inclinati, tempus recipiendi tue consecrationis munus, tibi usque ad biennium, au-

ctoritate apostolica, de speciali gratia prorogamus, eadem tibi auctoritate nichilominus concedendo, quod ex nunc, quandocumque volueris, liceat tibi de Curia Romana recedere, ac nichilominus curam et administrationem ecclesie Dublinensis tibi commisse in spiritualibus et temporalibus per te, ac Vicarium ydoneum, quem ad hoc deputandum duxeris, exercere, quodque interim lapsus huiusmodi temporis tibi nullatenus imputari valeat, nec proinde tibi preiudicium aliquod imminere, felicis recor. Bonifacii pape octavi predecessoris nostri edita contra Prelatos de Romana Curia absque sue promotionis et consecrationis litteris recedentes, et qualicumque alia constitutione contraria non obstante. Et ut te adhuc uberioris munere gratie prosequamur, eadem tibi auctoritate concedimus, quod tu, qui es in subdiaconatus ordine constitutus, possis diaconatus et presbiteratus ordines recipere a quocumque volueris antistite, gratiam et communionem apostolice sedis habente, convocatis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Episcopis, quos volueris, similem gratiam et communionem habentibus, tibi munus predictum apud sedem eandem, vel ubicumque alibi possit impendere, tuque illud etiam libere recipere valeas ab eodem. Nulli ergo etc. nostre prorogationis et concessionis etc. Datum Pictavis x. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCLXXXIII.

Cum Duncano comite de Fif et Maria de Monte Hermeri, nepte regis Angliae, super matrimonio dispensatur. Reg. An. II. ep. 523.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Duncano Comiti de Fif in Scotia, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie de Monte Hermeri, nepti Carissimi in Christo filii nostri Regis Anglie Illustris, salutem etc. Regis eterni mira benignitas sanctam Romanam ecclesiam sponsam suam, quam ineffabili dilectione prosequatur, magnis donavit muneribus gratiarum, inter quas illam sibi tribuit in clavium collationem celestium plenitudinem potestatis, ut non solum erga minores personas, sed quantacumque generositate pollentes possit, quotiens et quando salubriter expedire cognoscit, contra sacrorum instituta canonum ispensare. Cum itaque, sicut oblata nobis ex parte Carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Anglie Illustris petitio continebat, vos, qui quarto estis consanguinitatis gradu coniuncti, cupientes insimul matrimonialiter cupulari, iam sponsalia invicem, quamvis de facto, duxeritis contrahenda, et ex huiusmodi matrimonio vestro, si fiat, pax inita inter Anglicos et Scotos, inter quos hactenus dampnosa guerrarum discrimina ingruerunt, maiorem recipere possit firmitatem. Nos qui libenter Christifidelibus quietis et pacis remedia procuramus, et conamur, ut possumus, amovere scandala, turbationes et pericula ab eisdem, considerantes attentius, quot et quanta ex guerris predictis hactenus pericula provenerunt, ac cupientes, ut eadem pax, que illarum partium incolis magne commodum tranquillitatis inducit, in solida firmitate persistat, dicti Regis supplicationibus inclinati, vobiscum, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, matrimonium insimul licite contrahere valeatis, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli etc. nostre dispensationis etc. Dat. Pictavis iii. Nonas Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCLXXXIV.

Thomae sanctae Sabinae presbytero cardinali, ut quaecunque beneficia ecclesiastica in Anglia, Scotia et Hibernia a rege Angliae et aliis sibi oblata possit accipere etc. Reg. An. III. ep. 225.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Thome tituli sancte Sabine presbitero Cardinali, salutem etc. Nuper in nostra proposuisti presentia constitutus, quod nos dudum tibi, ut quecumque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, tam regularia quam secularia, ad collationem, presentationem vel aliam dispositionem tam clare mem. Eduardi Regis Anglie tunc viventis, quam Venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, et dilectorum filiorum Electorum, Abbatum, Priorum et aliorum ecclesiarum et monasteriorum Prelatorum, Capitulorum, Collegiorum, Conventuum, ceterarumque personarum ecclesiasticarum secularium vel regularium quorumcumque ecclesiarum, monasteriorum, locorum et ordinum, necnon aliorum Procerum, Magnatum et Nobilium per Anglie et Scotie Regna ac Ibernie Wallieque terras, seu provincias constitutorum communiter vel divisim spectantia, dummodo tibi per eos, vel illis procurantibus alias canonice commendentur, ipsorumque beneficiorum fructus, redditus et proventus Mille marcharum sterlingorum secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, in commendam et commende nomine licite recipere, et quoad vixeris, libere retinere valeres, constitutione qualibet contraria non obstante, auctoritate litterarum nostrarum duximus indulgendum, prout in eisdem litteris plenius et seriosius continetur. Nolentes igitur, quod hiis, qui huiusmodi tibi commendaverint beneficia, vel procuraverint, aut fecerint commendari, circa ea imposterum preiudicium generetur, presentium tenore decernimus, quod quecumque huiusmodi beneficia tibi taliter commendata te obtinere contingat, statim te sive apud sedem apostolicam, sive ubicumque alibi cedente vel decedente, seu ea quomodolibet dimittente, in statum pristinum libere revertantur: Ita quod hii, ad quos eorum collatio, presentatio, vel quecumque alia dispositio pertinet, quibusvis constitutionibus aut reservationibus per nos, aut predecessores nostros, Romanos pontifices, factis, aut etiam faciendis per nos circa beneficia apud dictam sedem vacantia vel vacatura, aut provisionibus, si que per nos de huiusmodi beneficiis, que tibi commendata fuerint, fieri forte contingeret, nisi in litteris conficiendis super huiusmodi constitutionibus, reservationibus et provisionibus de tuo et huiusmodi commendantium seu procurantium nominibus eorumque ordinibus, locis et dignitatibus totoque tenore presentium de verbo ad verbum plena, expressa et

determinata mentio habeatur, nequaquam obstantibus, ea conferre ac presentare ad ipsa, et de illis disponere libere valeant, sicut prius. Ceterum quia in predictis nostris licteris concessionis tibi facte nomen dicti Regis fuit expressum, eadem auctoritate decernimus, quod hoc non obstante, predicta nostra concessio tibi facta ad Regem Anglie, qui est et pro tempore fuerit, se extendat, ac si nomen predictum expressum in eisdem nostris licteris non fuisset. Nulli etc. nostrarum constitutionum etc. Dat. Pictavis III. Idus Martii, Pont. nostri anno III.

CCCLXXXV.

Collectoribus decimarum in Scotia, ut exactionem decimarum non secundum antiquum, sed modernum fructuum valorem instituant. Reg. An. III. fol. 5.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus Londoniensi et Lincolniensi Episcopis, Collectoribus decime in Regno Scotie pro subsidio terre sancte per sedem apostolicam deputatis, salutem etc. Querelam Prelatorum et cleri Regni Scotie nuper recepimus continentem, quod licet propter ipsius Regni turbationem diutinam, duraque in illo contumacia guerrarum discrimina, humani generis inimico satore zizanie faciente, sint ecclesiarum dicti Regni facultates attenuate, ac redditus et proventus notabiliter diminuti, nichilominus tamen vos predicta nequaquam considerantes, decimam ipsam secundum taxationem de fructibus, redditibus et proventibus ipsarum ecclesiarum factam antiquitus, tempore quo Regnum ipsum pacis et tranquillitatis commoditatibus fruebatur, et non secundum modernum verum valorem fructuum, reddituum et proventuum predictorum indebite exigere et extorquere nitemini ab eisdem, factis propter hoc per vos seu alios auctoritate vestra contra Prelatos et clerum predictos monitionibus et aliis processibus, quamvis ipsi Prelati et clerus nobis humiliter supplicassent, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nolentes igitur, ut iidem Prelati et clerus super premissis contra intentionis nostre propositum aggraventur, mandamus, quatenus inquisita de vero valore moderno fructuum, reddituum et proventuum predictorum diligentius veritate, si premissa veritate nitantur, cum nostre intentionis fuerit et existat, secundum ipsum modernum verum valorem tantummodo per ipsos Prelatos et clerum solvi decimam prelibatam, ipsos super exactione dicte decime secundum prefatam taxationem antiquam decetero nullatenus molestetis: sed illam ab eis iuxta verum valorem modernum solummodo exigatis, revocatis processibus, si occasione premissa per vos et alios auctoritate nostra contra Prelatos et clerum habiti fuerint supradictos. Datum Pictavis IIII. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

CCCLXXXVI.

Nicolaus electus Dumblanensis confirmatur. Reg. An. III. fol. 12.

Clemenus episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Epo Dumblanensi, sal. etc. Regimini universalis ecclesie, disponente domino, licet immeriti presidentes, circa curam ecclesiarum omnium attenta meditatione pensamus, ut iuxta pastoralis officii debitum commissi nobis dominici gregis custodiam utiliter gerere, divina cooperante clementia, valeamus. Et quamquam assidue circa singulorum commoda vigilemus, tamen erga illas, que sedi sunt apostolice immediate subiecte et viduatis incommoda perferunt, propensiori cura et maiori pulsamur instantia, ut eis preficiamus viros secundum cor nostrum ydoneos in pastores. Sane dudum ecclesia Dumblanensi, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone mem. Nicolai Episcopi Dumblanensis pastoris solatio destituta, dilecti filii ... Decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad electionem futuri pastoris celebrandam prefixa, convenientes in unum, ac spiritus sancti gratia invocata, deliberantes in ipsius electionis negotio per viam procedere compromissi, tibi tunc Canonico, et dicto Decano, ac dilectis filiis Mauritio de Insula Missarum, Guillelmo de Londors, Michaeli de Cambuskinel, Guillelmo de Eglisham et Henrico de Strivelym, Canonicis eiusdem ecclesie, providendi ea vice ipsi ecclesie de Prelato per electionem canonicam de persona ydonea ex vobis ipsis, vel de gremio ipsius ecclesie dumtaxat concesserunt plenam et liberam potestatem, promictentes illum in eorum Episcopum et pastorem recipere, in quem te et omnes collegas predictos, vel maiorem partem vestrum iuxta premissam formam contingeret consentire. Tu autem et dicti college, huiusmodi potestate recepta, secedentes in partem diligentem tractatum super hoc invicem habuistis, et tandem reliqui tui college predicti in te direxerunt concorditer vota sua, dictusque Decanus postmodum, de mandato collegarum suorum, vice sua et eorumdem collegarum ac ipsorum Capituli, ex potestate sibi et eisdem collegis tradita te, in sacerdotio constitutum, in Episcopum Dumblanensem elegit, electionem huiusmodi solemniter publicando: tuque postmodum ad instantiam dictorum Capituli electioni predicte infra tempus a iure statutum consenciens, propter hoc ad sedem apostolicam personaliter accessisti. Et demum tam tu per te ipsum, quam idem Capitulum per eorum certos procuratores et nuntios ad nos propter hoc specialiter destinatos, presentato nobis dicte electionis decreto, a nobis infra tempus debitum suppliciter postulastis, ut confirmare electionem huiusmodi dignaremur. Nos igitur electionem eandem, tuamque personam per Ven. fratrem L. Episcopum Albanensem, et dilectos filios nostros Iohannem tituli sanctorum Marcellini et Petri presbiterum, et Arnaldum sancte Marie in Porticu diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter, et facta nobis ab eisdem Episcopo et Cardinalibus super hoc relatione fideli, quia eandem electionem invenimus de te licterarum scientia predito, morum honestate decoro, ac in spiritualibus et temporalibus circumspecto canonice celebratam, ipsam de predictorum Episcopi et Cardinalium et

aliorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmantes, te dicte ecclesie Dumblanensi in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus commictendo: et subsequenter tibi fecimus per Venerabilem fratrem nostrum N. Epum Ostiensem munus consecrationis impendi, firmam spem fiduciamque tenentes, quod dirigente domino actus tuos, eadem ecclesia Dumblanensis per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, et salubria, dante domino, spiritualiter et temporaliter suscipiet incrementa. Quocirca mandamus, quatenus impositum a domino tibi onus devote supportans, sic curam et administrationem predictas diligenter gerere studeas, quod eadem ecclesia Dumblanensis sub tua vigilantia votivis amplietur commodis, ac in omnibus prospere dirigatur, tuque nostram et dicte sedis gratiam exinde uberius consequi merearis. Dat. Pictavis III. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Dilectis filiis ... Decano et Capitulo Dumblanensis ecclesie ac nobili viro Malisio Comiti de Stratheryn Dumblanensis diocesis, vel alii Comitatum eiusdem loci tenenti.

CCCLXXXVII.

Willelmo de Goseford canonico Dumblanensi, ut fructus in absentia percipere et plura beneficia retinere possit. Reg. An. IV. fol. 77.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Willelmo de Goseford presbitero, Canonico Dumblanensi, salutem etc. Sedis apostolice gratiosa benignitas ad illos libenter dexteram sue liberalitatis extendere consuevit, quibus ad id propria virtutum merita suffragantur. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu olim Canonicatum et prebendam ecclesie Dumblanensis canonice obtinens, de Castelinik, de Ornusheld, de Goseford, de Alboceslen parrochiales ecclesias Glasguensis, Karleolensis, Ebor. et Lincoln. diocesum, quarum redditus et proventus annui octuaginta librarum sterlingorum iuxta taxationem decime non excedunt, fuisti alias tamen canonice assecutus, illasque retinuisti et retines, fructusque percepisti et percipis ex eisdem, nec in eis, prout tenebaris, fecisti residentiam personalem, dispensatione super hoc a sede apostolica non obtenta. Quare tu habens super hiis ad apostolicam sedem recursum, tui in hac parte statui et saluti provideri per oportune dispensationis beneficium suppliciter postulasti. Nos igitur volentes personam tuam, nobis alias de multiplicis probitatis meritis fidedignorum testimonio commendatam, huiusmodi tuis exigentibus meritis prerogativa favoris et gratie prosequi specialis, omnem infamie maculam et cuiuslibet inhabilitatis notam in te ex premissis obortam penitus abolentes, de apostolice plenitudine potestatis predictos fructus, redditus et proventus tibi de speciali gratia remittimus et donamus, et nichilominus, quod una ex dictis ecclesiis, quam malueris, dimissa, dictos Canonicatum et prebendam, et reliquas tres ecclesias, in quibus, ut asseris, non est ius alicui acquisitum, et quas tibi de novo conferimus et de illis etiam providemus, simul retinere, nec non et quod una ex eisdem ecclesiis retentis dimissa, loco ipsius dimisse ecclesie aliam ecclesiam cum simili cura recipere valeas, et cum eisdem Canonicatu et prebenda et non dimissis ecclesiis licite retinere, generalis concilii et qualibet alia constitutione contraria non obstante, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Proviso, quod Canonicatus, prebenda et ecclesie predicte interim debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eisdem ecclesiis nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre abolitionis, remissionis, donationis, collationis, provisionis et dispensationis etc. Datum Avinione XIII. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCLXXXVIII.

Iudicibus, ut Ioannem Tanquardi perperam in episcopum Aladensem electum ad curiam Romanam citent. Reg. An. IV. fol. 195.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepo Armachano et ... Ardakadensi ac ... Clonensi Episcopis, salutem etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod ecclesia Aladensis per obitum sui Episcopi pastoris regimine destituta, quidam eiusdem ecclesie Canonici, dilecto filio Magistro Iohanni Heyne ipsius ecclesie Canonico irrequisito penitus et contempto, tunc dilectum filium Magistrum Iohannem Tanquardi ipsius ecclesie Archidiaconum in Aladensem Episcopum elegerunt, et demum Venerabilis frater ... Archiepiscopus Tuamensis loci Metropolitanus electionem huiusmodi repente contra sanctiones canonicas confirmavit: quodque postmodum dictus Magister Iohannes Heyne, ne prefatus Archiepiscopus ad ipsius Electi consecrationem procederet, ex certis causis ad sedem apostolicam appellans, et eidem Electo appellationem notificans, ut debuit, supradictam, infra tempus a iure statutum pro huiusmodi negotio prosequendo se conspectui apostolico presentavit. Et licet idem Electus Burdegalis, ubi tunc Romana Curia residebat, personaliter accessisset, tamen ibidem sub certa forma procuratoribus constitutis, ut ex tenore instrumenti procurationis apparet, se absque licentia nostra de prefata Curia, pendente appellatione huiusmodi, absentavit, et ad propria dinoscitur rediisse. Demum vero harum electionis et appellationis negotio proposito pro parte ipsius Magistri Iohannis Heyne in publico Consistorio coram nobis, causam huiusmodi dilecto filio nostro Riccardo santi Eustachii diacono Cardinali commissimus audiendam: qua pendente, idem Electus se fecisse dicitur in Aladensem Episcopum consecrari. Subsequenter vero de ipsius cause meritis examinatione premissa, idem Cardinalis nobis in Consistorio fecit relationem fidelem. Nos autem considerantes attentius, quod recessus de Curia et consecratio sic obtenta, ut superius est expressum, redundant in nostrum et sedis predicte contemptum, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios dictum Iohannem Tanquardi ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra trium mensium spatium a die

citationis per vos, seu aliquem vestrum sibi facte continue nunciandum personaliter apostolico se conspectui representet, facturus, recepturus et auditurus super hiis, quod iustitia suadebit. Diem vero citationis et formam, et quidquid duxeritis faciendum, nobis per vestras licteras harum seriem continentes intimare fideliter studeatis. Datum Avinione xi. Kal. Iulii Pontificatus nostri anno quarto.

CCCLXXXIX.

Universis Christi fidelibus dioec. Dublin. pro anima Ioannis de Havering patris electi Dublinensis orantibus indulgentia conceditur. Ibid. fol. 196.

Clemens episcopus etc. Universis Christifidelibus per Civitatem et Diocesim Dublinensem constitutis, salutem etc. Inter cetera, que post dissolutionem corporum animabus prosunt fidelium defunctorum, iustorum orationes sunt animabus ipsis perutiles apud omnium salvatorem, per quas facilius absolvuntur anime salvandorum a penis, quibus in purgatorio, per quod transeunt propter culpas ab ipsis commissas, dum viverent, in presenti seculo affliguntur, eisque a Domino eterna requies exhibetur. Eximie itaque devotionis affectum, quem quondam Iohannes de Haveringg miles ad Deum et ecclesiam habuisse dinoscitur, recolentes, et ob hoc, necnon obtentu dilecti filii Richardi Electi Dublinensis nati sui, qui super hoc apostolicam gratiam suppliciter imploravit, cupientes ipsius Iohannis animam devotis fidelium deprecationibus adiuvari, de omnipotentis Dei misericordia et batorom Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui devotis orationibus divinam pro eius anima misericordiam imploraverint, singulis diebus, quibus apud Deum huiusmodi orationes effundent, viginti dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Pretentibus post triennium non valituris. Datum in Prioratu de Grausello prope Malausanum Vasionensis diocesis viii. Idus Octobris, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCXC.

Richardo electo Dublinensi terminus consecrationis ad annum prorogatur. Reg. An. IV. fol. 196.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Richardo Electo Dublinensi, salutem etc. Tue devotionis sinceritas promeretur, ut desideriis tuis in hiis favorabiliter annuamus, per que tibi et ecclesie tibi commisse possint commoda provenire. Cum itaque, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, tu, qui es in diaconatus ordine constitutus, postquam fuit de te Dublinensi ecclesie per nos provisum, propter validas tui corporis infirmitates, necnon et alios casus fortuitos tibi imminentes, te non fecisti ad sacerdotium statutis temporibus promoveri, nec per consequens in Archiepiscopum consecrari. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc de oportune provisionis remedio dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, huiusmodi tempus consecrationis tue usque ad annum a data presentium computandum, lapsu temporis dicte consecrationis alias tibi per nostras litteras prorogare, et qualibet alia constitutione super hoc in contrarium edita non obstantibus, tenore presentium prorogamus. Volumus tamen, ut taliter de administratione ecclesie Dublinensis provideas, quod ipsa interim in spiritualibus et temporalibus non fraudetur, nec detrimentum propterea patiatur. Nulli etc. nostre prorogationis etc. Datum in Prioratu de Grausello prope Malausanum Vasionensis diocesis viii. Idus Octobris, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCXCI.

Malachias electus Elfinensis confirmatur. Reg. An. V. fol. 99.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Malachie Episcopo Elfinensi, salutem etc. Ad universalis ecclesie regimen divina dispositione vocati, ecclesiarum quarumlibet prosperum et tranquillum statum libenter appetimus, et illum, quantum nobis ex alto conceditur, libentius procuramus, sed earum precipue, que propriis destitute pastoribus, dampnose vacationis coguntur dispendia deplorare, ut per nostre providentie studium preficiantur illis viri secundum cor nostrum ydonei, sub quorum regimine tam in spiritualibus quam in temporalibus iugiter prosperentur. Dudum siquidem ecclesia Elfinensi per obitum bone memorie Donati Episcopi Elfinensis pastoris solatio destituta, dilecti filii Canonici dicte ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, convenientes in unum, te tunc Canonicum eiusdem ecclesie, ac in minoribus ordinibus constitutum, in Efinensem Episcopum concorditer postularunt. Sed quondam Salomon Decanus ipsius ecclesie postulationi huiusmodi interesse recusans, ac se ad locum alium transferens, quam ubi de provisione ecclesie prefate tractari debebat, Karolum Abbatem Monasterii sancte Trinitatis de Lochke Premonstratensis ordinis Elfinensis diocesis solus elegit in Episcopum Elfinensem, faciens electionem huiusmodi per Magistrum Reginaldum officialem Curie Armachane, tunc Venerabili fratre nostro ... Archiepiscopo Armachano in remotis agente, de facto sicut asseritur confirmari, ac ipsi Karolo sic electo munus postmodum consecrationis impendi, propter que pro parte tua, ac Canonicorum tuorum fuit ad sedem apostolicam appellatum. Ac postmodum negotio huiusmodi appellationis, postulationis, electionis, confirmationis et consecrationis proposito in consistorio coram nobis, Nos huiusmodi negotium, ac cetera alia dependentia et emergentia ab eodem inter partes predictas, et omnes alios, quorum interesset et interesse posset, dilecto filio nostro Thome tituli sancte Sabine presbitero Cardinali audendum de plano, summarie, sine strepitu et figura iudicii, ac nobis postmodum referendum commisimus oraculo vive vocis: qui ad tuam instantiam dictum Karolum et omnes alios supradictos ad comparendum coram eo, et ad procedendum in predicto negotio, prout de iure foret, primo, secundo, tertio et peremptorio, ac quarto ex superhabundanti ad malitiam convincendam, nec non et ad

videndum iuramenta quorumdam testium, quos tu super quibusdam tuis articulis duxeras producendos, ad certos dies citari fecit in audientia nostra publica, ut est moris, in quarum citationum singulis terminis comparens, dictique Karoli et aliorum citatorum non comparentium accusans contumaciam, in eorum contumacia nonnullos articulos, et quedam instrumenta et licteras, necnon et super ipsis articulis probandis quosdam testes affuturos pro parte tua producere curavisti, quorum testium iuramentis receptis, et eis examinatis etiam diligenter, idem Cardinalis Karolum et alios supradictos ad dicendum in scriptis, quicquid dicere et dare vellent contra huiusmodi per te exhibita et producta, et ad probandum huiusmodi negotium esse ad Romanam Curiam legitime devolutum, et ibidem tractari et terminari debere, et ad ipsius Cardinalis super hiis pronunciationem etiam audiendam peremptorie citari fecit in audientia supradicta: demum vero per ipsum Cardinalem in contumaciam Karoli ac citatorum eorumdem pronunciato, prefatum negotium fore ad dictam sedem legitime devolutum, et apud eam tractari et finiri debere, ac super libello per Magistrum Iohannem de Rocca, procuratorem tuum, tuo nomine in negotio ipso exhibito, lite habita pro legitime contestata, et per ipsum Magistrum Iohannem predicto nomine de calumpnia et de veritate dicenda prestito corporaliter iuramento, ac exhibitis per ipsum procuratorem quibusdam petitionibus, ac firmatis et datis articulis in contumaciam dictorum Karoli et citatorum, quos dictus Cardinalis tam ad ponendum, quam ad articulandum in eodem negotio citari fecit in audientia memorata. Et demum te in ipso negotio pro parte tua concludente, ac per ipsum Cardinalem in eo tecum habito pro concluso, et nonnullis aliis processibus habitis in contumaciam Karoli et citatorum prefatorum, qui ad omnes legitimos actus citati semper in sua contumacia perstiterunt, necnon de ipsius negotii meritis per Cardinalem eundem solenni informatione recepta, ac facta nobis super hiis relatione plenaria et fideli, Nos eidem Cardinali viva voce recommisimus, ut una cum Venerabili fratre Petro Episcopo Sabinensi, et dilecto filio nostro Neapoleone sancti Adriani diacono Cardinali te, ac persone tue merita examinare curaret, ac huiusmodi examinatione premissa solus ex actis et habitis in dicto negotio coram Thoma Cardinali prefato, secundum quod melior providentia et iustitie observantia suaderent, diffinitam sententiam promulgaret. Idem vero Thomas Cardinalis de persona et meritis tuis una cum Episcopo et Neapoleone Cardinali prefatis diligenti et solenni examinatione discusso, teque reperto ydoneo, tandem Karolum et citatos alios sepedictos ad comparendum coram eo, et ad suam super predictis in dicto negotio diffinitivam sententiam audiendum, ad certam diem peremptorie citari fecit in audientia prelibata, et eis minime comparentibus, te quidem comparente, ac ipsorum contumaciam accusante, ac huiusmodi sententiam ferri petente, idem Thomas Cardinalis citatos eosdem reputans exigente iustitia contumaces, visis et diligenter inspectis ac solennitate debita recensitis actis omnibus et productis in negotio supradicto, auditis insuper allegatis et propositis coram eo pro parte tua, ac super eis secum et cum peritis pluribus deliberatione et consultatione prehabitis, ac a nobis, ut predicitur, licentia habita et auctoritate commissa, habens pre oculis solum Deum, diffinitive pronunciavit et sententiavit, prout hec fuerant in dicto libello petita, prenominatum Karolum cecidisse ab omni iure, si quod habuit ex electione, confirmatione et consecratione prefatis, ac pro parte tua fuisse bene ac legitime appellatum, ipsasque appellationes canonicas et legitimas extitisse et esse, necnon et electionem ipsam eiusdem Karoli, confirmationem et consecrationem easdem, et omnia secuta ex ipsis nulla esse, et pro nullis haberi, dicto Karolo super premissis et super Episcopatu Elfinensi per huiusmodi suam sententiam perpetuum silentium imponendo, cum nullum ius ei competat in eisdem, ac postulationem de te factam legitimam fuisse et esse, ac fore de apostolice sedis benignitate ac misericordia admictendo, prout in instrumento publico inde confecto dicti Thome Cardinalis sigillo munito plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, huiusmodi dicti Thome sententiam primum latam ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica duximus confirmandam, et tandem ad personam tuam, licterarum scientia preditam, morum honestate preclaram, discretione conspicuam, et aliarum virtutum titulis insignitam, considerationis intuitum dirigentes, et volentes eiusdem ecclesie commodis, ne diutius vacationis dispendiis exponatur, paterne sollicitudinis studio providere, huiusmodi postulationem tuam de benignitate apostolica clementer admictimus, et de te in presbiteratus ordine constituto ipsi ecclesie de predictorum Episcopi Sabinensis et Cardinalium, ac aliorum fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine providentes, te illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi spiritualiter et temporaliter commictentes: tibique postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Ostiensem et Velletrensem Episcopum munus fecimus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, speque non indubia suggerente, quod eidem ecclesie per tuam circumspectionem providam et providentiam circumspectam, favente Domino, votiva prosperitatis augmenta provenient, et honoris multiplicis cumulus producetur. Suscipe itaque reverenter iugum Domini, et suavi eius oneri colla submicte, [te] ac tue sollecitudini commissam dominici curam gregis sic exequi studeas diligenter, ut laudabili de ipso reddita in die districti examinis ratione, felicitatis eterne premia cum electis recipere merearis, et eundem gregem ad uberioris meriti fructum et retributionis maioris solatium introducas. Datum Avinione x. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

In e. m. Capitulo ecclesie Elfinensis, Clero et populo civitatis et diocesis Elfinensis, et ... Archiepiscopo Tuamensi, ac ... Regi Anglie.

CCCXCII.

Iacobo Odaclich ord. fratrum Minorum, ut ad quodlibet ord. Cisterciensis monasterium transire possit. Reg. An. V. fol. 211.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Odaclich de Ibernia, clerico Enachdunensis diocesis, ordinem fratrum Minorum professo, salut. etc. Oblata nobis tua petitio continebat, quod tu, qui olim ordinem fratrum Minorum professus, ac promotus in eo ad omnes sacros ordines extitisti, ad artiorem regulam transire desiderans, ab ordine ipso, voluntate propria, super hoc non obtenta licentia recessisti, et ad Monasterium sancti Iacobi extra muros Herbipolensis ordinis sancti Benedicti te transferens, professionem fecisse dinosceris in eodem, et honeste per sex annos et amplius permansisse. Verum licet Monasterium ipsum de antiqua et approbata consuetudine quosvis religiosos ordinis cuiuscumque, dummodo de Ibernia oriundi, seu veri Ibernici fuerint, recipere teneatur, tuque, qui de partibus ipsis oriundus existis, in Monasterio ipso libere receptus extiteris in Monachum et in fratrem: tamen fratres Minores de dicta provincia Ibernie, te super hoc pro eorum voluntatis libito diffamantes, propter hoc excomunicatum publice nunciarunt. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur volentes tue in hac parte saluti misericorditer providere, te ab excommunicationis sententia, si quam pretextu dicti recessus incurrisses, absolvimus, tibique, quod ad quodvis Monasterium ordinis Cisterciensis, quod malueris, transire libere valeas, ipsorum ordinum et alia quavis constitutione contraria non obstante, auctoritate apostolica de speciali gratia licentiam elargimur. Datum Avinione Id. Novembris, Pontificatus nostri anno quinto.

CCCXCIII.

Richardus de Havering archiepiscopatui Dublinensi renunciat, et in capellanum pontificis recipitur. Reg. An. VI. fol. 4.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Magistro Riccardo de Haveringg, Canonico Eboracensi, Capellano nostro, salutem etc. Quia generis et morum nobilitate aliarumque virtutum decoraris ornatibus, et laudabilibus studiis meritorum insistis, gratum sentimus de fama tue probitatis odorem, per quem eo plenius et efficacius ad tui honoris augmentum inducimur, quo clara circa nos et ecclesiam Romanam devotione prefulgens, premissorum consideratione promereris attolli nominis titulo dignioris. Cum itaque tu in nostra presentia constitutus regimini ecclesie Dublinensis, cui tunc vacanti de te olim duximus providendum, preficiendo te illi in Archiepum et pastorem, eiusque oneri et honori certis ex rationabilibus causis per te nobis expositis, consecrationis munere per te nondum suscepto, libere ac sponte in manibus nostris cessisse noscaris, cuius cessionem benigne duximus admictendam: Nos personam tuam premissorum intuitu paterno prosequentes affectu, eamque intendentes favoris apostolici gratia prevenire, te in Capellanum nostrum recipimus, et Capellanorum nostrorum consortio aggregamus, ut tanto libentius decetero cultui bonitatis intendas, quanto exhibitus tibi honor potioris onus maturitatis importat, quantoque facilius per hoc ad maiora poteris, dante domino, promoveri. Datum Avinione xi. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno sexto.

Clemens episcopus etc. Conceditur eidem Riccardo altare portatile. Datum ut supra.

CCCXCIV.

Cum Ioanne de Sandale cancellario ecclesiae Dublinensis super pluralitate beneficiorum dispensatur. Reg. An. VI. fol. 211.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Sandale, Cancellario ecclesie Dublinensis, salut. etc. Etsi pretermicti non debeat in persona cuiusquam, quod in statutis generalibus continetur, interdum tamen pro meritis habenda est consideratio personarum, et quos specialius provehit prerogativa favoris, parcius iuris vinculis teneantur. Petitio siquidem tua nobis exhibita continebat, quod cum tu olim tunc in subdiaconatus ordine dumtaxat, sicut et adhuc esse dinosceris, constitutus, ex dispensatione apostolica Cancellariam ecclesie Dublinensis, ac de Stoke, de Aston et de Lokington ecclesias parrochiales Conventrensis, Lichefeldensis ac Eboracensis diocesum obtineres, nec ratione illarum tenereris inde ad septennium ad superiores ordines promoveri: Nos volentes te favore prosequi ampliori, tecum, ut preter Cancellariam et ecclesias parrochiales predictas posses alia beneficia ecclesiastica, etiam si dignitates vel personatus existerent, et curam animarum haberent, quicumque essent, dummodo illorum proventus ducentarum librarum sterlingorum secundum taxationem decime valorem annuum non excederent, si tibi alias canonice offerrentur, libere recipere et una cum Cancellaria et ecclesiis parrochialibus supradictis licite retinere, ac duabus ex eisdem parrochialibus ecclesiis dimissis, loco earum duo alia beneficia ecclesiastica, etiam si dignitates vel personatus existerent, adhuc recipere, si tibi similiter alias canonice offerrentur, et cum predictis reliquis non dimissis licite retinere, nec tenereris, cum adhuc infra septennium predictum existeres, inde ad quinquennium pretextu huiusmodi beneficiorum seu dignitatum vel personatum non dimissorum, et aliorum tibi offerendorum ad eosdem superiores ordines promoveri, neque ad id a quoquam coartari valeres, duximus dispensandum: tuque deinde de Lokington et de Aston ecclesiis predictis dimissis, de Dumbar et de Symundesburne Sancti Andree et Dunkeldensis diocesum, licet curam animarum habentes, loco ipsarum dimissarum, ac preter eas ex huiusmodi nostre dispensationis vigore de Wymbissh, de Norchinymmes, de Wymbeldon et de Radeclive super Sore ecclesias, quibus cura similis imminet, Londoniensis, Lincolniensis, Wyntoniensis et Eboracensis diocesum, quorum de Wymbissh, de Norchinymmes, de Wymbeldon et de Radeclive super Sore ecclesiarum proventus annui secundum dictam taxationem valorem non excedunt eundem, alias tamen tibi oblatas canonice recepisti,

et ex tunc una cum Cancellaria et ecclesia de Stoke predictis retinuisti et retines, fructus et redditus percipiens ex eisdem. Attendentes itaque multiplicia tuarum dona virtutum, super quibus laudabile tibi testimonium perhibetur, et volentes personam tuam propter hoc, necnon et consideratione Carissimi in Christo filii Edwardi Regis, et Carissime in Christo filie nostrorum Hisabellis Regine Anglie Illustrium pro te clerico suo, nobis super hoc tam per ambasciatores, quam per litteras eorumdem cum instantia supplicantium, adhuc prerogativa favoris attollere plenioris, predictorum Regis et Regine, ac tuis supplicationibus inclinati, tecum, ut preter Cancellariam et ecclesias supradictas, quas obtines, possis duo vel plura alia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, etiam si dignitates seu personatus existant, si tibi alias canonice offerantur, quorum videlicet huiusmodi duorum vel plurium aliorum tibi offerendorum beneficiorum proventus usque ad ducentarum librarum eiusdem monete, secundum taxationem predictam, annuum valorem ascendant, libere recipere et una cum predictis Cancellaria et ecclesiis, nec non canonicatibus et prebendis, quos in Vellensis ac Honedensis, Beverlacensis et Eboracensis diocesum ecclesiis obtines, licite retinere, quodque tribus ex Cancellaria, ecclesiis, canonicatibus, prebendis, vel aliis beneficiis, dignitatibus seu personatibus huiusmodi dimissis, loco illorum alia tria ecclesiastica beneficia cum cura vel sine cura, etiam si dignitates vel personatus existant, libere recipere, et una cum eisdem reliquis non dimissis similiter licite retinere, nec ratione ipsarum omnium, vel aliquorum seu alicuius ex eis, cum Thesaurarie dicti Regis insistas officio, ad recipiendos prefatos superiores ordines usque ad unum annum a fine dicti quinquennii, infra quod adhuc fore dinosceris, computandum, premissa dispensatione nostra de ordinibus ipsis per idem quinquennium non recipiendis in suo duratura robore, tenearis, neque ad id a quoquam valeas coartari, generalis et Lugdunensis conciliorum, et quibusvis aliis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica dispensamus, supplentes defectum, si quis fuerit in premissis vel aliquo premissorum, de apostolice plenitudine potestatis. Proviso, quod Cancellaria, ecclesie curate, canonicatus et prebende predicti, ac huiusmodi alia beneficia tibi ut premictitur offerenda, cum illa habueris, debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre dispensationis et suppletionis etc. Datum in Prioratu de Grausello etc. Vasionensis diocesis xvii. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

CCCXCV.

Rolandus ordinis Praed. ecclesiae Armachanae in archiepum praeficitur Reg. An. VI. fol. 248.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Rolando Electo Armachano, salutem etc. Inter cetera sollicitudinis nostre studia, que plena curis et multimodis onusta laboribus executio pastoralis officii nostris inducit humeris perferenda, illud nos specialiter excitat, angit potissime, pulsatque propensius mentem nostram, ut viduatis ecclesiis, ne prolixe vacationis exponantur incomodis, dispendia patiantur, ac eorum bona et iura protectoris destituta presidio pravorum presumptuosa temeritas occupet, avidaque manus diripiat malignorum, pastores preficiamus ydoneos et Rectores providos preponamus, quorum salubri ducte regimine, munimine circumfulte, ac laudabili gubernatione directe spiritualibus et temporalibus proficiant incrementis. Dudum siquidem ecclesia Armachana vacante per liberam et spontaneam cessionem Venerabilis fratris nostri Walteri Episcopi, olim Archiepiscopi Armachani, factam apud sedem apostolicam in manibus dilecti filii nostri Iacobi de Columpna sancte Romane ecclesie diaconi Cardinalis, cessionem huiusmodi de speciali mandato nostro facto sibi vive vocis oraculo admictentis: Nos attendentes, quod de dicta ecclesia Armachana nullus preter nos disponere poterat, pro eo, quod nos dudum ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum tam Archiepiscopalium, quam aliarum Cathedralium apud sedem ipsam tunc vacantium, et inantea vacaturarum dispositioni nostre duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, et demum de ordinatione ipsius ecclesie, quam benevolentia speciali prosequimur, cogitantes, ac cupientes talem ipsi preesse pastorem, qui eam sciret et posset salubriter gubernare, post deliberationem, quam super hoc habuimus, prout negotii qualitas exigebat, cum fratribus nostris diligentem, consideratis muneribus gratiarum, quibus personam tuam divina bonitas illustravit, ad te ordinem fratrum Predicatorum professum, et in sacerdotio consitutum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie duximus providendum, teque illi de fratrum predictorum consilio prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commictendo, ac postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Berengarium Episcopum Tusculanum tibi fecimus munus consecrationis impendi, in illo qui dat gratias et elargitur premia confidentes, quod eadem ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salutaria recipiet incrementa. Iugum itaque domini suscipias reverenter, et suavi eius oneri humiliter collum flecte, prefate ecclesie regimen sic exercendo sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde ab omnium retributore bonorum retributionis eterne premium consequaris, Nosque gaudere possimus in domino, cum a spe, quam de tua bonitate concepimus, fuerimus non fraudati. Datum Vienne Idibus Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie, Clero et populo civitatis et diocesis Armachane, universis

Vassallis et universis Suffraganeis ecclesie Armachane, et Carissimo etc. Eduardo Regi Anglie Illustri.

CCCXCVI.

Executoribus, ut Waltero, qui ecclesiae Armachanae sponte renuntiaverat, super bonis eiusdem ecclesiae annuam pensionem quinquaginta libr. sterlingorum assignent. Reg. An. VII. fol. 16.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri .... Epõ Connerensi, et dilectis filiis ... Abbati Monasterii Mellifontis Armachane diocesis, ac ... Archidiacono Midensi, sal. etc. Cum nuper dilectus filius Walterus, olim Archiepiscopus Armachanus, regimini ecclesie Armachane, cui tunc preerat, sponte ac libere certis ex causis legitimis pro parte sua nobis expositis cesserit in manibus dilecti filii nostri Iacobi de Columpna, sancte Romane ecclesie diaconi Cardinalis, de mandato nostro cessionem huiusmodi admictentis: Nos nolentes, quod idem Walterus defectum in rebus temporalibus patiatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios faciatis auctoritate nostra eidem Waltero ad sustentationem ipsius pensionem annuam quinquaginta librarum sterlingorum de bonis ad archiepiscopalem mensam Armachanam spectantibus, percipiendam ab eo, quoad vixerit, integraliter assignari, Contradictores auctoritate predicta, appellatione postposita, compescendo. Dat. Vienne vi. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno septimo.

CCCXCVII.

Archiepiscopo Armachano pallium conceditur. Reg. An. VII. fol. 16.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Rolando Archiepiscopo Armachano, totius Ibernie Primati, salutem etc. Nuper Armachane ecclesie tunc vacanti de persona tua de fratrum nostrorum consilio duximus providendum, preficiendo te illi in Archiepũm et pastorem, curamque et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus commictendo: tibique postmodum fecimus per venerabilem fratrem nostrum Berengarium Episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi. Cum autem deinde palleum, insigne videlicet pontificalis officii, a nobis cum ea, qua decuit, instantia postulasses: Nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios nostros Neapoleonem sancti Adriani, Landulphum sancti Angeli, Riccardum sancti Eustachii, Iacobum de Columpna s. Romane ecclesie, Raymundum s. Marie nove, et Bernardum sancte Agathe diaconos Cardinales tibi fecimus assignari, ut illo intra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato etc. Dat. Vienne Idibus Ianuarii, anno vii.

CCCXCVIII.

Willelmus electus Dunkeldensis eidem ecclesiae in episcopum praeficitur. Reg. An. VII. fol. 109.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo Episcopo Dunkeldensi, sal. etc. Ex suscepte servitutis officio sollicitudine pulsamur assidua, ut ecclesias, quarum cura nobis est summi pastoris dispositione commissa, spiritualibus et temporalibus commodis augeamus, et eis maxime per debite provisionis ministerium in necessitatibus consulamus, que Romane ecclesie immediate subiecte viduitatis noscuntur incommoda deplorare. Dudum siquidem Dunkeldensi ecclesia, Romane ecclesie immediate subiecta, per obitum bone memorie Mathei Episcopi Dunkeldensis pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem Dunkeldensis ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, et spiritus sancti gratia invocata, deliberantes per viam scrutinii providere dicte ecclesie de Prelato, tres ex ipsis, videlicet Thomam de Pestona, Patricium de Strach, et Matheum Caraldi eiusdem ecclesie Canonicos, ad scrutandum primitus vota sua, et aliorum omnium Canonicorum ipsius ecclesie in ipsa ecclesia tunc temporis residentium concorditer assumpserunt: qui huiusmodi potestate recepta, secedentes in partem, ac votis suis primo seorsum, et omnium aliorum de dictis Capitulo ibidem presentium secreto et singillatim diligentius perscrutatis, et in scriptis redactis, mox in communi vota huiusmodi publicaverunt, et collatione super hoc habita diligenti, compertum extitit, quod omnes de dicto Capitulo tunc in ecclesia predicta presentes in te, tunc Canonicum Dunkeldensem, in presbiteratus ordine constitutum, direxerunt unanimiter et concorditer vota sua: et deinde prefatus Matheus Caraldi sua et ipsorum Thome ac Patricii collegarum suorum vice et nomine, et de mandato predictorum Capituli in Dunkeldensem Episcopum te elegit, electionem huiusmodi solenniter publicando: tuque postmodum ad instantiam dictorum Capituli infra tempus a iure statutum electioni huiusmodi consensisti, et tam tu per te ipsum, quam idem Capitulum per eorum certos procuratores et nuntios, ad nos propter hoc specialiter destinatos, presentato nobis dicte electionis decreto, a nobis infra tempus debitum, ut confirmare electionem huiusmodi dignaremur, suppliciter postulastis. Verum Venerabilis frater noster Iohannes Archiepiscopus Dublinensis, qui tunc pro Canonico dicte Dunkeldensis ecclesie se gerebat, asserens se fore electum extra dictam Dunkeldensem ecclesiam a quibusdam, quos dicebat esse Canonicos Dunkeldenses, huiusmodi tuam electionem impugnans, electionem de ipso habitam a nobis instanter petiit confirmari. Huiusmodi siquidem electionum negotio in Consistorio publico proposito coram nobis, nos negotium ipsum dilecto filio nostro Iacobo sancti Georgii ad Velum aureum diacono Cardinali audiendum commisimus oraculo vive vocis. Comparentibus igitur te et Iohanne predicto coram eodem Cardinali, et per tuum et ipsius Iohannis procuratores in huiusmodi negotio libellis oblatis, et utroque eorum petente electionem de se habitam confirmari, et electionem adversarii minus canonicam pronunciari, et

lite inter te et dictum Iohannem super eisdem libellis in ipsius Cardinalis presentia legitime contestata, et de calumpnia et veritate dicenda prestito iuramento, factis petitionibus, et ad eas responsionibus subsecutis, ac formatis et traditis articulis hinc et inde, et super pertinentia et impertinentia dictorum articulorum ab utraque parte datis allegationibus coram Cardinali predicto, ac exhibitis decretis electionum predictarum, necnon instrumentis et licteris et aliis suis iuribus, cum quibus tu et dictus Iohannes debuistis ad Romanam curiam venire parati, dictus Iohannes medio tempore per nos promotus extitit in Archiepiscopum Dublinensem, et a prosecutione cause destitit supradicte. Cumque postea super articulis contra te exhibitis fuisset ad partes facta remissio, et testes recepti super eis, et eorum attestationibus ad sedem apostolicam remissis eandem: Nos de ipsius electionis tue meritis plenius informati, quia huiusmodi tuam electionem invenimus de te, viro utique licterarum scientia predito, generis nobilitate preclaro, morum honestate decoro, ac in spiritualibus et temporalibus circumspecto, canonice celebratam, ipsam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmantes, te dicte Dunkeldensi ecclesie in Epum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius Dunkeldensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus commictendo: tibique postmodum per Ven. fratrem nostrum Berengarium Episcopum Tusculanum munus fecimus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque concepta, quod dirigente dño actus tuos, eadem ecclesia Dunkeldensis per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, et salubria, dante dño, suscipiet incrementa. Quocirca mandamus, quatenus impositum a domino tibi onus devote supportans, sic curam et administrationem predictas diligenter studeas exercere, quod eadem Dunkeldensis ecclesia sub tua vigilantia votivis amplietur commodis, ac in omnibus prospere dirigatur, tuque nostram et dicte sedis gratiam exinde consequi merearis. Datum Vienne VIII. Idus Maii, Pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie et Clero civitatis et diocesis Dunkeldensis.

CCCXCIX.

Malachias Elfinensis episcopus ad ecclesiam Tuamensem transfertur. Reg. An. VIII. fol. 17.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Malachie Episcopo olim Elfinensi in Archiepiscopum Tuamensem Electo, salutem etc. Celestis dispositione consilii, per quod in mundi machina ordinationem suscipiunt universa, supreme dignitatis fastigio licet immeriti presidentes, super gregem dominicum nostre vigilantie creditum vigilis speculatoris officium exercemus, cira illa potissime intentum animum dirigendo, curamque impendendo sollicitam, per que divini cultus augmentum, exaltatio catholice fidei, et comoda salutis proveniant animarum, que, prout firma spes suggerit, ex eo facilius et efficacius subsequi potuerunt, si ecclesiis pastorum gubernatione carentibus personas preficiamus ydoneas, easque viris providis commictamus, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam et prudentiam circumspectam salubriter dirigant et informent, ac bona ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum siquidem Tuamensi ecclesia per obitum bone memorie Guillelmi Archiepiscopi Tuamensis pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie dilectum filium Philippum Decanum eiusdem ecclesie in Tuamensem Archiepiscopum per viam compromissi concorditer elegerunt, qui huiusmodi electioni presentate sibi infra tempus debitum a Capitulo supradictis sua sponte renuit consentire. Postmodum autem idem Capitulum, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, convenientes in unum, ac spiritus sancti gratia invocata, deliberantes in huiusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi, eidem Decano et dilectis filiis Petro Archidiacono, Nicolao Flammini, Laurentio de Tuanna et Willelmo de Dummo, Canonicis Tuamensibus, providendi ea vice dicte ecclesie de se ipsis, vel alio de dictis Capitulo, seu etiam aliunde per electionem canonicam vel postulationem, concorditer concesserunt unanimiter potestatem, promictentes illum in eorum et dicte ecclesie Archiepiscopum recipere et pastorem, quem ipsi, vel maior pars eorum iuxta premissam formam eligerent, seu etiam postularent. Dicti namque compromissarii, huiusmodi potestate recepta, secedentes in partem, post diversos tractatus super hoc invicem habitos, deliberatione inter se prehabita diligenti, in te, tunc Episcopum Elfinensem, direxerunt concorditer vota sua, et deinde dictus Nicolaus ex potestate sibi et collegis suis predictis tradita de mandato collegarum ipsorum vice sua et eorundem collegarum, et predictorum Decani et Capituli nomine te in Tuamensem Archiepiscopum postulavit, postulationem huiusmodi coram eis solenniter publicando: cui siquidem postulationi iidem Decanus et Capitulum unanimiter consenserunt, tuque presentate tibi huiusmodi postulationi non consentiens, neque dissentiens te super hoc beneplacito sedis apostolice submisisti, et propter hoc personaliter ad sedem accessisti predictam: dictique Decanus et Capitulum per eorum certos procuratores et nuntios ad nos propter hoc specialiter destinatos, presentato nobis huiusmodi postulationis decreto, a nobis suppliciter postularunt, ut huiusmodi postulationem admittere de speciali gratia dignaremur, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nos igitur postulationem eandem, tuamque personam per venerabilem fratrem Berengarium Episcopum Tusculanum, et dilectos filios nostros Nicolaum tituli sancti Eusebii presbiterum, et Bernardum sancte Agathe diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter, et facta nobis ab eisdem Episcopo et Cardinalibus super hoc relatione fideli, quia postulationem huiusmodi invenimus de te, viro licterarum scientia predito, vite laudabilis, conversationis placide, morum honestate

decoro, discretionis et consilii maturitate conspicuo, in spiritualibus et temporalibus circumspecto, canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine de gratia admisimus speciali, teque a vinculo, quo tenebaris Elfinensi ecclesie, cui preeras, absolventes, ad predictam Tuamanensem ecclesiam te transferimus, et concedimus te ipsi Tuamensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, liberam tibi dantes licentiam ad dictam Tuamensem ecclesiam transeundi, curam et administrationem ipsius Tuamensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus commictendo, firma spe fiduciaque concepta, quod per te, qui commissam tibi dudum Elfinensem ecclesiam salubriter et utiliter gubernasti, dextera Domini tibi assistente propitia, dicta Tuamensis ecclesia prospere dirigetur et salubria, dante Domino, suscipiet incrementa. Quocirca mandamus, quatenus impositum tibi onus a Dño suscipiens reverenter, curam et administrationem predictas sic diligenter geras et sollicite prosequaris, quod ipsa gubernatori circumspecto, et fructuoso administratori gaudeat se commissam, et bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, ac preter benedictionis eterne premium, benivolencie nostre graciam exinde plenius consequaris. Datum Avinione xiiii. Kalend. Ianuarii Pontificatus nostri anno octavo.

In e. m. Dilectis filiis ... Decano et Capitulo ecclesie Tuamensis, Clero et populo civitatis et diocesis Tuamen., universis Vassallis, Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Tuamensis, et Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Anglie Illustri.

CCCC.

Cum archidiacono Glindelacensi in ecclesia Dublinensi dispensatur super pluralitate beneficiorum. Reg. An. VIII. fol. 56.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Hothum Archidiacono Glindelacensi in ecclesia Dublinensi, salutem etc. Sedes Apostolica pia mater illis nonnunquam se liberalem reddere consuevit, qui gratiam eius implorant suppliciter, et quibus ad id propria devotionis et virtutum merita reperit laudabiliter suffragari, ut quanto sedem ipsam sibi magis favorabilem reperint benignam, tanto illam sincerioris devotionis affectum studeant revereri. Petitio siquidem tua nobis exhibita continebat, quod tu olim primo ecclesiam de Merkesbiri Bathoniensis et Wellensis diocesum curam animarum habentem, ac deinde Canonicatum et prebendam, et postmodum Archidiaconatum Glindelacensem in ecclesia Dublinensi fuisti cannonice assecutus, dictumque Archidiaconatum per alium per quinquennium visitasti, procurationes a personis et locis ecclesiasticis dicti Archidiaconatus sic visitatis auctoritate propria recipi faciens in pecunia numerata, que quidem pecunia huiusmodi visitationis occasione, et per totum eius tempus recepta sexaginta librarum sterlingorum summam nequaquam excedit, et successive de Laurenni ac ipsa ecclesia de Merkesbiri dimissa, de Kennet, super qua et eius occasione lite diutius agitata, due fuerunt contra te sentencie promulgate, quarum secunda est legitima appellatione suspensa, posteaque de Radoni, de Roulay, de Kirkebi, in Aschefeld, ac postremo de Contingham ecclesias parrochiales Menevensis, Dublinensis, Ossoriensis et Eboracensis diocesum, ac in Leghlinensi, Cassellensi, Imlacensi, Waterfordensi, Kildarensi, et Eboracensi, ac sancti Iohannis de Cestria Conventrensis et Lichefeldensis diocesum ecclesiis canonicatus et prebendas mixtim cum ipsis parrochialibus ecclesiis adeptus alias tamen canonice extitisti; licet super dictis canonicatu et prebenda ipsius Eboracensis ecclesie lis contra te apud sedem pendeat supradictam, ac Archidiaconatum, parrochiales ecclesias, canonicatus et prebendas predictos insimul per aliquos annos retinuisti, et adhuc retines, fructus nichilominus percipiens ex eisdem, dispensatione dicte sedis super hiis aliqua non obtenta. Cum autem, sicut accipimus, tu, qui carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Anglie Illustris clericus existis, prefati Regis obsequiis utiliter et ferventer institisse, ac insistere dinoscaris, et in ipsorum obsequiorum prosecutione magna subieris ac te subire oporteat onera expensarum, sisque paratus infra annum proximum venturum Archidiaconatum, canonicatus et prebendas ipsarum Waterfordensis et Kildarensis ecclesiarum, et ecclesiam de Kenneth predictos in manibus diocesanorum locorum libere resignare, fructus quoque et proventus reliquorum ecclesiarum parrochialium, canonicatuum et prebendarum eorumdem secundum taxationem decime ducentarum quadraginta librarum eiusdem monete sterlingorum valorem aunuum non excedant. Nos horum dicti Regis intuitu, necnon et ob laudabilia tuarum devotionis et virtutum merita, super quibus fidedignorum testimonio multipliciter commendaris, volentes super premissis tui saluti et statui misericorditer providere, teque etiam alias prerogativa prosequi favoris et gratie specialis, tuis supplicationibus inclinati, omnem inhabilitatis maculam sive notam in te ex retentione Archidiaconatus, ecclesiarum de Merkesbiri, et aliarum parrochialium ac canonicatuum et prebendarum predictorum, necnon perceptione procurationum et fructuum eorundem, quos tibi de gratia speciali remictimus et donamus, obortam de apostolice potestatis plenitudine abolentes, tibique de Laurenni, de Radoni, de Roulay, de Kirkebi et de Contingham ecclesias, in quibus laici ius obtinent patronatus, ac ipsarum Dublinensis, Leghlinensis, Cassellensis, Imlacensis et sancti Iohannis de Cestria ecclesiarum canonicatus et prebendas predictos, quos te pacifice possidere proponis, de novo auctoritate apostolica conferentes, vel si malueris in ipsis parrochialibus ecclesiis, quas possides, ad novas presentationes ipsorum patronorum possis in Rectorem institui, concedentes tecum, ut ecclesias parrochiales, canonicatus et prebendas eosdem, quos ut premictitur possides, etiam si in ipsis ecclesiis de novo fueris, ut predicitur, institutus, insimul et una cum dictis canonicatu et prebenda ipsius Eboracensis ecclesie, quamvis lis super eis, ut premictitur, pendeat, si

illos evincere te contingat, alioquin in ceteris huiusmodi collatio et dispensatio nostre in suo robore nichilominus perseverent, retinere, quodque Archidiaconatu, canonicatibus et prebendis dictarum Waterfordensis et Kildarensis ecclesiarum, ac ecclesia de Kenneth prefatis, ut predicitur, dimissis, duo alia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, etiam si alterum illorum dignitas vel personatus existat, quorum proventus annui sexaginta librarum dicte monete summam secundum taxationem eandem annis singulis non excedant, si tibi alias canonice offerantur, recipere, et una cum eisdem ecclesiis parrochialibus, canonicatibus et prebendis, quos obtines, ac canonicatu et prebenda ipsius Eboracensis ecclesie, si eos, ut predicitur, evinceris, similiter retinere libere ac licite valeas, generalis concilii et quacumque alia constitutione super hiis in contrarium edita non obstante, dummodo infra dictum annum prefatos Archidiaconatum, prebendas et ecclesiam, quos te paratum dimittere, ut premictitur, obtulisti, quosque tibi liceat cum ipsis aliis beneficiis tuis interim retinere, omnino dimictas, eadem autoritate apostolica dispensamus. Volentes nichilominus, quod ex eo presentes non censeantur in aliquo defective, quod in eis ordo temporis, quo prelibata beneficia recepisti, et eorum annua taxatio singillatim, quantoque tempore ipsa vel eorum quodlibet tenueris, nullatenus exprimentur. Proviso quod omnia beneficia supradicta, que obtines, dictique canonicatus et prebenda Eboracensis ecclesie, si illos evinceris, ac huiusmodi alia duo beneficia recipienda, cum illa fueris assecutus, debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostrarum remissionis, donationis, abolitionis, collationis, dispensationis et voluntatis etc. Datum Avinione II. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno octavo.

CCCCI.

Laurentius ecclesiae Elfinensi praeficitur in episcopum, eique licentia mutuum contrahendi, et munus consecrationis suscipiendi conceditur. Reg. An. VIII. fol. 30 et 56.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Laurentio Electo Elfinensi, salutem etc. Ecclesiarum omnium curam, prout nostre servitutis exposcit officium, cupientes gerere diligentem, circa earum singulas, et illas presertim, quas novimus pastorum presidio destitutas, ne longe vacationis patiantur incomoda, continue attentionis oculis ad hoc sollicitius vigilamus, ut illis earum regimen commictatur, quorum sollicitudine circumspecta et circumspectione sollicita laudabilibus, dante domino, in spiritualibus et temporalibus proficiant incrementis. Cum igitur Elfinensis ecclesia nuper apud sedem apostolicam vocasse noscatur, pro eo quod nos Venerabilem fratrem nostrum Malachiam Episcopum olim Elfinensem, in Archiepiscopum Tuamensem Electum, de predicta ecclesia, cuius tunc regimini presidebat, ad Tuamensem ecclesiam, ad quam tunc pastore carentem per dilectos filios ... Decanum et Capitulum ipsius Tuamensis ecclesie fuerat unanimiter et concorditer postulatus, presentata nobis huiusmodi postulatione admissa, duximus de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine transferendum, ac nullus preter nos de provisione ipsius Elfinensis ecclesie disponere potuerit, pro eo quod nos olim ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud sedem vacantium supradictam, et quas imposterum vacare contingeret, dispositioni nostre et sedis eiusdem duximus reservandas, et decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari: dilecti quoque filii ... Decanus et Capitulum dicte ecclesie Elfinensis nobis humiliter supplicarunt, ut providere de te ipsi Elfinensi ecclesie dignaremur. Nos ad eandem Elfinensem ecclesiam paterne considerationis oculos dirigentes, ac volentes attentius providere, ne ipsa Elfinensis ecclesia proprii sponsi connubio amplius destituta maneret, de te ipsius Elfinensis ecclesie Canonico, in sacerdotio constituto, viro utique maturitate etatis, licterarum scientia erudito, vite ac morum honestate conspicuo, in consiliis provido, et in spiritualibus et temporalibus circumspecto, prout de hiis tua nobis presentia innuit, et fidedignorum testimonia notitiam prebuerunt, sepefate Elfinensi ecclesie de predictorum fratrum consilio, et eiusdem plenitudine potestatis providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commictendo, firma spe fiduciaque concepta, quod dirigente domino actus tuos, memorata Elfinensis ecclesia per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam spiritualiter et temporaliter prospere dirigetur, et salubribus proficiet incrementis. Quocirca discretioni tue mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino devote suscipiens, suavi eius oneri humiliter colla submictas, commissum tibi gregem dominicum doctrina verbi et operis informando, sicque curam et administrationem predictas diligenter gerere studeas, et salubriter ac utiliter prosequaris, quod ipsa sub tua vigilantia votivis amplietur comodis, et in omnibus, divina cooperante clementia, prospere dirigatur, tuque nostram et dicte sedis gratiam exinde tanquam benedictionis et obedientie filius uberius consequi merearis. Datum Avinione XII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno octavo.

In e. m. ... Decano, Capitulo, Clero, Populo, Universis Vassallis ecclesie Elfinensis, et Eduardo Regi Anglie Illustri.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Laurentio Electo Elfinensi, salutem etc. Ut usque ad summam mille florenorum auri mutuum contrahere, et in partibus Ibernie a quocumque malueris Archiepiscopo vel Episcopo Catholico gratiam et communionem sedis apostolice habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Episcopis etc. munus consecrationis recipere possis. Ceterum .. Archiepiscopo Tuamensi etc. nullum preiudicium generetur. Datum Avinione XII. Kal. Martii, Pont. nostri anno octavo.

CCCCII.

Archiepiscopo Tuamensi conceditur pallium. Reg. An. VIII. fol. 53.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Malachie Archiepo Tuamensi, salutem etc. Nuper presentato nobis decreto postulationis, quam dilecti filii Capitulum Tuamensis ecclesie tunc vacantis de te, tunc Episcopo Elfinensi, in Archiepiscopum Tuamensem concorditer celebrarant: Nos postulationem eandem, quam invenimus de te persona ydonea canonice celebratam admisimus, teque a vinculo, quo tenebaris Elfinensi ecclesie, cui preeras, absolutum ad dictam Tuamensem ecclesiam de fratrum nostrorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis duximus transferendum, preficiendo te inibi in Archiepiscopum et pastorem, curamque et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus commictendo, plenam quoque tibi concedendo licentiam ad eandem Tuamensem ecclesiam libere transeundi. Cum autem palleum, insigne videlicet pontificalis officii, a nobis cum ea, qua decuit, instantia postulasses: Nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios nostros Neapoleonem sancti Adriani, Guillelmum sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Iacobum sancti Georgii ad Velum aureum, Franciscum sancte Marie in Cosmedin, Raymundum sancte Marie nove, ac Bernardum sancte Agathe diaconos Cardinales tibi fecimus assignari. Tu autem illo infra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato etc. ut in forma solita. Datum Avinione xiiii. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno octavo.

CCCCIII.

Quibusdam beneficia ecclesiastica aliique favores conceduntur. Reg. An. III. fol. 180. et 186. et An. VI. fol. 170.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Eadmundo de Burgo Canonico et Preposito Tuamensi, salutem etc. Confertur, ipsi canonicatus et praebenda ac praepositura in dicta ecclesia, officium vulgo dictum, quorum proventus annui ad quinque marcharum sterlingorum ascendunt. Datum Lugusiaci Pictav. dioc. xiv. Kal. Iunii. Pontificatus nostri anno iii.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Riccardo Electo Dublinensi, salutem etc. Conceditur ipsi, ut cum tribus Clericis, suis obsequiis insistentibus, de perceptione fructuum in eorum absentia ad triennium posset dispensare, tres tabelliones creare, in singulis ecclesiis provinciae suae de personis ydoneis providere, ecclesias et cimiteria polluta per se vel alios reconciliare, ecclesias etc. per se vel alios visitare, testamentum condere et cum duobus clericis nepotibus suis super etatis defectu dispensare. Dat. apud Fontemcoopertum Xanctonensis dioc. vii. Idus Sept. Pont. nostri anno tertio.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Riccardo Electo Dublinensi, salutem etc. Ut confessorem sibi eligere possit. Datum Pictavis Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Dublinensi, salutem etc. Ut usque ad summam octingentarum marchar. sterlingor. mutuum contrahere possit. Datum Avinione viiii. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXII.

CCCCIV.

Cardinales legati in Angliam, Scotiam et Hiberniam ad instaurandam inter regem Angliae et Robertum de Brus Scotiam regentem pacem mittuntur. Reg. An. I. Secret. Tom. II. fol. 159.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Gaucelino tituli sanctorum Marcellini et Petri presbitero, et Luche sancte Marie in Via lata diacono Cardinalibus, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Rex excelsus summi Regis filius, princeps pacis, qui facit concordiam in sublimibus suis et arcem possidet unitatis, cum sacri venit temporis plenitudo, quo dignatus est de throno celesti ad orbis yma descendere, et per mirabile nativitatis beatissime sacramentum gentibus apparere pacem in terra per celestium angelorum exercitum, gloriose pacis canticum continentem, bone voluntatis hominibus nunciavit, et demum ingressurus ad patrem pacis bonum, quod super omnia diligebat, tanquam donum gratissimum dedit fidelibus et reliquit, ut in illo, qui est vera pax nostra, persisterent, ipse dignaretur eligere in eorum cordibus mansionem.

Propterea nos, qui vices eius in terris, quamvis insufficientibus meritis, exercemus, ipsius exemplis salutaribus eruditi, cogitamus pacis cogitationes, pro filiis consilia pacis casta perquirimus, pacis dulcedinem gratanter amplectimur, et pacis semina, sine qua non bene colitur pacis auctor, inter catholicos universos iuxta debitum servitutis apostolice

seminamus, ut ex eis grana salutis et glorie colligantur, multiplicatis manipulis gaudiorum, sicque dissensionum ubique turbinibus, austro flante celestis auxilii, profugatis, in tabernaculis fiducie sedeat, et fecunde pacis pulchritudine requiescat populus christianus, malorum timore sublato: sed ut pax dei, que superat omnem sensum, catholicorum Regum et principum, aliorumque magnatum, flammis odiorum extinctis, corda conciliet intelligentiaque custodiat, pacet mentes et vivat voluntas (sic), eo desiderantius cupimus, eoque libentius paterne sollicitudinis ministerium adhibemus, quo pericula graviora producet discordiarum ipsarum odiosa conditio, et quo pacifici status amena tranquillitas uberiorem affert pacem pluribus et quietem. Hec est etenim mentium amena serenitas, suavis tranquillitas animorum, amoris delectabilis vinculum, et verum consortium caritatis. Ipsa quidem bella compescit, iras comprimit, sedat discordias, lites extinguit, rancores fugat et odia procul pellit, que consumatur a Christo, cum a fidelibus exercetur.

Profecto dum antiquatam abolim inter Carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Anglie Illustrem, et dilectum filium nobilem virum Robertum de Brus in presentiarum Regnum Scocie gubernantem, et progenitores ipsorum dissentionis odiose materiam in animo recensimus, et in mente revolvimus animarum deflenda pericula, et dolendas fidelium strages innumeras, que horribile semen eius illo Sathane flatu pestifero longi diuturnitas temporis coalente produxit, queve multiplicavit dispendia facultatum, et quam enormia frequenter ecclesiis et personis ecclesiasticis intulit nocumenta, quantaque pietatis opera, quod mesti referimus, impedivit, et quam dispendiosa paravit obstacula negocio terre sancte, et verisimiliter formidatur, ne similia preparet in futurum, tanto amplius amaricamur intimis et dolemus, tantoque acerbioris vinculo (sic) punctionis affligimur, quanto Regis et Nobilis eorumdem quietem et pacem desiderantius affectamus, et quanto frequentius circumstantias [et] amaras discordie sepedicte, dicteque terre sancte miserabiles cruciatus nobis interioris considerationis discussio representat, vias et modos diligentius exquirentes, quibus circa premissa, domino dirigente, adhibere salubria remedia valeamus. Ad hec anxia matris ecclesie sacra precordia, que zelus vere caritatis accendit, cogitationibus estuant, curis affluunt, meditationibus distrahuntur huiusmodi remedia sub spe celestis auxilii, cui est facile res etiam desperatas sine molimինis tarditatis perficere studio diligentis sollicitudinis prosequendo.

Hiis namque tenerrimus paterne dilectionis affectus stimulis angitur, et hiis aculeis instigatur, ut multis, quibus Rex, Nobilis et Regna predicta malorum incommodis pretextu memorate discordie circundantur, omnino curatis, inter eos unionis lesa federa et pacis violata consortia renoventur, Regnorum ipsorum quietem populis productura. Verum considerantes attentius, quod vos bonorum largitor omnium altissimus multarum gratiarum titulis insignivit, et de creditis vobis dono celesti virtutibus plenam in domino fiduciam obtinentes, vos, licet presencia vestra careamus inviti, ad Regna predicta et Ibernie ac Wallie partes pro pace inter eosdem Regem et Nobilem deo propicio reformanda, tanquam pacis angelos et fervidos concordie zelatores providemusde fratrum nostrorum consilio destinandos. Quare discretionem vestram hortamur in domino, vobisque per apostolica scripta mandamus, quatenus vos ad Regna et partes predictas personaliter conferatis, pro reformatione pacis eiusdem operam efficacem iuxta datam vobis a deo prudentiam impensuri. Et ut eo utilius in dicte pacis negocio procedere valeatis, quo maiori fueritis auctoritate muniti, dictosque Regem et Nobilem et ipsorum quemlibet, ac gentes et exercitus eorumdem, ne alter alterum, aut ipsorum aliquis alterius terras invadat, vel quoquomodo inter se congrediantur hostiliter, sed pocius a quolibet hostili processu studeant abstinere, necnon tractandi, faciendi et reformandi perpetuam et solidam pacem et concordiam inter eos, ipsamque per spirituales penas et sentencias et quascumque promissiones, obligationes et iuramentorum prestationes firmandi, vallandi et etiam roborandi, et dissolvendi omnes obligationes, ligas, confederationes, pactiones et conventiones inter quoscumque factas, etiam si iuramentis essent vel promissionibus, seu penarum adiectionibus, aut obligationibus vel stipulationibus quibuscumque vallate, ac obstacula et impedimenta quelibet removendi, per que huiusmodi reformacio pacis impediri posset vel quomodolibet retardari, et nichilominus iuramenta in predictis colligationibus, confederationibus, pactionibus, conventionibus adiecta forsitan, relaxandi quoque, ordinandi, providendi, disponendi, firmandi, paciscendi super hiis, que circa reformationem dicte pacis videritis expedire, dictosque Regem et Nobilem ad observationem pacis ipsius per excommunicationis in personas et interdicti sentencias in Regna et partes predicta, provincias, terras, castra et loca ipsorum, et privationem omnium privilegiorum, indulgentiarum et gratiarum eis sub quacumque forma verborum concessorum a sede apostolica, si et prout expedire videritis, compellendi, revocandi etiam ad certum locum seu loca quascumque personas ecclesiasticas vel seculares, cuiuscumque status, ordinis, dignitatis vel conditionis existant, quas pro eiusdem pacis negotio necessarias vel utiles aut oportunas fore noveritis, et insuper exercendi per vos vel alium seu alios in omnes Archiepiscopos et Episcopos, etiam si iidem Archiepiscopi vel aliquis eorumdem Primacie dignitate fulgerent, seu ratione suarum ecclesiarum legationis officio fungentur, et in omnes alios cathedralium et aliarum ecclesiarum et regularium, monasterium et domorum exemptorum et non exemptorum Prelatos, Capitula et Canonicos et singulas alias personas ecclesiasticas, necnon et in omnes et singulos Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones et Nobiles, Rectores, Senescallos, Iusticiarios, Ballivos, Scabinos,

Castellanos, Officiales et quosvis dominos temporales, quocumque nomine censeantur, Consilia etiam, Communia, Universitates ac populos, et quascumque alias personas seculares publicas vel privatas, cuiuscumque dignitatis, status vel conditionis existant, qui vestro supradicte pacis negotio parere contempserint monitis et mandatis, aut alias in negotio ipso contradictores vel impeditores, aut turbatores dicte pacis extiterint, seu rebelles publice vel occulte, censuram ecclesiasticam exercendi, ipsorumque terras subiciendi ecclesiastico interdicto, et privandi eos omnibus privilegiis, indulgentiis et gratiis, libertatibus et immunitatibus realibus et personalibus eis a dicta sede concessis, ac feudis, iuribus, iurisdictionibus, honoribus, officiis et quibuscumque bonis, que a Romana et quibuslibet aliis tenent ecclesiis, Vassallos, subditos et homines eorumdem a iuramento fidelitatis et quacumque obligatione, quibus tenentur eisdem, absolvendi, ac reddendi intestabiles, ita quod nec condere testamentum, nec ad cuiusquam ex testamento vel ab intestato possint successionem admitti, ipsosque reddendi inhabiles et indignos ad honores, status et quemlibet officia publica imposterum obtinenda, vel etiam exercenda, et insuper Archiepiscopos et Episcopos antedictos ab administratione temporalium et spiritualium ecclesiarum suarum suspendi, et citandi peremptorie, si videritis expedire, quod certo eis competenti termino prefigendo personaliter apostolico se conspectui representent, nostris et apostolice sedis mandatis et beneplacitis parituri, ac Prelatos, clericos et personas ecclesiasticas supradictas, eisdem Archiepiscopis et Episcopis dumtaxat exceptis, omnibus prelaturis, dignitatibus, personatibus, officiis, administrationibus, et aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, que ubicumque obtinent, privandi, et ea cum interpositione decreti reservandi dispositioni nostre et sedis eiusdem, ipsosque ad illa, et etiam filios quarumcumque personarum, de quibus vobis videbitur, reddi inhabiles et indignos ad similia et quelibet alia beneficia ecclesiastica obtinenda, et omnia et singula faciendi et exequendi, per que negocium pacis eiusdem commodius valeat consumari, Non obstantibus, si Archiepiscopis et Episcopis et Prelatis, ac Regi et Nobili, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Senescallis, Iusticiariis, Ballivis, Communibus, Universitatibus, populis et personis aliis supradictis, et singulis eorumdem, vel quibusvis aliis per dicte sedis licteras sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, dictaque Regna, partes et provincie, ac terre seu loca ecclesiastico interdicto per licteras apostolicas subici non possint, et quibuscumque consuetudinibus, ordinationibus vel statutis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate vallatis, ac privilegiis et indulgentiis, et licteris apostolicis prefatis Regi ac Nobili, seu quibusvis personis, locis vel ordinibus sub quacumque forma, modo, aut verborum expressione concessis, de quibus quorumque totis tenoribus plenam et expressam, ac de verbo ad verbum oporteat specialem in nostris licteris fieri mentionem, et per que presentium effectus posset impediri quomodolibet vel differri, vobis et unicuique vestrum plenam et liberam concedimus tenore presentium potestatem. Datum Avinione xvi. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

CCCCV.

Regi Angliae medietas proventuum etc. ecclesiasticorum in Angliae et Scotiae regnis, in Hibernia et Wallia per unum annum ad prosequendum negotium terrae sanctae conceditur. Ibidem fol. 149.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Anglie Illustri, sal. etc. Grandis et sincera devotio, qua tu velut princeps Catholicus erga deum clarere conspiceris, pio firmato proposito in terre sancte subsidium transfretandi ad vindicandum iniurias redemptoris, nos ammonet et inducit, ut in quibus commode possumus, apostolice munificentie gremium tibi favorabiliter explicemus, ut quo magis nos et apostolicam sedem viscera gerentes compassionis paterne ad terre sancte supradicte succursum favorabiles, et incumbentium tibi onerum relevationem persenseris, eo ferventius ad prosecutionem laudabilis tui circa premissa propositi provoceris. Cum itaque pro nostris et Camere nostre necessitatibus utique grandibus fructus, reddius et proventus primi anni omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, etiam personatuum et dignitatum quarumlibet ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum et aliorum locorum ecclesiasticorum, tam secularium, quam regularium, exemptorum et non exemptorum, que in Anglie et Scocie Regnis, ac Ybernie et Wallie provinciis sive partibus tunc vacabant, et usque ad triennium qualitercumque et ubicumque vacare contigerit, sub certe limitationis modo percipiendis pro nostris et dicte Camere oneribus facilius supportandis, et in nostrorum et Romane ecclesie agendorum subsidium, per alias nostras certi tenoris licteras, de fratrum nostrorum consilio pridem duximus deputandos. Nos tuarum necessitatum conscii, et onerum non ignari, ac proinde super illis paterno tibi compatientes affectu, et nobis utrumque egere volentes, ut tibi aliqualiter habundemus, medietatem omnium huiusmodi fructuum primi anni, qui videlicet pro primo anno ipsius triennii percepti sunt, et percipi inantea quocumque et per quoscumque contigerit, tibi de gratia damus atque concedimus, tibi vel certo mandato tuo per eum vel eos, quos ad ipsorum fructuum collectionem deputavimus, in ipsorum tuorum relevamen onerum integraliter assignandam. Nulli ergo etc. Datum Avinione v. Kal. Aprilis, anno primo.

CCCCVI.

Eidem regi in subventionem terrae sanctae decima omnium unius anni proventuum ecclesiasticorum etc. in Anglia, Hibernia etc. conceditur. Reg. An. I. Secret. Tom. II. fol. 148.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Anglie Illustri, salutem etc. Gaudemus, fili Carissime, et illi, in cuius manu Regum

corda consistunt, gratias agimus, quod sicut ex Venerabilium fratrum nostrorum Iohannis Norvicensis et Iohannis Eliensis Episcoporum, et dilectorum filiorum nobilium virorum Ademarii de Valentia Comitis Penbrokie, et Bartholomei de Baldelesmer militum, et aliorum nunciorum tuorum assercione percepimus fidedigna, tu pie devotionis inflammatus affectu recolenda vestigia clare memorie progenitorum, et specialiter Eduardi Regis Anglie genitoris tuorum, qui dum viveret, ad promovendum negocium terre sancte sua vota direxit, et se totum in hoc crucifixi, qui terram eandem sui preciosi aspersione sanguinis per crucis patibulum insignivit, ministerio devovens, indefessos labores viriliter subiit, non vitavit pericula, et tediosis anxietatibus non pepercit, imitari laudabiliter satagens ad prosequendum ipsius terre negocium, et ad eruendum eam de potestate persecutorum fidei, ne amplius ipsorum immundicia polluatur, temetipsum, indulta tibi et Regno tuo tranquillitatis habundantia plenioris et facultatum adiacentia suppetente, placabilem ostiam afferre disponis, et propterea iampridem vivifice crucis signaculum assumpsisti. Verum quoniam ad executionem huiusmodi laudabilis voti tui eo grandiores tibi sumptus imminent faciendi, quo inter ceteros principes Christianos ab ipsa terra sancta maiori distantia remotus esse dinosceris, veluti in occiduis partibus constitutus, ad quos subeundos, sicut per nuncios ipsos fuit nobis expositum, tanto minus potes per te sufficere, quanto magis eris alieni onere, tam pro tempore dicti genitoris tui, quam ex quo Regni gubernacula sumpsisti, propter urgentium ingruentiam agendorum gravatus existis: supplicasti nobis humiliter, ut ad relevandum tuorum onera debitorum, de aliquo ecclesiastico subsidio tibi providere vellemus. Nos autem tue salutis obtentu, quam specialiter affectamus, huiusmodi tuum salubre propositum in dño commendantes, ut eo liberius et expeditius, sicut desideranter aspirare videris, huiusmodi negocii vacare preparatoriis valeas, quo benignius tibi ad relevationem incumbentium onerum, super quibus tibi paterne compatimur, contigerit per sedem apostolicam subveniri, ipsum tuum propositum censemus oportunis favoribus et auxiliis prosequendum. Cum itaque per felicis recordationis Clementem pp. V. predecessorem nostrum, pro subsidio passagii generalis per universas mundi partes imposita fuerit in Viennensi concilio decima sex annorum, que pro uno anno tantum in Regnis Anglie et Scocie, ac in partibus Wallie et Ibernie dicitur in totum vel in parte collecta fuisse: nos decimam ipsam in alium quemvis usum, quam in subsidium dicti passagii converti volentes, tuisque necessitatibus sic cupientes occurrere, quod ecclesias immoderatius non gravemus, collectionem ipsius decime pro restanti quinquiennio colligende usque ad triennium a data presentium numerandum duximus suspendendam, et ut interim de bonis ecclesiasticis cum minori ecclesiarum ipsarum gravamine aliquam subventionem habiliter habeas, qua mediatione debitorum molem levius valeas supportare, et proinde reddaris promptior ad dicte terre negocium promovendum, decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum predicta per Anglie et Scocie Regna ac Wallie et Ibernie partes, ipsorumque Regnorum et partium Civitates atque dioceses per annum a festo beati Michaelis proximo futuro in antea numerandum per collectores, quos ad id per alias nostras certi tenoris litteras deputamus, et subcollectores deputandos ab eis, in duobus terminis Collectorum ipsorum moderandis arbitrio colligendam, ac tibi vel genti tue pro dictis tuis necessitatibus integraliter assignandam, de fratrum nostrorum consilio et assensu auctoritate apostolica de gratia tibi concedimus speciali. Nulli ergo etc. Datum Avinione v. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

CCCCVII.

Praelatis Angliae, Scotiae, Hiberniae et Walliae, ut predictam decimam regi persolvant. Ibidem fol. 149.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, et dilectis filiis Electis, Abbatibus etc. per Anglie et Scocie Regna, et Ybernie et Wallie partes seu provincias constitutis, salutem etc. Gaudemus, fratres et filii etc. usque litteris plenius continetur. Quocirca Universitatem vestram monemus et hortamur attente, ac obsecramus in domino Ihesu Christo, vobis nichilominus et vestrum cuilibet per apostolica scripta mandantes, ac in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus vos pretacta dicti Regis onera pio contemplantes intuitu, ac attendentes commendandum ipsius circa premissa propositum, quod ut premittitur, ad executionem adduci non potest absque gratis omnium profluviis expensarum, et proinde vos in predictis nostris et sedis apostolice beneplacitis et mandatis promptis affectibus conformantes, ob divinam ac sedis ipsius et nostram reverentiam, ac vestrarum meritum animarum omnium ecclesiasticorum vestrorum fructuum, proventuum et reddituum decimam per predictum annum eisdem collectoribus et subcollectoribus, ut prefertur, deputandis ab eis, in prefigendis vobis pèr eos ad hoc terminis integraliter sine difficultate qualibet persolvatis dicto Regi, vel certo mandato suo pro predictis suis necessitatibus assignandam. Nos enim prefatis collectoribus et ipsorum cuilibet petendi, colligendi et exigendi nomine dicti Regis per se et subcollectores eosdem decimam antedictam, necnon contradictores quoslibet et rebelles, quicumque et cuiuscumque conditionis, preheminentie, dignitatis, ordinis aut status existant, etiam si pontificali prefulgeant dignitate, per se vel alium seu alios, quociens expedire viderint, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, Non obstante si vobis vel vestrum alicui, aut vestris ordinibus specialiter aut generaliter a sede prefata indultum existat, quod excommunicari etc. plenam et liberam concedimus per easdem litteras facultatem. Datum Avinione v. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

CCCCVIII.

Iudicibus, ut Scotiae regentem a perversis in regem Angliae ausibus revocent, eumque et complices suos censuris ecclesiasticis ad ablata restituenda compellant. Reg. An. I. Secret. Tom. II. fol. 134.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Norwicensi et ... Elyensi Episcopis, salutem etc. Habet insinuatio pro parte Carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Anglie noviter facta nobis, quod Robertus de Brus, dudum Comes de Carrik, in eam abolim prorupit furoris audaciam, quod homagium et fidelitatis iuramentum per eum prestitum clare memorie Eduardo Regi Anglie, genitori Regis predicti, dampnabili temeritate preteriens, et observantie debite cultura non colens, eidem genitori, dum viveret, in terra sua Scocie effrenatis ausibus guerram movit, quam contra Regem ipsum conquerentem post gubernacula Regni ab ipso suscepta reproba prosecutione continuans; quin etiam dei timore postposito et omni fidelitatis federe violato, in sceleris augmentum adaugens, Regnum Anglie et terras Wallie et Ybernie invasit hostiliter, et depopulatis agris, quamplures civitates, castra et alia plura loca in ipsis Regno et terris prodicionaliter occupavit, personis quampluribus tam in Regno, quam in terris predictis, etiam in locis sacris, sine delectu conditionis, sexus, ordinis vel etatis in ore gladii trucidatis immuniter, et multis exulare coactis.

Et nichilominus nec sacrilegium execrans, nec penas incendiariorum abhorrens, edes sacras et ecclesias et monasteria, ac loca religiosa divino cultui dedicata distruere ac comburere, dei calcata reverentia, non expavit, bonis et rebus sistentibus inibi, que potuerunt ab incendio preservari, furtivis manibus non sine reatu sacrilegii asportatis. Ex quibus in partibus illis divinus cultus est non leviter diminutus, fides et devotio Christiana notabiliter tepuerunt, et dictus Rex in regaliis suis grande subiit, et subit iugiter detrimentum. Unde ad assumptionem ultramarini passagii, ad quod, ut asserit, frequenter hanelat, minus habilis redditur et multipliciter impeditur.

Nos igitur excessus huiusmodi, quos in partibus illis, sicut audivimus, et facti evidentia et quasi communis assertio publicat, eo magis horrentes, quo eos displicibiliores esse novimus Regi pacifico, cuius vices gerimus in terris licet immeriti, quove ipsos in Regnum Anglie, ecclesie Romane precarum, ac terris predictis Hybernie et Wallie, ac in Regis predicti personam, quem veluti filium predilectum specialiter intra brachia caritatis interne complectimur, cernimus fuisse commissos, et proinde tam excedentium saluti prospicere, quam Regis occurrere prefati dispendiis, ac statui suo pacifico providere paternis affectibus cupientes, fraternitati vestre, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum dictum Robertum de Brus, et omnes et singulos, quos ipsius in premissis excessibus complices, fautores et valitores esse noveritis, per vos vel alium seu alios canonice moneatis, ut ab invasione et impugnatione dictorum Regis et Regni, ac terrarum predictarum penitus desistentes, quecumque in Regno Anglie et terra Wallie et Hybernie predictis temere occuparunt, infra certum competentem terminum, per vos vel vestrum alterum prefigendum eisdem, dicto Regi vel eius certo mandato cum effectu restituant et in pace dimittant: et quia de occupatis huiusmodi ac occupationis tempore fructus, redditus, proventus et iura indebite percepisse feruntur, precipiendo subiungimus, quod de perceptione ipsa, et perceptorum valore cum diligentia inquirentes, ut quecumque ipsos per predicte inquisitionis indaginem inde minus iuste percepisse reperitis, si extant, alioquin iustam extimationem eorum infra certum tempus vestro moderandum arbitrio, dicto Regi vel certo mandato suo reddant, restituant sive solvant, auctoritate predicta canonice moneatis.

Quod si forte huiusmodi monitioni nostre, quin pocius apostolice parere contempserint, vos eos et eorum quemlibet, quos ex nunc ut ex tunc excommunicamus, excommunicatos publice diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, ubicumque expediens fore videbitur, nuncietis et denunciari et ab omnibus evitari artius faciatis, ipsam insuper aggravaturi sententiam, prout inobedientia eorum exigerit et facti qualitas suadebit. Et ut in hiis impedimenti vel obstaculi cuiuslibet tollatur occasio, omnes et singulos (prestitis) eidem Roberto homagio ac iuramento huiusmodi quoad premissa penitus absolvendi, ac inhibendi firmiter, ne quisquam de cetero eidem Roberto in predictis excessibus vel eorum aliquo pareat, foveat vel intendat, ac dissolvendi, vacuandi, irritandi et revocandi omnes pactiones, obligationes, confederationes et colligationes ab ipso Roberto et sibi adherentibus, vel quibuslibet aliis quomodolibet initas, iuramento vel quacumque firmitate alia vallatas, necnon et relaxandi huiusmodi et quelibet alia iuramenta, a quibuscumque prestita, per que possent excessus nutriri predicti, ac debita de illis satisfactio, et occupatorum restitutio impediri, prout ea secundum deum videritis expedire dissolvendas, vacuanda, irritanda, seu etiam relaxanda, et insuper inquirendi contra ipsum Robertum et quoslibet alios de dampnis datis per eos ecclesiis, monasteriis, religiosis locis, ac ecclesiasticis secularibusve personis, ac illos et eorum quemlibet ad satisfaciendum debite de eisdem per censuram ecclesiasticam, et aliis remediis, de quibus vobis expedire videbitur, compellendi, non obstante si eis, vel eorum aliquibus a sede apostolica sit indultum sub quacumque forma vel conceptione verborum, quod interdici, suspendi vel excommunicari quavis auctoritate non possint, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeret quomodolibet vel differri, vobis et vestrum cuilibet plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione IIII. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

CCCCIX.

Archiepiscopo Cantuariensi, ut a collectore decimarum, denarii b. Petri aliorumque censuum ecclesiae Romanae in Anglia, Scotia, Hibernia et Wallia debitorum fidelitatis iuramentum recipiat. Reg. An. I. Secret. Tom. II. fol. 125.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Cantuariensi, salutem etc. Cum nos de fidei puritate ac circumspectionis industria dilecti filii Guillelmi de Balacto Archidyaconi Foroiuliensis, Capellani nostri, plenam in domino fiduciam obtinentes, ipsum ad omnium decimarum, quas nonnulli Romani Pontifices predecessores nostri pro terre sancte subsidii, et aliis certis causis in partibus Anglie, Wallie, Scocie et Hybernie per certa temporum spacia imponere curaverunt, quarum collectio facta dudum minus plenarie reperitur, necnon denarii beati Petri et aliorum censuum Romane ecclesie debitorum, ac quamplurium aliorum, de quibus adhuc multa ecclesie predicte debentur, exactionem et collectionem, et ad alia certa ipsius ecclesie in partibus illis peragenda negocia per apostolicas litteras duximus deputandum, nec possumus ab eo nunc in partibus eisdem agente de huiusmodi sibi commissis fideliter et solerter, secundum datam sibi a deo prudentiam exequendis, per nos recipere iuramentum: fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ab eodem capellano nostro exigere, et recipere vice et auctoritate nostris absque more dispendio debeas de gerendis, et exequendis fideliter, ut predicitur, et solerter omnibus et singulis sibi per apostolicas litteras in predictis et circa illa, et etiam quibuslibet aliis commissis eidem et inantea committendis corporale ad sancta dei evangelia iuramentum. Diem et formam receptionis huiusmodi iuramenti per tuas nobis litteras harum seriem continentes celeriter rescripturus. Datum Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

CCCCX.

Oratores regis Angliae de 24. millibus marcharum ab ipsis nomine regis pontifici pro censu viginti quatuor annorum Romanae ecclesiae debito solutis, insertis eiusdem regis Angliae litteris, quietantur. Ex Reg. Ioannis PP. XXII. Secret. Tom II. fol. 151.

Universis presens publicum scriptum inspecturis, tam presentibus, quam futuris, Adomarius de Valentia Comes Penthibrok, Bartholomeus de Badelesmer, Iohannes de Cromwella, et Antonius Pesaygay milites, nuncii serenissimi principis dñi Eduardi dei gratia Regis Anglie illustris, domini Ibernie ac ducis Aquitanie, ad presentiam sanctissimi in Christo patris domini Iohannis divina providentia sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie summi Pontificis destinati, Salutem, et huic scripto publico fidem indubiam adhibere.

Ad universorum et singulorum, quorum interest et interesse potest, noticiam volumus pervenire, quod nos in presentia notarii et testium subscriptorum recognoscimus et fatemur, a dicto domino nostro Rege litteras ipsius patentes suoque magno sigillo munitas sub infrascripta continentia recepisse.

Eduardus dei gratia Rex Anglie, dñus Ybernie, et Dux Aquitanie, universis presentes litteras inspecturis, Salutem et plenam presentibus dare fidem. De fidelitate probata et circumspectione provida dilectorum et fidelium nostrorum Ademarii de Valentia Comitis Pembrok, consanguinei nostri carrissimi, Bartholomei de Badelesmere, Iohannis de Cromwell, et Antonii Pesaygay de Ianua militum plenam fiduciam reputantes, ad excusandum nos super solutione annui census mille marcharum, qui a nobis per sacrosanctam Roman. ecclesiam exigitur, non facta, nec non ad satisfaciendum inde, prout pro honore nostro melius viderint expedire, prefatis Comiti et militibus, vel tribus eorum plenam tenore presentium committimus potestatem, ratum habituri et gratum id, quod per predictos Comitem et milites, vel tres eorum nostro nomine factum fuerit in premissis. In cuius rei testimonium presentes litteras sigilli nostri impressione fecimus roborari. Datum apud Clipston xvi. die Decembris anno domini m.ccc.xvi. Regni vero nostri decimo.

Quarum litterarum auctoritate nos recognoscimus, et fatemur excusavisse dictum dñum nostrum Regem coram prefato domino nostro summo Pontifice, sacroque collegio super eo, quod in solutione census annui mille marcharum sterlingorum pro Regno Anglie et terra Ybernie sacrosancte ecclesie debiti, tam de tempore clare memorie domini Henrici Regis Anglie genitoris dicti domini nostri Regis, quam ex quo ipse dominus noster Rex gubernacula Regni predicti suscepit, cessatum fuerat multis annis propter guerrarum strepitus ac propter varia diversaque incumbentia eorum utrique negocia, nec non gravia onera expensarum, que fuerant, urgente necessitate, subire compulsi: recognoscimus etiam solvisse pro dicto domino nostro Rege Thesaurariis dicti domini nostri summi Pontificis, recipientibus eius nomine mille marchas sterlingorum pro censu ipso debito pro anno presenti, cuius medietas solvenda erat in festo beati Michaelis proximo preterito, et alia medietas solvi debebat in festo Pasche proxime subsequenti, et ad supra et ad infrascripta omnia procedimus, et ea facimus de consilio et assensu Reverendorum in Christo patrum dominorum I. Norvicensis et I. Eliensis Episcoporum, et aliorum nunciorum seu collegarum nostrorum. Recognoscimus preterea et fatemur ipsius domini nostri Regis nomine sollenniter promisisse de predictorum consilio et assensu eidem dño nostro summo Pontifici, pro se et Romana ecclesia stipulanti, quod ipse dominus Rex noster, vel alius pro eo solvet eidem dño nostro et eius successoribus in terminis subscriptis viginti quatuor milia marcharum sterlingorum pro viginti quatuor annis preteritis, scilicet pro annis singulis mille marcharum pro arreragiis census non soluti de utriusque Regis tempore, ut prefertur, videlicet quartam partem dictorum viginti quatuor milium marcharum sterlingorum in proximo futuro festo beati Michaelis Archangeli, et anno revoluto in eodem festo aliam quartam partem, et sic de anno

in annum in eodem festo, donec de ipsis arreragiis fuerit eidem Romano Pontifici, vel ecclesie plenarie satisfactum, eo salvo, quod si de summa illa XXIIII. milium marcharum sufficienter constiterit aliquod fuisse solutum Romano Pontifici, vel eidem ecclesie pro censu predicto, illud de summa deducatur eadem, et quicquid usque ad eandem summam et ultra illam non docebitur fuisse solutum pro arreragiis dicti census, solvi nichilominus debeat ipsi Romano Pontifici et ecclesie memorate, et ad premissa omnia et singula tenenda, complenda, et inviolabiliter observanda dicto domino nostro summo Pontifici et sancte Romane ecclesie, quanto melius et efficacius possumus, virtute litterarum predictarum in presentia notarii et testium subscriptorum obligamus ipsum dominum nostrum Regem, Regnum, terras et bona ipsius. In quorum omnium testimonium presens publicum scriptum per manus subscripti notarii publici fecimus fieri, et sigillorum nostrorum appensione una cum ipsius notarii signo et subscriptione muniri. Actum etc. Actum Avinione in Camera domini Cardinalis de Pel, die prima Aprilis, Anno domini M.CCC.XVII., Indictione XV., Pontificatus dicti domini Iohannis pape XXII. anno primo, presentibus Venerabilibus patribus dñis Bernardo Adurensi et Bernardo Convenarum Episcopis, et Venerabilibus viris dominis Raymundo Sobirani, Sacrista sancti Pauli Narbonensis, et Berengario Maynardi Canonico Narbonensi, et dño Adam de Orleton domini pape Capellano, et ipsius sacri palacii causarum Auditore.

CCCCXI.

Dublinensi et Cassellensi archiepis, ut comprimant clericos et regulares, qui populum Hibernicum contra regem Angliae excitant. Regest. An. I. Com. par. 3. fol. 86. et Secret. Tom. II. fol. 135.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Dublinensi et ... Cassellensi Archiepis, ac dilecto filio ... Decano ecclesie Dublinensis, sal. etc. Dolonter audivimus et egro animo recensemus, quod nonnulli fratres de ordine Mendicantium eos quos profitentur ordines dampnabiliter polluentes, et plerique Rectores, Vicarii et Capellani parrochialium ecclesiarum de Ibernie partibus, qui deputati ad directionem et regimen populorum eis deberent doctrine lumine viam veritatis ostendere, et ipsos laudabilium operum exemplari vehiculo deducere ad salutem, facti sunt illis in deviationem potius et ruinam, dum iidem fratres, Rectores, Vicarii et Capellani tamquam viri discoli pacis semitas minime cognoscentes, Ibernicum populum Carissimi in Christo filii nostri Edwardi Regis Anglie Illustris subiectum dominio, ab ipsius obedientia et fidelitate nedum per suasiones occultas et prava consilia, quin etiam per predicationes et monita publica temerariis ausibus retrahunt, et ad impugnandum iura Regalia et rebellionis calcaneum, guerrarum turbinibus concitatis, erigendum in Regem eundem patenter inducunt, non attento, quod per id impediendo bonum pacis et obedientie, fiunt proculdubio demonum adiutores, accensum ignem illorum studio tamquam lignis nutrientes iniectis, suscitata nutrienties scandala, et illud, quod extinguere deberent, incendium fovere temere non verentes, et nichilominus non timentes animas decipere talium, eos, qui suis in hac parte sinistris suggestionibus acquiescunt, a perpetratis ac etiam perpetrandis in huiusmodi prosecutione guerrarum homicidiis, incendiis, sacrilegiis et rapinis absolvere reproba temeritate presumunt. Nos itaque tot malorum materiam a radice precidere cupientes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos, vel alium seu alios omnes et singulos fratres predictorum et aliorum ordinum, Rectores, Vicarios, Capellanos ecclesiarum partium predictorum, et alios, de quibus vobis expedire videbitur, cuiuscumque status, ordinis, dignitatis, gradus aut conditionis existant, auctoritate apostolica moneatis, ut a predictis suasionibus, consiliis, predicationibus, monitis et absolutionibus, et aliis omnibus et singulis, per que guerra seu discordia possit in partibus nutriri predictis, prorsus abstineant, et omnino desistant infra dierum octo spacium a tempore monitionis huiusmodi computandum: alioquin eos, in quos ex nunc prout ex tunc excommunicationis sententiam promulgamus, excommunicatos publice singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis, extinctis candelis, ubicunque vobis expediens esse videbitur, publice nuncietis, processuri auctoritate predicta gravius contra eos, prout eorum inobedientia et facti qualitas suadebit. Volumus insuper, vobisque mandamus, ut de personis que sint, vel fuerint in hac parte culpabiles, inquiratis cum diligentia veritatem, et quos per huiusmodi inquisitionis indaginem reos inde fore compereritis, sic prout iustum fuerit, eadem auctoritate canonice puniatis, quod et ipsi talia se commisisse peniteant, et alii exemplo territi presumere similia pertimescant. Nos enim vobis et vestrum cuilibet premissa omnia et singula faciendi plenam et liberam concedimus tenore presentium potestatem. Non obstantibus etc. Datum Avinione IIII. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

CCCCXII.

Episcopis Angliae, ut populos sibi commissos a quacunque conspiratione cum Scotiam regente ineunda deterreant, etiam censuris ecclesiasticis adhibitis. Reg. An. I. Secret. fol. 127.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepo Eboracensi, ... Elicnsi et ... Carleolensi Episcopis, salutem etc. Cum iuxta doctrinam apostolicam non solum sit a malo, sed ab omni mali specie abstinendum, ab hiis, que mali speciem retinere, et ex quibus inter Principes et eorum subditos possent suspiciones procedere, succrescere odia, et scandala suscitari, universos et singulos vestro commissos regimini prompto retrahimus animo et etiam revocamus. Considerantes itaque, quod tractatus occulti per subditos cuiusvis principis cum eius hostibus, et rebellibus publicis per nuncios vel litteras habiti a mali specie minime sunt immunes,

fraternitati vestre committimus, et per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et vestrum quilibet ad requisitionem Carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Anglie Illustris, cuius statum tranquillum et pacificum quadam speciali affectione intensis desideriis affectamus, universos et singulos fideles eius et subditos sedule moneatis, et efficaciter inducatis, ne cum eius hostibus et rebellibus, et specialiter cum nobili viro Roberto de Brus pro Rege Scocie se gerente, hoste utique publico dicti Regis et persecutore infesto, sub pretextu pacis tractande, vel treuge procurande, vel quovis colore quesito alio tractatum per se, nuncios vel litteras habeant absque prefati Regis licentia speciali, ipsos et eorum singulos ad id, prout expedire videritis, per censuram ecclesiasticam compellentes, Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis vel litteris aliis universitatibus aut personis, cuiuscumque dignitatis, conditionis aut status existant, ab apostolica sede sub quacumque forma verborum concessis, per que effectus presentium impediri possit quomodolibet vel differri, seu si aliquibus ab eadem sit sede indultum, quod interdici vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia prefate sedis indulgentia, cuiuscumque tenoris existant, per quam presentibus non expressam, aut totaliter non insertam effectus earum impediri valeat vel differri, et de qua in eis expressa mentio sit habenda. Datum Avinione XIII. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

In e. fere m. Eisdem Archiepo̅ et Episcopis.

CCCCXIII.

Richardus ord. Minorum ecclesiae Ossoriensi in episcopum praeficitur. Reg. An. I. Com. par. 3. fol. 236.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Richardo Episcopo Ossoriensi, salutem etc. Romani Pontifici etc. Sane nuper Ossoriensi ecclesia pastoris regimine destituta pro eo, quod nos venerabilem fratrem nostrum Willelmum olim Episcopum Ossoriensem a vinculo, quo tenebatur Ossoriensi ecclesie, absolutum ad Cassellensem ecclesiam tunc vacantem duximus destinandum: Nos de ipsius Ossoriensis ecclesie provisione celeri, ne diu viduitatis subiaceret incomodis, solicite cogitantes, et cupientes illum per nostre providientie studium eidem Pontificem presidere, de quo certam haberemus noticiam, quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimerent, ne dubia esset ipsius caritas erga plebem suo regimini commendatam, in cuius fide fida recumberet securitas subditorum, ad personam tuam litterarum scientia, munditia vite, ac honestate morum, et aliis virtutibus decoratam direximus aciem nostre mentis, teque ordinis fratrum Minorum professorem de fratrum nostrorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis memorate Ossoriensi ecclesie prefecimus in Episcopus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, tibique subsequenter per Venerebilem fratrem nostrum Nicholaum Ostiensem Episcopum facientes munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia etc. Datum Avinione VIII. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. .... Decano et Capitulo Ossoriensi, Clero et populo civitatis et diocisis Ossoriensis, Archiepiscopo Dublinensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

Eidem Epo̅ conceditur, ut in commodum ecclesie sue mutuum usque ad summam quingentorum florenorum auri contrahere possit. Datum Avinione Kal. Iunii, anno primo.

CCCCXIV.

Episcopo Rossensi, ut cum comite de Catrik (alias Carrik) eiusque uxore super matrimonio dispenset. Reg. An. I. Com. par. 4. fol. 128.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Rossensi, salutem etc. Petitio dilecti filii Nobilis viri Edwardi de Brux Comitis de Catrik Glasguensis diocesis, ac dilecte in Christo filie Nobilis mulieris Isabellis, nate Nobilis viri Guillelmi Comitis de Ros Rossensis diocesis, nobis exhibita continebat, quod olim, incentore malorum hoste humani generis procurante, inter eorum parentes, consanguineos et amicos graves inimicitie fuerunt exorte, et ex eis graviora guerrarum discrimina subsecuta, ita quod exinde non modice strages hominum processerunt. Cumque timeretur verisimiliter posse peiora in posterum provenire, intervenientibus nonnullis Nobilibus amicis communibus eorumdem pacemque firmari zelantium, inter eos tractatus communiter fuit habitus, quod Eduardus et Isabellis prefati matrimonialiter copularentur: sed quia quarto ex uno latere, et tertio ex altero affinitatis gradibus invicem se contingunt, matrimonium huiusmodi contrahere nequeunt dispensatione super hoc sedis apostolice non obtenta, nobis humiliter supplicarunt, ut ad tollendas huiusmodi discordias et multorum materiam scandalorum, et firmandam perpetuam pacem et concordiam inter communes parentes et consanguineos eorumdem, providere ipsis super hoc de opportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christi fidelibus quietis commoda procuramus, huiusmodi amputare discordiam, ac inter eundem Eduardum dictumque Guillelmum patrem eiusdem Isabellis, eorumque communes consanguineos intervenire pacem et concordiam cupientes, gerentes quoque de circumspectione tua fiduciam in domino pleniorem, fraternitati tue presentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus si tibi constiterit ita esse, super quod tuam intendimus conscientiam onerare, cum eisdem Eduardo et Isabelli, impedimentis, que ex predicta affinitate proveniunt, nequaquam obstantibus, matrimonium huiusmodi contrahere valeant, et in sic contracto licite remanere, auctoritate apostolica dispensare procures, prolem suscipiendam ex eis legitimam nunciando. Datum Avinione Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

CCCCXV.

Electo Wintoniensi, ut collectores decimarum in Anglia, Scotia, Hibernia et Wallia ad reddendam earundem collectarum rationem compellat. Reg. An. I. Secret. Tom. II. fol. 98.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Bigaldo de Asserio Electo Winctoniensi, Cappellano nostro, apostolice sedis nuntio, salutem etc. Cum dilectus filius Magister Iohannes de Escapon Canonicus Nannetensis, tunc ad decime a felicis recordationis Nicolao papa IIII. per sex, et cuiusdam alterius decime a pie memorie Bonifacio papa VIII. per tres annos impositarum residua, nec non et ad fructus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum, que tunc vacabant, et usque ad terminum vacare contigerint, a recolende memorie Clemente papa V. predecessoribus nostris in Anglie et Scocie regnis, ac Wallie et Ibernie partibus reservatos, dudum auctoritate litterarum eiusdem predecessoris Clementis colligendos specialiter deputatus, dilectos filios Magistrum Alexandrum de Gikenore et Guillelmum de Escapon, Canonicos ecclesie sancti Patricii Dublinensis, ad colligenda et recipienda residua et fructus huiusmodi subcollectores duxerit deputandos, ipsique Canonici nullam de pecunia, quam de residuis et fructibus antedictis recepisse noscuntur, reddiderint rationem: volumus et discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ab eisdem Canonicis aut uno quoque ipsorum de omnibus, que ab xi. die mensis Aprilis anni Dñi mcccxii. usque ad xxii. diem mensis Maii Anni mcccxiii. ratione residuorum et fructuum huiusmodi receperunt, et insuper in alia parte a prefato Magistro Guillelmo, et etiam a Magitro Iohanne de Faredon, Canonico Clonfertensi, per dictum Magistrum Iohannem subdelegatis, postmodum ad permissa tam de hiis, que receperunt de residuis et fructibus antedictis, ratione subdelegationis huiusmodi a xxiii. die mensis Maii eiusdem mcccxiii. anni, usque ad penultimam diem mensis Marcii anni mcccxiiii. quam de pecunia alias recepta per ipsum Magistrum Guillelmum de Escapon de residuis prefate decime per triennium a dicto predecessore Bonifacio, ut prefertur, imposite, virtute commissionis per dilectum filium Magistrum Guillelmum de Balacto, Archidiaconum ecclesie Foriuliensis, Capellanum nostrum, tunc apostolice sedis nuntium, et ad colligendum et recipiendum residuum decime supradicte deputatum, auctoritate apostolica sibi facte ab eodem penultimo die mensis Marcii usque ad xx. diem mensis Aprilis eiusd. mcccxiiii. anni, a predicto Magistro Guillelmo de Escapon plenum computum, et exactam exigas et recipias rationem, eos ad reddendum computum ac rationem huiusmodi, et assignandum tibi quicquid habent de pecunia residuorum et fructuum eorumdem per censuram ecclesiasticam, super quibus plenam tibi concedimus potestatem, appellatione postposita, compellendo, eis pro eo tempore quo huiusmodi collectionis sunt prosecuti negocia, de dicta pecunia competentibus expensis, prout tue discretioni videbitur, assignatis. Datum Avinione Idus Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

CCCCXVI.

Fratribus ordinis Praedicatorum in Hibernia dantur conservatores. Reg. An. I. Com. par. 4. fol. 230.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Armachano et ... Dublinensi ac ... Cassellensi Archiepiscopis, salutem etc. Quamvis ex debite pastoralis officii etc. Oblata siquidem nobis dilectorum filiorum ... Priorum et fratribus ordinis Predicatorum terre Ibernie petitionis series continebat, quod licet ipsi de Anglie provincia fore noscantur, tamen propter localem distantiam, cum Anglia et Ibernia prefate inter se non modico freto distent, pro iniuriis ac molestiis contra indulta privilegiorum eidem ordini a sede apost. concessorum, pro tempore illatis eisdem, nequeunt absque magna difficultate recursum habere ad conservatores eorumdem privilegiorum a sede ipsa deputatos, existentes in Anglia prelibata: unde cum dicti Priores et fratres a nonnullis super predicationibus libere ab eisdem fratribus faciendis, et audiendis confessionibus eis peccata sua volentium confiteri, et aliis iuribus et libertatibus ipsis a sede ipsa concessis a Prelatis, Rectoribus et Clero, aliisque personis contra indulta privilegiorum dicte sedis eis ab eadem sede concessorum diversimode molestarentur, et gravamina ipsis multipliciter inferantur, Nos volentes eis super hiis de oportuno remedio providere, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum per vos, vel per alium seu alios fratribus dicti ordinis terre Ibernie supradicte efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eos contra tenores privilegiorum ipsorum a predictis, vel aliis quibuslibet molestari, nec eis aliqua gravamina vel iniurias irrogari, facientes ipsis fratribus de illatis eis iniuriis, molestationibus et gravaminibus contra tenores eosdem, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, per viam iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, iustitie complementum, ita quod officium, potestas et iurisdictio vestra ex nunc perpetuata censeantur, molestatores et iniuriatores huiusmodi, nec non contradictores et rebelles, quandocumque et quotiescumque expedierit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus tam de duabus dictis in concilio generali, quam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quarum prima cavetur etc. Datum Avinione Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

CCCCXVII.

Pontifex regi Angliae significat, quare episcopum S. Andreae sede sua privare nondum possit. Reg. An. II. Secret. Tom. II. fol. 144.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Anglie Illustri, salutem etc. Per tuas nobis, fili carissime, litteras intimasti, qualiter Guillelmo Episcopo Sancti Andree in Scotia, Regni Anglie, sicut asseris, proditore, ad perpetuum carcerem condempnato, felicis record. Clemens papa V. predecessor noster pro pace et securitate dicti Regni fratri Thome de Riveriis ordinis fratrum Minorum

Episcopatum Sancti Andree per apostolicas litteras, ut tuis verbis utamur, contulit et concessit, quod in nostra notum fore Curia posuisti. Et licet prefatus Guillelmus Episcopus postmodum a carcere liberatus prestiterit iuramentum, quod ex tunc contra tuam tuique Regni pacem non machinaretur aliquid, vel quomodolibet attemptaret, ipse tamen, ut ponis, spreto huiusmodi iuramento, Roberto de Brus hosti tuo incessanter adhesit et patenter adheret, quecumque tibi adversa perversis conatibus moliendo, propter quod instantius supplicasti, ut et depositionem illius et dicti fratris Thome restitutionem ad Episcopatum eumdem ordinare vellemus. Sane, fili, quod dictus predecessor noster prefatum Episcopatum ipsi fratri Thome contulerit, nullam audivimus assertionem fidedignam in Curia, nec in Regestris nostris, quamtumvis sollicite perquisitis, litteras aliquas invenimus super huiusmodi collatione confectas, nec certe ad collationem seu provisionem huiusmodi licite procedi potuit, si contra predictum Episcopum, processu legitimo in talibus consueto prehabito, sententia non processit, de quibus tamen hucusque non liqueret. Quamvis itaque amantissime ad tuam et dicti Regni tranquillitatem afficiamur ex intimis, quamvis omnes illam iniquis ausibus perturbantes, quantum iuste licebit, persequi disponamus, ad ipsius tamen Epi depositionem, de cuius demeritis nondum nobis penam exigens innotuit veritas, procedere absque iusticie offensa non possumus, ne inordinate nimis probationem vel cognitionem prevenire sententia videamur. Ipsum etiam fratrem Thomam non debemus ad Episcopatum restituere, quem eum habuisse, aut licenter habere potuisse non constat. Si vero processum aliquem, vel apostolicas litteras forsitan habeas, per que ipsa tua supplicatio iuvari debite valeat, mittere nobis illa non deferas, sciturus, quod ubi de predictis nobis debito modo constiterit, vel ut constet, patebit via legitima, prosecutio iusticie, immo et executio prompta non deerit, que tuum circa hoc animum contentare debebit. Datum Avinione xiiii. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCCXVIII.

Executoribus, ut fratribus Minorum Connerensis dioecesis contra fratres ord. Praedicatorum super funere cuiusdam militis faciant iustitiam. Reg. An. II. Com. par. 2. fol. 25.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis... Priori de Aichirde Ardmachane diocesis, et... Decano ecclesie Ardmachane, ac... Officiali Ardmachano, sal. etc. Sua nobis dilecti filii... Guardianus et fratres ordinis Minorum de Cragfergiis Connerensis diocesis petitione monstrarunt, quod olim ipsi, qui ex indulto sedis apostolice speciali habere noscuntur liberam sepulturam, corpus quondam Thome de Mandeville militis, qui intestatus in eadem diocesi, et a sua parrochiali ecclesia eiusdem diocesis nimis remotus, a quibusdam suis emulis interfectus extitit. Cum idem corpus per potentiam dictorum emulorum ab aliquo tumulari non valeret, et absque gravi periculo in dicta parrochiali ecclesia tumulandum deferri non posset, de consensu loci diocesani apud ipsorum locum, qui loco, ubi dictus miles interfectus extitit, vicinior predicta parrochiali ecclesia existebat, tradiderunt ecclesiastice sepulture. Postmodum autem Willelmus Aubrey et Florentius de Ardino ordinis fratrum Predicatorum loci de Drachda Armachane diocesis, de mandato Prioris fratrum eiusdem loci de Drachda, ad locum dictorum fratrum Minorum temere accedentes, dictum corpus hesumere, et ad locum eorum deferre, illudque ibidem ecclesiastice tradiderunt sepulture, quamquam dictus miles apud eos sepeliri minime elegisset, nec progenitorum suorum corpora inibi sepulta fuerint, temeritate propria presumpserunt, in ipsorum Guardiani et fratrum non modicum preiudicium et gravamen. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione postposita, decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, non obstantibus quibuscumque privilegiis dictis fratribus et ordini Predicatorum ab apostolica sede concessis, et illo presertim, quo caveri dicitur, ut ullus de dicto ordine fratrum Predicatorum per litteras apostolicas valeat conveniri, nisi de privilegiis ipsis in eisdem litteris de verbo ad verbum plena et expressa mentio habeatur. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendi potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Avinione Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCCXIX.

Electo Casseliensi mittitur pallium. Reg. An. II. Com. par. 1. fol. 98.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Guillelmo Episcopo olim Ossoriensi, in Archiepiscopum Cassellensem Electo, salutem etc. Olim te a vinculo, quo tenebaris Ossoriensi ecclesie, cui tunc preeras, absolventes, ad Cassellensem ecclesiam tunc vacantem de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis ad prefatam Cassellensem ecclesiam duximus transferendum, preficiendo te illi in Archiepiscopum et pastorem. Cum autem palleum, insigne videlicet pontificalis officii, sit nobis ex parte tua per dilectos filios Galterum le Rode, et Robertum Lupum Canonicos Cassellenses cum ea, qua decuit, instantia postulatum, Nos palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum per dictos Canonicos Venerabilibus fratribus nostris ... Ymilacensi, et ... Waterfordensi Episcopis tradendum tibi per eos, vel eorum alterum, quem malueris, destinamus, ut ipsi illud tibi assignent sub forma, quam eis sub bulla nostra mictimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam eis sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis (solite) recipiant iuramentum. Tu autem illo infra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in eisdem ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non

discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus attentius et hortamur per apostolica scripta mandantes tibi, quatenus humilitatem et iusticiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, conservare studeas, que suum servant et promovent servatorem, ac ecclesiam Cassellensem sponsam tuam procures sollicite, dante domino, in spiritualibus et temporalibus augmentare. Datum Avinione x. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCCXX.

Nuntiis apostolicis, ut in pertinaces Scotiam regenti adhaerentes censuris ecclesiasticis procedant. Reg. An. II. Secret. Tom. II. fol. 121.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Gauselino tituli sanctorum Marcellini et Petri presbitero, et Luce sancte Marie in Vialata diacono Cardinalibus, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Ad statum apostolice dignitatis nobis dudum, licet immeritis, divina permissione vocatis, multis abolim infesta molestiis inter Carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Anglie Illustrem, et dilectum filium magnificum virum Robertum (de) Brus, Regnum Scocie, ut dicitur, gubernantem, diuturnitate temporis antiquata discordia considerationibus nostris frequenter occurrit, suas nobis amaras circumstantias representans. Hinc enim nostris se offerebant obtutibus impedimentum proinde facile receptura pia dei negocia, et precipue terre sancte, hinc se animarum pericula, et non modica Christiani cruoris effusio, graviaque rerum dispendia in eorum commotionibus ingerebant. Hec siquidem nostri cordis intima stimulabant, acutisque stimulis nostrum interpellabant officium, et ut ad occurrendum per oportuna remedia tanto discrimini exurgeremus ocius, instantius exigebant, et tandem quia magnitudine personarum et circumstantiis supradictis in scrutinio nostre meditationis adductis, aliquorum ex fratribus nostris prefatum negocium indigere prudentia, ministerio ac presentia videbatur, nos licet presentia vestra carebamus inviti, propter hoc ad Anglie et Scocie Regna, et Ibernie ac Wallie partes tanquam pacis angelos, et fervidos concordie zelatores de fratrum predictorum consilio duximus destinandos.

Cumque vos ad Regna et partes predictas postmodum conferentes, ad Civitatem Eboracensem pervenire, duce domino, contigisset, et deinde post deliberationem super hoc habitam, versus Civitatem Dunelmensem, ad prefatum Robertum premissis nunciis, ut super tractatu pacis eiusdem habendo convenire possetis in aliquo loco ad hoc idoneo, cum familiaribus vestris et aliorum inermi ac modica comitiva rectis gressibus iter vestrum(sic), nec in illis partibus, quibus inesse nulla videbatur hostilitas, iacturam discriminis formidantes: nonnulli sceleratissimi filii Bellial, perditionis alumpni, viri sanguinum pestilentes, dyabolico furore commoti, in vos, sicut ex tenore litterarum vestrarum accepimus, latentibus positis in diversis locis insidiis, et contra vos vexillis erectis, evaginatis gladiis, lanceisque vibratis, insultu subito cum validis clamoribus irruerunt, et dei timore postposito, ac matris ecclesie reverencia ultroiecta, nec dignitati aut ordini vel officio defferentes, in personas vestras effrenata temeritate manus violentas et sacrilegas iniecerunt, et temeraria invasione ceperunt hostiliter et per violentiam arrestarunt, quampluribus ex Capellanis, Clericis et aliis familiaribus vestris magne auctoritatis viris, etiam in dignitatibus constitutis, de suis equitaturis prostratis ad terram, et usque ad femoralia spoliatis, quosdam ex eis letaliter vulneraverunt. Ornamenta vero ad cultum divinum in Capellis vestris specialiter deputata, libros, iocalia aurea et argentea, vasa, pecuniam, suppellectilia et utensilia varia et diversa, que defferebatis vobiscum, cofinis, in quibus eadem servabantur, in presentia vestra fractis omnino et violenter apertis, ad incognita et remota loca cum vestris somariis nequiter asportarunt, apostolicis quoque litteris, quas habebatis ibidem, de cofinis eisdem extractis, quasdam earum furore rabido laniaverunt, secum alias asportando. Equos omnes tam vestros, quam Capellanorum, Clericorum et familiarium predictorum ultra centum per violentiam abduxerunt, illis una cum rebus et bonis predictis divisis, sicut asserebant, a pluribus inter eos. Preterea Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Carleolensem, tunc in vestra comitiva presentem, non sine iniectione violenta manuum in eundem opprobriose ceperunt, et familiaribus eius de ipsorum equis in terra proiectis, ipsum Episcopum, quem postea dimiserunt, et familiares eosdem dictis equis temere spoliarunt, vobiscum eodem Episcopo cum duobus dumtaxat sociis remanente. Et insuper dilectos filios Electum Dunelmensem, et fratrem eius, qui vos ob reverentiam apostolice sedis et nostram, volentes devotis studiis honorare, se vobis exhibuerant comites in itinere supradicto, nec non et quendam Regis servientem ipsius, vobis ab eo traditum pro conductu, in vestris ceperunt conspectibus, et captos ad extranea loca cum eorum bonis omnibus deduxerunt, vixque postmodum ad multarum precum instantiam, cum septem vel octo equitaturis, post vos predictis vestris familiaribus peditando, vos dictam Civitatem Dunelmensem ingredi tantis pressos opprobriis permiserunt, quam adhuc exire non potestis aliquatenus, nec audetis: propter quod sacrilegi memorati eorumque socii ac sequaces, et alii, qui huiusmodi sacrilegii scelus perpetrati vel factum ratum habuerunt, aut dederunt ad id auxilium, consilium vel favorem, seu postmodum scienter receptarunt eosdem, vel etiam deffensarunt, penas et sententias in constitutione felicis recordationis Honorii pape tertii predecessores nostri contra tales editam incurrerunt.

Revera, filii, cum huiusmodi detestande factionis excessus auribus patris insonuit, attulit horrorem auditui, nostroque pectori acerbi doloris intulit punctiones, et multe compassionis excitavit animum et affectum grandis turbationis materiam precordiis apostolicis. Verum quia illatas vobis sic atroces et enormes iniurias non tam in vestrum opprobrium, quam

illius contemptum cedere, qui iuxta evangelicam veritatem in suis ministris se recipi testatur et sperni, non indigne pensantes, illos tanquam honoris sponse Christi et immunitatis domus domini defensores, ne tam probrosa nota discriminis, longe lateque diffusa per populos, ad contagiose perversitatis exemplum concitet animos iniquorum, dissimulationi relinquere vel dare neglectui non intendimus, nec valemus. Et licet vobis et unicuique vestrum, ut in commissis vobis negociis possetis facilius prosperari, exercendi per vos, vel per alium seu alios in omnes et singulos vestrum et familiarium vestrorum iniuriatores, cuiuscumque conditionis vel status existerent ecclesiastici vel mundani, censuram ecclesiasticam, negociorum huiusmodi vostra prosecutione durante, plenam olim et liberam per alias nostras litteras concessimus potestatem.

Quia tamen excessus huiusmodi adeo detestabilis, horrendus et perniciosus habetur, sicque in maternam iniuriam contumeliose redundat, quod digne merentur ipsius perfidi peccatores, ut sicut idem excessus redditur enormitate gravissimus, sic eos dire premat asperitas ultionis: mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos, vel alium seu alios super premissis summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii diligentius inquirentes, eos omnes et singulos, quos in predicti sacrilegii scelus repereritis irrepsisse, vel factum eorum nomine ratum habuerunt, aut dederunt ad id auxilium vel favorem, seu postmodum scienter receptaverunt eosdem, vel etiam defensarunt, penas et sententias omnes et singulas in dicta constitutione contentas contra quascumque personas, universitates, collegia et officiales, aut alios quoscumque, quocumque nomine censeantur, latas seu promulgatas per regna et terras predicta et alia loca, de quibus expedire videbitis, quociens et quando vobis visum extiterit, denuntietis publice ac solenniter incurrisse, ipsasque inviolabiliter servari sententias ab omnibus faciatis, alias gravius contra eos, prout obstinata protervitas ipsorum exegerit, spiritualiter et temporaliter processuri, Contradictores vel impedientes, si qui fuerint, tam clericos, quam cuiscumque conditionis, status, ordinis vel dignitatis existant, etiam si pontificali vel superiori premineant dignitate, auctoritate nostra, super quibus omnibus plenam vobis et cuilibet vestrum potestatem concedimus, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus, si sacrilegis et aliis supradictis, aut ipsorum aliquibus, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod suspendi vel excommunicari, aut ipsi vel eorum loca ecclesiastico interdicto subici, sive sententiis vel penis aliquibus affici, aut extra vel ultra certa loca trahi seu vocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibusvis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quibuscumque personis, communitatibus, locis vel ordinibus a dicta sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus plenam et expressam oporteret in nostris litteris fieri mentionem, et per que presentium defectus impediri posset quomodolibet vel differri, seu quibuscumque commissionibus personis super hoc alias per nos factis, quibus tamen nolumus in aliquo deregari, aut quovis processu per aliquem quavis auctoritate cepto vel habito in premissis. Quicquid autem super premissis duxeritis faciendum, nobis per patentes litteras vestras, vel instrumentum publicum harum seriem continens studeatis fideliter intimare. Datum IIII. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCCXXI.

Iisdem nuntiis super eodem negotio. Reg. An. II. Secret. fol. 114.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Gauselino tituli sancti Marcellini et Petri presbitero, et Luce sancte Marie in Vialata diacono Cardinalibus, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Crescit facile in immensum impunita temeritas, cum unius impunitas ausum in aliis parere soleat, et ausus excessum persepe producat. Quante autem temeritatis fuerit hiis diebus Roberti de Brus, Regnum Scocie nunc regentis, suorumque in hac parte complicum effrenata presumptio, non expedit vobis longo sermone retexere, ne doctos instruere videamur, aut certiorare scientes. Nostis etenim, sicut illi, quos evidentia palpate veritatis instruxit, qualiter a nostre promotionis auspiciis piis attendentes affectibus animarum et corporum pericula gravia, et immensa dispendia facultatum, que molesta nimis et dampnosa dissensio inter Carissimum in Christo filium nostrum Edwardum Regem Anglie illustrem ex una parte, et predictum Robertum ex altera pretextu occupationis iniuste dicti Regni Scocie, in qua Rex ipse Robertum eundem iniuriari sibi conqueritur, procurante cunctorum incentore malorum, ab olim exorta mundo produxerat, et que, nisi prospicetur ex alto, producere graviora verisimiliter timebatur; considerantes etiam impedimenta non levia, que pia dei negocia, et precipue illius terre necessitas, in qua redemptor noster nasci et pati pro salute nostra dignatus est, propterea subierunt, et que poterunt ex ipsius dissensionis continuatione subire, ut tantis discriminibus, deo propicio, possemus occurrere, totque obviare prepediis atque dampnis, ad ponendum in tranquillo dissidentes eosdem, ac solide caritatis unanimitate iungendum, vota nostra, domino inspirante, direximus, vosque, quos ad id ministros eligimus ydoneos, de fratrum nostrorum consilio in partes illas tanquam pacis angelos propter hoc providimus destinandos. Et ut eo habilius via pateret ad pacificandum dissidentes eosdem, quo minoribus guerrarum flatibus quaterentur, inter eos et adherentes eisdem certi temporis treguas indiximus, quas a die publicationis earum a nobis per vos, vel alium seu alios faciende suum volumus obtinere vigorem, ex tunc in personas non servantium seu infringentium treguas huiusmodi excommunicationis sententia promulgata. Vos autem iniunctum vobis officium tam humiliter quam utiliter exequi cupien-

tes, directis versus Dunelmiam gressibus, ad Robertum ipsum Venerabilem fratrem nostrum ... Epum Corbaniensem, et dilectum filium Magistrum Aymericum Girardi Archidiaconum Elnensem, familiares vestros et nuncios mittere curavistis, qui sibi pacificum vestrum pronunciarent adventum, et litteras nostras directas eidem salutaria super predictis continentes monita, presentarent. Ipse vero intelligere nolens, ut bene ageret, sed aures suas more aspidis surde, ne audiret verbum patris sapienter exhortantis, obturans, quasi de impensa sibi a nobis super benignitate superbie concepisse videretur audaciam, iniquitatem de exhibita sibi per apostolicam sedem mansuetudine non absque ingratitudinis vicio parturiit, contempnens ipsas nostras recipere litteras per nuncios ipsos eidem oblatas, et ut contemptus contemptui adderetur, littere nostre super treugarum ipsarum publicatione confecte, quas per duos fratres Minores in Scociam mittebatis, in regressu Scocie non absque ipsius conniventia violenter ipsis ablate fratribus, et dicte sedis calcata reverentia, totaliter lacerate fuerunt, fratribus ipsis nichilominus immaniter spoliatis. Ne vero fore posset ambiguum, quicquid malignitas in hac parte conceperat, licet treuge predicte per vos, seu alium vel alios de mandato vestro per Angliam solempniter publicate fuissent, ita quod verisimiliter potuerat ad eius noticiam huiusmodi publicatio pervenisse, ne lateret eum, quominus positum, quod aliis eminus constitutis non credebatur occultum. Ipse autem treugas ipsas non absque multe insolentie temeritate, et plectibili nostro et sedis predicte contemptu, spretaque sententia antedicta observare contempsit: — Villam Berwichi, quam prefatus Rex Anglie possidebat, et in qua ad ipsius Roberti instantiam de pace inter regem ipsum et Robertum eundem per tractatores communes tractari debebat, post publicationem treugarum ipsarum, et conventionem tractatus ipsius nequiter invadens, et eo libentius occupans, quo minor eidem regi poterat super hoc inesse suspicio, tractatu pendente predicto, ac cedem crudelem et magnam in gentem regiam sistentem inibi, ac incolas dicte ville perperam et inique commictens, per quod non est dubium Robertum ipsum, ac in hiis adherentes eidem predictam sententiam incurrisse.

Hec et alia, que ad presens silentio preterimus, fecerunt dicti Robertus et complices, prout nobis intimare curastis, et tacuimus usque modo sperantes, ut eorum corda, tangente domino, post tantorum culpam excessuum alicuius humiliationis signa pretenderent, filialis devotionis exolverent debitum, et ad ea, que pacis sunt, animos inclinarent. Ipsi vero velut unius malleatoris pertinacia solidata constricti, pacientia nostre longuanimitatis dampnabiliter abutentes, in elationis obstinate vicium corruerunt. Nos igitur illatam nobis, apostolice sedi et vobis iniuriam in premissis, ac predictos eiusdem Roberti et in hiis adherentium sibi detestandos et enormes excessus nec volentes, nec valentes conniventibus oculis pertransire, cum ad eos compescendos, ne periculose in alios exemplari alveo deriventur, exercendus sit pocius ecclesiastice gladius ultionis, discretioni vestre, de qua in hiis et aliis plenam in domino fiduciam obtinemus, presentium tenore committimus et mandamus, quatenus per vos vel alium seu alios predictum Robertum, et adherentes eidem predictam incurrisse sententiam in ecclesiis et locis insignibus, de quibus expedire videbitis, prout iustum et equum fuerit, nuncietis solenniter et publice singulis diebus dominicis et festivis, contra eos nichilominus ad penas alias spirituales et temporales, prout vobis videbitur, iuxta predictorum qualitatem excessuum auctoritate apostolica processuri. Et si, quod absit, in sua nequicia ulterius perseverare presumpserint, indurantes instar lapidis corda sua, vos iuxta contumacie ac excessuum contingentiam nostros curetis in eos exaggravare processus. Nos enim premissa omnia et singula faciendi et exequendi, necnon predictos et quoscumque alios predicte pacis et concordie turbatores seu impeditores, sive incole dictorum Regnorum, sive quicumque alii et undecumque fuerint, et omnes et singulos complices, adiutores, valitores, consiliarios, fautores et sequaces eorum, ac in hoc adherentes eisdem publice vel occulte, etiam si inter eos persone alique ecclesiastice fuerint, cuiuscumque sint hii vel illi conditionis, dignitatis, ordinis, sive status ecclesiastici vel mundani, quamvis Episcopali vel Archiepali prefulgeant dignitate, ut ab huiusmodi turbatione seu impedimento, necnon ab omni favore, consilio, auxilio, sequela et adherentia circa id impendendis omnino desistant, per excommunicationis in personas et interdicti sententias in terras et ecclesias eorum, ac per privationem feudorum, locationum, officiorum et quorumcumque beneficiorum spiritualium, citra Archiepiscopalem et Episcopalem dignitatem, aut etiam temporalium, que a quibuscumque ecclesiis obtinebunt, ut sic libere illa ad ipsas ecclesias revertentur, quod Prelati et Rectores earum, aut illi, ad quos id pertinebat, de illis pro sua voluntate disponant, ac per inhabilitationem etiam tam personarum ipsarum ecclesiasticarum, Archiepiscopis et Episcopis dumtaxat exceptis, quam filiorum, nepotum et aliorum descendentium ab ipsis turbatoribus et impeditoribus laycis usque ad secundum gradum, ad quevis ecclesiastica beneficia obtinenda, et per alia iuris remedia, de quibus et prout expedire videritis, appellatione remota, debite compescendi, Omnes quoque ac singulos, qui eisdem turbatoribus seu impeditoribus laycis, aut eorum alicui iuramento fidelitatis tenentur astricti, ab ipso iuramento, quamdiu ipsi pacis huiusmodi turbatores seu impeditores extiterint, absolvendi, et alia faciendi, que circa premissa, vel aliqua de premissis fuerint oportuna, non obstante, si eis vel eorum aliquibus, vel alicui a sede apostolica sit indultum sub quacumque forma vel conceptione verborum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut eorum terre, vel ecclesie ecclesiastico interdicto supponi quavis auctoritate non possint, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuius-

cumque tenoris existat, per quem presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, vobis et vestrum cuilibet plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Per hec autem non intendimus in aliquo derogare commissionibus super hiis, vel aliis quibuslibet vobis alias per nos factis, sed eas nichilominus in suo volumus remanere vigore. Datum Avinione IIII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCCXXII.

Regi Angliae, ut Hibernos amanter tractare velit, nec a suis vexari sinat in damnum donationis Henrico regi de terra Hiberniae ab Hadriano PP. IV. factae. Reg. An. Secret. Tom. II. fol. 144.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Anglie Illustri, salutem etc. Paternum morem ad tue celsitudinis incrementa, fili carissime, gerimus, dum te ad ea, que iusto placent iudici, tue Regni, terrarum et subditorum tuorum sint oportuna quieti, et fame tue pariter et honori prospiciant, sollicitis exhortationibus invitamus. Propter quod in hiis persuasiones nostras devota debes mente suscipere, et ad executionem illarum te pronum et flexibilem exhibere. Ecce, fili, quasdam recepimus litteras, directas pridem per Ybernicos Magnates et populum dilectis filiis nostris Gaucelino tituli sanctorum Marcellini et Petri presbitero, et Luce sancte Marie in Vialata diacono Cardinalibus, apostolice sedis nunciis, et per quos nobis suis interclusas litteris destinatas, in quorum serie vidimus inter cetera contineri, quod cum felicis recordationis Adrianus papa predecessor noster sub certis modo et forma distinctis, apertius in apostolicis litteris inde factis, clare memorie Henrico Regi Anglie progenitori tuo dominium Ybernie concessit, ipse Rex ac successores ipsius Reges Anglie usque ad hec tempora modum et formam huiusmodi non servantes, quin immo eos transgredientes, indebite diris afflictionibus, et gravaminibus inauditis, importabilium servitutum oneribus, et tyrannidibus inhumanis ipsos eo miserabilius et intolerabilius, quo diutius oppresserunt. Nec fuit hactenus, qui revocaret illata gravamina, aut errata corrigeret, non fuit, quem pia compassio super eorum contritione moveret, quamvis super hiis ad te recursus habitus fuit, et clamor validius oppressorum aures tuas quoque pulsarit. Verum talia ferre nequeuntes ulterius, coacti sunt se a dominio tuo subducere, et alium in suum regimen advocare. Hec, dilectissime fili, si veritate nitantur, tanto nimirum infestiora nostris accedunt affectibus, quanto desideramus intentius, te, ut tibi prospera cuncta cedant, circa illa versari sedule, eaque promptis affectibus exequi, que tuo sint placita creatori, et ab omnibus abstinere sollicite, per que contra te debeat provocari deus ipse, ac dominus ultionum, qui gemitus afflictorum iniuste minime despicit, et qui propter iniusticias peculiarem suum deiecisse describitur populum, et transactionem fecisse Regnorum: quanto etiam desiderabilius hiis presertim impacatis temporibus cupimus, te illis libenter intendere, per que tuorum corda fidelium ad tuam benivolentiam et obedientiam debeant allici, et illa pro se vitare, quibus valeant a tue cultu devotionis avelli. Quia itaque, fili, tua non modicum interest, huius nove mutationis pensare dispendium quamplurimum expedit, ut hec non negligantur turbationis inicia, ne illis periculose crescentibus sero medicine remedia preparentur: Excellentiam Regiam sollicitamus attente presentibus, sano nichilominus consilio suadentes, quatenus hec prudenti meditatione considerans, et cum tuo discreto consilio conferens super illis, circa premissorum gravaminum correctionem ac reformationem debitam et festinam viis et modis decentibus sic sufficienter provideri mandes et facias, sic discriminosis principiis in hac parte obstare procures, quod et illi, per quem regnas et regis, placidum accedere valeat, et te in hiis efficaciter implente, quod debes, cuiusvis adversum te iuste querele materia conquiescat, per quod iidem Ybernici saniori ducti consilio tibi in domino pareant, aut si, quod absit, incepta rebellione manere voluerint, causam suam in apertam iniusticiam, te apud deum et homines excusato, convertant. Ut autem de predictis gravaminibus et querelis, quibus predicti innituntur Ybernici, tuis sensibus innotescat ad plenum, prescriptas litteras missas Cardinalibus antedictis cum anima (sic) formam litterarum, quas predictus Adrianus, predecessor noster, eidem Henrico Regi Anglie de terra Ybernie concessisse dicitur, continente, tue magnitudini mittimus presentibus interclusas. Datum Avinione III. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

CCCCXXIII.

Nuntiis apostolicis, Angliae regem moneant, ut Hibernos paterno amore prosequi velit, suosque a persecutione eorumdem arceat. Reg. An. II. Secret. Tom. II. fol. 144.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Gaucelino tituli sanctorum Marcellini et Petri presbitero, et Luce s. Marie in Vialata diacono Cardinalibus, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Ecce, filii, litteras dictas pridem vobis per Ybernicos Magnates et populum, et per vos nobis vestris interclusas litteris destinatas cum anima (sic) formam litterarum, quas felicis recordationis Adrianus papa, predecessor noster, clare memorie Henrico Regi Anglie de terra Ybernie concessisse dicitur, continente, Carissimo in Christo filio nostro Eduardo Regi Anglie Illustri in aliis nostris interclusas mittimus litteris, per quas Regem ipsum sollicitamus, attente nichilominus consulentes eidem, quatenus omnia et singula in ipsis contenta litteris prudenti meditatione considerans, et cum suo discreto consilio solerter conferens super illis, circa ipsorum correctionem ac reformationem debitam et festinam viis et modis decentibus sic sufficienter provideri mandet et faciat, sic discriminosis principiis in hac parte obstare procuret, quod et illi, per quem regnat et regitur, placidum accedere valeat, et Rege ipso in hiis efficaciter implente,

quod debet, cuiusvis adversus eum iuste querele materiam conquiescat, per quod aut iidem Ybernici saniori ducti consilio eidem Regi ut domino pareant, aut si, quod absit, incepta rebellione manere voluerint, causam suam in apertam iniusticiam, eo apud Deum et homines excusato, convertant. Volumus igitur et mandamus, ut super hiis effectui mancipandis apud Regem ipsum curetis sollicitudinis vestre partes apponere, prout videritis expedire, ut nobis et vobis in hiis exequentibus officii debitum ille, prout de celo propexit, residuum faciat, in cuius manu sunt Regum corda et omnia iura Regnorum. Datum ut supra.

CCCCXXIV.

Ioannes ord. Praed. ecclesiae Glasguensi in episcopum praeficitur. Reg. An. II. Com. par. 2. fol. 193.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Glasguensi, salutem etc. Pastoralis officii etc. Dudum siquidem ecclesia Glasguensi, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone memorie Roberti Glasguensis Episcopi pastoris regimine destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie quendam Stephanum de Dundore, Canonicum ipsius ecclesie, in Glasguensem Episcopum concorditer elegerunt, qui pro ipsius electionis negotio prosequendo ad apostolicam sedem accedens, tandem ante obtentam, licet petitam a nobis, ab eo confirmacionem electionis eiusdem, in prosecutione quorumdam negociorum, pro quibus eum ad partes Scocie miseramus, Parisius (sic) extitit, viam universe carnis ingressus. Sane nos, huiusmodi obitu dicti St. fidedignis relatibus intellecto, provisionem ipsius ecclesie dispositioni nostre ac sedis ipsius ea vice duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus (super hiis) per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Verum postmodum dicti Capitulum eodem obitu dicti Stephani similiter intellecto, forsan huiusmodi nostre reservationis ignari, Iohannem de Lyndesey Canonicum dicte ecclesie in Glasguensem Episcopum elegerunt, qui personaliter ad sedem ipsam se contulit pro huiusmodi electionis sue negocio prosequendo. Porro nos huiusmodi electionem eiusdem Iohannis, utpote post et contra nostram reservacionem huiusmodi celebratam pronunciavimus et decrevimus auctoritate apostolica, prout erat, irritam et inanem. Subsequenter verum de provisione ipsus ecclesie, ne prolixioris vacationis exponeretur incomodis, solicite cogitantes, post deliberationem, quam super hoc habuimus cum nostris fratribus diligentem, consideratis muneribus gratiarum, quibus personam tuam illarum dominus insignivit, ad te, tunc Penitentiarum nostrum, ordinem fratrum Predicatorum professum, cui litterarum scientia, vite ac morum honestas, providencia spiritualium et circumspectio temporalium, aliaque dona virtutum multipliciter suffragantur, dreximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis ecclesie predicte providimus, preficientes te illi in Episcopum et pastorem, tibi curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus committendo, ac faciendo tibi postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Nicholaum Episcopum Ostiensem muuus consecrationis impendi etc. Datum Avinione xvi. Kal. Augusti, Pont. n. anno secundo.

In e. m. Decano et Capitulo ecclesie Glasguensis, et clero et populo civitatis et diocesis Glasguensis, universis Vassallis ecclesie Glasguensis, et Eduardo Regi Anglorum Illustri.

CCCCXXV.

Nuntiis apostolicis, ut processum a pontifice contra Robertum de Brus Scotiam regentem die 18. Novemb. habitum in Angliae et Scotiae regnis promulgari faciant. (Processum ipsum omittimus, cum nihil novi contineat). Reg. An. IV. Secret. Tom. II. fol. 120.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Gauselino tituli sanctorum Marcellini et Petri presbitero, et Luce sancte Marie in Vialata diacono Cardinalibus, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Dolenter audimus, quod Carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Illustris, et Regni Anglie pax et optanda tranquillitas nedum est forinsecus guerrarum turbinibus perturbata, sed et intestinis pericolose lacerata scissuris, dum nonnulli Magnates et Nobiles dicti Regni, spreto fidelitatis debito, ab ipsius Regis obedientia se subducunt, et in ipsum ac Regnum impugnationis reprobande conatus exercere coniectura verisimili formidantur, ex quo Regnum ipsum per huiusmodi dissentionis discrimen quodammodo in se ipso divisum desolationis dispendia posset subire de facili, et nedum inde corporum strages rerumque dispendia, verum etiam animarum pericula resultarent, nisi cum assistentia divine potentie de salubri contingeret remedio provideri. Quia itaque ad hec precavenda discrimina nos officii debitum attente sollicitat, et ad procuranda Regi et Regno predictis pacis commoda, et discordiarum impedimenta tollenda paterna caritas signanter invitat, diligentius etiam attendentes, quod intrinseco durante dissidio vix poterit iuxta censuram humani iudicii commotionis extrinsece strepitus tranquillari, ut vobis, quos ad Anglie et Scocie Regna pro pertractanda et reformanda concordia inter Regem predictum ex una parte, et dilectum filium Nobilem virum Robertum de Brus, Regnum Scocie nunc regentem, ex altera, tamquam pacis angelos providimus destinandos, ad id iuxta nostrum desiderium via eo paratior, eoque facilior pateat, quo ipse Rex et subditi maiori quiete gaudebunt, inter Regem ipsum, complices, fautores, valitores, consiliarios eius ac adherentes eis ex una parte, et quoscumque Magnates et Nobiles dicti Regni, ipsi Regi adversantes, complices, fautores, valitores, consiliarios, ac adherentes eis ex altera treugas, quarum fedus pacis inducit imaginem, auctoritate nostra indicendi usque ad id tempus, de quo et prout videbitis expedire, ac in omnium et singulorum treugeas ipsas infringentium, aut quomodolibet non servantium personas,

excommunicationis, interdicti vero in terras eorum sententias promulgandi, non obstante, si eis aut eorum alicui sub quacumque forma vel conceptione verborum a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari vel eorum terre ecclesiastico interdicto supponi non possint per litteras sedis eiusdem non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus presentium impediri possit vel quomodolibet retardari, necnon treugas huiusmodi sic indictas, et excommunicationis et interdicti sententias promulgatas, ubicumque et quibuscumque vobis expediens fore videbitur, per vos vel alium seu alios notificandi, ac solenniter publicandi, et nichilominus omnes et singulas promissiones, obligationes, confederationes, colligationes super huiusmodi dissentionibus seu discordiis nutriendis inter quoscumque, et a quibuscumque quomodolibet initas vel ineundas veluti contra bonum pacis presumptas illicite, et attemptatas in divine Maiestatis offensam, et quascumque penas adiectas vel adiciendas, ac iuramenta prestita vel prestanda super illis sub quibuscumque forma, modo vel expressione verborum, presertim cum iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, que nos exnunc irrita fore decernimus, et quatenus de facto processerint, irritamus, nulla et irrita nunciandi, Vassallos insuper ac subditos Regis, Magnatum, Nobilium et aliorum predictorum a iuramentis fidelitatis, quo eis vel eorum alteri tenentur astricti, quantum ad huiusmodi dissentionis articulum, cum in illicitis eis obedire non debeant, per idem tempus penitus absolvendi, et alia faciendi, que circa premissa vel aliqua de eisdem fuerint oportuna, vobis aut vestrum alteri plenam et liberam concedimus tenore presentiun facultatem. Cum autem pertinacibus sic debeat obesse contemptus, quod in humilium preiudicium non redundet: volumus, ut illum ex predictis, qui treugas forsitan per vos indictas contempserit observare, sic processus in hac parte noster afficiat, quod alterum, quando in eo fuerit treugas ipsas observare paratum, in aliquo non contingat, sic quod nec ipse, nec sui valitores, consiliarii et fautores, aut eorum terre ligentur sententiis antedictis, et eo etiam casu illius Vassalli non intelligantur a iuramento fidelitatis, quo tenentur eidem, aliquatenus absoluti. Datum Avinione IIII. Kal. Ianuarii, Pont. nostri anno quarto.

CCCCXXVI.

Regem Angliae pontifex de processu nuper contra praedictum Robertum habito, et a legatis sedis apostolicae promulgato certiorem reddit. Reg. An. IV. Secret. Tom. II. fol. 125.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Anglie Illustri, salut. etc. Ecce, fili carissime, ne contemptus per Robertum de Brus Regnum Scocie detinentem in nos et apostolicam sedem, aut nuntios nostros sancte Romane ecclesie Cardinales perniciosus commissus per impunitatem transeat aliis in exemplum, super eo precipue, quod litteras nostras salutaria monita continentes, missas ei per Cardinales eosdem, recipere recusavit, quodque ipsorum Cardinalium littere super treugarum inter te et ipsum per nos auctoritate apostolica indictarum publicatione confecte, que per duos fratres Minores in Scociam mittebantur, in introitu Scocie non absque ipsius conniventia lacerate fuerunt, fratribus ipsis immaniter spoliatis; quod etiam treugas ipsas, quarum publicationem, que per totam Angliam facta fuit, verimiliter ignorasse non creditur, ausibus temerariis violavit, Villam Berwichi, quam proditorie occupando, et in illa cedem committendo crudelem, quod preterea alia nonnulla nobis per ipsos Cardinales intimata commisit, que silentio preterimus; scire te facimus, quod per alias certi tenoris litteras Cardinalibus committimus antedictis, ut Robertum ipsum, et omnes eius complices in hac parte nuncient, et nunciari faciant publice, prout iustum fuerit, excommunicationis sententiam propter violationem treugarum huiusmodi incurrisse; suos nichilominus contra illos, prout eis videbitur, aggravari processus, et insuper contra eos et quoslibet alios clericos et laicos cuiuscumque dignitatis, ordinis, seu status, impeditores seu turbatores pacis Anglie, ad penas spirituales et temporales acriter processuri, prout in predictis litteris plenius continetur. Que omnia tibi providimus intimanda, ut evidenter agnoscas, quantum devotionem et obedientiam amamus humilium, dum contumaciam atque rebellium mandamus puniri contemptum. Dat. Avinione VII. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCCXXVII.

Innovatur et aggravatur processus contra praedictum Robertum de Brus eiusque adherentes. Reg. An. IV. Secret. Tom. II. fol. 156.

Iohannes episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Summa provisio omnium conditoris in apostolica sede ad hoc constituit totius ecclesie Magistratum, ut, quia secundum scripture sententiam fecit deus hominem rectum, sed ipse infinitis immiscere se questionibus non ambigit, ad eam quasi ad matrem, quociens, satore procurante discordie, per eius malos angelos immissiones fiunt, et dissentionum materie suscitantur, pro tollendis dissidiis recurratur, ut eiusdem ecclesie recto iudicio in statera veri et prudentis examinis, cum fidelium pax turbatur, et peccatur in proximum, quelibet dissentiones et scandala succidantur.

Dudum siquidem post nostre promotionis auspicia ad statum apostolice dignitatis, antiquatam abolim inter Carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Anglie Illustrem, et Robertum de Brus, tunc Regnum Scocie gubernantem, dissentionis odiose materiam in nostri pectoris intimis revolventes, et animarum deflenda pericula, fidelium strages innumeras, multiplicia dispendia facultatum, et nocumenta gravissima, que multis Regnorum ipsorum ecclesiis et personis ecclesiasticis protractio dissentionis intulerat, ac dispendiosa, que paraverat obstacula negocio terre sancte, et similia, que parare

poterat obstacula in futurum, vias et modos, quibus circa premissa, deo propicio, possemus salubria adhibere remedia, cum multa diligentia duximus exquirendos. Et tandem ad dilectos filios nostros Gaucelinum tit. sanctorum Marcellini et Petri presbiterum, et Lucam sancte Marie in Vialata diaconum Cardinales nostre considerationis oculos dirigentes, illos ad Anglie et Scocie Regna et Ibernie ac Wallie partes pro reformatione pacis huiusmodi, plena ipsis super hoc potestate concessa, duximus destinandos. Eis nichilominus prefatum Robertum, si eiusdem pacis reformationi nollet forsitan assentire, vel nostris in hac parte acquiescere monitis non curaret, ad id per censuram ecclesiasticam et alias penas, prout suaderet iusticia, compellendi, nec non et absolvendi omnes vassallos et subditos eius a iuramento fidelitatis, quo tenentur eidem, ac dominio et subiectione illius etiam eximendi, omnes quoque colligationes, conspirationes, confederationes, pactiones et conventiones factas inter dictum Robertum et quoscumque alios, aut inter se ipsos forsitan super adiutorio aut subsidio, vel favore dicto Roberto circa invasionem vel impugnationem Regni Anglie, aut Ibernie seu Wallie, et quarumvis aliarum terrarum vel insularum dicti Regis quomodolibet impendendo, seu quovis alio, per quod dicte pacis negotium impediri vel differri posset, etiam si colligationes, conspirationes, confederationes, pactiones et conventiones ipse iuramentis essent, aut promissionibus, penarum adiectionibus, obligationibus seu stipulationibus quibuscumque vallate, ipsaque iuramenta sub quibuscumque modo, forma vel expressione verborum prestita relaxandi, et eos ab ipsorum observantia, necnon fautores eiusdem Roberti et adherentes eidem, ut ab ipsius favore et sequela penitus resilirent, et omnino recederent, per excommunicationis in personas, et in terras eorum interdicti sententias, publicationem et aggravationem ipsarum per se vel alios compellendi, et insuper contra dictum Robertum, et quosvis alios, quos reperirent excommunicationis huiusmodi sustinere sententiam animis induratis, prout suaderet iusticia, procedendi per nostras diversas litteras contulimus potestatem. Et ut ad reformationem pacis huiusmodi via facilior prestaretur, inter eosdem Regem et Robertum treugas per certi temporis spacium duraturas duximus indicendas, volentes illas a die notificationis seu publicationis earum per dictos Cardinales, vel alium seu alios faciende suum obtinere vigorem, ex tunc in personas non servantium vel infringentium illas excommunicationis sententiam proferentes, quas per eos vel alium seu alios Regi ac Roberto predictis, et aliis, de quibus eis videretur expediens, mandavimus publicari.

Cumque dicti Cardinales, sicut apostolatui nostro eorum litteris intimarunt, ad executionem premissorum valentes mature procedere, quia de facili ad dictum Regnum Scocie tunc eis securus non patebat accessus, dicto Roberto suas litteras ipsorum causam nunciantes adventus per cursores proprios destinassent: idem Robertus, seu gentes eius nuncios ipsos nequaquam intrare Regnum Scocie permiserunt. Propter quod iidem Cardinales Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Corbaniensem, et dilectum filium Aymericum Gerardi Archidiaconum Eliensem, Cappellanum nostrum, nuncios et familiares eorum ad dictum Robertum, cum ipso super hiis, que apostolice dictis Cardinalibus directe littere continebant, habituros tractatum, ac ordinaturos inter cetera cum eodem de tempore et loco ipsis tuto, quibus super commissis eis possent cum ipso habere tractatum et colloquium, destinarunt. Dictique nuncii non sine periculis et difficultate multiplici, prius ab eodem Roberto litteris habitis de conductu ad Castrum de Rokesbour, in ingressum Scocie constitutum, finaliter applicarunt. Et cum eos gentes dicti Roberti presentiam eius nequaquam adire permitterent, et propter hoc ab eodem Roberto, ut ad eum possent accedere, per suas litteras postulassent: Iacobus Danglaris et Alexander, milites ac familiares eiusdem Roberti, cum quibusdam aliis ad eosdem nuncios accedentes, ab eis litteras, si quas consignandas dicto Roberto portabant, exhiberi sibi deferendas per eos ad dictum Robertum cum instantia postularunt, comminantes, quod eos aliter Regnum intrare nequaquam permitterent antedictum: quibus iidem nuncii apostolicas litteras eidem Roberto directas, per quas ad pacem caritativis hortabamur eundem affectibus, tradiderunt, per eos assignandas Roberto prefato. Deinde ab ipso Roberto quodam clerico ad conducendum dictos nuntios destinato, dictisque nunciis accedentibus ad eundem Robertum, et causam missionis et adventus eorum sibi verbotenus explicantibus, et rogantibus eum instanter, quod apostolicas aliasque dictorum Cardinalium clausas litteras directas eidem, exhortationes huiusmodi continentes, quas ei presentialiter assignarunt, aperiret et inspiceret diligenter, et ad contenta in eis tanquam obedientie filius responderet: idem Robertus litteras ipsas prefatis nunciis non absque indignatione restituens, illas legere quibusdam confictis excusationibus recusavit, et nichilominus se aliquibus nolle tractatibus pacis vel treugarum intendere non verens dampnabiliter affirmare, Cardinales et nuncios ipsos ad huiusmodi tractatum admittere denegavit, eisdem nunciis ac propositis per eos denegando dare responsum, quamvis dixisset eisdem, quod super premissis, deliberatione cum suis consiliariis habita pleniori, infra festum beati Michaelis tunc proxime secuturum eis per suas litteras plenius responderet. Et dictus Robertus dampnabiliter in contumacia et inobedientia perseverans, longe post dictum terminum per suas litteras nunciis respondit eisdem, quod in responsione, quam Comites et Barones sui eisdem nunciis per litteras ipsorum fecerant speciales, inter alia continentes, quod nisi dictus Robertus nominaretur Rex Scocie, tractatum aliquem super premissis cum dictis Cardinalibus vel nunciis non haberet, eum persistere oportebat.

Et quia ex hiis colligi poterat manifeste, quod dictus Robertus nequaquam apostolicis ac ipsorum

Cardinalium monitis et hortationibus acquiescere, datus in sensum reprobum, intendebat: Cardinales ipsi, ut ad tractatum pacis huiusmodi prosequendum facultas liberior prestaretur, ac volentes futuris periculis obviare, treugas predictas iuxta formam in litteris apostolicis super treugis eisdem confectis annotatam in Civitate Londoniensi, ubi tunc morabantur, personaliter publicarunt, et in nonnullis aliis Anglie et Scocie Regnorum predictorum locis insignibus et confinibus eorumdem mandaverunt ac fecerunt per alios publicari. Et deinde volentes treugas easdem et indictionem ac publicationem ipsarum ad ipsius Roberti et sequacium, fautorum et complicum suorum, et aliarum personarum dicti Regni Scocie noticiam pervenire, dilectum filium fratrem Adam Gardianum fratrum ordinis Minorum de Berwico, nuncium ipsorum, cum eisdem apostolicis indictione dictarum treugarum continentibus, et diversis aliis litteris, et processibus ipsorum ad dictum Robertum et Regnum Scocie destinarunt. Qui demum versus partes illas accedens, et obtentis ab eodem Roberto, ut ad eum secure proficisci posset, litteris de conductu, cum dictum Regnum Scocie intravisset, quidam nomine Alexander, se ipsius Roberti asserens Senescallum, prefato Gardiano occurrens in via, tam apostolicas, quam ipsorum Cardinalium litteras et processus de manibus dicti Gardiani pro viribus contradicentis eripuit violenter, dicens se illas dicto Roberto, qui abinde distabat modico, delaturum, dictusque Alexander vadens ad dictum Robertum, ut dicebat, et post aliquantulum intervallum rediens, litteras et processus eosdem eidem Gardiano restituit, ei sub pena districte precipiens, quod statum Scocie, terram et Regnum exiret, eidem litteris de securo conductu, quas petebat pro reditu, denegatis: sed idem Gardianus mandatum huiusmodi Cardinalium predictorum nequaquam propter hoc negligens, sicut poterat, adimplere, treugas ipsas et indictionem earum in vulgari Scotorum, sonora voce, pluribus ibidem Scotis adstantibus, publicavit, et subsequenter de loco ipso recedens, et iter suum prosequens festinanter. Cum ab eodem Alexandro elongatus aliquantulum extitisset, quidam dicti Roberti satellites ipsum aggredientes in via, eum litteris et processibus antedictis, habituque suo ac vestibus et rebus aliis, quas portabat, inhumaniter spoliarunt. Et insuper dictus Robertus tantam inobedientiam et contemptum satagens sub recte intentionis velamine palliare, et fraudolenter contingens ad pacis aspirare tractatum, eidem Regi Anglie litteras destinavit, et per alias litteras dictis Cardinalibus scripsit, quod ab eodem Rege litteris obtentis de securo conductu, ad Cardinales ipsos sex vel plures mitteret tractatores: ad quod iidem Cardinales per eorum litteras respondentes eidem, illas cuidam nuncio, qui eiusdem Roberti ad ipsos detulerat litteras, ad eum deferendas specialiter tradiderunt, quem usque ad ingressum Scocie cum eisdem litteris accedentem gentes dicti Roberti dictas portare litteras ad eundem Robertum minime permiserunt: propter quod idem nuncius eas eisdem Cardinalibus clausas et integras reportavit. Deinde dictus Robertus peiora prioribus in sue dampnationis cumulum coacervatis, per se vel Comites ac Barones et Nobiles, et alios de prefato Regno Scocie, indictionis et publicationis treugarum huiusmodi non ignaros, monitis, exhortationibus ac penis et sententiis apostolicis non sine nota rebellionis detestabilis vilipensis, et apostolice sedis reverentia dampnabili presumptione calcata, Villam et Castrum de Bervico, quem diu dictus Rex Anglie, genitor eius, dum viveret, quiete possederat, et ante tempus et etiam tempore indictionis treugarum ipsarum idem Rex possidebat, ac postea per se et suos in pace possederat, necnon et quedam alia castra, terras et loca dicti Regis et ipsius Regni Anglie incolarum consistentia infra illud nequiter et fraudolenter invadens, crudelem in magnam gentem Regni ipsius dicteque ville de Berwico incolas cedem inhumana crudelitate commisit, ad aliarum eiusdem Regis occupationem terrarum se processurum, elatus in superbiam, comminando: propter que dictus Robertus et alii in occupatione predicta adherentes eidem contra predictarum indictionem treugarum, excommunicationis sententiam in tales litterarum auctoritate prolatam incurrisse noscuntur. Nosque premissis ad noticiam nostram deductis, ipsius Roberti tam enormem contemptum, tamque graves et detestandos excessus non valentes conniventibus oculis pertransire, dictis Cardinalibus per alias nostras dedimus litteras in mandatis, ut per se vel alium seu alios, dictum Robertum et adherentes eidem prefatam excommunicationis sententiam incurrisse, in ecclesiis et locis insignibus, de quibus eis videretur expediens, prout esset iustum et expediens, nunciarent solenniter et publice singulis diebus dominicis et festivis, contra eos ad alias spirituales et temporales penas, prout eis visum foret, processuri. Quod si forsan eos in sua nequicia perdurare contigerit, ipsi iuxta exigentiam contumacie et excessus eorumdem suos curarent in eos exagerare processus, necnon et ipsos et quosvis alios dicte pacis et concordie turbatores seu impeditores, sive incole dictorum Regnorum, sive quicumque alii undecumque forent, et omnes et singulos complices, adiutores, valitores, consiliarios, fautores et sequaces eorum, ac in hiis adherentes eisdem publice vel occulte, etiam si persone ecclesiastice forent, cuiuscumque conditonis, dignitatis, ordinis sive status, ecclesiastici vel mundani, etiam si Archiepiscopali vel episcopali dignitate fulgerent, ut ab huiusmodi turbatione seu impedimento, favore, consilio, auxilio, sequela et adherentia predictorum omnino desisterent, per excommunicationis in personas, et interdicti in terras et in ecclesias eorum sententias, ac privationem feudorum, officiorum, locationum et quorumque beneficiorum spiritualium, citra tamen Archiepiscopalem vel Episcopalem dignitatem, et temporalium etiam, que a quibuscumque obtinerent, ut illa sic libere ad easdem revertantur ecclesias, quod Prelati et rectores earum, aut alii, ad quos pertinerent, pro sua disponerent vo-

luntate, necnon per inhabilitationem tam ipsarum ecclesiasticarum personarum, Archiepis et Epis dumtaxat exceptis, quam filiorum, nepotum et aliorum, ab ipsis turbatoribus et impeditoribus laicis usque ad secundum gradum descendentium, ad quevis ecclesiastica beneficia obtinenda, et alia etiam iuris remedia, de quibus et prout viderent expediens, appellatione postposita, debite compescendi; omnes quoque et singulos, qui dictis turbatoribus seu impeditoribus laicis, vel ipsorum alicui iuramento fidelitatis tenerentur astricti, quamdiu ipsi pacis huiusmodi turbatores seu impeditores existerent, absolvendi, et alia omnia faciendi, que circa premissa et predictorum quodlibet existerent oportuna, plenam contulimus per alias nostras litteras potestatem. Et quamvis post receptionem huiusmodi litterarum nostrarum prefatus Robertus, ut ad cor rediens a sua malignitate cessaret, a dictis Cardinalibus expectatus fuisset, quia tamen ipse ad instar lapidis obduratus, ac de nostra et dicte sedis benignitate sibi clementer exhibita spiritum elationis assumens, quedam Castra ipsius Regni Anglie, terras et iura invadere nitebatur, dicti Cardinales, considerantes attentius, quod idem Robertus ex premissis, de quibus eis per sufficientia documenta constabat, queve alias erant adeo publica et notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari, se nobis et ecclesie Romane inobedientie notorie et manifeste rebellem, ac nostrorum et eiusdem ecclesie mandatorum contemptorem publicum reddiderat et reddebat, quodque pacis eiusdem tractatus ex hiis fuerat impeditus, et tunc etiam impediebatur, et quod impediretur imposterum, erat verisimiliter presumendum, et propterea tam enormes excessus tanteque presumptionis contemptum, et iniurias tam graves dissimulare salva conscientia nequeuntes, pronuntiarunt et declararunt dictum Robertum eiusdem ecclesie inobedientem notorie et rebellem, ac suis et apostolice sedis et nostris iussionibus renitentem, decernentes contra eum, sicut contra rebellem et inobedientem nostrum et eiusdem ecclesie manifestum, ac nostris et ipsius ecclesie mandatis refringentem procedendum, et eum nichilominus dictosque sequaces, adiutores, valitores, complices et fautores, et etiam adherentes denuntiarunt predictam excommunicationis sententiam, contra violantes seu non servantes treugas easdem, ut premittitur, promulgatam, tamquam violatores treugarum ipsarum, et alias penas et sententias per nos latas in dictis litteris incurrisse, ipsosque prefati Cardinales excommunicatos, pulsatis campanis et candelis accensis, publice nunciarunt, et fecerunt in diversis cathedralibus et aliis ecclesiis solenniter nunciari, eisdem predicentes aperte, quod si eos in huiusmodi pertinacia fore contingeret, ad alias spirituales et temporales procederent (penas), sicut videretur expediens contra ipsos.

Et deinde quia prefatus Robertus, contemptis mandatis et sententiis antedictis, in sue temeritatis pertinacia persistebat, ipsi dictorum Roberti et Regni Scocie terras, quas dictus Robertus tunc temporis gubernabat, nec non et aliorum complicum, adiutorum, valitorum et fautorum, consiliariorum, sequacium et adherentium predictorum, etiam si ecclesiasiastice persone forent, cuiuscumque gradus, ordinis, dignitatis, auctoritatis seu status, etiam si Legationis, Primatie, Archiepiscopali vel Episcopali dignitate fulgerent, ecclesias quoque et monasteria, ac alia ecclesiastica ipsorum et familiarium eiusdem Roberti, et aliorum predictorum loca ecclesiastico supposuerunt per eorum sententias interdicto. Ac demum ad auditum nostrum deducto, quod Prelati et persone ecclesiastice illarum partium, illius professionis obliti, qua pro domo domini se murum defensionis opponere tenerentur ascendentibus ex adverso, tergum nobis et ecclesie memorate vertentes, direxerant faciem in dissimilitudinis regionem, dum clavibus apostolice potestatis omnino despectis, interdictum huiusmodi non absque nostra et eiusdem ecclesie contumelia et fidelium grandi scandalo temere violaverunt. Nos super hoc tunc certificari volentes, dilecto filio nostro Bertrando tit. s. Marcelli presbitero Cardinali vive vocis oraculo duximus committendum, ut de hoc apud sedem apostolicam se informans, quod in hac parte reperiret, nobis fideliter referre curaret. Cumque post indagationem per dictum Cardinalem super hoc habitam, et per relationem ipsius fideliter nobis factam fuissemus certius informati, quod Prelati et persone ecclesiastice Regni Scocie interdictum huiusmodi non servabant: Nos intendentes, ut tante presumptionis ausum et contemptum, si consonarent facta relatibus, sic pena debita coherceret, quod in aliis similis temeritatis audaciam exagerata in eis censura compesceret, et ausus huiusmodi qualitati conformis castigatio redderetur, Willelmum S. Andree, Willelmum Duncheldensem, Henricum Aberdonen., et David Moraviensem Epos, quos Venerabiles fratres nostros appellare non possumus, quorumque facta in Scocie Regno predicto trahebantur, sicut et adhuc trahuntur faciliter ab aliis in exemplum, et qui principaliores fautores eiusdem Roberti in premissis existere dicebantur, cum et etiam intenderemus cum eis super reformatione status ecclesiarum eiusdem Regni Scocie, qui dicebatur multipliciter deformatus, specialem habere tractatum, ut ab eis reformatione recepta commodius et facilius possemus eisdem ecclesiis et personis circa reformationem status huiusmodi de oportuno et utili remedio subvenire, per publice citationis edictum, astante multitudine fidelium copiosa, quartodecimo Kal. mensis Decembris proxime preteriti, cum eis, sicut poterat colligi probabiliter ex premissis, non possent tute citationis nostre littere presentari, iuxta morem eiusdem ecclesie citavimus, ut usque ad Kal. Maii proximo preteritas, dictas Kal. Decembris tunc proximo secuturas, quas eis pro peremptorio termino duximus assignandas, personaliter apostolico se conspectui presentarent, super premissis mandatis nostris et beneplacitis udituri, ac facturi et recepturi, quod iustitia suaderet, nobiscum etiam de status reformatione predicti, sicut expe-

diens foret, utiliter et sollicite tractaturi. Et ne dicti Episcopi satagentes huiusmodi nostram citationem eludere, quomodolibet causarentur, iter eis ad Romanam curiam, vel ipsam etiam maxime propter eiusdem Regis potentiam non fore securam: Nos elusionem huiusmodi oportuno excludere remedio intendentes, generaliter universos ecclesiarum Prelatos, dictumque Regem Anglie, et alios Principes seculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones et Nobiles alios, quarumcumque Communitatum Rectores et Officiales, ipsasque Communitates, et alios universos et singulos per alias nostras litteras, quas eisdem mandavimus destinari, rogandos duximus attentius et hortandos, ut Episcopis antedictis de securo conductu, cum eos per Regna, terras et loca ipsorum transire contingeret, et illum ab eis ducerent postulandum, in eundo, morando et redeundo pro nostra et dicte sedis reverentia studerent libenter providere, eis cum applicarent ad Curiam antedictam, plenam securitatem pro eo tempore, quo ipsos in ea morari contingeret, offerentes: et ut predicte citationis edictum ad communem omnium noticiam deveniret, cartas sive membranas vera nostra bulla bullatas, processum citationis huiusmodi continentes, in ecclesie Avinionensis appendi vel affigi hostiis fecimus, que citationem ipsam suo quasi sonoro preconio et patulo iudicio publicarent, ut iidem Episcopi nullam possent excusationem pretendere, quod ad eos huiusmodi citatio minime pervenisset, vel quod ignorassent eandem, cum non esset verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus extitit publicatum. Et licet huiusmodi citationis edictum ad ipsorum Episcoporum pervenisse noticiam multorum fidedigna relatio nostris auribus intimarit, ipsi tamen tantis excessibus contumacie contemptum addentes, comparere in eodem termino coram nobis, et postmodum expectati diucius non curarunt, propter quod prenominatos Willelmum Sancti Andree, Willelmum Duncheldensem, Henricum Aberdonensem et David Moraviensem Episcopos de fratrum nostrorum consilio reputamus et pronuntiamus, exigente iusticia, contumaces, et fore contra ipsos tanquam contra contumaces merito procedendum. Ideoque cum eisdem fratribus deliberatione prehabita, in eosdem proxime nominatos Episcopos excommunicationis sententiam propter huiusmodi ipsorum contumaciam manifestam, exigente iusticia, promulgamus, ad penas alias contra eos et eorum quemlibet, prout et quando nobis et eisdem fratribus nostris videbitur, processuri, ut nota tante inobedientie et contemptus severitatem non effugiat canonice ultionis, nec facti perversitas transeat aliis in exemplum. Non obstante si eisdem Episcopis, vel eorum alicui a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, quod quantum ad hoc in nullo volumus suffragari. Ceterum predictam excommunicationis sententiam sic firmiter, sic inviolabiliter volumus observari, quod absolvendi ab ea vel relaxandi eandem, nisi tantum in mortis articulo, tam omnibus penitentiariis nostris, quam quibuslibet aliis confessoribus generalibus vel specialibus, seu familiaribus quarumcumque seu quantumcumque sublimium personarum ubilicet consistentium, etiam si eis a nobis vel aliquo predecessorum nostrorum sub quacumque forma verborum a sententiis hominis vel canonis, seu eas relaxandi generalis vel specialis sit vel fuerit concessa facultas, adimimus potestatem, quam faciemus in diversis locis insignibus diebus dominicis et festivis, prout expedire viderimus, solenniter publicari. Datum Avinione xv. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCCXXVIII.

Robertus de Brus ad Romanam curiam citatus, salvoconductu concesso, non comparens excommunicatur. Reg. Secret. An. IV. Tom II. fol. 158.

Iohannes episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Apostolice considerationis intuitum dirigentes ad illum, qui per nos, licet immeritos, super gregem suum pastoralis curam officii dignanter voluit exerceri, corde soliciti reddimur, ut iusticie observantia vigeat, ubicumque viget religio Christiana, et per nostre diligentie studium et partes iniuncti officii pastoralis, dum refrenantur iniurie et oppressoribus obviatur, de fidelium medio dissentiones exulent et scandala succidantur. Sane dudum post nostre promotionis auspicia ad statum apostolice dignitatis etc. ut supra, usque eis per suas litteras plenius responderet. Qui dampnabiliter in contumacia inobedientie perseverans, longe post dictum terminum per suas litteras etc. ut supra, usque per eorum sententias interdicto. Ac demum cum idem Robertus excommunicationis et interdicti et alias sententias supradictas, claves ecclesie contempnendo, sustinuisset, sicut accepimus, per annum et amplius animo indurato, sicque videretur a se timorem dei et hominum repulisse, ut quasi clavo pertinacie in sua perversitate confixus, nec conscientie stimulo urgeretur, nec pudore confunderetur infamie, neque penis imminentibus pro culpa terreretur, sed pocius mala malis in sue dampnationis cumulum coacervans, dicti Regis Anglie terram cum gentibus suis manu armata hostiliter ingredi, sicut tunc ad nos deduxit fidedigna relatio, presumpsisset, Castra, Villas, et loca dicti Regis, post illationem dampnorum gravium per rapinas et incendia illatorum ibidem invadere satagendo, propter quod non carebat scrupulo heretice pravitatis.

Nos volentes ex mansuetudine ipsius in hac parte nobilitati deferre, eundem Robertum, cum sicut poterat colligi probabiliter ex premissis, si citationem ipsius aliquibus committi contingeret, eis ad dictum Regnum Scocie pro citatione huiusmodi facienda tutus non patuisset accessus, per publice citationis edictum, astante multitudine fidelium copiosa, in xiiii. Kal. Decembris tunc proximo preteriti iuxta morem eiusdem ecclesie citavimus, ut usque ad Kal. Maii proxime preteriti, dictas Kal. Decembris tunc proxi-

mo secuturas, quas ei pro peremptorio termino duximus assignandas, per se vel per procuratorem ydoneum apostolico se conspectui presentaret, legitime in huiusmodi negotio processurus, et facturus et recepturus, quod in premissis iusticia suaderet.

Et ne dictus Robertus satagens forte huiusmodi citationem nostram eludere quoquomodo causaretur, sibi aut procuratoribus vel nunciis suis iter ad Romanam Curiam, vel ipsam etiam maxime propter dicti Regis potentiam non fore secura: Nos elusionem huiusmodi oportuno tunc excludere remedio intendentes, generaliter universos ecclesiarum Prelatos, dictumque Regem Anglie et alios Principes seculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones et nobiles alios, quarumcumque Communitatum Rectores et officiales, ipsasque Communitates et alios universos per alias nostras litteras, quas eidem Roberto mandavimus destinari, rogandos duximus attentius et hortandos, ut eidem Roberto et nunciis ac procuratoribus antedictis de securo conductu, cum eos per terras et loca ipsorum transire contingeret, et illum ab eis ducerent postulandum, in eundo, morando et redeundo pro nostra et dicte sedis reverentia studerent liberaliter providere, eis cum ad Curiam applicarent predictam, plenam securitatem pro eo tempore, quo ipsos in illa morari contingeret, offerentes. Et ut predicte citationis edictum etc. usque iudicio publicarent, ut iidem Robertus ac nuncii et procuratores nullam possent excusationem pretendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eos huiusmodi citatio minime pervenisset, vel quod ignorassent eandem etc. usque: Et licet huiusmodi citationis edictum ad eiusdem Roberti pervenisse noticiam multorum fidedigna relatio nostris auribus intimavit, et multi de partibus illis ad dictam Curiam venientes divulgatione et relatione multiplici predictum processum divulgatum et notoriatum asseruerint in partibus Scoticanis, ita quod probabiliter credi debet eundem Robertum, quem principalius et notabilius processus ipse contingit, nullatenus latuisse: dictus tamen Robertus, tantis excessibus contemptum contumacie superaddens, per se vel per procuratorem ydoneum comparere in eodem termino coram nobis, et postmodum expectatus diutius non curavit, propter quod ipsum de fratrum nostrorum consilio reputamus et pronuntiamus, exigente iusticia, contumacem, et fore contra ipsum tanquam contra contumacem merito procedendum. Ideoque cum eisdem fratribus deliberatione prehabita, primo tamen ad ipsius Roberti convincendum maliciam et contumaciam pergravandam, tam in audientia nostra publica, quam etiam in consistorio in dictorum fratrum et aliorum astantium presentia, premissis solennibus tribus requisitionibus seu proclamationibus, si aliquis esset, qui pro dicto Roberto vellet, ut premittitur, comparere, vel eius in hac parte contumaciam excusare, vel pro ipso aliquid allegare, et cum nullus pro ipso procurator vel excusator seu nuncius compareret, in eundem Robertum excommunicationis sententiam propter huiusmodi ipsius contumaciam manifestam, exigente iusticia, de ipsorum fratrum (consilio) promulgamus, ad penas alias contra eum, prout et quando nobis et eisdem fratribus nostris expedire videbitur, processuri, ut tante rebellionis excessus per impunitatem huiusmodi sibi persistendi in sua malicia materiam non ministret, nec aliis presumendi similia audacia prebeatur, quinimmo eius contumacia et inobedientia iusto sedis eiusdem iudicio precellantur. Non obstante, si dicto Roberto ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, quod quantum ad hoc in nullo volumus suffragari. Ceterum predictam excommunicationis sententiam sic firmiter, sic inviolabiliter volumus observari, quod absolvendi ab ea, vel relaxandi eandem, nisi tantum in mortis articulo, tam omnibus penitenciariis nostris, quam quibuslibet aliis confessoribus generalibus vel specialibus, seu familiaribus quorumcunque seu quantumcunque sublimium personarum ubilibet consistentium, etiam si eis a nobis, vel aliquo predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, sub quacumque verborum forma absolvendi a sententiis hominis vel canonis, seu eas relaxandi generalis vel specialis sit vel fuerit concessa facultas, adimimus potestatem, quam faciemus in diversis locis insignibus diebus dominicis et festivis, prout expedire viderimus, solenniter publicari. Datum Avinione xvi. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCCXXIX.

Roberto de Brus Scotiam regenti pontifex scribit, quare ei titulus regius denegatur, et ad pacem exhortatur. Secr. An. IV. Tom. II. fol. 104.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Roberto dicenti se Regem Scocie, et gerenti pro Rege, spiritum consilii sanioris. Non ferat egre tue magnitudinis providencia, si nostre textus epistole te Regem Scocie non affirmat. Profecto quidem hoc prompte et placide faceret, nisi consuetudo repugnaret Curie, et alteri hec assertio aliqualiter derogaret. Nec illa superba nominatio tuum exagitet animum, quod salutaria nostra monita legere et intelligere propter hoc pretermittas: presertim cum nostra te assertio Regem non constitueret, si non esses, nec ipsius ommissio iuri, si quod tibi super hoc competat, preiudicium ullum paret. Dudum quidem circa nostre promotionis auspicia, considerantes attentius dispendia gravia, que ex discordia, que inter te et Carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Anglie illustrem vigebat et viguerat, provenerant, queque poterant provenire, necnon et commoda plurima, que vestra concordia tam vestrum utrique, quam reipublice, ac specialiter subsidio terre sancte, ad quod affici diceris, promittebat, pro ipsa discordia sopienda et concordia procuranda nostros solennes nuncios duximus transmittendos: sed pacis emulo procurante, ipsos audire, nostrasque litteras accipere, sicut nosti, minus provide renuisti. Ex quo secutum est, quod

nos videntes sepe concepta frustrata, ipsos duximus infecto negocio revocandos. Sane quia pacem ipsam desideranter appetimus, adhuc a ceptis non desistimus, sed tibi, presertim hoc tempore, in quo ad pacem inter te dictumque Regem, deo propicio, reformandam certa dies dicitur constituta, que pacis sunt, suademus. Et quia, si discordie incommoda, et pacis commoda in rationis consistorio recenseres, speramus in pacis actore, quod ad illam extinguendam, et ad hanc procurandam sollicitam operam adhiberes, obsecramus tuam magnificentiam per viscera misericordie Ihesu Christi, ut hec prudenter discutias et examines diligenter. Quod si duxeris faciendum, reperies utique, magistra rerum experientia te docente, quod per discordias res maxime dilabuntur, corporum quies subtrahitur, mens iniquis sollicitudinibus occupatur, unitas scinditur caritatis, crescunt rancores, et odia nutriuntur, pia negliguntur opera, divino cultui non vacatur, insidiis intenditur, et anime gravibus periculis exponuntur. Concordie vero tempore parve res crescunt, sed et populus sedens in pacis pulcritudine, in tabernaculo fiducie requiescit, crescit caritas, simulatores et odia relegantur, operibus pietatis vacatur liberius, et congruentius colitur actor pacis, et per consequens saluti intenditur efficacius animarum. Hec si diligenter attenderis, nisi a deo, quod absit, prorsus abiectus fueris, aurem tuam ad ea, que pacis sunt, audiendum, et ad consentiendum animum, manum quoque ad ipsa exequendum proculdubio preparabis: fac ergo, quod dicimus, et diligenter considera, quam belli dubius sit eventus, nec cures, si interdum tibi successerit prospere, quia non eodem cursu respondent sepius ultima primis, prosperitas enim huius suos cultores perdere consuevit. Datum Avinione IIII. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCCXXX.

Regi Angliae, ut pacem cum praedicto Roberto ineat. Ibidem fol. 103.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Anglie Illustri, salutem etc. Si dispendia, fili carissime, consideranter attenderes, que belli calamitas introducere consuevit, si commoda considerares attentius, que pacis lenitas repromittit, profecto credimus, quod ad pacis federa inter regnum tuum et regnum Scocie solide reformanda tuum prompte animum inclinares, opem studiose impenderes, et solerter efficacem operam adhiberes. Ideoque cum ad hec pertractanda inter te et regentem regnum Scocie certus terminus, ut intelleximus, sit prefixus, serenitatem regiam paterno rogamus et commonemus affectu, quatenus preambula et attenta meditatione discutiens, quam incertus sit guerrarum eventus, quam multis guerra predicta sit onusta periculis, magnis quoque plena dispendiis, quantum dei obsistat serviciis, quot animarum excicia (sic), excidia corporum, vastitates rerum, et alia non facile numeranda incommoda secum trahat, necnon et circumspecte considerans, quod pacis in tempore colitur congruentius actor pacis, operibus pietatis vacatur liberius, et saluti efficacius intenditur animarum, ad pacem ipsam non solum tibi expedientem et regenti predicto, sed et necessariam toti mundo, et specialiter subsidio terre sancte, que tuum subsidium anxie prestolatur, cui non potes attendere, sicut appetere diceris, prefata guerra durante, ob Regis pacifici reverentiam, et dicte terre sancte subsidium animum tuum habilites et inclines. Datum Avinione IIII. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCCXXXI.

Eidem Roberto pontifex suspensionem sententiae excommunicationis concedit, et ad pacem reconciliandam exhortatur. Ibidem fol. 104.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Roberto dicenti se Regem Scocie, et gerenti pro Rege, spiritum consilii sanioris. Moleste ferre non debet tue magnitudinis providentia, si te Regem non asserimus Scocie, cum hoc nobis consuetudo Curie, que duobus de Regno aliquo contendentibus neutri ascribit Regii dignitatem nominis, interdicat; nec tuum debet adeo turbare animum, quod propter huius omissionem nominis nostras recuses recipere litteras, et contenta in eis intelligere pretermittas. Nuper quidem dilecti filii Odoardus de Maubussono et Adam de Gordono milites, tui nuncii, ad nostram presentiam venientes, litteras tuas nostro apostolatui presentarunt, quibus benigne receptis ac prefatis nunciis audientia plene concessa, que ipsi coram nobis ex parte tua proponere voluerunt, audivimus diligenter. Continebat autem inter cetera litterarum ipsarum series, quod Romani pontifices predecessores nostri, Scotorum regnum tanto caritatis fervore dilexerant, quod regni eiusdem ecclesiam nemini voluerunt nisi pontifici Romano subesse, nec in hoc predecessorum dilectio quieverat eorumdem, sed regnum prefatum ac Reges ipsius multis decoraverunt privilegiis libertatum, ad quorum beneficiorum plenitudinem promerendam semper in votis gesseras, et gerebas sanctissime sedi apostolice in omnibus reverentiam exhibere, in eadem subiuncto, quod super eo, quod citius ad nos tuos nequiveras nuncios propter impedimenta in eisdem expressa litteris destinare, nec invenires, quos mitteres, excusatam habere tuam innocentiam dignaremur. Adiciens in litteris supradictis, quod aliquorum, licet hoc nequaquam credere posses, nos contra magnitudinem tuam tibique adherentes fore commotos, relatio asserebat: cuius commotionis causam scrutari non poteras, nisi illa forsan esset occasio, quod litteras, quas sancte Romane ecclesie Cardinales ad partes ipsas transmissi tibi per ipsorum nuncios destinaverant, absque procerum tuorum consilio aperire nolueras, nec ipsas postmodum, habito cum proceribus eisdem tractatu solenni, de consensu omnium admittere nolueras cum effectu, non quod mandatum nostrum contempneres, sed pro eo, quod littere supradicte titulum Regium non habebant, quamvis dictos nuncios cum reverentia, qua decuit, admisisses. Adhuc continebant littere supradicte, quod nos, duobus viris nobilibus, quos litterarum scientia, morum honestas, et vite mundicia commendabant,

electis ad regimen ecclesie Glascuensis, ab electionibus expulsis ipsorum, de quodam Anglico ordinis Predicatorum, tuo regnique tui inimico capitali, in tuum dispendium fuerat apostolica auctoritate provisum. Asseruisti etiam per litteras supradictas, quod quidam clerici de terra tua, qui nullis exigentibus culpis, nisi quod allecti instinctu naturali quedam statum tuum et nationis ipsorum contingentia, fidelitatem suam eidem nationi conservare volentes, tibi scribere curaverunt, digni venia videbantur. Postremo autem nobis per easdem litteras supplicasti, ut te regnumque tuum habere dignaremur paterne pietatis auxilio commendatos, et si ad aliquid per nos contra te processum existeret, revocare de benignitate sedis apostolice dignaremur, offerens te pariturum nostris beneplacitis et mandatis, prout dicti nuncii tui ex parte tua nobis plenius explicarent. Ad hec autem tue magnitudini breviter respondentes fatemur, quod Romani Pontifices, predecessores nostri, illius plenitudine caritatis, quam in tuis litteris expressisti, erga ecclesiam, regnum et Reges Scocie qui fuerunt pro tempore, ferverunt, quorum vestigia, nisi per te et eiusdem regni incolas steterit, sequi intendimus et habundatiori caritatis fervore prosequi, quam ipsi regnum et eiusdem regni ecclesiam fuerint prosecuti: propter quod tu non indigne sanctam Romanam ecclesiam matrem tuam plenioris devotionis affectu revereri teneris, et colere sicut matrem, eiusque beneplacitis, Regum, qui regnaverunt inibi pro tempore, inherens vestigiis, rectis gressibus inherere. Ad illud autem, quod te nos excusatum habere per easdem litteras postulasti, tibi duximus respondendum, quod consideratis, que circa hoc vidimus attendenda, tuam excusationem huiusmodi prompto animo duximus admittendam. Insuper scire te volumus, quod dudum audito, quod tam litteras supradictas, quam Cardinalium eorumdem, per quas te nos et ipsi ad pacem et concordiam cum Carissimo filio nostro Eduardo Rege Anglie Illustri reformandam efficaciter hortabamur, inspicere, nostra et dicte sedis reverentia calcata, contempseras, et subsequenter etiam intellecto, quod nedum, quod illum religiosum virum ordinis Minorum, quem dicti Cardinales cum litteris apostolicis, per quas treugas inter te dictumque Regem pro certi temporis indixeramus spacium duraturas, ut inter utrumque vestrum reformatio pacis posset interim commodius, deo dirigente, tractari, necnon et litteras eorumdem, per quas ad ipsarum observationem treugarum te diligentius hortabantur, ad tuam presentiam destinarant, seu ipsas noluisses recipere litteras ab eisdem. Sed eo litteris ipsis, ac paupertatis vestibus, quas habebat, per quosdam de gentibus tuis temere spoliato, ad dictos est Cardinales redire non absque maxime confusionis rubore, tuique honoris multiplicis derogatione compulsus, turbationis materiam concepimus non indigne, cum tu prefatum nuntium, tamquam eiusdem ecclesie Romane devotum, cum litteris antedictis pro nostra et dicte sedis reverentia honorificentia condigna recipere, dictasque treugas acceptare humiliter debuisses, presertim cum in litteris ipsis, sic tuam providissemus honorare personam, quod merito poteras contentari. Non enim ex alicuius causa turbationis omnisimus in litteris supradictis Regium tibi nomen ascribere, sed ex causis superius expressatis. Super provisione autem facta, ut scripsisti, ecclesie Glascuensi tibi duximus respondendum, quod nos attendentes multarum dona virtutum, de quibus Glascuensis Episcopus dinoscitur insignitus, ipsumque multipliciter utilem ad eiusdem ecclesie regimen existimantes, de illo eidem ecclesie duximus providendum, propter quod servata sedis apostolice gravitate, ad ipsius ammotionem Episcopi sine ipsius culpa procedere non possemus: sed processu temporis, cum locus affuerit, negociorum et temporum qualitate pensata, libenter super hoc, quantum cum deo fieri poterit, dicti Episcopi honore servato, curabimus providere. Ad id vero, quod nobis per litteras easdem intimasti, quod predicti clerici, qui ut premittitur in Curia detinentur, erant digni venia, respondemus, quod processus habitos contra eos ipsorumque confessiones, ut tibi et dictis nunciis tuis de ipsorum excessibus plene constaret, legi fecimus coram eis. Quibus auditis seriose per eos, nobis expresse dixerunt, quod numquam sic tua nobis scripsisset magnificentia pro eisdem, si eos tam detestandorum scivisses excessuum patratores. Duo tamen ex eis, qui carceri detinebantur inclusi, quique reperti fuerunt super eisdem gravibus excessibus innocentes, alter videlicet ante, et alter eorum post ipsorum nunciorum adventum fuerunt a dicto carcere liberati. Super relatione autem processuum et sententiarum per nos habitorum et prolatarum, quam dicti nuncii cum instantia postularunt, tibi duximus respondendum, quod cum olim Cardinales predicti te, omnesque tibi adherentes tamquam violatores dictarum treugarum denuntiaverint, excommunicationis sententiam contra treugas infringentes, seu non servantes easdem proclamatam auctoritate eadem incurrisse, eamque subsequenter iidem Cardinales contra te dictosque adherentes fecerint, ut asserunt, solenniter publicari. Et deinde Cardinales ipsi, quia prefatam sentenciam contempnebas, regni Scocie, quas tunc temporibus tua Nobilitas gubernabat, sicut et adhuc noscitur gubernare, et alias terras adherentium eorumdem per ipsorum sententiam ecclesiastico subiecerint interdicto, tuque dictas sententias, claves ecclesie contempnendo, sustinueras per annum et amplius, et tunc etiam mala malis, sicut nobis extiterat assertione fidedigna relatum, coacervando, continue sustinebas animo indurato. Nos, licet fuisset contra te merito gravius procedendum, tamen ex mansuetudine dicte sedis tue volentes defferre magnitudini, te auctoritate predicta, fidelium astante multitudine copiosa, citavimus, ut usque ad Kalendas Maii tunc proximo venturi, quas tibi pro peremptorio termino duximus prefigendas, per te vel procuratorem ydoneum apostolico te conspectui presentares, super premissis legitime processurus, ac facturus et recepturus, quod iustitia suaderet. Et quia

in dicto termino nec post expectatus diucius coram nobis per te, vel per procuratorem comparere, nec excusationem mittere curavisti, te de fratrum nostrorum consilio contumacem merito reputantes; in te excommunicationis sententiam promulgandam duximus, regnum Scocie predictum subicientes ecclesiastico interdicto, ac nichilominus super premissis nos inquisitionem contra te quibusdam ex fratribus nostris duximus committendam. Verum quia prefati nuncii ad petendum relaxationem sententiarum huiusmodi, et alia faciendum, quia natura negocii id requirebat, mandatum aliquod non habebant, ad relaxationem predictam procedi de iure non poterat nec debebat. Propterea nuncii memorati nobis iterata precum instancia supplicarunt, ut processum et inquisitionem huiusmodi iam inceptam suspendere, ac publicationi et aggravationi sententiarum ipsarum usque ad Kal. Aprilis proximo venturi suspendere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur intendentes, ut mansuetudinem dicte sedis tibi reperias propiciam et benignam, de fratrum nostrorum consilio supplicationi predicte de speciali gratia duximus annuendum. Illud autem, quod nobis subscripsisti per litteras antedictas, videlicet quod inter te dictumque Regem ad finalem pacem faciendam certa dies fuerat constituta, letanter audivimus. Et ecce, quod eundem Regem iuxta tue peticionis instantiam per litteras nostras, congruis rationibus ostensis eidem, rogamus instanter et efficaciter exhortamur, ut animum suum ad huiusmodi pacem inclinans, illam tecum studeat stabiliter reformare, nonnullis consiliariis Regis ipsius, quod eum ad reformationem huiusmodi pacis inducant, per alias diversas litteras suadendo. Datum Avinione xvii. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCCXXXII.

Episcopo S. Andreae, ut una cum Aberdonensi et Moraviensi episcopis ad eor redeant, et mandatis sedis apostolicae obtemperent. Ibidem fol. 105.

Iohannes episcopus etc. Guillelmo Epo Sancti Andree, spiritum consilii sanioris. Nuper tuas recepimus litteras duras angustias et pressuras, quas pro regimine plebis tibi commisse pertulisti diucius, exprimentes, super quibus tibi pie compatimur, et scire te volumus, quod tam ad tuam revelationem ab ipsis, quam ad pacem et concordiam inter Anglie et Scocie Regna, super qua nos per easdem litteras excitasti, promptam gerimus voluntatem. Preterea cum olim ad nostrum pervenisset auditum, quod tu et alii Prelati et ecclesiastice persone Regni Scocie interdictum, cui Regnum ipsum extiterat apostolica auctoritate subiectum, claves contempnentes apostolice potestatis, non absque nostra et Romane ecclesie contumelia et contemptu, ac fidelium grande scandalum (scandalo), temere violando contempnebatis inflati superbie vento servare. Nos super hoc informari volentes, dilecto filio Bernardo tituli sancti Marcelli presbitero Cardinali vive vocis oraculo duximus committendum, ut super hoc apud sedem se informans predictam, quod eum in hac parte recipere contingeret, nobis fideliter referre curaret. Demum vero nobis per fidelem relationem Cardinalis eiusdem plenius informatis, quod Prelati et persone predicti interdictum huiusmodi non servabant: Nos intendentes, ut tante presumptionis ausum, si consonarent facta relatibus, pena debita coherceret, et ausus huiusmodi qualitati conformis castigatio redderetur, te ac Guillelmum Duncheldensem, Henricum Aberdonensem et David Moraviensem Episcopos, quorum facta trahebantur in Scocie Regno faciliter in exemplum, quique principales in premissis dicebamini dicti Roberti fautores, et cum quibus intendebamus etiam super reformatione status ecclesiarum eiusdem Regni Scocie, qui dicebatur multipliciter deformatus, specialem habere tractatum, ut per te ac antedictos Episcopos in reformatione cepta commodius et facilius possemus eisdem ecclesiis, et personis circa reformationem status huiusmodi de oportuno et utili remedio subvenire, xiii. Kalendas Decembris proxime preteritas per publice citationis edictum, fidelium adstante multitudine copiosa, citavimus, ut tu et ipsi usque ad Kalendas Maii tunc proxime venturas, quas tibi et eis pro peremptorio (termino) duximus assignandum, apostolico vos presentare conspectui curaretis, super premissis nostris mandatis et beneplacitis prituri, ac facturi et recepturi, quod iustitia suaderet, et nichilominus nobiscum de reformatione status dictarum ecclesiarum utiliter et sollicite, sicut esset expediens, tractaturi. Et licet huiusmodi citationis edictum ad tuam et predictorum Episcoporum pervenisse noticiam, multorum fidedigna relatio nostris auribus intimasset; tu tamen et iidem Episcopi tantis excessibus contumacie contemptum addentes, comparere in eodem termino coram nobis, et postmodum expectati diutius non curastis: propter quod te ac prenominatos Episcopos de fratrum nostrorum consilio reputandum ac pronunciandum duximus, exigente iusticia, contumaces, et contra te ac ipsos fore tamquam contra contumaces merito procedendum: et deinde cum eisdem fratribus nostris deliberatione prehabita diligenti, in te et Epos supradictos propter huiusmodi contumaciam tulimus excommunicationis sentenciam, iusticia exigente. Profecto miramur non modicum, nec indigne causam turbationis habemus, quod a viris tanta discretione suffultis, a quibus exempla deberent emanare virtutum, sic exorbitavit consilium, sicque mentis obduxit cecitas intellectum, quod a mandatis apostolice sedis auditum irreverentibus animis avertent, illorum tam improvide, quam etiam inconsulte se manifestos redderent contemptores: Quare tibi et eisdem Episcopis sano consilio suademus, quatenus sic studeatis circa premissa consulta deliberatione prospicere, et circumspectione debita providere, quod per satisfactionem obedientie redimatis culpam, quam per tantam inobedientiam commisistis, Nosque contra te ac dictos Episcopos alia graviora non oporteat remedia cogitare. Ceterum scire te volumus, quod nuper nunciorum dicti Roberti ad presentiam accedentium dicte sedis precibus inclinati, processum habitum et

inquisitionem contra te ac dictos Episcopos faciendum, iam inceptum apud sedem predictam, de fratrum predictorum consilio usque ad Kalendas Aprilis proxime venturas duximus suspendendum, ac pubblicationi et aggravationi dicte sententie excommunicationis supersedere providimus de gratia speciali. Datum Avinione xvii. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCCXXXIII.

Duncano de Fif, Patricio de Dumbar, Thomae de Man etc. comitibus et multis aliis Scotiae nobilibus, ut inter regem Angliae et Scotiam regentem pacem reconciliandam curent. Ibidem fol. 106.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Duncano de Fyf, Thome Moravie domino Manie et Vallis Avandier, Patricio de Dumbar Marchie, Malisio de Stratherum, Malcolmo de Leveuaux, Guillermo de Ross, Magno Catanie et Orcadie, et Guillermo Suterlandie Comitibus, ac Waltero Senescallo, Guillermo de Sonlis Butelario, et Gilliberto de Haya Constabulario, et Roberto de Keth Marescallo Regni Scocie et multis aliis dicti Regni nobilibus, salutem etc. Venientes ad presentiam nostram dilecti filii Odoardus de Maubisson, Adam de Gordon, milites et nuntii magnifici viri Roberti, qui Scocie Regem (se) dicit et pro Scocie Rege se gerit, nobis vestras litteras presentarunt, inter cetera continentes, ut Carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Anglie illustrem per nostras litteras exhortari, quod vos in pace dimitteret, dignaremur. Nos igitur huiusmodi litteris benigne receptis, et tam vestris, quam dicti Roberti, qui nobis inter cetera per suas litteras intimavit, quod inter eum dictumque Regem Anglie ad finalem pacem faciendam certa dies fuerat constituta, precibus annuentes, predictum Regem Anglie per nostras litteras rogandum efficaciter duximus, et etiam exhortandum, ut animum suum ad huiusmodi pacem inclinans, illam cum dicto Roberto stabiliter studeat reformare, nonnullis consiliariis Regis ipsius, quod eum ad reformationem huiusmodi pacis inducant, per alias diversas litteras suadendo. Quare universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in domino Ihesu Christo, quatenus periculis ac dispendiis personarum et bonorum innumeris, que predictorum Regis et Roberti discordia produxit temporibus retroactis, et que proventura formidantur ex illa, nisi per unitatem concordie precindatur, verisimiliter in futurum, in scrutinio solertis considerationis adductis, mentes vestras ad bonum unitatis et pacis huiusmodi convertatis, et diem ad hoc, ut predicitur, constitutam nequaquam absque ipsius reformatione stabili permittatis, quantum in vobis fuerit, preterire. Ex hoc enim creatori vestro, qui pacis est auctor, gratum impendetis obsequium, vestris providebitis commodis, obviabitis nocumentis, ac nobis et ecclesie Romane matri vestre, que pacem huiusmodi desideranter exoptat, exultationem et gaudium vestra prudentia ministrabit. Datum Avinione v. Kalend. Septembris, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCCXXXIV.

Regem Angliae pontifex de iis, quae cum oratoribus regis Scotiae ad instaurandam inter utrumque regem pacem egerat, certiorem reddit. Reg. An. II. Secr. Tom. IV. fol. 106.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Anglie Illustri, salutem etc. Ut eorum, que in negocio processuum contra nobilem virum Robertum dictum Brus, qui pro (Rege) Scocie se gerit, hactenus habitorum post nunciorum suorum ad apostolicam sedem adventum sunt acta, plenam habeat tua celsitudo noticiam, scire te volumus, quod nuper dilecti filii Odoardus de Maubusson et Adam de Gordon, dicti Roberti milites et nuncii speciales ad nostram presentiam venientes, nobis eiusdem Roberti litteras presentarunt, inter cetera continentes, quod nos duobus viris nobilibus, quos litterarum scientia, morum honestas et vite munditia commendabant, electis ad regimen ecclesie Glascuensis, ab electionibus expulsis ipsorum, de quodam Anglico ordinis Predicatorum, suo Regnique sui inimico capitali, in suum dispendium fuerat apostolica auctoritate provisum. Adiciens in litteris supradictis, quod quidam clerici de terra sua, qui nullis exigentibus culpis, nisi quod allecti instincto naturali quedam statum suum et nationis sue contingentia, fidelitatem suam eidem nationi servare volentes, sibi scripserant, digni venia videbantur: ac supplicans per nuncios et litteras supradictos, quod processus et sententias, si qui per nos contra eum fuissent habiti et prolate, relaxare de benignitate apostolica dignaremur. Ad que sibi duximus respondendum, quod nos dudum attendentes multarum dona virtutum, quibus Glascuensis Episcopus dinoscitur insignitus, ipsumque multipliciter utilem ad eiusdem ecclesie regimen existimantes, de illo eidem ecclesie Glascuensi duximus providendum, propter quod non decebat sedis apostolice gravitatem ad ipsius amotionem Episcopi procedere sine culpa: sed processu temporis, cum locus adesset, negociorum et temporum qualitate pensata, libenter super hoc, quantum cum deo fieri posset, curaremus, honore servato dicti Episcopi, providere. Ad id vero quod dicebat, quod dicti clerici digni venia videbantur, respondimus, quod processus habitos contra clericos supradictos, ipsorumque confessiones, ut sibi et eisdem nunciis de ipsorum clericorum excessibus pleno constaret, legi fecimus coram eis, quibus auditis seriose per eos nobis expresse dixerunt, quod numquam ipse pro clericis scripsisset eisdem, si scivisset eosdem tam detestandorum excessuum patratores. Super relatione autem processuum et sententiarum predictarum sibi duximus respondendum, quod olim dilecti filii nostri Gauselinus tituli sanctorum Marcellini et Petri presbiter, et Lucas sancte Marie in Vialata dyaconus Cardinales, apostolice sedis nuncii ad partes ipsas transmissi, dictum Robertum, omnesque adherentes eidem tamquam violatores treugarum inter te dictumque Robertum auctoritate apostolica indictarum denunciarunt, excommunicationis sententiam contra treugas infrigentes easdem seu non servantes prolatam auctoritate eadem incur-

risse, quam demum Cardinales ipsi contra prefatum Robertum ipsosque adherentes fecerunt solenniter publicari. Et deinde quia dictus Robertus prefatam sententiam contempnebat, Regni Scocie, quas idem Robertus tunc temporis gubernabat, et alias terras adherentium eorumdem per ipsorum sententiam interdicto ecclesiastico subiecerunt, quam idem Robertus, claves ecclesie contempnendo, sustinuerat per annum et amplius, et tunc etiam mala malis, sicut nobis extiterat assertione fidedigna relatum, coacervando, continue sustinebat indurato. Nos, licet contra prefatum Robertum fuisset merito gravius procedendum, tamen ex mansuetudine dicte sedis deferre volentes eidem auctoritate predicta, fidelium astante multitudine copiosa, citavimus usque ad Kalend. Maii proxime venturas, quas eis pro peremptorio termino duximus prefigendum, per se vel procuratorem ydoneum apostolico se conspectui presentaret, super premissis legitime processurus, ac facturus et recepturus, quod iusticia suaderet. Et quia in dicto termino vel post ipsum diutius expectatus per se, vel procuratorem suum coram nobis comparere cotumaciter non curarat, ipsum de fratrum nostrorum concilio contumacem merito reputatum, in eum excommunicationis sententiam duximus proferendam, Regnum Scocie predictum subicientes ecclesiastico interdicto, et nichilominus super premissis nos inquisitionem contra eum quibusdam fratribus nostris duximus committendam. Verum quia prefati nuncii ad petendum relationem huiusmodi et alia facienda, que natura negocii requirebat, mandatum aliquod non habebant, ad relaxationem predictam de iure procedi non poterat nec debebat. Propterea nuncii memorati iterata precum instantia supplicarunt, ut processum et inquisitionem huiusmodi iam inceptam suspendere, ac publicationi et aggravationi sententiarum ipsarum usque ad Kalendas Aprilis proxime venturas supersedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes, ut idem Robertus mansuetudinem dicte sedis sibi reperiret propiciam et benignam, de omnium et singulorum predictorum fratrum consilio supplicationi prodicte de speciali gratia duximus annuendum. Datum Avinione v. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCCXXXV.

Tabulae treugarum a pontifice inter Angliae et Scotiae reges ad biennium indictarum. Reg. An. IV. Secret. Tom. II. fol. 107.

Iohannes episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Vocatis nobis, licet insufficientibus meritis, ad apostolatus officium, occurret quasi confestim considerationis nostre conspectui acerbis infesta molestiis periculosa dissensio, quam inter Carissimos in Christo filios nostros Eduardum Anglie ex una parte, et Robertum Scocie Reges illustres ex altera, incentor malorum omnium suscitavit, amaras nobis suas circumstancias, quas frequenter, dum nos minor status haberet, intra pectoris claustra revolvimus, representans. Hinc etenim se offerebant et offerunt nostris obtutibus impedimentum proinde facile receptura pia negocia; et precipue terre sancte, deserte incolis Christifidelibus, ipsorumque destitute suffragiis, cui catholicis principibus distractis ad bella civilia consolator aliquis non assistit ex omnibus caris suis: hinc se ingerebant et ingerunt animarum pericula, Christiani sanguinis non levis effusio, gravia rerum dispendia, et non solum ipsorum dissidentium suarumque gentium, sed et quam plurium aliorum in ipsorum commotione periculosa turbatio pariter et dampnosa. Hec quidem nostri cordis intima stimulant, acutisque stimulis nostrum interpellant officium, ut ad occurrendum per oportuna remedia tanto religionis Christiane discrimini ocius exurgamus. Attendentes igitur, quod ad nos, qui licet immeriti vices Regis pacifici gerimus, ac plenitudine fungimur potestatisapo stolorum principi suisque successoribus ex alto concesse, singulariter pertinet in universali ecclesia cunctave congregatione fidelium pacem querere, ac ipsam facere diligentius observari, inter prefatos reges treugas, quarum fedus pacis inducit ymaginem, apostolica auctoritate indicimus usque ad biennium duraturas, ac in eos et in omnes et singulos eorum adiutores, valitores, consiliarios, sequaces, complices et etiam adherentes eisdem treugas infringentes huiusmodi, vel quomodolibet non servantes excommunicationis sententiam promulgamus, non obstante, si eis vel eorum alicui a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari non possint per litteras sedis eiusdem non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus presentium impediri possit vel quomodolibet retardari. Treugas autem et sententiam antedictas a die notificationis seu publicationis ipsarum suum effectum volumus obtinere. Vassallos insuper et subditos regum predictorum a iuramento fidelitatis, quo eis vel eorum alteri teneantur astricti, quantum ad huiusmodi guerre seu dissensionis articulum pertinet, cum in illicitis eis obedire non debeant, per idem tempus prorsus absolvimus. Et nichilominus promissiones et obligationes, que inter reges eosdem et quoscumque alios super belli seu conflictus utrinque committendi processu, necnon confederationes, colligationes et pactiones, que inter ipsum regem Anglie et quosvis alios ex una parte, ac predictum regem Scocie et alios quoscumque ex altera intervenerint pro ipsa fovenda discordia, utpote contra bonum pacis presumptas illicite ac attemptatas in divine maiestatis offensam, et quascumque penas adiectas, ac iuramenta prestita super hiis sub quibuscumque forma, modo vel expressione verborum, presertim cum iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, ex tunc nulla fore decernimus, et quatenus de facto processerint, irritamus. Per hoc autem treugis, per nos aut alios auctoritate nostra alias inter partes easdem indictis, ac sententiis promulgatis in infringentes treugas ipsas, vel quomodolibet non servantes, derogari nullatenus volumus,

sed in suo vigore manere censemus. Ceterum cum pertinacibus sic debeat obesse contemptus, quod in humilium preiudicium non redundet, volumus, ut nullum ex predictis, qui treugas forsitan contempserit observare predictas, sic prefatus processus noster afficiat, quod alterum, quantum in eo fuerit, treugas ipsas observare paratum in aliquo non contingat, sic quod nec ipse, nec sui valitores, consiliarii et fautores, aut eorum terre ligentur sentenciis antedictis, et eo etiam casu, illius vassalli non intelligantur a iuramento fidelitatis, quo tenentur eidem, aliquatenus absoluti. Nulli ergo etc. Datum Avinione v. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno quarto.

CCCCXXXVI.

Proceribus ecclesiasticis et saecularibus Angliae, ut regem ad observandas dictas treugas inducant. Ibidem fol. 106.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Rigaldo Wintoniensi Electo, salutem etc. Super pace reformanda inter Carissimum filium nostrum Eduardum Regem Anglie illustrem, et nobilem virum Robertum de Brus, regentem Regnum Scocie, Regi predicto scribimus per latorem presentium, et dicto nobili per suos, quos ad nostram presentiam nuncios destinavit. Super qua reformanda, si aderis, te fore volumus sollicitum et attentum, et si posses evidenter percipere, quod gratum esset Regi prefato, quod ad illam efficacius procurandam nostros nuncios mitteremus super hoc, ac de nunciorum mittendorum conditione nobis scribere celeriter non ommittas. Committimus insuper tibi et Epo Londoniensi, ut super sedanda discordia, quam implacide inter Regem predictum et dil. filium nobilem virum Thomam Comitem Lencastrie audivimus renovatam, partes vestri studii interponere debeatis, scribentes nichilominus super hoc predictis Regi et Comiti per presentium portitorem, quibus facias assignari litteras, et diligenter una cum collega tuo in dicto negocio procedere non ommittas. Datum Avinione v. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno quarto.

In e. m. ... Archiepiscopo Cantuariensi, Iohanni Episcopo Norwicensi, Waltero Episcopo Exoniensi, Nobilibus viris Ademario Comiti de Pembroc, Hugoni le Despensier dicti regni Cancellario, Bartholomeo de Badesmer Senescallo dicti regni.

CCCCXXXVII.

Salvusconductus nuntiis regis Scotiae datur. Reg. An. V. Com. fol. 77.

Iohannes episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepis et Epis, ac Carissimis in Christo filiis Regibus universis, et dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prepositis, Archidiaconis, Archipresbiteris, Plebanis, Rectoribus et aliis ecclesiarum Prelatis, ipsorumque Vicesgerentibus, Capitulis quoque, Conventibus, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et religiosis, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Grandimontensis, Premonstratensis, sanctorum Benedicti et Augustini, et aliorum quorumcumque ordinum, et domorum hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, et sancte Marie Theutonicorum, Calatravensis et Humiliatorum Magistris, Prioribus, Preceptoribus et Prepositis; nec non et Nobilibus viris Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Senescallis, Iustitiariis, Potestatibus, Capitaneis et Baiulis, ceterisque dominis temporalibus; Universitatibus quoque et Communitatibus Civitatum, Castrorum, Terrarum et aliorum quorumcumque locorum, et aliis universis et singulis, ad quos littere presentes pervenerint, salutem etc. Cum dilectus filius nobilis vir Oddo de Malduno, nuntius Magnifici viri Roberti, qui pro Scocie Rege se gerit, lator presentium per eundem Robertum ad apostolicam sedem transmissus, una cum dilecto filio Alexandro de Kymmoninoth, Canonico Dunkeldensi, ad dictum Robertum revertatur ad presens: Universitatem vestram rogamus et hortamur attentius, quatenus Nobilem et Canonicum supradictos, cum per terras et alia loca vestra transitum fecerint, cum familiaribus, equitaturis, somariis, bonis et rebus eorum abire, et transire libere absque impedimento quolibet permittatis, et de securo conductu in eundo et morando pro nostra et apostolice sedis reverentia providendo, ita quod ipsi de vobis merito laudare se valeant, nosque devotionem vestram proinde commendare possimus. Presentibus post trium mensium spacium minime valituris. Datum Avinione v. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXXVIII.

Fratribus hospitalis s. Ioannis Bapt. extra portam novam Dublinensem privilegium a Clemente PP. III. ipsis datum, inserto eodem privilegio, renovatur et confirmatur. Reg. An. V. Com. par. 1. fol. 85.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistro et fratribus domus hospitalis sancti Iohannis Baptiste extra novam portam Dublinensem, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ord. s. Augustini, salutem etc. Quoddam privilegium felicis recordationis Clementis pp. III. predecessoris nostri, quod nimia incipit vetustate consumi, vobis et domui vestre eiusque fratribus concessum, nobis ex parte vestra presentatum inspeximus diligenter: cuius tenor de verbo ad verbum tale est.

Clemens episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis Alredo Magistro domus Hospitalis sancti Iohannis de Dubellinia, eiusque fratribus tam presentibus quam futuris hospitalitatis vitam professis imperpetuum. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat: eapropter vestris iustis postulationibus annuentes, predictam domum hospitalem, in qua divino estis obsequio mancipati, quam tu, fili Alrede, pro anime tue remedio construxisti tuis laboribus et expensis in fundo proprio, quem beato Petro nosceris obtulisse, in ius et proprietatem beati Petri eiusque tutelam suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut hospitalitatis officium et ordo Canonicus, qui secun-

dum deum et beati Augustini regulam, et observantiam fratrum domus hospitalitatis Ierosolimitani ibidem esse dinoscitur, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem hospitale in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, prestante domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant: in quibus hec propriis duximus exprimendo vocabulis: Locum ipsum, in quo prefatum hospitale, quod fundasti, predicte Alrede, situm est, cum omnibus pertinentiis suis; ex dono Carissimi in Christo filii nostri Henrici Illustris Regis Anglie totam villam Tacwer cum omnibus pertinentiis suis; ex dono etiam tuo et uxoris tue quoddam Burgagium in Civitate Dublinensi, quod est inter Burgagium Willelmi Albi et Danielis de Bristowe; ex dono Andree et uxoris Burgagium quoddam, quod tenet Gwarinus et Ricardus avunculus eius; ex dono Ricardi Camerarii totam villam de Glennuge liberam et quietam ab omni exactione et servitio seculari, reddendo annuatim sex marchas, ita videlicet quod si Ricardus sine herede decesserit, fratribus ibidem deo servientibus quiete et libere remanebit; ex dono Gilberti Gude medietatem domus sue in Archiepiscopatu Dublinensi, Capellam de Davaganor cum decimis et obventionibus et ceteris pertinentiis suis; et de terra nemoris Leonini, quod est iuxta Danachnor, quantum fratres predicti hospitalis poterunt exartare; ex concessione Augustini de Bristowe terram quandam, que est confinis domui vestre, reddendo annuatim decem solidos; ex dono Rogerii fratris Haimi in domo eius, que est propinquior sancto Iohanni tres marchas, ita tamen quod si predictus Rogerius moriatur in predicto hospitali, si autem alibi morietur, et gratus recedat de domo dicti hospitalis viginti solidos in eadem domo. Liceat autem vobis personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conversionem recipere, et eas sine contradictione aliqua retinere. Auctoritate quoque apostolica interdicimus, ne quis in vos vel ecclesiam vestram excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententiam sine manifesta et rationabili causa promulget, vel novas et indebitas exationes vobis vel hominibus vestris imponat. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, iannis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce divina officia celebrare. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, et cetera ecclesiastica sacramenta a diocesano suscipietis Episcopo, a quo sine pravitate aliqua precipimus exhiberi. Sepulturam preterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illuc sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumentur. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci magistro, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum dei timorem et beati Augustini regulam viderint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ne quis infra ambitum domorum vestrarum furtum rapinamque committere, ignem apponere, hominem capere vel interficere, seu aliquam violentiam temere audeat exercere. Inhibemus etiam, ne cui seculari persone infra fines officinarum vestrarum licet habitationem habere. Ad indicium autem percepte libertatis unam unciam auri nobis nostrisque successoribus in festorum Apostolorum Petri et Pauli annis singulis persolvetis. Decrevimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum hospitale temere perturbare, aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quomodolibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate, et in predicta capella diocesani Epi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine dei et redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum Iudicem premia eterne pacis inveniant Amen. Amen. Amen. Datum Laterani per manum Moysi, sancte Romane ecclesie subdiaconi et vicem agentis Cancellarii, XVII. Kal. Decembris, Indictione VII., Incarnationis dominice anno M.C.LXXXXVIII. Pontificatus vero domini Clementis pape III. anno primo. Amen.

Nos itaque vestre sacre Religionis inducti meritis, vestris supplicationibus favorabiliter annuentes, tenorem huiusmodi privilegii presentium tenore decernimus perpetuam obtinere roboris firmitatem, et volumus, quod tenor huiusmodi sic insertus plenam fidem et probationem faciat tam in iudicio quam extra iudicium, etiam si ipsum originale privilegium non appareret, nec etiam haberetur, nec sit necesse illud decetero aliquatenus exhiberi: quodque propter hoc vobis et eidem domui nullum ius acquiratur de novo, sed antiquum tantummodo conservetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Avinione Kalendis Octobris, Pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXXXIX.

Philippus ord. Praedicatorum praeficitur ecclesiae Corkagensi in episcopum. Reg. An. V. Com. par. I. fol. 293.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Philippo Electo Corkagensi, salutem etc. Regimini universalis ecclesie, quamvis insufficientibus meritis, disponente domino presidentes, de universis orbis ecclesiis pro earum statu salubriter dirigendo, quantum ex alto nobis permittitur, sollicite cogitamus: Sed eorum propensior sollicitudo nos urget, quas propriis carentes pastoribus vacationis incommodis conspicimus subiacere, ut illis per cooperationis nostre ministerium viri preficiantur idonei in pastores, qui sciant et possint ipsis ecclesiis preesse utiliter et prodesse. Nuper siquidem Corkagensi ecclesia pro eo, quod Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Midensem, tunc Episcopum Corkagensem, licet absentem a vinculo, quo tenebatur eidem Corkagensi ecclesie, cui preerat, absolventes, ad Midensem ecclesiam tunc vacantem de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine duxerimus transferendum, preficiendo eidem Midensi ecclesie in Episcopum et pastorem, pastoris regimine destituta, Nos volentes eidem Corkagensi ecclesie de persona secundum cor nostrum idonea providere, provisionem ipsius ecclesie Corkagensis ea vice dispositioni nostre et apostolice sedis duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attemptari: ac de provisione huiusmodi Corkagensis ecclesie antedicte, ne prolixe vacationis sustineret incommoda, sollicite cogitantes, post deliberationem, quam cum dictis fratribus ad deputandam eidem ecclesie Corkagensi personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria probitatis in suis valeret iuribus augeri ac etiam defensari, habuimus diligentem, ad te ordinis fratrum Predicatorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de vite mundicia, litterarum scientia, gravitate morum, circumspectionis experte providentia, et aliis virtutum meritis fidedigna testimonia suffragantur, direximus aciem mentis nostre: quibus omnibus diligenti meditatione discussis, volentes prefate Corkagensi ecclesie salubriter providere, de persona tua, nobis et dictis fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, prefate Corkagensi ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in Epum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius Corkagensis ecclesie tibi tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem Corkagensis ecclesia per tue circumspectionis industriam et prudentiam circumspectam non solum preservabitur a noxiis, verum etiam salubria in eisdem spiritualibus et temporalibus, divina favente clementia, suscipiet incrementa. Iugum itaque domini prompta devotione suscipiens, et suavi eius oneri reverenter colla submittens, dicte Corkagensis ecclesie sponse tue sollicitam curam geras, gregem dominicum in ea tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod per diligentie tue studium eadem Corkagensis ecclesia votivis commodis et optatis proficere valeat incrementis. Datum Avinione x. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

In e. m. Dilectis filiis... Decano et Capitulo ecclesie Corkagensis, Clero et populo civitatis et diocesis Corkagensis, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

CCCCXL.

Archiepiscopo Tuamensi, ut monasterium monialium de Castasilva ord. s. Augustini suae dioecesis alias exemptum, non obstante eiusdem exemptione, libere visitare possit. Reg. An. V. Com. par. I. fol. 295.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Tuamensi, salutem etc. Si exemptiones, que per antistites gratiam et communionem apostolice sedis habentes, pro tempore fiunt, precipue pro personis etc. usque impendere domino famulatum, processu temporis pariunt dissolutionis materiam: non indigne Romanus Pontifex, qui salutem animarum prospicit et medelam, eos improbat et impugnat, cum ad hec salus proveniat animarum, et personarum debachantium temeritas compescatur. Seriem siquidem tue petitionis accepimus, quod bone mem. Florentius Archiepus Tuamensis, predecessor tuus, cum consensu sui Capituli Monasterium de Castasilva ordinis sancti Augustini tue diocesis, tunc ordinarie sue iurisdictioni subiectum, tam in capite quam in membris exemit ab omni iurisdictione ordinaria ac etiam potestate, reservato dumtaxat, quod Archiepiscopus Tuamensis, qui esset pro tempore, posset de triennio in triennium, assumpto secum Abbate Monasterii de Curga ordinis sancti Augustini dicte diocesis, tantummodo Abbatissam eiusdem Monasterii de Castasilva visitare, et certam propterea procurationem recipere, et quod tu occasione huiusmodi exemptionis propter diversas tam canonicas, quam pecuniarias penas in huiusmodi exemptione appositas, ne quis, prout requirit officii sui debitum, Monasterium et membra visitare predicta, ex quo multa dissolutio est in dicto Monasterio subsecuta. Nos itaque exemptionem huiusmodi minime approbantes, presentium tibi auctoritate committimus, ut exemptione et penis predictis nequaquam obstantibus, possis predictum Monasterium de Castasilva, quociens expediens fuerit, visitare, quousque fuerit de dicta exemptione per sedem apostolicam, prout dicto Monasterio de Castasilva expedierit, ordinatum, proviso quod per visitationem huiusmodi dictum Monasterium de Castasilva ultra statuta canonica non gravetur. Nulli ergo etc. nostre commissionis infringere etc. Datum Avinione iv. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

CCCCXLI.

Mauritius renunciatur epus Dumblanensis. Reg. An. VI. Com. fol. 370.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Mauritio Electo Dumblanensi, salutem etc. Angit nos cura pastoralis officii summi nobis dispositione pastoris commissi, ut de salubri statu ecclesiarum omnium solicite cogitantes, eis precipue optate consolationis remedia ministremus, que sint pastorali cura et sol-

licitudine viduate, preficiendo ipsis secundum cor nostrum viros ydoneos in pastores, qui sciant et possint illis preesse pariter et prodesse. Dudum siquidem Dumblanensi ecclesia, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone mem. Nicolai Episcopi Dumblanensis solatio destituta pastoris, due fuerunt in ea electiones, una videlicet de te Precentore eiusdem ecclesie, in sacerdotium constituto, et alia de Magistro Rogero de Balnebrich, Rectore ecclesie de Ferrewict Sancti Andree diocesis, a dilectis filiis Capitulo eiusdem ecclesie in discordia celebrate: tuque electioni de te habite, dictusque Rogerus electioni sue infra tempus debitum prebentes assensum, pro confirmatione electionum huiusmodi obtinenda ad sedem apostolicam accessistis, et dictarum electionum negotio exposito coram nobis, tandem tu et dictus Magister Rogerius, cum fuisset aliquandiu inter te et ipsum occasione electionum ipsarum coram dilecto filio nostro Arnaldo sancte Marie in Porticu diacono Cardinali, cui ipsum electionis negotium audiendum commisimus, et nobis postmodum referendum, super hoc deputato a nobis auditore, diutius litigatum, omne ius, si quod tibi et ipsi ex electionibus huiusmodi quomodolibet competebat, sponte et libere in nostris manibus resignastis. Nos igitur huiusmodi resignatione recepta, volentes, prout tenemur, eandem ecclesiam a dispendiis, que occasione ulterioris vacationis ipsius posset forsan incurrere, preservare, ac talem illi preesse pontificem affectantes, quem laudabilia sua decorent merita, cuiusve non sit dubia caritas erga plebem sue sollicitudini commendandam, ad te litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, et aliis multiplicum virtutum titulis insignitum direximus aciem mentis nostre: quibus omnibus paterna meditatione pensatis, de persona tua, nobis et fratribus nostris accepta, eidem ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque tenentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam, et grex dominicus tuo commissus regimini per te verbo et opere salubriter informatus semper ad salutaria, divina opitulante clementia, dirigetur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus tuum iactans in domino cogitatum, et iuxta spem nostram et gratiam a domino tibi datam commissum tibi dictum gregem cure vigilantis officium officiose ac vigilanter exercens, in extirpandis viciis et plantandis virtutibus sollicitudine vigiles efficaci, oppositurum te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ita quod ecclesia ipsa gubernatori circumspecto, et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter benedictionis eterne premium benevolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Datum Avinione III. Nonas Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. Dilectis filiis ... Decano et Capitulo ecclesie Dumblanensis, et Clero et populo civitatis et diocesis Dumblanensis.

CCCCXLII.

Idem electus Malisio comiti de Stratheren ecclesiae Dumblanensis patrono commendatur. Ibidem fol. 270.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Malisio Comiti de Stratheren, salut. etc. Gratie divine premium et preconium humane laudis acquiritur, si per seculares Principes ecclesiarum Prelatis, presertim ecclesiarum Cathedralium regimini presidentibus, honor debitus impendatur. Dudum siquidem etc. ut supra usque dirigetur. Cum itaque, fili, sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro Regis eterni gratia venerari, Nobilitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus dictum Electum et eandem Dumblanensem ecclesiam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem Electus, tue magnitudinis fultus auxilio, in commisso sibi cure pastoralis officio possit, Deo propitio, prosperari, ac tibi exinde perennis vite premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

CCCCXLIII.

Eidem Mauritio impenso munere consecrationis licentia recedendi conceditur. Ibidem. fol. 270.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Mauritio Episcopo Dumblanensi, salutem etc. Pridem ecclesia Dumblanensi pastoris solatio destituta, Nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie prefecimus in Episcopum et pastorem, tibi curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Berengarium Episcopum Portuensem apud sedem Apostolicam tibi fecerimus munus consecrationis impendi: fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, sedis eiusdem beneplacitis te conformans, ad predictam Dumblanensem ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferre procures, sic te in administratione ipsius diligenter et sollicite habiturus, ut eadem ecclesia utilis administratoris industrie gaudeat se commissam, et tue fame laudabilis odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, tuque preter retributionis eterne premium, quod inde mereberis, benevolentie nostre gratiam et favorem exinde plenius consequaris. Datum Avinione x. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno sexto.

CCCCXLIV.

Executoribus, ut archiepiscopum Dubliensem ad solvendum mutuum ab ipso contractum censuris compellant. Reg. An. VI. Com. fol. 225.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati Monasterii de Burgo sancti Pietri Linçolmensis dio-

cesis, ac Magistris Iacobo Archidiacono Vintoniensis ac Iohanni de Abbatisbiri Canonico Saresbiriensis ecclesiarum, salutem etc. Petitio dilecti filii Magistri Roberti de Pincheleli Canonici Eboracensis nobis exhibita continebat, quod dudum ipse bone memorie Iohanni, tunc in Archipiscopum Dublinensem Electo, specialem habenti per litteras felicis recordationis Clementis pape V. prodecessoris nostri licentiam, tam pro necessariis suis quam pro ecclesie Dublinensis negotis apud sedem apostolicam expediendis utiliter, usque ad summam octigentarum marcharum sterlingorum mutuum contrahendi, ac se et dictam ecclesiam et successores suos Archiepiscopos Dublinenses, eorumque bona mobilia et immobilia presentia et futura usque ad dictam summam propterea creditoribus obligandi, et quod creditoribus ipsis, prout in eisdem continebatur litteris, dictam pecuniam in eiusdem ecclesie utilitatem conversam fore probandi necessitas non incumberet, sed sola ipsius Electi hoc fatentis confessio, in instrumentis conficiendis super huiusmodi mutuo quantitatis inserta sufficiens plena et efficax probatio irrefragabiliter haberetur, tria milia florenorum auri, ne idem Electus et ecclesia usurarum premerentur oneribus, sub certis obligationibus per instrumentum publicum libere mutuavit. Dictus predecessor insuper de ipsius Electi consensu per alias suas litteras vos et quemlibet vestrum executores dicto Magistro Roberto super huiusmodi mutuo deputavit. Sane idem Electus post assumptum sue consecrationis munus coram te, fili Magister Iohannes de Abbatisbiri, Canonico Saresbiriensi expresse suscipiens omnia et singula in eisdem apostolicis litteris contenta contra se et ecclesiam, ac successores et bona predicta, si in certis loco et terminis ab eo super hoc sponte receptis in dicti debiti solutione deficeret, dicta tria milia florenorum in utilitatem suam et dicte Dublinensis ecclesie fore conversa per instrumentum publicum recognovit: sed ipso nulla satisfactione prehabita huiusmodi dicti debiti rebus humanis exempto, Venerabilis frater noster Alexander Archiepiscopus Dublinensis proximus dicti Iohannis successor, coram te, dicte magister Iohannes, huiusmodi debitum trium milium florenorum, ac omnia alia et singula, que predictus predecessor suus, ut premittitur, recognoverat, recognoscens, se et ecclesiam, et successores ac bona prefata in quadraginta libris sterlingorum nomine expensarum, quas idem Magister Robertus pro dicto negotio incurrerat, per instrumentum publicum obligavit, suscipiens in se suspensionis et excommunicationis ac interdicti in ecclesiam prelibatam sententias, si tam in principalis debiti, quam in dictarum quadraginta librarum solutione in terminis super hoc ab ipso receptis deficeret quoquomodo. Cumque postmodum dictus Alexander Archiepiscopus nichil de huiusmodi debitis in terminis ipsis, nec post ipsos eidem Magistro Roberto vel alii pro ipso persolverit, sed impossibilitatem seu difficultatem solutionis debitorum ipsorum proponi faciens coram nobis, supplicari nobis fecit humiliter, ut providere sibi, super hoc presertim, quo ad sententias per te, dicte Magister Iohannes, latas et ab ipso, ut prefertur, recogitas et subscriptas, quas occasione non facte huiusmodi solutionis incurrerat, de benignitate apostolica dignaremur. Nos autem de hiis scire volentes certitudinem veritatis, executionem huiusmodi negotii tibi, prefate Magister Iohannes, auctoritate apostolica, ut premittitur, traditam, ne ex tunc ulterius contra dictum Archiepiscopum occasione premissa procederes, ad manus seu examen Auditoris Camere nostre vive vocis oraculo duximus revocandam, et per Venerabilem fratrem nostrum Berengarium Portuensem Episcopum fecimus eidem Auditori mandari, ut processus factos contra Archiepiscopum predictum ad instantiam dicti Magistri Roberti pro huiusmodi debito ad se revocaret, sic quod vigore dictarum litterarum apostolicarum ad ulteriora non procederes, nec procedere posses, quodque cum eodem Magistro Roberto inquireret diligenter, utrum prefata pecunia fuerit commissa in utilitatem ecclesie Dublinensis, an non, et nobis referret veritatem, quam super hoc inveniret. Idem vero Auditor de premissis omnibus iuxta dictum mandatum nostrum plenius informatus, et facta nobis per eum super premissis relatione plenaria et fideli, Nos pro bono et utilitate partium predictarum, ne litigiorum involverentur anfractibus, et gravarentur dispendio expensarum, eidem Episcopo Portuensi mandavimus, ut inter eos, qui pro dicto Archiepiscopo huiusmodi negotium prosequerentur in Curia, et eundem Magistrum Robertum per viam amicabilis concordie tractaret, et tractatum ipsum postmodum nobis referre curaret. Predictus vero Episcopus Portuensis retulit nobis, quod in presentia dilecti filii nostri Guillelmi tituli sancti Ciriaci in Termis presbiteri Cardinalis, et sua Magister Iohannes Lescapon procurator dicti Archiepiscopi et procuratorio nomine pro eodem, et prelibatus Magister Robertus pro se ipso comparuerant super negotio prelibato, et diversis hinc inde tractatibus habitis, pro bono pacis et concordie fuerit inter ipsos finaliter concordatum, ut idem Archiepiscopus ab excommunicationis et suspensionis sententiis absolveretur, ac in festo omnium Sanctorum proximo futuro sexcentos florenos auri, et in eodem festo anno revoluto alios sexcentos florenos, residuum vero dictorum debitorum infra duos annos tunc proximo secuturos, medietatem videlicet dicti residui pro (primo) anno, reliquam vero medietatem secundo anno in festo omnium Sanctorum annis singulis, dicto Magistro Roberto solvere teneatur: quod si forsan dictus Archiepiscopus in aliquo dictorum terminorum in supradicta solutione deficiet, ex tunc eo ipso recidat in omnes et singulas penas et sententias prelibatas, quodque vos et quibuslibet vestrum, prout alias super hoc auctoritate apostolica potuistis, prelibatas sententias aggravare et exequi libere valeatis. Nos itaque huiusmodi concordiam utrique parti supportabilem et accomodam extimantes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus Archiepiscopus contra premissam concordiam circa solutionem dictorum debitorum eidem Magistro Roberto

in dictis terminis et quolibet predictorum, ut premittitur, facienda defecerit, vos, vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios contra ipsum et ecclesiam ac successores eosdem et predictos processus tuos, prelibate magister Iohannes, atque sententias aggravare, ipsosque facere inviolabiliter observari, prout et quantum expedire videritis, et a dicto Magistro Roberto seu eius procuratore super hoc requisiti fueritis, appellatione postposita, procuretis, secundum auctoritatem et potestatem vobis super hoc traditam per privilegia prefati predecessoris nostri, que plene volumus in suo robore perdurare, Non obstante revocatione excommunicationis tue, sepefate Magister Iohannes, ad manus et examen dicti Auditoris Camere per nos, ut predicitur, facta, quam ex nunc vires habere volumus, seu ex ea ad ulteriora procedi, vel si eidem Archiepiscopo et ecclesie communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, vel medio tempore indulgeri contingeret, aut successoribus ipsis futuris temporibus indulgeri continget, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione VIII. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno sexto.

CCCCXLV.

Episcopis Wintoniensi et Dumblanensi, ut episcopos S. Andreae, Aberdonensem ac Moraviensem, qui conspirationi regis Scotiae contra Angliam favebant, ad curiam Romanam citent. Reg. An. VI. Secr. fol. 39.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Vintoniensi et ... Dumblanensi Episcopis, salutem etc. Dudum post nostre promotionis auspicia ad statum apostolice dignitatis assumpti, quantam ab olim inter carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Anglie illustrem, et Robertum de Brus, tunc Regnum Scocie gubernantem, dissentionis odiose materiam in nostri pectoris intimis revolventes, et animarum deflenda pericula, fidelium strages innumeras, multiplicia dispendia facultatum, et nocumenta gravissima, que multis Regnorum ipsorum ecclesiis et personis ecclesiasticis protractio huiusmodi dissensionis intulerat, ac dispendia, que paraverat obstacula negotio terre sancte et similia, que parare poterant in futurum, vias et modos, quibus circa premissa, deo propicio, possemus salubria adhibere remedia, cum multa diligencia duximus exquirendos, et tandem ad dilectos filios nostros Gaucelinum tituli sanctorum Marcellini et Petri presbiterum, et Lucam sancte Marie in Via lata diaconum Cardinales nostre considerationis oculos dirigentes, illos ad Anglie et Scotie regna, et Ibernie ac Vallie partes pro reformatione pacis huiusmodi, plena ipsis super hoc potestate concessa, duximus [ordinandos] destinandos, eis nichilominus prefatum Robertum, si eiusdem pacis reformationi nollet forsitan assentire, vel nostris in hac parte monitis (obtemperare) non curaret, ad id per censuram ecclesiasticam et alias penas prout suaderet iusticia compellendi, necnon et absolvendi omnes vassallos et subditos eius a iuramento fidelitatis, quo tenerentur eidem, ac dominio et subiectione illius etiam eximendi, omnes quoque colligationes, conspirationes, confederationes, pactiones, et conventiones factas inter dictum Robertum et quosdam alios, aut inter se ipsos forsitan super adiutorio, aut subsidio vel favore dicto Roberto circa invasionem vel impugnationem Regni Anglie, aut Ibernie seu Vallie, aut quarumvis aliarum terrarum vel insularum dicti Regis quomodolibet impendendo, seu quovis alio, per quod dicte pacis negotium impediri vel differri posset, etiam si colligationes, conspirationes, confederationes, pactiones et conventiones ipse iuramentis essent aut promissionibus, penarum adiectionibus, obligationibus seu stipulationibus quibuscumque vallate, ipsaque iuramenta sub quibuscumque modo, forma vel expressione verborum prestita relaxandi, et eos ab ipsorum observancia, necnon fautores eiusdem Roberti et adherentes eidem, ut ab ipsius favore et sequela penitus resilirent et omnino recederent, per excommunicationis in personas et in terras eorum interdicti sentencias, ac publicationem et aggravationem ipsarum per se vel alios compellendi, et insuper contra dictum Robertum et quosvis alios, quos reperirent excommunicationis huiusmodi substinere sentenciam animis induratis, prout suaderet iusticia, procedendi per nostras diversas litteras contulimus potestatem. Et ut ad reformationem pacis huiusmodi via facilior prestaretur, inter eosdem Regem et Robertum treguas pro certi temporis spacium duraturas duximus indicendas, volentes illas a die notificationis, seu publicationis earum per dictos Cardinales, vel alium seu alios faciende suum obtinere vigorem, ex tunc in personas non servantium, vel infringentium illas excommunicationis sentenciam proferentes, quas per eos vel alium seu alios Regi ac Roberto predictis et aliis, de quibus eis videretur expediens, mandavimus publicari. Cumque dicti Cardinales, sicut apostolatui nostro eorum litteris intimarunt, ad premissorum volentes executionem mature procedere, quia de facili ad dictum Regnum Scocie tunc eis securus non patebat accessus, dicto Roberto suas litteras ipsorum causam nunciantes adventus per cursores proprios destinassent, idem Robertus, seu gentes eius nuncios ipsos nequaquam intrare Regnum Scocie permiserunt: propter quod iidem Cardinales Venerabilem fratrem nostrum P. Episcopum Corbaniensem, et dilectum filium Aimericum Gerardi Archidiaconum Eliensem, Capellanum nostrum, nuncios et familiares eorum ad dictum Robertum, cum ipso super hiis, que apostolice dictis Cardinalibus directe littere continebant, habituros tractatum, ac ordinaturos inter cetera cum eodem de tempore et loco ipsis tuto, quibus super commissis eis possent cum ipso habere tractatum et colloquium, destinarunt: dictique nuncii non sine periculis et difficultate multiplici, prius ab eodem Roberto litteris habitis de conductu, ad Castrum de Reckesbour in ingressu Scotie constitutum finaliter applicarunt, et cum eis gentes dicti Roberti presenciam eius nequaquam adire permitterent, et propter hoc ab eodem Roberto,

ut ad eum possent accedere, per suas litteras postulassent, Iacobus Danglars et Alexander, milites ac familiares eiusdem Roberti, cum quibusdam aliis ad eosdem nuncios accedentes, ab eis litteras, si quas ostendendas dicto Roberto portabant, exhiberi sibi deferendas per eos ad dictum Regem Robertum, cum instancia postularunt, comminantes eis, quod aliter eos Regnum nequaquam intrare permitterent antedictum: quibus iidem nuncii apost. litteras eidem Roberto, per quas ad pacem caritativis hortabamur eundem affatibus, tradiderunt, per eos assignandas Roberto prefato. Deinde ab ipso Roberto quodam clerico ad conducendum dictos nuncios destinato, dictisque nunciis accedentibus ad eundem Robertum, et causam missionis et adventus eorum sibi verbotenus explicantibus, et rogantibus eum instanter, quod apostolicas aliasque dictorum Cardinalium clausas litteras directas eidem exhortationes huiusmodi continentes, quas ei presencialiter assignarunt, aperiret et inspiceret diligenter, et ad contenta in eis tamquam obedientie filius responderet: idem Robertus litteras ipsas prefatis nunciis non absque indignatione restituens, illas legere, quibusdam confictis excusationibus recusavit, et nichilominus se aliquibus tractatibus pacis vel treugarum intendere non verens dampnabiliter affirmare, Cardinales et nuncios ipsos ad huiusmodi tractatum admittere denegavit, eisdem nunciis ac propositis per eos denegando dare responsum, quamvis dixisset eisdem, quod super premissis, deliberatione cum suis consiliariis habita pleniori, infra festum beati Michaelis tunc proximo secuturum eis per suas litteras plenius responderet: et dictus Robertus dampnabiliter in continuata inobediencia perseverans, longe post dictum terminum per suas litteras nunciis respondit eisdem, quod in responsione, quam Comites et Barones sui eisdem nunciis per litteras ipsorum fecerant speciales, inter alia continentes, quod nisi dictus Robertus nominaretur Rex Scotie, tractatum aliquem super premissis cum dictis Cardinalibus vel nunciis non haberet, eum persistere oportebat. Et quia ex his colligi poterat manifeste, quod dictus Robertus nequaquam apostolicis ac ipsorum Cardinalium nunciis et hortationibus in hac parte acquiescere, datus in sensum reprobum, intendebat, Cardinales ipsi ad tractatum pacis huiusmodi prosequendum facultas liberior prestaretur (sic), ac volentes futuris periculis obviare, treugas predictas iuxta formam in litteris apostolicis super treugis eisdem confectis annotatam in Civitate Londiniensi, ubi tunc morabantur, presencialiter publicarunt, et in nonnullis aliis Anglie et Scotie Regnorum predictorum locis insignibus et confinibus eorumdem mandarunt, ac fecerunt per alios publicari. Et deinde volentes treguas easdem et indictionem, ac pulicationem ipsarum ad ipsius Roberti et sequacium, fautorum et complicum suorum, et aliarum personarum dicti Regni Scotie pervenire, dilectum filium Adam, Guardianum fratrum Minorum de Worwico, nuntium ipsorum cum eisdem apostolicis indictionem dictarum treugarum continentibus, et diversis aliis litteris et processibus ad dictum Robertum et Regnum Scotie destinarunt: qui demum versus partes illas accedens, et obtentis ab eodem Roberto, ut ad ipsum proficisci posset, litteris de conducto, cum dictum Regnum Scotie intrasset, quidam nomine Alexander, se ipsius Roberti asserens Senescallum, prefato Guardiano occurrens in via, dictas tam apostolicas quam ipsorum Cardinalium litteras et processus de manibus dicti Guardiani pro viribus contradicentis eripuit violenter, dicens se illas dicto Roberto, qui abinde distabat modice, delaturum: dictusque Alexander vadens ad dictum Robertum, ut dicebat, et post aliquantulum intervallum rediens, litteras et processus eosdem eidem Guardiano restituit, ei sub pena capitis districte precipiens, quod statim Scotie terram et Regnum exiret, eidem litteris de securo conductu, quas petebat pro reditu, denegatis. Sed idem Guardianus mandatum huiusmodi Cardinalium predictorum nequaquam propter hoc negligens, sicut poterat, adimplere, treguas ipsas et indictionem earum in vulgari Scotorum sonora voce, pluribus ibidem Scotis astantibus, publicavit. Et subsequenter de loco ipso recedens, et iter suum prosequens festinanter, cum ab eodem Alexandro elongatus aliquantulum extitisset, quidam dicti Roberti satellites ipsum aggredientes in via, eum litteris et processibus antedictis, habituque suo, ac vestibus et rebus aliis, quas portabat, inhumaniter spoliarunt. Et insuper dictus Robertus tantam inobedientiam et contemptum satagens sub recte intentionis velamine palliare, et fraudulenter consurgens ad pacis aspirare tractatum, eidem Regi Anglie litteras destinavit, et per alias littaras dictis Cardinalibus scripsit, quod ab eodem Rege litteris obtentis de securo conductu, ad Cardinales ipsos sex vel plures mitteret tractatores: ad quod iidem Cardinales per eorum litteras respondentes eidem, illas cuidam nuntio, qui eiusdem Roberti ad ipsos detulerat litteras, ad eum deferendas specialiter tradiderunt, quem usque ad ingressum Scotie cum eisdem litteris accedentem gentes dicti Roberti dictas portare litteras ad eundem Robertum minime permiserunt, propter quod idem nuncius eas eisdem Cardinalibus clausas et integras reportavit. Deinde vero dictus Robertus peiora prioribus in sue dampnationis cumulum coacervans, per se vel Comites ac Barones, et nobiles et alios de prefato Regno Scotie, indictionis et publicationis treugarum huiusmodi non ignaros, monitis, exhortationibus, ac penis et sententiis apostolicis non sine nota rebellionis detestabilis vilipensis, et apostolice sedis reverentia dampnabili presumptione calcata, Villam et Castrum de Berwico, que dictus Rex Anglie, et clare memorie Edwardus Rex Anglie, genitor eius, dum viveret, quiete possederant, et ante tempus, et etiam tempore indictionis treugarum ipsarum idem Rex possidebat, ac postea per se et suos in pace possederat, nec non et quedam alia Castra, terras et loca dicti Regis et ipsius Regni Anglie incolarum consistentia infra illud nequiter et fraudulenter invadens, crudelem in gentem magnam Regni ipsius dicteque

Ville de Berwico incolas cedem inhumana crudelitate commisit, ad aliarum eiusdem Regni occupationem terrarum se processurum, elatus in superbiam, comminando: propter que dictus Robertus, et alii in occupatione predicta adherentes eidem contra predictarum indictionem treugarum, excommunicationis sentenciam in tales litterarum nostrarum auctoritate prolatam incurrisse noscuntur. Nosque, premissis ad noticiam nostram deductis, ipsius Roberti tam enormem contemptum, tamque graves et detestandos excessus non valentes conniventibus oculis pertransire, dictis Cardinalibus per alias dedimus litteras in mandatis, ut per se vel alium, seu alios dictum Robertum et adherentes eidem prefatam excommunicationis sentenciam incurrisse in ecclesiis et locis insignibus, de quibus eis videretur expediens, prout esset iustum et equum, nunciarent solenniter ac publice singulis diebus dominicis et festivis, contra eos [et] ad alias spirituales et temporales penas, prout eis visum foret, iuxta predictorum qualitatem excessuum processuri.

Quod si forsan [eorumdem] eos in sua nequicia perdurare contingeret, ipsi iuxta exigentiam [littere] contumacie et excessuum eorumdem suos curarent in eos exagerare processus, necnon et ipsos et quosvis alios dicte pacis et concordie turbatores seu impeditores, sive incole dictorum regnorum, sive quicumque alii et undecumque forent, et omnes et singulos complices, adiutores, valitores, consiliarios, fautores et sequaces eorum, ac in hiis adherentes eisdem publice vel occulte, etiam si persone ecclesiastice forent, cuiuscumque conditionis, dignitatis, ordinis, sive status ecclesiastici vel mundani, etiam si Archiepiscopali vel Episcopali dignitate fulgerent, ut ab huiusmodi turbatione seu impedimento, favore, consilio, auxilio, sequela et adherencia predictorum omnino desisterent, per excommunicationis in personas et interdicti in terras et in ecclesias eorum sentencias, ac privationem feudorum, officiorum, locationum, et quorumcumque beneficiorum spiritualium, citra tamen Archiepiscopalem et Episcopalem dignitatem, et temporalium etiam que a quibuscumque obtinerent ecclesiis, ut illa sic libere ad easdem reverterentur ecclesias, quod Prelati et Rectores earum, aut alii, ad quos pertineret, pro sua disponerent voluntate, necnon et per inhabilitationem tam ipsarum ecclesiasticarum personarum, Archiepis et Episcopis dumtaxat exceptis, quam filiorum, nepotum et aliorum, ab ipsis turbatoribus et impeditoribus laicis usque ad secundum gradum descendentium, ad quevis ecclesiastica beneficia obtinenda, et alia etiam iuris remedia, de quibus et prout viderent expediens, appellatione postposita, debite compescendi, omnes quoque et singulos, qui dictis turbatoribus seu impeditoribus laicis, vel ipsorum alicui iuramento fidelitatis tenerentur astricti, quamdiu ipsi pacis huiusmodi impeditores seu turbatores existerent, absolvendi, et alia omnia faciendi, que circa premissa et predictorum quodlibet existerent opportuna, plenam contulimus per alias nostras litteras potestatem. Et quamvis post receptionem huiusmodi litterarum nostrarum prefatus Robertus, ut ad cor rediens a sua malignitate cessaret, a dictis Cardinalibus expectatus fuisset, quia tamen ipse ad instar lapidis obduratus, ac de nostra et dicte sedis benignitate sibi clementer exhibita spiritum elationis assumens, quedam castra ipsius Regis una cum sequacibus, complicibus, adiutoribus, valitoribus et fautoribus suis obsidere presumebat, et alia quorumdam incolarum ipsius regni Anglie castra, terras et iura invadere nitebatur: dicti Cardinales considerantes attencius, quod idem Robertus ex premissis, de quibus eis per sufficientia documenta constabat, queque alias erant adeo publica et notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari, se nobis et ecclesie Romane inobedientem notorie et manifeste rebellem, ac nostrorum et eiusdem ecclesie mandatorum contemptorem publicum reddiderat et reddebat, quodque pacis eiusdem tractatus ex hiis fuerat impeditus, et tunc etiam impediebatur, et quod impediretur imposterum, erat verisimiliter presumendum, et propterea tam enormes excessus, tanteque presumptionis contemptum, et iniurias tam graves dissimulare salva consciencia nequeuntes, pronunciarunt et declararunt dictum Robertum eiusdem ecclesie inobedientem notorie et rebellem, ac suis et apostolice sedis ac nostris iussionibus renitentem, decernentes contra eum sicut contra rebellem et inobedientem nostrum et eiusdem ecclesie manifestum, ac nostris et ipsius ecclesie mandatis refragrantem notabiliter procedendum, et eum nichilominus dictosque sequaces, adiutores, valitores, complices et fautores, et etiam adherentes denunciarunt predictam excommunicationis sentenciam, contra violantes seu non servantes treugas easdem, ut premittitur, promulgatam, tanquam violatores treugarum ipsarum, et alias penas et sentencias per nos latas in dictis litteris incurrisse, ipsosque prefati Cardinales excommunicatos, pulsatis campanis et candelis accensis, publice nunciarunt, et fecerunt in diversis cathedralibus et aliis ecclesiis solenniter nunciari, eisdem predicentes aperte, quod si eos in huiusmodi pertinacia persistere forsan contingeret, ad alias spirituales et temporales penas procederent, sicut viderent expediens, contra ipsos. Et deinde quia prefatus Robertus, contemptis mandatis et sentenciis antedictis, in sue temeritatis pertinacia persistebat, ipsi dictorum Roberti et regni Scotie terras, quas dictus Robertus tunc temporis gubernabat, nec non et alias complicum, adiutorum, valitorum et fautorum, consiliariorum, sequacium et adherentium predictorum, etiam si ecclesiastice persone forent, cuiuscumque gradus, ordinis, dignitatis, auctoritatis seu gradus, etiam si Legacionis, Primacie, Archiepiscopali vel Episcopali dignitate fulgerent, ecclesias quoque et Monasteria, et alia loca ipsorum et familiarium eiusdem Roberti, et aliorum predictorum loca ecclesiastico supposuerunt per eorum sentencias interdicto. Ac demum ad auditum nostrum deducto, quod Prelati et persone ecclesiastice illarum partium illius professionis obliti, qua pro domo domini se murum

defensionis opponere tenentur ascendentibus ex adverso, tergum nobis et ecclesie memorate vertentes, direxerunt faciem in dissimilitudinis regionem, dum clavibus apostolice potestatis omnino despectis, interdictum huiusmodi non absque nostra et eiusdem ecclesie contumelia, et fidelium grandi scandalo temere violarunt. Nos super hoc certificari volentes, dilecto filio nostro Bertrando tituli sancti Marcelli presbitero Cardinali vive vocis oraculo duximus committendum, ut de hoc apud sedem apostolicam se informans, quid in hac parte reperiret, nobis fideliter referre curaret. Cumque post indagationem predicti Cardinalis super hoc habitam, et per relationem ipsius fideliter nobis factam, fuissemus certius informati, quod Prelati et persone ecclesiastice Regni Scotie interdictum huiusmodi non servabant: Nos intendentes, ut tante presumptionis ausum et contemptum, si consonarent facta relatibus, sic pena debita coherceret, quod in aliis similis temeritatis audaciam, exagerata in eis censura, compesceret, et ausus huiusmodi qualitati conformis castigatio redderetur, Willelmum S. Andree, et quosdam alios dicti Regni Scotie Episcopos, quorum facta in eodem Regno trahebantur, sicut et adhuc trahuntur, faciliter ab aliis in exemplum, et qui principaliores fautores eiusdem Roberti in premissis existere dicebantur, cum etiam intenderemus cum eis super reformatione status ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum Regni Scotie, qui dicebatur multipliciter deformatus, specialem habere tractatum, ut ab eis informatione recepta, commodius et facilius possemus eisdem ecclesiis et personis circa reformationem status huiusmodi de opportuno et utili remedio subvenire, per publice citationis edictum, astante multitudine copiosa fidelium, xiiii. Kalend. Decembris tunc proxime preteriti, cum eis, sicut poterat colligi probabiliter ex premissis, non possent tute citationis nostre littere presentari, iuxta morem ecclesie predicte citavimus, et usque ad Kalendas Maii tunc proxime preteritas, dictas Kalendas Decembris tunc proxime secuturas, quas eis pro peremptorio termino duximus assignandas, personaliter se apostolico conspectui presentarent, super premissis mandatis nostris et beneplacitis parituri, ac facturi et recepturi, quod iusticia suaderet, nobiscum etiam de status reformatione predicti, sicut foret expediens, utiliter et sollicite tractaturi. Et ne dicti Episcopi, satagentes huiusmodi nostram citationem eludere, quomodolibet causarentur iter eis ad Romanam Curiam, vel ipsam etiam maxime propter eiusdem Regis potenciam non fore securam, Nos elusionem huiusmodi oportuno excludere remedio intendentes, generaliter universos ecclesiarum Prelatos, denique Regem Anglie et alios Principes seculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones et Nobiles alios, et quarumcumque Communitatum Rectores et Officiales, ipsasque Communitates, et alios universos et singulos per alias nostras litteras, quas eis mandavimus destinari, rogandos duximus attencius et hortandos, ut eisdem Episcopis de securo conductu, cum eos per regna, terras et loca ipsorum transire contingeret, et illum ab eis ducerent postulandum, in eundo, morando et redeundo pro nostra et dicte sedis reverentia liberaliter providerent, eisdem Episcopis, cum applicarent ad Curiam antedictam, plenam securitatem pro eo tempore, quo ipsos in ea morari contingeret, offerentes. Et ut predicte citationis edictum ad communem omnium noticiam deveniret, cartas seu membranas vera nostra bulla bullatas, processum citationis huiusmodi continentes, in ecclesie Avinionensis appendi vel affigi hostiis fecimus, que citationem ipsam suo quasi sonoro preconio et patulo iudicio publicarent, ut iidem Episcopi non possent excusationem pretendere, quin ad eos citatio non pervenisset huiusmodi, vel quod ignorarent eandem, cum non esset verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter extiterat omnibus publicatum. Et licet huiusmodi nostre citationis edictum ad eiusdem Episcopi pervenisse noticiam dubium non existat, ipse tamen tantis excessibus contumacie contemptum addens, in eodem comparere termino coram nobis et postmodum expectatus diucius non curavit: propter quod prenominatum Episcopum S. Andree de fratrum nostrorum consilio, reputandum et pronunciandum duximus, exigente iusticia, contumacem, et contra ipsum fore tamquam contra contumacem merito procedendum: ideoque cum eisdem fratribus deliberatione prehabita, in eundem Episcopum Sancti Andree excommunicationis sentenciam propter huiusmodi suam contumaciam manifestam, exigente iusticia, duximus proferendam. Verum Episcopus memoratus nedum quod ex hoc correctionis medellam perceperit, sed potius tanquam ad malum dampnabiliter obstinatus, in solite contumacie duricia perseverans, diu dictam excommunicationis sentenciam sustinuit, sicut adhuc sustinet, animo indurato. Et ut contra se gravius dei odia provocaret, eadem excommunicationis ligatus sentencia, divina, ut audivimus, celebravit, immo verius prophanavit, sicut adhuc in gravem divine maiestatis offensam, apostolice sedis contemptum, proprie salutis dispendium, et grande multorum scandalum prophanare presumit officia, seque illis immiscere nephandis ausibus, sicut prius, propter quod idem Episcopus irregularitatis maculam dinoscitur contraxisse. Nos igitur nolentes, quod prefatus Episcopus de tanta inobediencia gloriam valeat reportare, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos, vel per alium seu alios eundem Episcopum in maiori et aliis sue civitatis et diocesis et Regni Scotie, et aliis ecclesiis et locis, de quibus videritis expedire, pulsatis campanis et candelis accensis, ipsius expresso nomine, excommunicatum publice ac solenniter nuncietis, et ab omnibus velut talem faciatis per censuram ecclesiasticam artius evitari: et nichilominus super eo, quod divina officia dicitur memorata ligatus sentencia celebrasse, vel immiscuisse se illis, simpliciter et de plano, summarie, sine strepitu et figura iudicii vos plenius informetis, eundem Episcopum nichilominus ex parte nostra ci-

tantes, ut infra quatuor mensium spacium a die citationis huiusmodi, vel publicationis ipsius computandorum, quos ei pro peremptorio termino assignamus, sub excommunicationis ac suspensionis, et interdictionis ab administratione spiritualium et temporalium ipsius ecclesie Sancti Andree penis, quas eum incurrere volumus ipso facto, si huiusmodi citationi parere forte contempserit, personaliter se conspectui representet pro meritis recepturus, et alias super contumacia et contemptu, et aliis premissis pariturus nostris beneplacitis et mandatis, ac facturus et recepturus, quod iusticia suadebit. Quod si forsan Episcopi memorati non possetis adhire presentiam, vel dictum Regnum intrare pro citatione huiusmodi facienda, vos citationem ipsam in aliquo loco vel locis de dicto Regno Scotie vicinis, de quo vel quibus sit verisimile, quod eadem citatio ad ipsius Episcopi possit noticiam pervenire, super quo stari volumus verbo vestro, studeatis solenniter publicare. Diem autem huiusmodi citationis seu publicationis, ac formam, et quicquid super aliis premissis duxeritis faciendum, nobis per vestras patentes litteras, vel instrumentum publicum harum seriem continens studeatis fideliter quantocius intimare. Ceterum, ne memoratus Epus, satagens forte causari ad Romanam Curiam iter vel ipsam Curiam sibi non fore securam, huiusmodi nostre citationi fortassis illuderet: Nos intendentes illusionem huiusmodi remediis excludere oportunis, ecclesiarum Prelatos ac Reges et Principes universos, necnon Marchiones, Comites, Barones, et Nobiles alios, et quarumcumque Communitatum Rectores et Officiales, ipsasque Communitates et alios universos et singulos per litteras nostras, quas ei, si fieri poterit, per vos mitti volumus et mandamus, alioquin in locis predictis publicari, et super hoc nobis scribi fideliter, attencius rogandos duximus et hortandos, ut eidem Episcopo S. Andree de securo conductu, cum illum per regna, terras et loca ipsa transire contigerit, et huiusmodi conductum ab eis duxerit postulandum, in eundo, morando et redeundo pro nostra et dicte sedis reverencia studeant providere: Nos enim eidem Episcopo, cum applicuerit ad Curiam antedictam, plenam securitatem offerimus pro eo tempore, quo ipsum morari contigerit in eadem. Datum Avinione x. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. scribatur contra Guillelmum Dunkeldensem Episcopum, Henricum Aberdonensem Epum et David Moraviensem Epum, mutatis mutandis.

CCCCXLVI.

Iudicibus, ut archiepiscopum Armachanum ob nefaria eius acta ad curia Romanam citent, ac dioecesim Armaachanam interim administrent. Reg. An. VI. Com. fol. 196.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus .... Midensi et ... Dunensi et ... Cluanensi Episcopis, salutem etc. Dum in circuitu oculos nostros attollimus, et gregem dominicum sollicitudini nostre, domino disponente, commissum undique mentis acie contemplamur, ad hoc nostra vigil fertur intentio, ad hoc ex debito pastoralis officii sollicite invitamur, ut cultores dominice vinee sic cultui salutis intendant, ut virtuosi palmites, spinis et tribulis exclusis, ex ea latius extendantur. Licet igitur grave feramus, et merito, cum aliqua sinistra nobis de quibusvis personis ecclesiasticis referuntur, de illis tamen turbamur acerbius, qui in domo domini in sublimi positi culmine dignitatis, dum velut lucerna ardens et lucens super candelabrum positi corruscare deberent sanctitate vite, verbo, doctrina et sanctarum operationum exemplo, per eorum actus detestabiles prebent delinquendi subditis incitamentum. Sane ex parte dilectorum filiorum Capituli ecclesie Armacane, et Oddonis Abbatis Monasterii sanctorum Petri et Pauli Armacani ordinis santi Augustini ad audientiam apostolatus nostri pervenit, quod Venerabilis frater noster Rolandus Archiepiscopus Armacanus, ex eo quod commune servicium ab eo debitum apostolice Camere, necnon fratrum nostrorum Cardinalium sancte Romane ecclesie in statuto sibi ad hoc termino solvere non curavit, sicut promiserat per proprium iuramentum, excommunicationis sententiam propter hoc in eum per Camerarium sedis apostolice promulgatam et periurii reatum incurrit, ac nichilominus predictam sententis per quinquennium et amplius animo sustinens indurato, quamvis in illis partibus auctoritate litterarum sedis eiusdem excommunicatus publice fuerit nunciatus, scienter tamen, et in contemptum clavium Pontificale officium exercere presumpsit, Gelasum Electum Clochorensem suffraganeum eiusdem ecclesie in Episcopum confirmando et etiam consecrando. Idem etiam Archiepiscopus iussionibus dilectorum filiorum nostrorum Gaucelini tituli sanctorum Marcellini et Petri presbiteri, et Luce sancte Marie in Vialata diaconi Cardinalium, sedis eiusdem in illis partibus nunciorum, sibi factis sub excommunicationis, suspensionis et interdicti penis, quas ipso facto incurreret, nisi mandatum huiusmodi efficaciter adimpleret, ut processus habitos per eosdem autoritate apostolica contra Robertum de Brus, qui se gerit pro Rege Scocie, deberet in sua civitate et provincia publicare, contumaciter renuit obedire, dictas penas dampnabiliter incurrendo. In illam etiam prorumpisse dicitur temeritatis audaciam, ut quendam Nobilem, qui Columba vulgariter nuncupatur, de provincia Armacana, qui pro eo quod publice favebat et adherebat dicto Roberto de Brus et suis complicibus, excommunicationis sententiam per dictos Cardinales in eundem Robertum et fautores ipsius sibique adherentes publice promulgatam incurrerat, de facto absolvere propria temeritate presumpsit in sue et prefati Nobilis animarum perniciem, contemptum clavium et ecclesie, et magnum scandalum plurimorum. Et licet dilectus filius Raymundus Iuvenis, Scolasticus ecclesie Petragoricensis, causarum Camere nostre generalis auditor fructus, reditus et proventus ad mensam Archiepiscopalem Armacanam spectantes, pro extenuatione quorundam debitorum per dictum Archiepiscopum in Romana Curia contractorum certis creditoribus

solvendorum, per Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Dublinensem mandaverit et fecerit sequestrari: idem tamen Rolandus in reprobum sensum datus, sequestrum huiusmodi temere violavit, redditus et proventus eosdem in parte accipiendo, et in usus proprios convertendo. Insuper cum Robertus de Cotegrune, perpetuus vicarius ecclesie de Termunfechin Armacane diocesis, quam dilecti filii ... Prior et Conventus sancte Marie de Lunech, per Priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini eiusdem diocesis in usus proprios obtinere noscuntur, petiisset coram dicto Rolando Archiepiscopo ab eisdem Priore et Convento augeri sibi veterem portionem, ac pro parte dictorum Prioris et Conventus fuisset ex iustis et legitimis causis ab eodem Archiepiscopo ad sedem appellatum eandem: ipse Archiepiscopus appellationi non deferens, prefata Vicario de facto contulit ecclesiam supradictam, dictumque Priorem incarcerari facit per brachium seculare, et idem fecisset de Canonicis eiusdem Monasterii, nisi per fuge remedium evasissent, ac nichilominus post et contra appellationem predictam fecit dictum Monasterium bonis quibusdam mobilibus spoliari. Dicitur etiam quendam presbiterum nomine Alanum, quamvis tonsuram et vestes clericales deferret, non absque magna effusione sanguinis verberasse, seu verberari fecisse: et licet tam propter hoc, quam propter premissa esset idem Rolandus Archiepiscopus ex causis variis diversis excommunicationum sententiis innodatus, ipse tamen sic ligatus semper divina celebravit officia sicut prius. Asseritur etiam Nicolaum de Drumeskin clericum, et in clericali habitu incedentem vulnerasse, seu vulnerari fecisse. Preter hec dilapidationis crimine dicitur irretitus: nam quandam ymaginem factam in honorem beati Michaelis argenteam et etiam deauratam, et vas aque benedicte cum aspersorio, navem quoque incensi, turibulum, et multos calices de puro argento de Thesauro ecclesie Armachane abstulit, et cuidam Mercatori alienare seu impignorare presumpsit, Capitulo ipsius ecclesie super hoc minime [minime] requisito. Vestimenta etiam seu paramenta pontificalia cum omnibus ad Capellam Archiepiscopalem spectantibus de Thesauro eiusdem ecclesie asportavit, et in remotis partibus pro quadam magna summa pecunie dicitur obligasse, ita quod non est spes, quod illa reduci possint ad ecclesiam Armacanam. Ligna quoque tectorum seu cooperimentorum, que meremia in illis partibus communiter nuncupatur, de edificiis cuiusdam Manerii eiusdem ecclesie, vocati Ruschath, una cum tecto Capellle dicti Manerii dicitur amoveri et auferri fecisse, et cuidam Militi vendidisse. Et hoc idem fecit, ut dicitur, de tecto cuiusdam domus in Manerio de Termunfechin ipsius ecclesie, quod tectum similiter amoveri fecisse dicitur, et quidam Armigero vendidisse, ex quibus dictum Manerium de Ruschath dicitur omnino destructum, et aliud de Termunfechin plurimum dampnificatum extitit, et existit in grave eiusdem ecclesie detrimentum. Dicitur etiam quod propter ipsius culpam, dolum, negligentiam et defectum Manerium de Inisquin, spectans ad ecclesiam memoratam, cum villa de Inisquin eiusdem ecclesie est destructum totaliter et deletum, in eo dumtaxat domo unica remanente. Propter eiusdem etiam negligentiam atque culpam certera alia maneria eiusdem ecclesie minantur ruinam. Omnes insuper redditus et proventus totius Archiepiscopatus Armacani ex spiritualibus et temporalibus provenientes obligasse dicitur, et etiam concessisse usque ad viginti annos procuratoribus Magistri Andree Sapiti de Florentia, procuratorio nomine pro eodem, pro quatuor milibus marcharum sterlingorum seu circa, et pro centum marchis sterlingorum solvendis singulis annis procuratoribus memoratis pro sumptibus eorumdem, nichil penitus dicto Archiepiscopo reservato preter duos solidos sterlingorum, quos dicti procuratores eis solvere pro sustentatione sua diebus singulis promiserunt: qui quidem procuratores omnes fructus Archiepiscopatus predicti tunc recipiunt, et cum quibusdam aliis procuratoribus dicti Andree pro magna parte iam per octo annos receperunt, predicto servicio Camere apostolice et dictorum Cardinalium non soluto. Preter hec, possessiones eiusdem ecclesie Armacane, quas predecessores eiusdem Archiepiscopi immediate tenuerunt pacifice et quiete, pro magna parte per laicos occupari et occupate detineri dicuntur; ita quod propter occupationes huiusmodi factas seu presumptas, ob defectum et negligentiam Archiepiscopi memorati, dicta ecclesia paupertatis et destructionis incomodis noscitur subiacere. Multe insuper ville circa Civitatem Armacanam in dominio eiusdem ecclesie situate, cum multis aliis villis eiusdem ecclesie in Armacana diocesi et provincia constitutis, ob defectum et negligentiam eiusdem Archiepiscopi destructe fore dicuntur. Ob ipsius quoque Archiepiscopi negligentiam et defectum eadem ecclesia Armacana, in qua solum divinis officiis et orationibus esset a fidelibus intendendum, ad tantam indevotionem et contemptum populi dicitur devenisse, quod cives Civitatis eiusdem et coloni deponunt victualia in eadem et vasa, et id idem faciunt in aliis ecclesiis Civitatis eiusdem et diocesis; ita quod dictam ecclesiam cultui dumtaxat deputatam divino in horreum converterunt. Preterea tam Metropolitana quam alie ecclesie Civitatis et diocesis Armacane sunt sanguinis effusione pollute. In eisdem etiam sacrilegia sunt commissa, bona ecclesiastica, videlicet animalia, blada, panni, vasa et alia mobilia cuiuscumque generis tam religiosorum, quam aliorum in Civitate et diocesi supradictis per predones et raptores laicos asportantur ob negligentiam et defectum eiusdem Archiepiscopi, qui spiritualem et temporalem iurisdictionem in dicta Civitate noscitur obtinere. Nonnulli quoque laici Armacane diocesis cum consanguineis affinibus et commatribus suis reatum adulterii et incestus perpetrare dicuntur, ob culpam, defectum et negligentiam Archiepiscopi memorati, cum verbum non habeat arguendi et increpandi taliter delinquentes, utpote lingue Ibernice noticiam nullam habens. Incontinentie quoque vitio dicitur labo-

rare: nam de quadam muliere nomine Christiana, et de quadam alia in villa de Drumeskin Armacane diocesis, cum quibus crimen fornicationis dicitur commisisse, duos pueros asseritur procreasse. Asseritur etiam reatum periurii commisisse: nam inspectis sacrosanctis evangeliis, tenens manum ad pectus, dicitur iurisiurandi religione firmasse, quod ardua Armacane ecclesie negotia sine consilio ... Decani et Capituli eiusdem ecclesie non tractaret, ac nichilominus in predictis alienationibus, et aliis arduis negotiis contra sacros canones et eiusdem ecclesie consuetudines, et proprium iuramentum consilium dictorum Decani et Capituli minime requisivit, reatum ex hoc periurii incurrendo. Rursus prefatus Archiepiscopus pro pecunia, quam recipit in infrascriptis diocesibus in sua provincia constitutis, iam per quatuor annos vel circa visitationis officium non impendit, et pro eo, quod non visitavit eosdem, recepit de diocesi Darensi triginta marchas sterlingorum vel circa, de Drumorensi quindecim marchas seu circa. Et adeo dicitur relaxasse illicite voluntate (sic) habenas, quod cum terra cuiusdam Nobilis pro eo, quod idem Nobilis, remota uxore legitima, cuidam adultere adherebat, fuisse supposita, exigente iustitia, ecclesiastico interdicto, idem Archiepiscopus pro quadraginta solidis sterlingorum vel circa, quos exinde recepit, interdictum huiusmodi relaxavit, et permisit et adhuc permittit dictum Nobilem eidem adultere adherere in sue fame dispendium, exempli perniciem, et grave scandalum plurimorum. Nos igitur attendentes, quod si premissa veritate nitantur, tanto sint in eodem Archiepiscopo potius detestanda, quanto propter excellentiam dignitatis, qua fungitur, eundem insignium meritorum virtutibus singularius pollere deberet, ac propterea talia sub dissimulatione transire salva conscientia nequeuntes, ne incorrecta prestent audaciam committendi peiora, fraternitati vestre in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum ad dictam ecclesiam Armacanam, si comode fieri poterit, vel ad alium locum congruum, de quo vobis videbitur, personaliter conferentes, et habentes pre oculis solum deum, super premissorum infamia contra dictum Archiepiscopum summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii inquiratis diligenter, et si eum super premissis vel eorum aliquibus repereritis infamatum, de veritate criminum, in quibus reperietur infamia laborare, contra eum per fidedignos testes simili modo studeatis inquirere diligenter, Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, Non obstantibus etc. usque mentionem. Interim vero pendente negotio inquisitionis huiusmodi, et etiam ex tunc, donec super hiis predicte sedis providentia aliter fuerit ordinatum, presertim cum idem Archiepiscopus iam per biennium a divinis et executione pontificalis officii cessasse dicitur, vos in conferendo ordines personis ydoneis civitatis et diocesis Armacane, excommunicatos in casibus pertinentibus ad Archiepiscopum absolvendo, ecclesias effusione sanguinis vel seminis violatas reconciliandas, et aliis omnibus et singulis ea, que sunt pontificalis ordinis, autoritate nostra in dictis civitate et diocesi studeatis exercere: ac demum quecumque super premissis inveneretis, fideliter in scriptis redacta nobis sub sigillo vestro quam citius destinare procuretis. Prefixo nichilominus ex parte nostra Archiepo̅ et Capitulo ac Oddoni Abbati predictis termino peremptorio competenti, quo prefatus Archiepiscopus personaliter, dicti vero Capitulum et Abbas per se, vel procuratores ydoneos apostolico se conspectui representent, iustam, dante domino, super hiis sententiam recepturi, et facturi et recepturi, quod iustitia suadebit. Diem vero prefixionis huiusmodi, et formam, et quidquid super premissis duxeritis faciendum, nobis per litteras vestras harum seriem continentes, vel per instrumentum publicum significare curetis. Datum Avinione xvii. Kalend. Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

CCCCXLVII.

Cum Ada de Mor et Ioanna de Cumingham Glasguensis dioec. dispensatur super matrimonio. Reg. An. VI. Com. fol. 500.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Ade de Mor, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Iohanne de Cumingham eius uxori Glasguensis diocesis, salutem etc. Romani Pontificis precellens auctoritas concessa sibi desuper utitur plenitudine potestatis, prout personarum et negotiorum concurrentium qualitate pensata, id in domino conspicit salubriter expedire. Sane oblata nobis ex parte tua, filia Iohanna, petitio continebat, quod olim quibusdam nobilibus tractantibus, quod inter te, prefata Iohanna, et te, fili Adam, interveniret copula coniugalis, tu, dicta Iohanna, sciens dictum Adam quondam Hugoni de Hutsconperi marito tuo tertio consanguinitatis gradu fuisse coniunctum, nolebas huiusmodi contractui consentire, nisi prius super hoc legitima sedis apostolice dispensatio haberetur. Tandem superveniens dilectus filius ... Archidiaconus Glasguensis, quasdam patentes litteras Venerabilis fratris nostri Glasguensis Epi̅ ostendebat, in quibus idem Episcopus auctoritate sedis apostolice sibi, ut dicebat, concessa vobiscum super dicto articulo dispensabat, quibus litteris dispensationis huiusmodi tu, prefata Iohanna, tuique consanguinei et amici fidem plenariam prebuistis, te, prefate Adam, sciente, quod dicte littere nullius valoris seu efficacie existebant. Ac postmodum nichilominus per verba de presenti matrimonium ad invicem contraxistis, et carnali copula subsecuta, plures liberos suscipistis. Nos itaque attendentes, quod viri scientia atque culpa tibi, prefata Iohanna, que in hac parte probabili deceptam errore fuisse te asseris, non debet in tuum et liberorum tuorum preiudicium et dedecus redundare, volentes quoque futuris scandalis et periculis, que ex separatione huiusmodi matrimonii, si fieret, oriri verisimiliter presumuntur, obviare, et animarum vestrarum providere saluti, tuis, predicta Iohanna, supplicationibus inclinati, vobiscum, quod impedimento affinitatis huiusmodi, quod ex dicta consanguinitate prioris viri tui,

dicta Iohanna, cum dicto Adam pervenit aliquatenus non obstante, possitis in dicto matrimonio licite remanere, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, filios ex dicto matrimonio susceptos et suscipiendos legitimos nuntiantes de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo etc. nostre dispensationis et nunciationis infringere etc. Datum Avinione IV. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

CCCCXLVIII.

Iohannes canonicus ecclesiae Glasguensi in episcopum praeficitur. Reg. An. VII. Com. par. 2. fol. 256.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Glasguensi, salutem etc. In dispensatione ministeriorum ecclesie dei nobis credita potissimum considerare nos expedit tempus, causam et personam, secundum que pro emergentibus negociis interdum nova sunt consilia capienda, et prout temporis necessitas vel cause deposcit utilitas, nunc per provisionem salubrem, nunc per translationem providam a sede apostolica locorum sollicitudines sunt imponende personis et locis personarum ministeria deputanda, ut ex personarum ipsarum industria locorum crescat utilitas, et ex oportunitate locorum succedat fructificactio personarum. Dudum siquidem fidedignis relatibus intelleximus, quod Venerabilis frater noster Iohannes Conorensis, tunc Glasguensis Epicopus, ecclesie Glasguensi ex certis causis, prout asserebat, proficere non valebat, nec gregem dominicum vigilantie sue creditum doctrine verbi et operis informare, propter quod eadem ecclesia tam in spiritualibus quam temporalibus defectum non modicum sustinebat. Nos tam ecclesie, quam gregi predictis volentes in hac parte salubriter providere, prefatum Iohannem, licet absentem, de dicta Glasguensi ecclesia, cui tunc preerat, ad Conorensem ecclesiam tunc vacantem, apostolica auctoritate de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis duximus transferendum, preficiendo eum inibi in Episcopum et pastorem. Ac volentes nostre operationis ministerio eidem ecclesie Glasguensi talem presidere personam, per quam ipsa ecclesia Glasguensis regatur utiliter in utrisque, cum nullus preter nos de ipsius ecclesie Glasguensis provisione se hac vice intromittere possit, pro eo, quod nos diu ante translationem huiusmodi provisiones ecclesiarum omnium per huiusmodi translationes ubicumque tunc vacantium, et quas contingeret vacare in futurum, dispositioni nostre duximus specialiter reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attemptari, post deliberationem, quam ad deputandum ibidem personam utilem ac eciam fructuosam habuimus cum eisdem fratribus nostris diligentem, demum ad te, ipsius ecclesie Glasguensis Canonicum, in sacerdotio constitutum, virum utique, prout fidedignorum habet assertio, litterarum scientia preditum, morum gravitate conspicuum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum direximus aciem nostre mentis. Hiis itaque debita meditacione pensatis, de persona tua ipsi Glasguensi ecclesie de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma de te concepta fiducia, quod eadem ecclesia Glasguensis per tue circumspectionis industriam, et providentiam circumspectam sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propicia, salubriter et prospere dirigetur. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, et reverenter suavi eius oneri colla flectens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia Glasguensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, Tuque preter retributionis eterne premium benivolentie nostre gratiam exinde uberius consequaris. Datum Avinione Id. Martii, Pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo, Populo et Universis Vassallis ecclesie Glasguensis.

CCCCXLIX.

Robertus de Ardachadensi sede ad Connerensem transfertur. Reg. Com. An. VII. par. 2. fol. 60.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Roberto Epo Connerensi, salutem etc. Romani Pontificis, quem Pater ille celestis et dominus animarum, potestatis ei plenitudine tradita, pretulit ecclesiis universis, plena curis vigiliisque non vacua sollicitudo requirit, ut circa statum cuiuslibet ecclesie sic vigilanter intendat et prospiciat diligenter, ut per ipsius studiosam prudentiam et providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, nunc vero per ministerium translationis accomode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit, superna cooperante clementia, singulis ecclesiis, cum eas contingit suis propriis carere pastoribus, pastor accedat idoneus, rectorque providus deputetur, ita quod ecclesie ipse pastorum utilium gubernationi commisse sub eorum cura sollicita, deo propitio, votive prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem ecclesia Connerensi (pro eo, quod Nos Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Landavensem, tunc Connerensem Epum, licet absentem, a vinculo, quo ipsi ecclesie (tenebatur), cui tunc preerat, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Landavensem tunc pastoris solacio destitutam duximus transferendum, preficiendo eum ipsi Landavensi ecclesie in Epum et pastorem) solatio destituta pastoris, Nos attendentes, quod nullus preter nos de ordinacione ipsius Connerensis ecclesie se hac vice intromittere poterat, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi prefate Connerensis ecclesie, provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium per translationem Antistitum suorum extra Romanam Curiam existentium per nos tunc factas, et imposterum faciendas ad alias ecclesias tunc vacantes, et vacaturas in antea dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo ex tunc ir-

ritum et inane, si secus super hiis per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attemptari, de preficiendo eidem ecclesie Connerensi personam utilem, per quam posset salubriter regi ac dirigi, et feliciter gubernari, cogitare cepimus diligenter, et post deliberacionem, quam cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum consideratis diligenter virtutum meritis, et donis etiam graciarum in te divinitus dispensatis, ad personam tuam intuitum convertimus nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte Connerensi ecclesie, quam gregi dominico ibidem salubriter ac utiliter providere, te, tunc Episcopum Ardachadensem, a vinculo, quo Ardachadensi ecclesie tenebaris, cui preeras, de fratrum predictorum consilio et eiusdem potestatis plenitudine absolventes te ad ipsam ecclesiam Connerensem transferimus, teque ipsi preficimus in Epum et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie Connerensis tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi concedendo licentiam ad dictam Connerensem ecclesiam transeundi, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, prefata Connerensis ecclesia sub regiminis tui cura, et per tuum ministerium studiosum votiva honoris et commodi suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem ecclesiam Connerensem cum gratia nostre benedictionis accedens, geras sollicite curam eius, in illius ampliandis honoribus et profectibus procurandis exhibendo te sollicitum et fidelem, gregemque dominicum in ea tue commissum fidei doctrina verbi et operis informando, ita quod apud remotos et proximos fame tue odor latius diffundatur et in delectationem nobis veniat te oportuno tempore gratiose prosequi, tuisque desideriis favorem benivolum impertiri. Datum Avinione xII. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. Dilectis filiis Clero et populo civitatis et diocesis et universis Vassallis ecclesie Connerensis, et Ven. fratri ... Archiepo Armacano, ac Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Anglie Illustri.

CCCCL.

Mauritio electo Clonensi, ut extra curiam recipere possit munus consecrationis, conceditur. Reg. An. VII. Com. par. 2. fol. 140.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Mauricio Electo Clonensi, salutem etc. Pridem ecclesia Clonensi pastoris regimine destituta de persona tua licet absente, nobis et fratribus nostris (ob) tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum nostrorum consilio duximus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur nondum fuerit tibi munus consecrationis impensum, nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum tendere valeant, sollicitis studiis intendentes, volentesque te et eandem ecclesiam ab expensis et laboribus, quos si ad apostolicam sedem pro huiusmodi suscipiendo munere te oporteret accedere, haberetis de necessitate subire, paterna sollicitudine relevare, tuis supplicationibus inclinati tibi, ut a quocumque malueris Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis sibi et in hoc [et] assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac huiusmodi Antistite, ut munus predictum auctoritate apostolica tibi possit impendere, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi duxerit impendendum, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, et quod idem Antistes formam huiusmodi iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret, quodque insuper propter hoc ecclesie Cassellensi, cui prefata Clonensis ecclesia Metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Avinione vIII. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno septimo.

CCCCLI.

Ioanni episcopo Glasguensi litterae de consecratione et licentia recedendi a curia dantur. Reg. An. VIII. Com. par. 1. fol. 103.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Glasguensi, salutem etc. Pridem Glasguensi ecclesia solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, prout in nostris litteris super hoc confectis plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Vitalem Episcopum Albanensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam Glasguensem tue cure commissam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferre procures, sic te in administratione ipsius diligenter et sollicite habiturus, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benevolentie gratiam et favorem exinde plenius consequaris. Datum Avinione vI. Idus Octobris, Pontificatus nostri anno octavo.

CCCCLII.

Cum Patricio de Dumbar comite Marchiae in regno Scotiae et Agneta nata Thomae Arnulphi comitis Moraviae, eiusdem Patricii uxore, super consanguinitate dispensatur. Reg. An. VIII. Com. par. 1. fol. 120.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Patricio de Dumbar Comiti Marchie in Regno Scocie, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Agnete, nate dilecti filii nobilis viri Thome Arnulphi Comitis

Moravie, eiusdem Patricii uxori, S. Andree diocesis, salutem etc. Intenta pietatis operibus apostolice sedis circumspecta benignitas nonnunquam rigorem iustitie mansuetudine temperans, quod negat iuris severitas, de gratia benignitatis indulget, cum pro consideratione personarum, locorum et temporum, et maxime pro pacis statu inter nobiles procurando, id cognoscit salubriter expedire. Dudum siquidem ex parte vestra oblata nobis petitio continebat, quod olim inter parentes vestros, suasore procurante discordie, exorte fuerant inimicitie capitales, ex quibus plures strages hominum et magnatum quorumdam extiterant subsecute, et quod vos sperantes, quod magna causa cessationis inimicitiarum huiusmodi foret, si inter vos contraheretur copula coniugalis, ac cupientes propterea matrimonialiter invicem copulari, ac pro eo, quod quarto dumtaxat credebatis consanguinitatis gradu coniuncti, matrimonium huiusmodi contrahere non valentes dispensatione super hoc apostolica non obtenta, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos huiusmodi periculis occurrere cupientes, vestrisque supplicationibus inclinati, dilecto filio ... Gardiano fratrum ordinis Minorum de Rokesbingh Glasguensis diocesis nostris dedimus litteris in mandatis, ut si premissis veritas suffragaretur, vosque excommunicationis vel excommunicationum non essetis ligati sententiis, vel postquam ab eisdem sententia vel sententiis, si illa vel illis forsan fuissetis ligati, essetis iuxta formam ecclesie absoluti, vobiscum, quod impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante, matrimonium invicem contrahere valeretis, super quo eius conscientiam intendebamus honerare, auctoritate nostra dispensaret, prout secundum deum cognosceret expedire. Volumus autem, quod postquam interdictum cui Regnum Scotie subiacebat, relaxatum existeret, libere solemnizari posset matrimonium supradictum: sed si forsan eodem interdicto durante matrimonium ipsum infra dictum Regnum solemnizari contingeret, ex tunc decernebamus dispensationem huiusmodi nullam esse. Sane, sicut in oblate nobis nuper ex parte vestra petitionis serie vidimus contineri, postquam ad partes ipsas dicte littere dispensationis huiusmodi pervenerunt, pater tuus, filia Agneta, litteris eisdem inspectis, et habita deliberatione cum clericis suis super distinctione graduum consanguinitatis, que inter vos, filii coniuges, existebat, recepit, quod vos non in quarto dumtaxat consanguinitatis gradu, ut credebatis, sed in tercio et quarto gradibus consanguinitatis huiusmodi vobis invicem attinetis, propter quod predicte littere, utpote facti continentes errorem, ad dispensationem huiusmodi sufficientes minime existebant. Unde tum propter errorem huiusmodi, tum propter interdictum predictum, quod relaxatum non erat, dictus pater tuus, filia Agneta, vos tunc temporis copulari ad invicem non permisit. Porro pluribus et gravioribus inimicitiis propter effusionem sanguinis multorum de parentela tua, fili Patrici, post obtentas predictas litteras perpetratam inter eosdem parentes exortis, dictoque Comite patre tuo, predicta Agneta, pro concordia nobilium et Regnorum Anglie et Scocie procuranda, in remotis partibus Anglie tunc agente, vos putantes dictas litteras apostolicas sufficientes esse ad dispensationem huiusmodi obtinendam, ut predictas antiquas et novas inimicitias facilius sedaretis, in loco non interdicto, videlicet infra fines Anglie convenistis, mediante et solemnizante dictum matrimonium non Guardiano predicto, cui super hoc per nostras litteras commissa fuerat dispensatio supradicta, sed quodam alio presbitero, credentibus vobis sufficere quod per illum in ea parte fiebat, cum dictus Gardianus ageret in remotis. Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum ex separatione dicti matrimonii, si fieri contingeret, strages innumerabiles hominum et animarum pericula proculdubio sequi possent, providere vobis super hiis de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos itaque, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christifidelibus quietis et pacis commoda procuramus, huiusmodi periculis obviare, vestrarumque animarum saluti consulere paterna sollicitudine cupientes, vobiscum, quod impedimentis, que ex predicta tertii et quarti graduum consanguinitate proveniunt, et premissis aliis nequaquam obstantibus, possitis in huiusmodi matrimonio sic contracto libere et licite remanere, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem susceptam et suscipiendam ex vobis legitimam nunciantes de apostolica plenitudine potestatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. incursurum. Datum Avinione XVII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno octavo.

CCCCLIII.

Stephano archiepo Armachano licentia a curia Romana recedendi datur. Reg. An. VIII. Com. par. 3. fol. 224.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Pridem ecclesia Armachana, tunc pastore vacante, de persona tua de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo te illi in Archiepum et pastorem, tibi curam et administrationem illius in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris super hoc confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Raynaldum Episcopum Ostiensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi: Fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad predictam ecclesiam sponsam tuam cum nostre gratia benedictionis accedens, sic eam iuxta datam tibi a deo prudentiam regere studeas fideliter et prudenter, quod eadem ecclesia sub tui regiminis cura spiritualiter et temporaliter, annuente divina clementia, salutaribus proficiat incrementis, tuque proinde apostolice sedis et nostram gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione IV. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno octavo.

CCCCLIV.

Iacobus episcopus Enagdunensis ad ecclesiam Conerensem transfertur. Reg. An. VIII. Com. par. 3. fol. 22.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iacobo Episcopo Conerensi, salutem etc: Romana ecclesia, que super universas Orbis ecclesias obtinet divina miseratione primatum, circa singulas materne diligentie cura sedula vigilans, earum profectibus velut sollicita mater solerter intendit, studens ecclesiarum ipsarum presertim Cathedralium commoda nunc per simplicis provisionis officium, nunc per ministerium translationis accomode, prout locorum et temporum qualitas exigit, efficaciter procurare. Dudum siquidem ecclesia Conerensi per obitum bone memorie Roberti Episcopi Conerensis, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, solatio destituta pastoris, Nos volentes regimini eiusdem ecclesie, ne dispendia prolixe vacationis incurreret, personam utilem deputare, cum nullus preter nos de ipsius ecclesie ordinatione hac vice se intromittere potuerit, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum tam Cathedralium, quam etiam aliarum tunc apud dictam sedem vacantium, et vacaturarum imposterum apud eam dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attemptari, post deliberationem, quam de preficiendo dicte Conerensi ecclesie personam utilem cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum in te tunc Enagdunensi Episcopo noster animus requievit. Intendentes igitur tam dicte Conerensi ecclesie, quam dominico gregi eiusdem salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris dicte Enagdunensi eccesie, cui, ut premittitur, preeras, de fratrum predictorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prelibatam ecclesiam Conerensem transferimus, teque ipsi Conerensi ecclesie in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem illius tam in spiritualibus, quam in temporalibus tibi plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam ad eandem Conerensem ecclesiam transeundi, firma concepta fiducia, quod tu, qui dicte Enagdunensi ecclesie salubriter prefuisti, eandem Conerensem ecclesiam prospere gubernabis, ac dirigente domino actus tuos, prefata Conerensis ecclesia per tuum ministerium studiosum multiplicis honoris et comodi suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam Conerensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, geras sollicite et fideliter curam eius, et in ipsius ampliandis honoribus et profectibus procurandis sic te reddas sine intermissione sollicitum, gregem dominicum in illa vigilantie tue commissum doctrina verbi et operis informando, ut exinde apud remotos et proximos tua fama clareat per effectum, et in delectationem nobis veniat gratiose te oportuno tempore prosequi, ac desideriis tuis favorem benivolum impertiri. Datum Avinione Nonis Maii, Pontificatus nostri anno octavo.

In e. m. Capitulo ecclesie Cónerensis, Clero et populo civitatis et diocesis Conerensis, Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, et Eduardo Regi Anglie Illustri.

CCCCLV.

Episcopo Ardachadensi datur licentia contrahendi mutuum usque ad summam sexcentorum florenorum auri. Reg. An. VIII. Com. par. 1. fol. 325.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Ardachadensi, salutem etc. Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis expensis necessariis, quam ecclesie tue Ardachadensis negociis apud sedem apostolicam expediendis utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam sexcentorum florenorum auri mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te reputas invenire non posse, tibi largiri licentiam dignaremur. Nos igitur de tua tam in hiis, quam in aliis circa eadem tua et ipsius ecclesie utiliter promovenda et expedienda negocia circumspectione ac diligentia plenius in domino confidentes, nec volentes, quod propter expensarum ipsarum defectum indigentiam patiaris, vel quod eadem negotia impedita remanere contingat, tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue contrahendum mutuum propter hoc usque ad predictam summam sexcentorum florenorum auri nomine tuo et ipsius ecclesie Ardachadensis, ac te ipsum et successores tuos ac predictam ecclesiam, ac tua et eorumdem successorum bona mobilia et immobilia, presentia et futura, usque ad summam predictam propterea dictis creditoribus, usuris omnino cessantibus, obligandi, et renunciandi de duabus dietis edite in consilio generali, et felicis recordationis Benifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, et quibuscumque aliis constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus super hoc in contrarium editis, et beneficio restitutionis in integrum, omnibus litteris et indulgentiis apostolicis impetratis, ac etiam impetrandis, et omni iuris Canonici et civilis auxilio, ac conventioni iudicium et locorum, si eorumdem creditorum nomine super hiis apostolicas litteras contigerit impetrari, nec non et omnibus aliis exceptionibus, per quas contra creditores eosdem, tu dictique tui successores possetis imposterum vos tueri, plenam auctoritate etc. ut in forma solita. Datum Avinione III. Idus Maii, Pontificatus nostri anno octavo.

CCCCLVI.

Archiepiscopus Armachanus significat pontifici se processum contra Ludovicum Bavarum assertum imperatorem Romanorum in ecclesiis suae provinciae promulgari fecisse. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo in Christo patri et suo domino singulari, domino Iohanni divina providentia sacrosancte ac universalis ecclesie summo Pontifici, devotus eius filius Stephanus dei atque Sanctitatis vestre gratia

Archiepiscopus Armachanus totius Hybernie primas, pedum oscula beatorum. Mandatum vestrum sub bulla plumbea filo canapis bullatam, non abrasam, non cancellatam, non abolitam, nec in aliqua sui parte suspectam, sed omni suspitione carentem me apud Avinionem die decima octava mensis Septembris Anno dñi Millesimo trecentesimo vigesimoquarto, pontificatus vestri anno nono, recepisse noveritis cum reverentia, qua decebat: que quidem bulla seu mandatum sic incipit. Iohannes Eṗus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Armachano eiusque suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem. Propter excessus varios et enormes obstinatas obedientias (sic), ac multiplicatas contumacias et contemptus execrabiles per magnificum virum Ludovicum ducem Bavarie contra deum, et nos et sanctam Romanam ecclesiam utilitate (sic) rei publice, ac in anime sue periculum et multorum scandalum perpetratas, nuper de fratrum nostrorum consilio certos processus habuimus contra eum, privationis a iure si quos (quod) sibi ex electione, que de ipso in Regem Romanorum promovendum in Imperatorem olim in discordia celebrata fuisse dicitur, competebat, sententiam inter cetera continentes, quorum tenor de verbo ad verbum sequitur in hunc modum. Iohannes Episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sicut ad curam periti medici pertinet adhibere fomenta fortia, cum lenia non prodesse cognoscit, sic profecto presidentis officio congruit, cum ad correctionem perversorum inflictas penas non sufficere percipit, ut adiciat graviores. Hinc per psalmistam in chamo et freno maxilias illius constringere dominus precepit, qui ad suum presidem, eius non obediendo salutaribus monitis, appropinquare contempnit. Hoc utique circa personam viri magnifici Ludovici Duci Bavarie in discordia in Regem Romanorum Electum nos servasse declarant evidentius, que secuntur etc. et sic finit: Volumus autem et apostolica auctoritate decernimus, quod huiusmodi processus prefatum Ludovicum et alios, quos tangere dinoscitur, apprehendat et artet, ac si eisdem personaliter et singulariter publicatus et insinuatus solempniter extitisset, constitutione quacumque per predecessores nostros Romanos Pontifices in contrarium edita non obstante. Datum Avinione quinto Idus Iulii, pontificatus nostri anno octavo. Quocirca fraternitati vestre in virtute obedientie per apostolica scripta mandamus, quatinus vos et singuli vestrum in vestris civitatibus et diocesibus, et locis aliis earundem, de quibus videritis expedire, processus et sententiam huiusmodi, et omnia alia in eisdem contenta processibus per vos, et alios quoscumque viros ecclesiasticos et religiosos et seculares, exemptos et non exemptos, per vos super hiis assumendos, quos exemptionis vel quibusvis aliis privilegiis, sibi aut eorum locis vel ordinibus specialiter et generaliter sub quacumque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, nequaquam obstantibus, que sibi quoad hec in nullo volumus suffragari, auctoritate nostra per vos ad hoc compelli, si opus fuerit, appellatione cessante, volumus et mandamus, publicare Clero et populo in locis singulis, ubi fiet dicta publicatio, propter hoc congregatis, solempniter et publice studeatis, Nos de publicatione huiusmodi et aliis, que super predictis feceritis, per vestras litteras seu instrumenta publica principium et finem presentium continentia redituri nichilominus certiores. Datum Avinione Idibus Iulii, pontificatus nostri anno octavo. Unde volens mandatis Sanctitatis vestre, ut teneor, humiliter obedire, vocari et congregari feci ad diem vigesimum quintum mensis Iunii anno domini Millesimo trecentesimo vigesimoquinto, pontificatus vestri nono, in ecclesia mea Armachana Venerabiles fratres Derensem, Clokerensem, et Drommorensem Eṗos, ac Clerum et populum diocesis mee, et coram Cleri et populi multitudine copiosa sic propterea vocata et congregata, dictum mandatum vestrum de verbo ad verbum ibidem legi feci, et in ydiomate Anglicano et Ybernicano populo exponi, et solempniter publicavi, et publicari mandavi per omnes suffraganeos meos per totam meam provintiam, et sic mandatum Sanctitatis vestre reverenter sum in omnibus executus. In quorum omnium testimonium presens certificatorium seu instrumentum publicum confici mandavi per Magistrum Bindum notarium infrascriptum, meumque sigillum apposui in eodem. Actum in ecclesia Armachana die vigesima quinta mensis Iunii Anno domini Millesimo trecentesimo vigesimoquinto, Indictione octava, pontificatus sanctissimi patris et domini, dñi Iohannis divina providentia pape XXII. anno nono. Presentibus Venerabilibus viris et dñis, dominis fratre Michaele Derensi, Nicholao Clokerensi, Florentio Dromorensi Eṗis supradictis, Nicholao Abbati Mellifontis Cisterciensis ordinis, Rogero Abbate Monasterii Armachani ordinis sancti Augustini, Dionisio Decano ecclesie Armachane, David Precemptori (sic) dicte ecclesie et Donnaldo Rege de Erther, ac Machmahono dño de Heriel, et pluribus aliis testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

(L. S.) Et Ego Bindus Bandini de Vacchareccia Fesulane diocesis, publicus apostolica et Imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus una cum testibus suprascriptis interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, et ideo ea de mandato dicti domini Archieṗi propria manu scripsi, et in hanc publicam formam redegi, meoque signo consueto signavi. Et prefatus dominus Archiepiscopus huic certificatorio seu publico instrumento sigillum suum apposuit in testimonium premissorum.

Appendit fragmentum sigilli cerae rubrae fascia pergamena.

CCCCLVII.

Provinciali fratrum Minorum in Hibernia, ut in villa Totemoye Darens. dioec. conventum condere possit. Reg. An. IX. Com. par. 2. fol. 263.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis.. Ministro, .. Provinciali et fratribus ordinis Minorum in Ibernie partibus constitutis, salutem etc. Inter ecclesiasticos ordines in domo domini militantes illud de benedictione celesti ordini vestro, et vobis ad laudes speciales ascribitur, ac rerum efficax experientia magi-

stra testatur, quod ubique locorum, in quibus degitis, fideles populos ad salutis gratiam evocatis, proficientes vobis per vite virtutum merita, et aliis nichilominus per exempla. Nos igitur, qui lucrifieri Christo animas cupimus, et vestros ab hactenus sensimus et iugiter sentimus odores, libenter loca vestra in diversis orbis partibus propagamus, sperantes in illo, cui per decantationes laudum devotum impenditis holocaustum, quod quanto latius loca ipsa diffundimus, tanto habundantius spiritualis odoris aromata de vestris bonis operibus sentiemus. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Iohannes de Breningham de Ibernie Insula, Comes de Lonche, sicut eius nobis exhibita petitio continebat, habens ad ordinem vestrum specialis devotionis affectum, ac diligenter considerans, quod in villa sua de Totemoye Darensis diocesis propter religiosorum carentiam et distantiam ab eadem raro ibidem predicatur, seu proponitur verbum dei, quodque vos mentes fidelium edificabitis inibi verbo pariter et exemplo, unum locum ad opus, nomen et usum fratrum dicti ordinis in villa predicta dare et concedere sit paratus, et ad id nonnulla vobis caritatis subsidia impertiri: eiusdem Iohannis devotis in hac parte et vestris supplicationibus inclinati, ut huiusmodi locum in dicta villa recipere, et in eo edificare et construere domos, capellam seu oratorium cum aliis necessariis officinis, et inibi habitare libere valeatis, sine iuris preiudicio parrochialis ecclesie dicte ville et iuris cuiuslibet alieni, constitutione felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri super hoc in contrarium edita non obstante, dum tamen villa prefata ad hoc sit ydonea, et in ea duodecim fratres dicti ordinis inibi commorantes honeste et congrue valeant sustentari, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione Idibus Augusti, Pontificatus nostri anno nono.

CCCCLVIII.

Robertus episcopus quondam Clonfertensis ecclesiae Enagdunensi praeficitur in episcopum. Reg. An. X. Com. par. 1. fol. 169.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Roberto Episcopo Enagdunensi, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio sollicitudine pulsamur assidua, ut ecclesias, quarum cura nobis est summi pastoris dispositione commissa, spiritualibus et temporalibus commodis augeamus, et eis per nostre provisionis ministerium, prout oportunitas temporis exigit, salubriter consulamus. Olim quidem quondam Guilberto, qui pro Epo Enagdunensi se gerebat, exponente nobis, se fore per Venerabilem fratrem nostrum Malachiam Archiepiscopum Tuamensem episcopatu Enagdunensis ecclesie indebite spoliatum, et petente se restitui ad eundem; Magistro vero Andrea Iohannis Giberti de Florentia, procuratore Archiepiscopi supradicti, in nostra presentia constituto procuratorio nomine ipsius asserente, dictam ecclesiam Enagdunensem non Cathedralem, sed parrochialem existere, ac Archiepiscopali mense Tuamensi canonice unitam fore, et propter hoc petita per Guilbertum supradictum fieri non debere: Nos causam huiusmodi bone memorie Petro tituli sancti Stephani in Celiomonte presbitero Cardinali, S. Rom. E. Vicecancellario, de plano, sine strepitu et figura iudicii audiendam commisimus, et nobis postmodum referendam. Post multos vero processus inter partes easdem habitos in causa huiusmodi coram Cardinali predicto, cum dictus Guilbertus apud sedem apostolicam nature debitum persolvisset: Nos nolentes dictam Enagdunensem ecclesiam legitimo defensore carere, Venerabilem fratrem nostrum Iacobum Connerensem, tunc nullius ecclesie Episcopum, eidem Enagdunensi ecclesie de consilio fratrum nostrorum prefecimus in Epum et pastorem, salvo in premissis iure dicte ecclesie Tuamensis: et deinde dictum Iacobum a vinculo, quo dicte Enagdunensi ecclesie tenebatur, de apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsam ad ecclesiam Connerensem tunc vacantem de predictorum fratrum consilio duximus transferendum, ipsumque illi prefecimus in Episcopum et pastorem. Postmodum autem eodem Cardinali rebus humanis exempto, nos Venerabili fratri nostro Petro Epo Penestrino commisimus oraculo vive vocis, ut de omnibus actis in eadem causa coram Cardinali predicto habitis se diligentius informaret, ea nobis postmodum fideliter relaturus. Cumque, facta nobis per Penestrinum Epum supradictum super predictis relatione fideli, per relationem eandem nobis legitime constitisset, dictum Guilbertum tempore, quo spoliatus fuit per dictum Archiepiscopum, fuisse in possessione vel quasi Episcopatus Enagdunensis predicti, et ipsam Enagdunensem ecclesiam fuisse dicto tempore in possessione status et dignitatis ecclesie Cathedralis: Nos dictam Enagdunensem ecclesiam ad possessionem vel quasi status et dignitatis ecclesie Cathedralis restituimus et etiam reintegramus, iusticia exigente, questione proprietatis in eadem Enagdunensi ecclesia presenti utrilibet reservata. Nolentes igitur, quod dicta Enagdunensis ecclesia remaneat ulterius defensoris presidio destituta, ac de utili provisione ipsius sollicite cogitantes, cum nullus preter nos de ipsius ecclesie Enagdunensis ordinatione se intromittere possit pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium ubicumque tunc vacantium, et in antea vacaturarum per translationes per nos factas, et imposterum faciendas de Prelatis earum, et alias ecclesias tunc vacantes et in futurum etiam vacaturas dispositioni nostre duximus specialiter reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attemptari, post deliberationem, quam ad deputandum eidem personam ydoneam habuimus cum eisdem fratribus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum, de religionis zelo, vite mundicia, literarum scientia, prudentia spiritualium et providentia temporalium, aliisque virtutum meritis fidedignorum testimonio commendatum, direximus oculos nostre mentis, quamvis tu olim dicti ordinis fratrum Minorum existens ecclesie Clonfertensis, tunc pastore carentis, in Epum in discordia

electus, post appellationem ab huiusmodi electione tua ad sedem apostolicam interiectam obtinueris in illis partibus electionem huiusmodi confirmari, tibique munus consecrationis impendi, et administrationi dicte Clonfertensis ecclesie in spiritualibus et temporalibus de facto contra sanctiones canonicas nichilominus te ingesseris, super quibus de uberioris dono gratie auctoritate apostolica dispensamus, omnem inhabilitatis notam et infamie maculam, quam propterea incurristi, de predicte potestatis plenitudine penitus etiam abolendo. Attendentes itaque, quod sic consecratus nullius ecclesie Ep̄us remansisti, et consideratis predictis tuarum virtutum meritis, nolentes, quod indigentia rerum temporalium excellentiam pastoralis obnubulet dignitatis, de persona tua dicte Enagdunensi ecclesie de predictorum fratrum consilio auctoritate prefata providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, Iure dicte Tuamensis ecclesie super questione proprietatis predicta in omnibus semper salvo, cui per huiusmodi provisionem nostram nullum volumus preiudicium generari, In illo, qui dat gratias et largitor premia, confidentes, quod dicta Enagdunensis ecclesia per tuam industriam, dirigente domino actus tuos, prospere dirigatur, et salubria suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi honus a domino devote supportans, curam et administrationem predictas sic geras fideliter, et sollicite prosequaris, quod prefata Enagdunensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde premium eterne retributionis acquiras, et nostram et dicte sedis gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione vi. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Capitulo, Clero, populo civitatis et diocesis Enagdunensis, et Eduardo Regi Anglie Illustri.

CCCCLIX.

Nuntio apostolico in Anglia, moneat archiepiscopos et episcopos Angliae et Hiberniae, ut sedem apostolicam contra rebelles in Italia subventione quadam adiuvent. Reg. An. X. Secret. fol. 220.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Hugoni de Engolisma, Archidiacono Cantuariensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Super subsidio per Prelatos et Clerum Anglie et Ibernie nobis, et ecclesie Romane contra hereticos et infideles partium Italie impendendo eis diversimode scribimus tam per patentes, sicut in eis poteris intueri, quam per clausas litteras iuxta formam, quam in cedula continetur presentibus interclusa. Tu autem, qui, magistra rerum experientia te docente, conditiones personarum et patrie plene nosti, aut litteris patentibus, que diriguntur simul Archiepiscopis et eorum suffraganeis et clero provinciarum suarum cum clausulis ad eas respectivis, vel illis etiam patentibus singulis Archiepiscopis et Episcopis, ac clero suarum civitatum et diocesum directis, cum clausulis similiter respectivis ad illa, que tibi ad partem et distincte mittuntur, utaris, sicut melius et utilius huiusmodi negocio cognoveris expedire. Ceterum processus contra hereticos habitos, quos tibi misimus publicandos, in Iberniam destinare, nisi iam factum extiterit, non postponas, ubi pro dicto subsidio aliquam personam ydoneam deputare poteris, si hoc tibi videatur expediens, loco tuo, rescripturus nobis quicquid in predictis egeris, et alia que tibi occurrerint continue rescribenda. Datum Avinione Kalendis Marcii, Pont. nostri anno decimo.

CCCCLX.

Ioannes canonicus Rossensis ecclesiae Moraviensi in episcopum praeficitur. Reg. An. X. Com. par. 1. fol. 404.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Moraviensi, salutem etc. Militanti ecclesie, disponente dño, licet immeriti presidentes, circa curam ecclesiarum omnium solertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta pastoralis officii debitum commissi nobis gregis dominici curam utiliter gerere, divina cooperante clementia, studeamus, et quamquam assidue circa singularum commoda vigilemus, tamen circa illas, que deplorant viduitatis incommoda, propensiori sollicitudine ac maiori pulsamur instantia, ut eis preficiamus viros secundum cor nostrum ydoneos in pastores. Dudum siquidem bone memorie David Episcopo Moraviensi regimini Moraviensis ecclesie presidente, cupientes eidem ecclesie, cum eam per ipsius David obitum, vel alio quovis modo vacare contingeret, personam utilem sollicitudinis apostolice ministerio presidere, provisionem faciendam eidem ecclesie de prelato, cum, ut premittitur, vacaret, dispositioni nostre et sedis apostolice ea vice specialiter duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque scienter vel ignoranter contigeret attemptari. Postmodum vero dicto David Episcopo in partibus illis viam universe carnis ingresso, Nos volentes eidem Moraviensi ecclesie, ne dispendia prolixe vacationis incurreret, paterna sollicitudine precavere, cum nullus preter nos ea vice de ipsius ecclesie ordinatione se intromittere potuerit, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam ydoneam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc Canonicum Rossensem, in sacerdotio constitutum, virum utique litterarum scientia preditum, morum et vite honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, ac aliis virtutum meritis, prout testimoniis fidedignorum accepimus, insignitum convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua, nobis dictisque fratribus ob exigentiam huiusmodi tuorum meritorum accepta, eidem Moraviensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque ipsi ecclesie in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo: et subsequenter per Venerabilem fratrem

nostrum Petrum Episcopum Penestrinum tibi fecimus munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, prefata Moraviensis ecclesia per tue circumspectionis industriam in utrisque feliciter et prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipias, commissumque tibi eiusdem ecclesie Moraviensis regimen sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod eadem ecclesia sponso utili et gubernatori provido gaudeat se commissam, tuque proinde premium retributionis eterne, ac nostram et predicte sedis benedictionem et gratiam plenius consequi merearis. Datum Avinione II. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo, Clero, populo et universis Vassallis ecclesie Moraviensis.

CCCCLXI.

David ecclesiae Laoniensi in epum praeficitur. An. X. Com. p. 1. fol. 505.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri David Episcopo Laoniensi, salutem etc. Pastoralis officii debitum exigit, ut inter sollicitudines varias, quibus assidue premimur, circa statum ecclesiarum omnium solertiam adhibentes ipsarum utilitatibus intendamus in eo maxime, ut viduatis, ne longe vacationis incommoda patiantur, de talium celeriter nostre diligentie studio provideantur subventione pastorum, per quorum circumspectionem providam et prudentiam circumspectam eedem ecclesie spiritualiter et temporaliter, auctore domino, augeantur. Dudum siquidem Laoniensi ecclesia per obitum bone memorie Benedicti Episcopi Laoniensis, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, te ipsius ecclesie Canonicum, in subdiaconatus ordine constitutum, per formam compromissi in Laoniensem Episcopum concorditer elegerunt: tuque electioni huiusmodi de te facte consentiens, cum ... Archiepus Cassellensis loci Metropolitanus esset maioris excommunicationis sententia innodatus, et excommunicatus publice nunciatus, non posses, ut deberes, occasione huiusmodi electionis tue negotium coram eodem Archiepo prosequi, et eam ab ipso petere confirmari, pro prosecutione electionis prefate ad sedem apostolicam personaliter accessisti, et exponi fecisti huiusmodi electionis tue negotium in consistorio coram nobis, humiliter supplicans, ut electionem predictam confirmare de benignitate apostolica dignaremur. Nosque per Venerabilem fratrem Guillelmum Episcopum Sabinensem, et dilectos filios nostros Guillelmum tituli s. Ciriaci in Termis presbiterum, et Neapoleonem sancti Adriani diaconum Cardinales electionem predictam examinari fecimus diligenter: et demum facta nobis ab eisdem Episcopo et Cardinalibus super hoc relatione fideli, tu, ne dicta ecclesia prolixioris vacationis incurreret detrimenta, omni iuri, quod tibi ex electione predicta quomodolibet competebat, renunciasti libere in manibus eorumdem Episcopi et Cardinalium renunciationem huiusmodi admittentium de mandato nostro super hoc eis facto oraculo vive vocis. Nos igitur ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus pretor nos se hac vice intromittere potest, pro eo, quod nos diu ante renunciationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium, per renunciationes quorumlibet apud dictam sedem factas tunc vacantium et vacaturarum in antea, quas apud eandem sedem vacare consuimus, ordinationi et dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, sollicitis et paternis studiis intendentes, post deliberationem, quam ad preficiendum eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam, per quam posset preservari a noxiis et adversis, ac in suis manuteneri iuribus et etiam adaugeri, cum fratribus nostris habuimus diligentem, ad te, quem de litterarum scientia, honestate morum, vite mundicia, spiritualium prudentia et providentia temporalium, nec non aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia commendarunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attento pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob exigentiam huiusmodi tuorum meritorum accepta, prefate Leoniensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo: ac subsequenter tibi in diaconum et presbiterum interea rite promoto, per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrinum fecimus munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata Leoniensis ecclesia per tue industrie ac circumspectionis fructuosum studium, illius cooperante clementia, a quo universorum carismatum dona procedunt, spiritualiter et temporaliter regetur utiliter et prospere dirigetur. Reverenter itaque suscipe iugum domini, et suavi eius oneri humiliter colla submittens, ipsius ecclesie sollicitam curam geras, gregem dominicum in ea tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod eadem ecclesia sponso utili et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter retributionis eterne premium nostre ac sedis eiusdem gratie et benedictionis merearis percipere incrementum. Dat. Avinione VIII. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo, Clero, Populo, Universis Vassallis ecclesie Laoniensis, et Eduardo Regi Anglie Illustri.

CCCCLXII.

Archiepiscopis et episcopis Hiberniae, ut sedi apostolicae contra rebelles in Italia subventione quadam succurrant. Reg. An. X. Secr. fol. 220.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Armachano et eius Suffraga-

neis, videlicet Episcopis ... Midensi, ... Clonensi, ... Ardakadensi, ... Dunensi, ... Conorensi, ... Derensi, ... Ratbotensi, ... Tiburnensi, ... Clokorensi, sal. etc. Seviente crudeliter in partibus Italie adversus deum et fidem catholicam hereticorum et infidelium presumptuosa superbia, et sue venena nequicie circumquaque non absque gravibus periculis, omni humanitate postposita, diffundente, pro repressione hereticorum et infidelium ipsorum, et eiusdem defensione fidei ecclesia Romana, que multis aliis inevitabilibus oppressa necessitatibus ad supportandum sarcinam onerum incumbentium ex predictis per se non sufficit, tuum, frater, et aliorum fidelium cogitur fiducialiter subsidium implorare. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et hortamur attentius, quatenus litteras nostras patentes, quas tibi tuisque Suffraganeis et Clero tuarum civitatis et diocesis ac provincie super premissis dirigimus, reverenter suscipiens et benigne tam per te, quam una cum ipsis te taliter per exhibitionem liberalem oportuni subsidii gerere studeas in hac parte, dilecto filio Magistro Hugoni de Engolisma, Archidiacono Cantuariensi, apostolice sedis nuncio, vel illi seu illis, quos ipse ad hoc deputaverit, intendendo, et fidem indubiam nichilominus adhibendo super hiis, quod dictorum hereticorum et infidelium presumptuosa temeritas utilius, divina cooperante dextera, comprimatur, tuque preter boni perhennis premium, quod inde consequaris, nostram et apostolice sedis gratiam uberius merearis. Datum Avinione xiii. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Archiepiscopo Dublinensi et eius Suffraganeis, videlicet Episcopis Ossoriensi, Fernensi, Lechlinensi, Darensi.

In e. m. Archiepiscopo Cassellensi et eius Suffraganeis, videlicet Episcopis Limiricensi, Imelacensi, Waterfordensi, Lismorensi, Clonensi, Corkagensi, Rossensi, Fynaborensi, Laoniensi.

In e. m. Archiepiscopo Tuamensi et eius Suffraganeis, videlicet Episcopis Aladensi, Akadensi, Duacensi, Elfinensi, Clonfertensi.

CCCCLXIII.

Iudicibus, ut super valore quarundam ecclesiarum, quas Darensis et Clochorensis episcopi etc. ecclesiae Armachanae petunt uniri, inquirant et referant. Reg. An. XI. Com. par. 1. fol. 183.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Ardekadensi, et dilectis filiis ... Dublinensis ac ... Ardekadensis Archidiaconis ecclesiarum, salutem etc. Dignum et consentaneum rationi esse dinoscitur, ut ecclesie Cathedrales et Metropolitane precipue, ac eorum Prelati ratione ipsarum sufficientes habeant facultates, ex quibus iidem Prelati iuxta ipsorum dignitatum decentiam congrue valeant sustentari. Sane Venerabiles fratres nostri ... Derensis et ... Clokerensis Episcopi, ecclesie Armachane Suffraganei, et dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie humili et devota nobis insinuatione monstrarunt, quod dicta ecclesia (Armachana) ex facto duorum successive Archiepiscoporum Armachanorum, predecessorum Venerabilis fratris nostri Stephani Archiepiscopi Armachani, ad inopiam est redacta, et mole debitorum nimium aggravata, propter que dicti Archiepiscopus et ecclesia auxilio apostolice provisionis indigent, per quod ipsi in huiusmodi releventur inopia, et non adeo premantur sarcina debitorum. Quare nobis dicti Episcopi et Capitulum humiliter supplicarunt, quod dignaremur aliquibus per nostras litteras demandare, ut Archiepali mense Armachane auctoritate nostra concederent, applicarent, ac etiam assignarent de beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, que dilecti filii ... Lantonie in Vallio et ... Lantonie iuxta Clontestriam Priores Monasteriorum per Priores gubernari solitorum, que fore asserunt opulenta, eorumque Conventus ordinis sancti Augustini Kerefordensis et Wigorniensis diocesum in usus proprios in Armachana et Midensi diocesibus obtinent comuniter vel divisim, et alias ad presentationem seu aliam dispositionem eorumdem Priorum et Conventuum coniunctim vel separatim spectantibus, que ob ipsorum Priorum et Conventuum incuriam defectus in spiritualibus et dispendia in temporalibus, prout accepimus, patiuntur, usque ad annuum valorem trecentorum librarum sterlingorum secundum taxationem decime, cum omnibus iuribus et pertinentiis eorumdem. Quia vero de premissis notitiam non habemus, Nos volentes super iis plene informari, ut sic informati deliberare, quid in hac parte deceat et expediat efficere, valeamus, discretioni vestre, de qua sinceram in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de valore beneficiorum et ecclesiarum ac Prioratuum, seu locorum, que prefati Priores et Conventus in eisdem diocesibus obtinent, ac de distantia eorumdem, et an sit aliqua ecclesia Cathedralis eidem ecclesie Armachane suffraganea, que uniri posset ex causis rationabilibus eidem ecclesie Armachane, ac de causis huiusmodi et valore annuo ecclesie suffraganee antedicte, necnon de aliis circumstantiis eorumdem beneficiorum, ecclesiarum, prioratuum, locorum, et ecclesie suffraganee ipsorumque singulorum curetis plenarie informari, et quicquid exinde inveneritis, fideliter in scriptis redactum nobis plene, clare, particulariter et distincte per vestras litteras quantocius intimetis, ut firmiter et sufficienter possimus, deo auctore, procedere in predictis. Datum Avinione vi. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno undecimo.

CCCCLXIV.

Guillelmus ex ordine Carmelitarum ecclesiae Midensi in episcopum praeficitur. Reg. An. XI. Com. par. 1. fol. 388.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Guillelmo Episcopo Midensi, salutem etc. Inter cetera sollicitudinis nostre studia, etc. Nuper siquidem Midensi ecclesia pastoris solatio destituta, pro eo quod nos Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Epum tunc Midensem in Archiepum Cassellensem Electum, in illis partibus existentem, a vinculo, quo tenebatur eidem Midensi ecclesie, cui tunc preerat, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis ple-

nitudine absolventes, ipsum ad Cassellensem ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, preficiendo eum ipsi Cassellensi ecclesie in Archiepum et pastorem: Nos volentes eidem Midensi ecclesie, ne dispendia prolixe vacationis incurreret, paterna sollicitudine precavere, cum nullus preter nos hac vice de ipsius ecclesie Midensis ordinatione se intromittere potuerit, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi Midensis ecclesie provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc vacantium, et vacaturarum in antea per translationes per nos factas, et imposterum faciendas de prelatis earum ubilibet constitutis ad alias ecclesias tunc vacantes, et in futurum etiam vacaturas dispositioni nostre ac sedis apostolice duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Midensi ecclesie personam utilem cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum in te ordinis fratrum Carmelitarum, ordinem ipsum expresse professo, in sacerdotio constituto, sacre Theologie Magistro, vite ac morum honestate decoro, in spiritualibus provido et temporalibus circumspecto, aliisque virtutum meritis nobis dictisque fratribus fidedignorum testimonio commendato, noster animus requievit. Intendentes igitur tam ipsi Midensi ecclesie, quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, ac sperantes in domino, quod per tuum ministerium studiosum eadem Midensis ecclesia salubriter poterit regi ac dirigi, et utiliter gubernari, de persona tua eidem Midensi ecclesie de dictorum fratrum consilio apostolica auctoritate providimus, teque ipsi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo: et subsequenter tibi per Venerabilem fratrem nostrum Bernardum Episcopum Tusculanum munus fecimus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, prefata Midensis ecclesia per tue circumspectionis industriam in utrisque feliciter et prospere dirigetur, et salubria suscipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione supportans, commissumque tibi eiusdem Midensis ecclesie regimen sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod eadem Midensis ecclesia sponso utili et gubernatori provido gaudeat se commissam, tuque proinde preter retributionis eterne premium nostram, et dicto sedis benedictionem et gratiam plenius consequi merearis. Dat. Avinione xiiii. Kal. Martii, anno xi.

In e. m. Dilectis filiis Clero, populo, et universis Vassallis ecclesie Midensis, Archiepiscopo Armachano, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

CCCCLXV.

Archiepiscopo Armachano, ut de iniquis gestis abbatis s. Thomae mart. prope Dubliniam inquirat et referat. Reg. An. XI. Com. par. 1. fol. 372.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri .... Archiepo Armachano, salut. etc. Ad compescendos conatus illicitos perversorum, qui debite licentie ultra iuris terminos, laxatis habenis, pravis actibus se violenter et dampnabiliter exercere presumunt, censura iusticie per humanum ministerium est divinitus instituta, ut a presidentibus ratione previa exerceatur in subditos, ipsique subditi per exercitium dicte censure factum in ipsos et alios sentiant, et agnoscant inter sese suis contenti finibus modeste vivere, ac in eorum proximos non excedere vel sevire. Pro parte siquidem dilecti filii Nicolai de Wyterol, Abbatis Monasterii beati Thome martyris iuxta Dubliniam ord. sancti Augustini, querula et lugubri nobis extitit insinuatione monstratum, quod licet olim monasterio ipso vacante per spontaneam cessionem dilecti filii Raydulphi Canonici, tunc eiusdem Monasterii Abbatis, in manibus nostris factam, et a nobis admissam, Nos predictum Nicolaum dicto Monasterio per cessionem tunc vacanti prefatam prefecissemus auctoritate apostolica in Abbatem, sibique fecissemus munus benedictionis impendi, tamen Stephanus Tirel, Monasterii iamdicti Canonicus, se de facto, et non absque labe symoniaca in Abbatem ipsius Monasterii eligi procuravit, et per loci diocesanum electionem huiusmodi confirmari, sibique ab eo munus benedictionis impendi, et electionis, confirmationis et benedictionis huiusmodi pretextu regimen eiusdem Monasterii occupavit, dictoque Nicolao per sex menses et amplius viribus et malitiis suis et suorum restitit, quominus idem Nicolaus libere assequi posset, prout sibi licebat, curam et administrationem Monasterii prelibati, quas ipse postmodum obtinuit presertim apostolico favore suffultus, dicto Stephano illas invito forsitan dimittente. Deinde vero prefatus Stephanus, urens interius ambicionis maligne ac inordinate cupitatis incendio, ut reduceretur ad Abbatialis dicti Monasterii fastigium dignitatis ad apostolicam sedem versipellis accessit, et penitus tacito de premissis falso, confingens ipsius Monasterii se Abbatem contra eundem Nicolaum, quem Canonicum fore predicti Monasterii asserebat, quasdam super hoc in forma communi litteras impetravit, et post eius ad partes illas redditum litterarum ipsarum pretextu, quorumdam sibi super hoc assistentium favore suffultus, quamquam etiam per litteras ipsas processum in aliquo non fuisset, prefatum Nicolaum eodem regimine per violentiam nequiter spoliavit, seque in illo intrusit, idem Monasterium occupando, ac dictum Nicolaum sine metu divini iudicii et humana verecundia cepit, et carceri mancipavit, necnon ad vitam panis et aque dolorosam et miseram deputavit, et fecit tamdiu squallore carceris macerari, donec ipse taliter maceratus mortique vicinus, metu verisimili mortis predicte compeditus et afflictus, coram ipso diocesano clandestine idem regimen, voluntatem exterius exprimens, sed voluntatem retinens interius resignavit. Sed idem Stephanus, ne dictus Nicolaus ad prosecutionem resurgeret iuris huiusmodi, predicto Nicolao illatis per eum afflictionibus non contentus, nichilominus dictum Nicolaum detinuit in carcere antedicto, eoque sic

detento, se postea etiam de facto, et non sine vitio symonie in Abbatem dicti Monasterii eligi, et electionem huiusmodi rursus factam confirmari per eundem diocesanum dampnabiliter procuravit. Processu vero temporis cum tu Hybernie Primas illas pervenisses ad partes, idem Nicolaus hoc intellecto, dicto etiam fracto carcere, ad te iter arripuit accedendi, ut coram te ius suum, suamque iniuriam adversus Stephanum super hiis posset prosequi antedictum. Predictus vero Stephanus formidans, ne de huiusmodi suis excessibus converteretur in eum iudicium ultionis, armata manu iter huiusmodi prosecutus extitit, quousque dictum Nicolaum corporaliter apprehendit, idemque Nicolaus propter hoc ad nostram audientiam legitime appellavit. At idem Stephanus post et contra huiusmodi appellationem intimatam eidem, ad nos et sedem predictam respectu seu reverentia non attentis, sed verius vilipensis, appellationem dilaniavit eandem, ipsumque Nicolaum cum suis adherentibus, habitu et aliis suis vestibus laceratum, verberatum, et alias lacessitum, reduci fecit ad carcerem supradictum, et inibi eum afflixit et affligere non veretur, donec ipse Nicolaus paulatim consumptus corpore, et attenuatus in spiritu miserabiliter transeat de hac luce. Quare nobis ex parte dicti Nicolai fuit humiliter supplicatum, ut premissis afflictionibus suis benignitate apostolica compati, sibique in hac parte apostolica clementia de oportuno remedio providere misericorditer dignaremur. Cum igitur simus cunctis in iustitia debitores, Nos volentes super predictis rationabilis provisionis, ut tenemur ex officii nostri debito, antidotum adhibere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus super premissis et singulis informationem sufficientem recipias per indaginem non solennem, et si ea repereris veritate fulciri, prefatum Nicolaum auctoritate nostra facias prorsus ab eodem carcere liberari, Contradictores etc. Non obstantibus etc. Quicquid autem de predictis et singulis per informationem et indaginem huiusmodi te invenire contigerit, nobis per tuas litteras harum seriem continentes dare particulariter, et distincte studeas quantocius fideliter intimare. Dat. Avinione Idibus Februarii, Pontificatus nostri anno undecimo.

CCCCLXVI.

Walterus le Rede ecclesiae Corkagensi in episcopum praeficitur, eique munus consecrationis et licentia datur ad suam ecclesiam eundi. Reg. An. XI. Com. par. 2. fol. 132 et par. 3. fol. 74.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Waltero le Rede Electo Corkagensi, salutem etc. Sedula nos pastoralis officii cura etc. Olim siquidem bone memorie Philippo Episcopo Corkagensi regimini Corkagensis ecclesie presidente, Nos cupientes per apostolice sedis providentiam eidem ecclesie, cum eam per ipsius Philippi obitum, seu quovis alio modo vacare contingeret, approbatam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie, cum vacaret, ea vice dispositioni nostre et eiusdem sedis duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero eodem Philippo in partibus illis viam universe carnis ingresso, Nos attendentes, quod nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, post deliberationem, quam ad preficiendum eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria dicta ecclesia in suis valeret iuribus adaugeri, ac etiam defensari, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum Corkagensem, in sacerdotio constitutum, cui litterarum scientia, morum elegantia, vite honestas, aliaque dona virtutum tibi desuper concessorum, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, laudabiliter suffragantur, direximus aciem nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio, eidem ecclesie, auctoritate apostolica providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione xiii. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno undecimo.

In e. m. ... Decano et Capitulo ecclesie Corkagensis, Clero et populo civitatis et diocesis Corkagensis, universis Vassallis ecclesie Corkagensis, Iohanni Episcopo olim Midensi in Archiepum Casellensem Electo, et Eduardo Regi Anglie Illustri.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Waltero Episcopo Corkagensi, salutem etc. Datur ei per Petrum Episcopum Penestrinum munus consecrationis, et licentia ad ecclesiam suam revertendi. Datum Avinione iiii. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno undecimo.

CCCCLXVII.

Cum Willelmo comite Ulconiae in Hibernia dispensatur, ut cum aliqua muliere ex Anglia in tertio et quarto gradu sibi coniuncta possit matrimonialiter copulari. Reg. An. XI. Com. par. 2. fol. 211.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Willelmo Comiti de Ulconia in Ibernia, salutem etc. Etsi inter illos, qui consanguinitatis linea invicem sunt connexi, sacrorum canonum instituta matrimonialem copulam interdicant, summus tamen Pontifex ex plenitudine potestatis, quam non ab homine obtinet, sed a deo, considerata personarum et temporum qualitate utiliora prospiciens, nonnunquam rigorem iusticie mansuetudine, presertim circa personas generis nobilitate pollentes temperat, et quod negat iuris severitas, de gratia provide benignitatis indulget. Sane peticio pro parte tua nobis exhibita continebat, quod ad solidandum firmius, deo duce, inter Anglicos et Ybernicos futuris temporibus pacis bonum, necnon propter alias rationabiles causas cum aliqua nobili muliere de Regno Anglie, cui tu in quarto ex parte utriusque parentum, et ipsa ex parte patris in tertio, et ex parte matris suorum in quarto consanguinitatis gradibus attinetis invicem, desideras matrimonialiter copulari: sed quia matrimonium

huiusmodi nequeas contrahere dispensatione super hoc sedis apostolice non obtenta, pro parte tua nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos itaque, qui libenter Christifidelibus pacifici status commoda procuramus, ad statum pacificum terrarum Anglie et Ibernie solicitis desideriis intendentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod tu et eadem nobilis in prefatis gradibus, vel eorum altero invicem, ut premittitur, attinentes, impedimentis, que ex predictis consanguinitatibus proveniunt, nequaquam obstantibus, huiusmodi matrimonium invicem contrahere valeatis licite et in eodem libere permanere, vobiscum auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem suscipiendam ex vobis de apostolice potestatis plenitudine legitimam decernentes. Nulli ergo etc. nostre dispensationis et constitutionis infringere etc. Dat. Avinione Kal. Maii, Pontificatus nostri anno undecimo.

CCCCLXVIII.

Archiepiscopo Armachano, ut episcopi et ecclesiae Darensis causam contra comitem Ulconiae eiusque successores de vexationibus et usurpationibus etc. audiat et decernat. Reg. An. XI. Com. par. 2. fol. 44.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri .... Archiepiscopo Armachano, salut. etc. Officii nostri debitum exigit, ut quibusque poscentibus iusticie plenitudinem (sic), et ut ecclesias universas, quarum sollicitudo nobis imminet generalis, quatenus iuste possumus, preservemus a dispendiis et precaveamus indempnitatibus earumdem. Ex tenore siquidem petitionis Venerabilis fratris nostri Michaelis Episcopi, et dilectorum filiorum Capituli Derensis nobis oblate percepimus, quod tempore bone mem. Goffredi Epi Derensis, predecessoris dicti Michaelis, inter eosdem Goffredum et Capitulum ex parte una, et quondam Ricardum de Burgo Comitem Ulconie Derensis diocesis super iure patronatus quarundam ecclesiarum, et nonnullis terris, bonis et iuribus ad Episcopalem mensam Derensem ac dictam ecclesiam spectantibus, que ipse Comes, fultus in illis partibus favore potentie temporalis, ad se spectare minus veraciter pretendebat, eaque usurpare ac etiam occupare pro viribus nitebatur, ex altera suborta discordia, et guerra propterea ingruente, cum idem Comes eos precellere opibus et potentia prelibata, dictique Goffredus et Capitulum prefato Comiti super premissis resistere non valerent, et ipsius Comitis eorum vicini adversus eos et dictam ecclesiam Derensem molesta vexatio non deesset, nec contra dictum Comitem aliquod eis tunc temporis efficax suffragaretur remedium in hac parte, demum inter partes ipsas quedam super hiis compositio intervenit, in enorme predictarum mense et ecclesie lesionem: cui siquidem compositioni predicti Goffredus et Capitulum, ex huiusmodi molestiis et vexationibus per eundem Comitem eis illatis diutius lacessiti, et affecti tedio diuturno, verbaliter et non cordialiter consenserunt, videlicet quod dictus Comes et sui heredes portionem et iurisdictionem temporalem, quam in civitate Derensi habebant Goffredus et Capitulum antedicti, necnon ius advocationis in certis locis, ac diversa tenimenta et iura in scripturis alias autenticis inde confectis particulariter designata, et ad ecclesiam Derensem et mensam prefatas spectantia imperpetuum obtinerent pro certa sed[is] valde modica respectu valoris annui portionis, iurisdictionis, iuris advocationis, tenimentorum et iurium huiusmodi pensione annua, Episcopo, qui esset pro tempore, ac ipsi ecclesie Derensi annis singulis certis terminis exolvenda, et ex tunc iam viginti annis elapsis predictus Comes portionem, iurisdictionem, ius advocationis, tenimenta et iura predicta tenuit, atque tenet non absque sue salutis dispendio, et ecclesie Derensis et mense predictarum gravissimo detrimento, propter quod ecclesia Derensis et mensa prefate graviter sunt depresse, ac resperse non modicum pulvere paupertatis, et huiusmodi lesionem enormem propterea incurrerunt. Quare nobis predicti Michael Episcopus et Capitulum humiliter supplicarunt, ut cum dictus Comes nuper de medio sit sublatus, ipsique ius eorum mense ac ecclesie predictarum velint super premissis prosequi adversus heredem seu heredes prefati Comitis, et quoslibet alios, ad quos portio iurisdictionis, ius advocationis, tenimenta, et iura predicta post dicti Comitis obitum forsitan pervenerunt, ad dimittendum ea omnino mense ac Derensi ecclesie prelibatis, cum fructibus inde perceptis, et qui percipi potuerunt, deducto valore annuo pensionis eiusdem pro temporibus, quibus extitit persoluta, et cum refectione dampnorum, que mensa et ecclesia Derensis predicte incurrisse noscuntur, compelli per discretum aliquem mandaremus. Quia vero nobis non constitit de premissis, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem etc. Datum Avinione VIII. Kal. Marcii, Pontificatus nostri anno undecimo.

CCCCLXIX.

Electo Casseliensi mittitur pallium. Reg. An. XI. Com. par. 5. fol. 74.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo olim Midensi, in Archiepiscopum Cassellensem electo, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tua fuisset a nobis cum ea, qua decuit, instantia postulatum: Nos tuis supplicationibus annuentes, palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum tibi per venerabiles fratre nostros ... Lismorensem et ... Imilicensem ac ... Limericensem Episcopos, vel duos aut unum eorum assignandum, per dilectos filios Guillelmum Obrodyr et Iohannem Obrodyr Canonicos Cassellenses, nuntios et procuratores tuos per te specialiter constitutos, duximus destinandum, ut illud iidem Episcopi, vel duo aut unus ipsorum tibi assignent sub forma, quam sibi sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis

debite solitum recipiant iuramentum. Tu autem palleo ipso intra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in tue Cassellensis ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, discretionem tuam monemus attentius et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iustitiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, ac dictam Cassellensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, auctore dño, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Avinione viii. Idus Iuli, Pontificatus nostri anno undecimo.

CCCCLXX.

Constitutio de uniendis ecclesiis Lismorensi et Waterfordensi. Reg. An. XI. Com. par. 2. fol. 249.

Iohannes episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romana ecclesia, que super universas orbis ecclesias obtinet divina institutione primatum, circa singulas materne diligentie cura sedulo vigilans, earum profectibus velut sollicita mater ardenter intendit, studens ecclesiarum ipsarum presertim Cathedralium commoda interdum per salubris unionis ministerium, prout locorum et temporum ac personarum qualitate pensata, earumdem ecclesiarum et prelatorum eis presidentium utilitati expedire prospicit, efficaciter procurare. Sane Carissimus in Christo filius noster Edwardus Anglie Rex Illustris ac dominus Ibernie attente considerans, quod ecclesie in eiusdem Ibernie provincia constitute, et presertim Cathedrales adeo sunt in facultatibus tenues et exiles, quod propter tenuitatem eorum proventuum vilescit in eis pontificalis auctoritas, nec eis debita quam oportet reverentia exhibetur, eorum quoque presules ad tenendum statum debitum et familiam oportunam sufficientes redditus non habentes, in suorum defensione iurium et regalium redduntur plurimum impotentes, ipsorum etiam presulum impotentia et paupertas ad diminutionem iurium et regalium noscitur redundare, ad quorum defensionem, et regendam in pace provinciam multum profecto facit non solum circumspectionis industria, quinimo sufficientia facultatum et potentia Prelatorum: ac propter hoc diligenter attendens sibi et Regno ac dominio suis, et etiam pacifico statui totius Insule eiusdem Ibernie plurimum expedire, ut per uniones dictarum pauperum ecclesiarum status earum, predictis causis rationalibus suadentibus, in melius reformetur, ut duarum vel plurium sub unius et eiusdem presulis moderamine unita potentia presul vivat decentius, sufficientius resistat persecutorum insultibus, defendat episcopalia iura commodius, commissum sibi gregem dominicum potentius tueatur, eundemque in maiori pace ac tranquillitate gubernet; nobis humiliter supplicavit, ut Lismorensem et Waterfordensem, cuius redditus et proventus annui vix quinquaginta marchas sterlingorum transcendere dinoscuntur, sibi vicinitate coniunctas ecclesias Cathedrales, que adeo sunt in facultatibus et redditibus suis tenues et exiles, quod earum presules singulariter singuli ex eis nequeunt iuxta Episcopalis status decentiam commode sustentari, unire invicem dignaremur. Nos igitur laudabile eiusdem Regis in hac parte propositum et commendabile zelum, quem ad Deum et ecclesias habere dinoscitur, plurimum commendantes, ac considerantes quod Prelatis etiam earumdem ecclesiarum videtur expediens huiusmodi fieri unionem propter urgentem necessitatem et evidentem utilitatem ipsarum, et alias rationabiles causas predictas, easdem ecclesias de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis unimus auctoritate presentium, statuentes ut statu presulum, qui nunc presunt eisdem, sine mutatione alique integro remanente, tandem quovis ipsorum cedente, seu etiam decedente, sit una earumdem ecclesiarum Episcopalis dignitas, quod superstes sit Episcopus utriusque Lismorensis et Waterfordensis Episcopus nominandus, et in qualibet ecclesiarum ipsarum sedem Episcopalem habeat, et utatur, et exerceat Episcopalia in utraque, prout viderint expedire, ac deinceps ecclesie ipse uno et eodem Antistite simili, quinimo potius eadem intitulatione usuro perpetuis temporibus gubernentur, cuius electionem, cum ipsarum vacatio imminebit, in altera dictarum ecclesiarum insigniori, videlicet ab utrisque Canonicis voces in eadem electione quasi forent unum corpus seu collegium pariter habituris, decernimus celebrandam, ac quociens novi pastoris electio fuerit facienda, ad Capitulum eiusdem insignioris ecclesie eorumdem Canonicorum utriusque vocatio ad electionem huiusmodi celebrandam debeat pertinere: pro hoc autem Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Cassellensi ipsarum ecclesiarum Metropolitano eiusque successoribus, seu etiam Cassellensi ecclesie nullum preiudicium generetur, quominus in eisdem Lismorensi et Waterfordensi ecclesiis habeant alia iura metropolitica omnia, illaque percipiant, sicut prius. Volumus etiam et apostolica auctoritate decernimus, ut si forte alicuius dictarum ecclesiarum Episcopus senio aut valetudine corporali gravatus, vel alias impeditus adeo fuerit perpetuo, aut officium suum nequeat exercere, ac ecclesie sibi commisse curam et administrationem gerere oportunas, suique Metropolitani et duorum presulum Suffraganeorum suorum iudicio impotens seu inutilis, aut inhabilis censeatur, cura et administratio eiusdem ecclesie sic unite, cuius presul extiterit, ut prefertur, in spiritualibus et temporalibus ad Episcopum alterius ecclesie sibi invicem coniuncte, (ac) si eiusdem Epi taliter, ut premittitur, impediti concurrat assensus, debeat pertinere. Proviso tamen, quod prefato Episcopo impedito de victu et vestitu sufficienti predictorum arbitrio debeat provideri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre unionis, statuti voluntatis et constitutionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei etc. se noverit incursurum. Datum Avinione ii. Kal. Augusti Pontificatus nostri anno undecimo.

CCCCLXXI.

Constitutio de uniendis ecclesiis cathedralibus Enachdunensi, Achadensi et Ducensi sedi Metropolitanae Tuamensi. Ibidem fol. 405.

Iohannes episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romana ecclesia etc. ut in superiori proxima, usque et presertim Cathedrales, ac etiam metropolitica predite dignitate etc. usque nobis humiliter supplicavit, ut Archiepiscopali ecclesie Tuamensi, que licet sit predita metropolitica dignitate, redditus tamen et proventus illius sint valde tenues et exiles, ita quod ex eis Archiepiscopus Tuamensis, qui est pro tempore, non potest iuxta Archiepiscopalis status decentiam commode sustentari, Enachdunensem sibi vicinam, et Achadensem ac Duacensem ecclesias Cathedrales eius suffraganeas, quarum singularum singulariter redditus et proventus adeo sunt exiles et tenues, quod earum presules singulariter singuli ex eis nequeunt congruam sustentationem habere, unire et connectere dignaremur. Nos igitur laudabile etc. causas predictas, easdem Enachdunensem et Achadensem ac Duacensem ecclesias eidem Tuamensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis unimus, auctoritate presentium statuentes, ut statu presulum, qui dictis ecclesiis suffraganeis nunc presunt, sine immutatione aliqua integro remanente, tandem quovis ipsorum presulum cedente, prefatus Archiepiscopus eiusdem ecclesie, cui presul ipse prefuerat, curam, gubernationem ac plenam et liberam administrationem in spiritualibus sucipiat ac gerat, et exerceat, sicut proprius presul ecclesie memorate, fructus, redditus et proventus ad Episcopalem mensam eiusdem ecclesie pertinentes in suas et ipsius ecclesie utilitates proinde convertendo: ita tamen, quod predicta ecclesia Cathedralis, et in ea sedes Episcopalis remaneat, dictusque Archiepiscopus ea, que sunt episcopalis iurisdictionis et ordinis, exerceat in eadem, premissis in aliis ecclesiis suffraganeis ei unitis similiter observandis, statu tamen singulorum Capitulorum singularum earumdem ecclesiarum taliter unitarum in nullo penitus minuendo: quinimo etiam cum eiusdem Archiepiscopalis ecclesie per vacationem electio imminebit, Canonici dictarum ecclesiarum taliter unitarum, qui in eisdem ecclesiis residebunt, vel absentes, si in talibus locis existant, unde de iure vel consuetudine sint vocandi, per Capitulum eiusdem Archiepiscopalis ecclesie Tuamensis ad electionem futuri Archiepiscopi convocentur, quam quidem electionem ab ipsarum ecclesiarum unitarum Canonicis, vocem in eadem electione una cum Canonicis eiusdem ecclesie Tuamensis quasi forent unum corpus seu collegium pariter habituris, in dicta Tuamensi ecclesia decernimus celebrandam. Nulli etc. nostre unionis et constitutionum infringere etc. Dat. Avinione II. Kal. Aug. anno XI.

CCCCLXXII.

Iacobus archidiaconus praeficitur ecclesiae Sancti Andreae in episcopum. Reg. An. XII. Com. par. 2. fol. 209.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iacobo Episcopo Sancti Andree, salutem etc. Romana ecclesia, que super universas alias orbis ecclesias obtinet divina miseratione primatum, circa singulas materne diligentie cura sedulo invigilans, earum profectibus velut mater sollicita ardenter intendit, studens, ut per sue prudentie ministerium ecclesiis ipsis, que propriis pastoribus viduate eidem dumtaxat ecclesie sunt subiecte, preficiantur viri ydonei in pastores, qui eas in spiritualibus et temporalibus possint et sciant salubriter gubernare. Dudum siquidem bone memorie Willelmo Episcopo Sancti Andree regimini S. Andree ecclesie, ad dictam Romanam ecclesiam immediate spectantis, presidente, Nos cupientes eidem Sancti Andree ecclesie, cum vacaret, personam utilem ac etiam fructuosam per apostolice sedis providentiam presidere, provisionem ipsius ecclesie Sancti Andree, quamprimum eam quovis modo et ubicumque vacare contingeret, dispositioni nostre et dicte sedis ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero eadem ecclesia Sancti Andree per obitum dicti Guillelmi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris regimine destituta, Nos attendentes, quod nullus preter nos de ordinatione ipsius ecclesie se ea vice intromittere poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem, per quam dicta ecclesia preservari valeret a noxiis et in prosperis feliciter adaugeri, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Archidiaconum ipsius ecclesie Sancti Andree, Capellanum nostrum, in sacerdotio constitutum, vita laudabilem, litterarum scientia preditum, morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, ac aliis virtutum donis, quibus te gratiarum dispensator altissimus laudabiliter insignivit, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte ecclesie Sancti Andree, quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere de persona tua, nobis et fratribus nostris ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie Sancti Andree de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo tibi postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque concepta, quod eadem ecclesia, deo auctore, per tue circumspectionis industriam preservabitur a noxiis et adversis, ac spiritualiter et temporaliter proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem ecclesiam Sancti Andree sponsam tuam cum nostre gratia benedictionis accedens, illius regimen sic sollicite studeas exercere, gregem dominicum in ea tibi creditum doctrina verbi et operis informando, quod eadem ecclesia Sancti Andree per tue circumspectionis ministerium de bono semper in melius augeatur, ac

votivis successibus gratuletur, tuque proinde notram et dicte sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Dctum Avinione Kalendis Augusti, Pontificatus nostri anno decimo secundo.

In e. m. Priori et Capitulo, Clero, populo et universis Vassallis ecclesie sancti Andree in Scotia.

CCCCLXXIII.

Roberto regi Scotorum idem Iacobus epus Sancti Andreae commendatur. Reg. An. XIII. Com. par. 1. fol. 36.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Roberto Regi Scotorum Illustri, salutem etc. Divine retributionis premium et preconium humane laudis acquiritur, si prelatis ecclesiarum, et hiis presertim, qui pontificali dignitate prediti fore noscuntur, condignus honos impenditur et favor necessarius exhibetur. Dudum siquidem bone memorie Willelmo Episcopo Sancti Andree regimini Sancti Andree ecclesie, ad Romanam ecclesiam immediate spectantis, presidente, Nos cupientes eidem Sancti Andree ecclesie, cum vacaret, personam utilem ac etiam fructuosam per apostolice sedis providentiam presidere, provisionem ipsius ecclesie Sancti Andree, quamprimum eam quovis modo et ubicumque vacare contingeret, dispositioni nostre et dicte sedis duximus ea vice specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero eadem ecclesia Sancti Andree per obitum dicti Willelmi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris regimine destituta, Nos attendentes, quod nullus preter nos de ordinatione ipsius ecclesie se ea vice intromittere poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem, per quam dicta ecclesia preservari valeret a noxiis, et in prosperis feliciter adaugeri, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad Venerabilem fratrem nostrum Iacobum Episcopum Sancti Andree, tunc Archidiaconum ipsius ecclesie Sancti Andree, Capellanum nostrum, in sacerdotio constitutum, vita laudabilem, litterarum scientia preditum, morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis virtutum donis, quibus ipsum Iacobum dispensator altissimus multipliciter insignivit, dereximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte ecclesie Sancti Andree, quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, de persona dicti Iacobi, nobis et dictis fratribus ob huiusmodi suorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie Sancti Andree de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, ipsumque Iacobum illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo eidem Iacobo postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque concepta, quod eadem ecclesia, deo auctore, per sue circumspectionis industriam preservabitur a noxiis et adversis, ac spiritualiter et temporaliter proficiet incrementis. Cum itaque, fili Carissime, sit virtutis opus Dei ministros, et presertim pontificali dignitate preditos, benigno favore prosequi, ac eosdem verbis et operibus pro Regis eterni gloria venerari: Excellentiam Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eidem Episcopo ob reverentiam apostolice sedis et nostram te sibi reddas favore regio munificum, et in cunctis oportunitatibus gratiosum, ita quod idem Episcopus tue Celsitudinis fultus auxilio in commissa sibi cura pontificalis officii possit assidue, Deo propitio, prosperari, ac tibi exinde perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Avinione Idibus Octobris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

CCCCLXXIV.

Robertus rex Scotiae a sententiis et poenis, quas incurrerat, et processibus contra eum factis ratione belli, quod habebat cum rege Angliae, absolvitur. Reg. An. XIII. Com. par. 2. fol. 311.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Roberto Regi Scocie Illustri, salut. etc. Quamvis apostolice sedis auctoritas, prelata divinitus fidelibus universis, plerumque virga debite discipline percutiat delinquentes in procedendo contra eos, digesta (sic) maturitatis servata, sententias proferens et penas infligens, prout malitia temporis exigit et meretur qualitas delictorum: sedes tamen ipsa ex benignitate solita circa redeuntes humiliter ad ipsius gremium oleum pietatis, et miserationis unguentum non denegat, sed effundit, ipsisque ad gremium ipsius sedis cupientibus devote redire, sue misericordie sinum non claudit, sed illis resurgere conantibus manum letanter porrigit adiutricem, cum suorum mater oblivisci nequeat filiorum. Dudum siquidem post nostre promotionis auspicia ad statum apostolice dignitatis, antiquam abolim inter te et clare memorie Eduardum Regem Anglie dissensionis odiose materiam in nostri pectoris intimis revolventes, et animarum deflenda pericula, dolendas fidelium strages innumeras, multiplicia dispendia facultatum et nocumenta gravissima, que multis Regnorum ipsorum ecclesiis et personis ecclesiasticis ipsius protractio dissensionis intulerat, ac dispendiosa, que paraverat obstacula negotio terre sancte, et verisimiliter poterat formidari, ne similia forsan obicerent in futurum, vias et modos, quibus circa premissa, domino propitiante, salubria possemus adhibere remedia, cum multa diligentia duximus exquirendos, et tandem ad Venerabilem fratrem Gaucelinum Epum Albanensem, tunc tit. sanctorum Marcellini et Petri presbiterum, et dilectum filium nostrum Lucam sancte Marie in Vialata diaconum Cardinales nostre considerationis, oculos dirigentes, illos ad Anglie et Scotie Regna et Ibernie ac Wallie partes pro in(re)formatione pacis huiusmodi, plena ipsis super hoc potestate concessa, duximus destinandos, eis nichilominus inter alia te, si eiusdem pacis reformationi nolles forsitan assentire, vel nostris in hac parte acquiescere monitis non

curares, ad id per censuram ecclesiasticam et alias penas compellendi, et insuper contra te, si excommunicationis huiusmodi sustineres sententiam animo indurato, prout suaderet iusticia, procedendi per nostras diversas litteras contulimus potestatem. Et ut ad reformationem pacis huiusmodi via facilior prestaretur, inter te et Regem Anglie predictum treugas per certi temporis spatium duraturas duximus indicendas, Volentes illas a die notificationis seu publicationis earum per dictos Cardinales vel alium seu alios faciendo suum obtinere vigorem, ex tunc in personas non servantium vel infringentium eas excommunicationis sententias proferentes, quas per eos, vel alium seu alios tibi ac Regi predicto et aliis, de quibus eis videretur expediens, mandavimus publicari. Post que cum Cardinales prefati plures et diversos nuntios ad te super tractatu pacis huiusmodi destinassent, ac ex tractatibus inter te et eosdem nuncios habitis, et litteris eisdem Cardinalibus per te missis colligi poterat manifeste, quod tu nequaquam apostolicis ac ipsorum Cardinalium monitis et hortationibus acquiescere intendebas, iidem Cardinales, ut ad tractatum huiusmodi prosequendum facultas liberior prestaretur, ac volentes futuris periculis obviare, treugas predictas iuxta formam annotatam in litteris apostolicis super ipsis treugis eisdem concessis in civitate Londoniensi, ubi tunc morabantur, presentialiter publicarunt, et in nonnullis Anglie et Scocie Regnorum predictorum locis insignibus et confinibus eorumdem mandarunt et fecerunt per alios publicari: ac nichilominus vigore quarumdem litterarum nostrarum per nos eis directarum, te auctoritate nostra per eorum litteras publice monuerunt, tibique inhibuerunt expresse, ne predictum Regem invaderes, ac Regnum et terras suas predicta nequaquam intrares, nec turbator pacis existeres prelibate, quodque invadentibus seu intrantibus auxilium non prestares vel consilium quovis modo: alioquin si contra monitionem et inhibitionem eorumdem aliquid presumeres attemptare, nisi infra certum terminum tibi per eos prefixum desisteres a premissis, in te, canonica monitione premissa, excommunicationis sententiam, ac in Regnum Scocie et terras prefatas tuas interdicti sententias protulerunt. Post que tu per te ipsum, necnon per Comites et Barones ac Nobiles et alios de dicto Regno Scocie indictionis et publicationis treugarum, ac monitionis et inhibitionis huiusmodi, ut presumebatur verisimiliter, non ignaros treugas ipsas nullatenus observando, Regnum ipsum Anglie intrare, necnon villam et castrum de Berwico, quam et quod dictus Rex tunc tenebat, et quedam alia castra, terras et loca dicti Regis et ipsius Regni Anglie incolarum consistentia infra illud invadere, ac in magnam gentem Regis ipsius dicteque ville de Berwico incolas cedem committere non pavisti: propter quod iidem Cardinales denunciarunt et declararunt te predictas excommunicationis sententias, per nos et Cardinales ipsos latas in dictis processibus, incurrisse, teque excommunicatum nuntiarunt, et fecerunt in diversis Cathedralibus et aliis ecclesiis solennibus publice nuntiari. Et denique quia tu mandata et sententias huiusmodi contempnebas, ipsi Regnum Scocie et alias terras tuas predicta declararunt et pronunciarunt ecclesiastico fuisse supposita interdicto. Ac demum cum tu excommunicationis et interdicti et alias sententias supradictas sustinuisses per annum et amplius animo indurato, ac nichilominus Regis ipsius terram cum gentibus tuis manu armata hostiliter ingredi, sicut tunc ad nos deduxit fidedigna relatio, presempsisses: Nos volentes ex mansuetudine dicte sedis tue in hac parte nobilitati deferre, cum sicut colligi poterat probabiliter ex premissis, si citationem tuam aliquibus committi contingeret, eis ad dictum Regnum Scocie pro citatione huiusmodi facienda tutus non patuisset accessus, te per publice citationis edictum, astante multitudine fidelium copiosa, iuxta morem eiusdem ecclesie citavimus, ut infra certum competentem terminum peremptorium per te, vel procuratorem tuum ydoneum, apostolico te conspectui presentares, legitime in huiusmodi negotio processurus, et facturus et recepturus, quod in premissis iusticia suaderet. Cumque postmodum tu per te vel procuratorem ydoneum comparere in eodem termino coram nobis, et post expectatus diutius non curasses: Nos propterea de fratrum nostrorum consilio te reputavimus et pronuntiavimus, exigente iusticia, contumacem, et fore contra te tamquam contumacem merito procedendum. Post que cum eisdem fratribus deliberatione prehabita, primo ad tuam contumaciam pergravandam tam in audientia nostra publica, quam in consistorio in dictorum fratrum et aliorum astantium presentia, premissis solcnnibus tribus requisitionibus, seu proclamationibus, si aliquis esset, qui pro te vellet, ut premittitur, comparere, vel tuam in hac parte contumaciam excusare, vel pro te aliquid allegare, cum nullus pro te procurator vel excusator seu nuntius compareret, in te excommunicationis sententiam propter huiusmodi tuam contumaciam manifestam, exigente iustitia, de ipsorum fratrum consilio duximus promulgandam. Cum igitur ad presens, cooperante pacis principe, qui facit concordiam in sublimibus suis, et arcem possidet unitatis, quique de throno celesti ad orbis ima descendens, pacem in terra per celestium angelorum exercitum gloriose pacis canticum continentem bone voluntatis hominibus nuntiavit, et demum regressurus ad patrem pacis bonum, quod super omnia diligebat, tanquam donum gratissimum dedit fidelibus et reliquit, pax et concordia inter te et Carissimum in Christo filium nostrum Eduardum nunc Regem Anglie Illustrem fuerint reformate, tu cupiens tanquam devotionis filius ad sinum alme matris ecclesie, que nulli redeunti clausit gremium, cum humilitate redire ipsiusque ac nostris in omnibus obedire mandatis, nobis per Venerabiles fratres nostros Iacobum Sancti Andree et Iohannem Moraviensem Episcopos, ac dilectum filium Adam Electum Brekinensem nuncios et procuratores tuos, qui Episcopus Sancti Andree, Iacobus Benedicti Archi-

diaconus ecclesie Sancti Andree, et Adam Electus prefati, Adam de Moravia decretorum doctor in littera, in qua eos ad id procuratores tuos constituisti, per te nominati fuerint, ad nostram presentiam super hiis specialiter destinatos, humiliter supplicasti, ut providere tibi et statui tuo, ac Regno et terris tuis prefatis de salubris et oportune absolutionis et interdicti relaxationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos itaque, qui ipsius Regis pacifici vices in terris quamvis insufficientibus meritis exercemus, ipsius exemplis salubribus eruditi, huiusmodi pacis et concordie dulcedinem paternis brachiis amplectantes, considerantes etiam attentius, quod divinitatis natura clemens est, pia, magisque ad indulgentiam, quam ad vindictam prona, que non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, prefatis nuntiis et procuratoribus nomine tuo postulantibus humiliter et devote, qui etiam habentes ad hoc speciale mandatum de satisfaciendo super omnibus et singulis nostris et eiusdem ecclesie mandatis, in animam tuam prestiterunt corporale in nostra presentia iuramentum, bona tua ad hoc etiam obligando, te a prefatis omnibus et singulis excommunicationum sententiis, atque penis, quas per nos et Cardinales ipsos latas, ut premittitur, incurristi, auctoritate apostolica tenore presentium duximus absolvendum, dictumque interdictum in Regno Scocie et alias tuas terras prefatas per Cardinales ipsos, ut prefertur, prolatum, usque ad biennium a data presentium numerandum, auctoritate predicta de speciali gratia relaxamus. Verum quia mediator dei et hominum homo dominus noster Ihesus Christus hanc prepositis ecclesie tradidit potestatem, ut confitentibus penitentie satisfactionem docerent, et eisdem salubri satisfactione purgatis reconciliationis ianuam aperirent, tibi pro premissis quoad presens huiusmodi penitentiam iniungimus salutarem: videlicet quod decetero per te vel alium seu alios treugas, si quas per sedem apostolicam inter te et ipsum Regem indici canonice contingeret in futurum, nullo medio violare, ac mandatis apostolicis licitis contraire, Regnum etiam Anglie, ac terras alias dicti Regis nunquam invadere, seu alias occupare presumas, nisi quantum tibi de iure concessum fuerit vel permissum, reservatis nobis omnibus aliis, que pro premissis tibi iniungenda fuerint, tibi nostro arbitrio imposterum imponendis. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, relaxationis et iniunctionis etc. Datum Avinione Idibus Octobris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Iohannes etc. Venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis et Episcopis, ac aliis ecclesiarum Prelatis, ad quos presentes littere pervenerint, sal. etc. Quamvis etc. usque imponendis. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum per vos vel alium seu alios in ecclesiis vestris, et aliis ecclesiis atque locis vestrarum civitatum et diocesum, ac locorum, de quibus vobis expediens fuerit, eundem Robertum Regem, cum pro parte ipsius fueritis requisiti, absolutum a prefatis excommunicationum sententiis atque penis, dictumque interdictum usque ad biennium, ut premittitur, relaxatum auctoritate nostra publice nuntietis. Datum ut supra.

CCCCLXXV.

Adam ecclesiae Brechinensi in episcopum praeficitur. Reg. An. XIII. Com. par. 1. fol. 88.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Ade Episcopo Brekynensi, salutem etc. Ad regimen universalis ecclesie, disponente domino, licet immeriti evocati, de universis orbis ecclesiis iuxta pastoralis officii debitum sollicite cogitamus: sed earum nos angit sollicitudo propensior, que ecclesie Romane immediate subiecte viduitatis subiacent detrimentis, ut eis per nostre sollicitudinis studium de salubris provisionis remedio succurratur, ne, quod absit, earum vacatione dilata, lupus rapax gregem dominicum pastore carentem invadat, eius oves rapiat et dispergat. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Brekynensi regimini Brekynensis ecclesie, ad eandem Romanam ecclesiam immediate spectantis, presidente, Nos intendentes prefate Brekynensi ecclesie, cum eam per ipsius Iohannis Epi obitum vel alio quovis modo vacare contingeret, nostre operationis ministerio ydoneam fructuosamque presidere personam, provisionem ipsius ecclesie, cum, ut prefertur, vacaret, ordinationi et dispositioni nostre et sedis apostolice ea vice duximus reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia Brekynensi per obitum ipsius Iohannis Episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere poterat, reservatione ac decreto predictis obstantibus, paternis et sollicitis studiis intendentes, et cupientes talem eidem ecclesie preesse personam, que sciret, vellet et posset eam in suis manutenere iuribus, et etiam adaugere, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam huiusmodi cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te decretorum doctorem, in sacerdotio constitutum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum et probitatis meritis, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris accepta, eidem Brekynensi ecclesie de dictorum fratrum consilio apostolica auctoritate providimus, teque illi prefecimus in Epum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo: et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Episcopum Sabinensem tibi fecimus munus consecrationis impendi, in eo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod prefata ecclesia per tue industrie et circumspectionis fru-

ctuosum studium regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus, auctore domino, suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam Brekynensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, curam et administrationem predictas sic geras utiliter et sollicite prosequaris, gregem dominicum in illa tue vigilantie creditum doctrina verbi et operis informando, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter retributionis eterne premium nostre, ac ipsius sedis benedictionis et gratie merearis percipere incrementum. Dat. Avinione II. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

In e. m. Capitulo, Clero et populo, universis Vassallis ecclesie Breckynensis, et Roberto Regi Scotorum.

CCCCLXXVI.

Roberto regi Scotiae conceditur, ut confessor suus semel in articulo mortis plenam ei dare possit absolutionem. Reg. An. XIII. Com. par. 1. fol. 65.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio [nostro] Roberto Regi Scocie Illustri, salut. etc. Eximie devotionis affectum, quem et ad nos et Romanam ecclesiam te habere percepimus, paterna consideratione benignius attendentes, votis tuis libenter annuimus, illa tibi favore benivolo concedendo, per quem conscientie tue pacem et salutem anime, sicut pie desideras, deo propitio, consequaris. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus, quem habes vel habebis imposterum, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus extiteris, eam plenam remissionem, quam Romani Pontifices consueverunt per speciale privilegium interdum personis aliquibus impertiri, tibi, quatenus claves ecclesie se extendunt, et gratum in oculis divine maiestatis extiterit, semel in mortis articulo auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni tue tenore presentium indulgemus: sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel per heredes tuos, si tunc forte transieris, faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut prefertur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione Nonis Novembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

CCCCLXXVII.

Eidem regi mandatur, ut Iacobum epum Sancti Andreae habeat commendatum, et castra sua, quae detinere dicitur, ei restituat. Reg. An. XIII. Com. par. 1. fol. 66.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Roberto Regi Scocie Illustri, salutem et ap. ben. Indubitanter, fili carissime, tenere te volumus, quod tuos honores tueque laudis et fame preconium affectione paterna diligimus, et sicut in iustis et laudabilibus tuis, prout honestatem Regiam decet, actibus deletamur, sic et si actus ipsi a iustitie, quod absit, linea deviarent, zelo benevolentie commovemur. Cum itaque Venerabilis frater noster Iacobus Episcopus Sancti Andree tibi devotus, ac negotiorum tuorum fervidus et laudabilis prosecutor, post munus consecrationis de mandato nostro impensum eidem, pro tuis dumtaxat felicius expediendis negotiis per nos apud sedem apostolicam retentus, usque nunc a nobis nequiverit obtinere licentiam recedendi: Nos ad ecclesiam suam Sancti Andree remittentes eundem, celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus ob reverentiam apostolice sedis et nostram, mentem tuam votis nostris in hac parte conformans, eundem Episcopum ad tuam presentiam accedentem sereno vultu respiciens tanquam illum, quem brachiis paterne dilectionis amplectimur, quique apud sedem existens eandem, cum de tuis tractabatur negotiis, illorum promotionem intimis desideriis affectabat, ipsum prerogativa specialis honoris et benevolentie prosequendo, castra, villas, possessiones et alia bona ecclesie sue cum fructibus, redditibus et proventibus perceptis exinde, que tuo nomine detineri dicuntur, eidem Episcopo integre restitues et restitui facias, ac in pace dimitti, maxime cum mora per eum apud sedem ipsam pro tuis negotiis, ut prefertur, contracta sibi nociva esse non debeat, quin imo potius fructuosa, eundem sicut decet Catholicum Principem pertractando, ac impendendo eidem super hiis benignum favorem Regium, sicut extiterit oportunum. Sic igitur preces nostras promptitudine devotionis adimpleas, quod idem Episcopus tuis fultus presidiis eandem ecclesiam et eius iura possit gubernare feliciter, et divina favente clementia in spiritualibus et temporalibus augmentare, ac nos, qui letabimur in sua prosperitate successuum, munificentiam Regiam in hoc specialiter dignis in domino laudibus commendare merito valeamus. Dat. Avinione VIII. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

CCCCLXXVIII.

Cum Waltero de Duppole clerico Morav. dioec. dispensatur, ut non obstante, quod habeat indicis digitum manus sinistrae mutilatum, possit licite habere beneficium sine cura. Reg. An. XIII. par. 2. Com. fol. 247.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Waltero de Duppole Clerico Moraviensis diocesis, salutem etc. Matris ecclesie copiosa benignitas universa discutiens, illis nonnumquam iuris rigorem mansuetudine temporando se exhibere propitiam consuevit, qui per casus fortuitos preter ipsorum culpam in membris interdum subeunt lesionem. Sane oblata nobis tua petitio continebat, quod tu nuper inopinato casu in crepusculo cuiusdam diei Avinione per quosdam malefactores duabus iuncturis digiti indicis manus sinistre mutilatus fuisti, propter quod pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere tibi super irregularitate inde contracta de oportune dispensationis remedio misericorditer dignaremur. Nos igitur tuorum meritorum obtentu, super quibus apud nos fidedignorum testimonio commendaris, volentes tecum agere gratiose in hac parte, tecum, quod premissis nequaquam obstantibus beneficium ecclesiasti-

cum sine cura, si tibi alias canonice offeratur, libere recipere et licite retinere possis, auctoritate apostolica de specialis dono gratie dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Datum Avinione Idibus Martii, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

CCCCLXXIX.

Clero provinciae Cassellensis, ne praetextu cuiusdam consuetudinis ipsorum archiepiscopo amplius se opponant, quominus per se vel per alium idoneum anno quolibet suam provinciam visitet. Reg. An. XIII. Com. par. 2. fol. 347.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Clero provincie Cassellensis, salutem etc. Gravem Venerabilis fratris nostri Iohannis Archiepiscopi Cassellensis Metropolitani vestri querelam accepimus continentem, quod licet sibi de iure competat visitare quolibet anno tam in capite, quam in membris suam provinciam Cassellensem, vos tamen contra iusticiam vos non permittitis visitari, quandam consuetudinem allegantes, videlicet quod non nisi de triennio in triennium debetis per Archiepiscopum Cassellensem, qui est pro tempore, visitari, quamvis huiusmodi consuetudo utpote iuri contraria viribus non subsistat: propter quod idem Archiepus provideri sibi super hoc per apostolicam sedem de oportuno remedio humiliter postulavit. Quocirca universitatem vestram rogamus, requirimus et hortamur attente, vobis per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, quatenus vos et ecclesias, ac Monasteria et loca vestra per dictum Archiepiscopum, seu per personas ydoneas, quas ipse ad hoc duxerit deputandas, anno quolibet visitari libere permittatis, dicta consuetudine iuri contraria aliquatenus non obstante, in premissis vos taliter habituri, quod de devotionis et obedientie promptitudine possitis non immerito commendari. Datum Avinione xii. Kal. Aprilis, Pont. nostri anno tertiodecimo.

In e. m. Venerabilibus fratribus suffraganeis ecclesie Cassellensis.

CCCCLXXX.

Roberto regi Scotiae conceditur, ut ipse et successores sui possint ab episcopo Sancti Andreae, vel ab episcopo Glasguensi et eorum successoribus recipere unctionem et regium diadema. Reg. An. XIII. Com. par. 3. fol. 42.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Roberto Regi Scocie Illustri, salutem etc. A summo celestis Regni Rege perpetuo, per quem singuli Reges regnant, et Principes principantur, temporalis gladii ad vindictam malorum, laudemque bonorum est ipsis attributa potestas, ut iudicent in equitate populos, et in terris dirigant subiectas sibi gentium nationes, sicque voluntas eorum in executione iusticie, ac meditatio in lege rectitudinis et observantia bone pacis, ad que utique perfectius exercenda iidem Reges unctionis sacre virtute, quam per venerabiles dei ministros antiquo more suscipiunt, donum gratie recipiunt potioris, ut et in prosecutione iusti regiminis fortius convalescant, et tam in se, quam in eorum subditos prudentiori et sanctiori spiritu dirigantur. Vehemens namque est in eisdem Regibus huiusmodi efficacia unctionis: nam inuncto Saule insiliit spiritus domini super eum, et in virum alterum est mutatus, et in David, unctione suscepta, spiritus domini est directus. Ad insinuandum quoque, quod in Regibus esse debeat plenitudo virtutum, et integra dominii temporalis auctoritas, capiti principis sub circulari forma honorabile imponitur Dyadema, ut ab eo, qui talibus fuerit decoratus insigniis, et titulis presignitus, tanquam a capite subditis velut membris recte vivendi modus, et modestie regula indicatur. Sane tu velut devotissimus ecclesie filius Princepsque Catholicus devote considerans rorem spiritualis gratie, qui per huiusmodi infunditur unctionem, ferventi desiderio duceris, ut Romana ecclesia, tua cunctorumque mater fidelium et magistra, quod tibi et Catholicis Principibus, qui legitime tibi in Regno predicto successerint, huiusmodi inunctio et coronatio possint manu sacra pontificis exhiberi, sue robur auctoritatis exhibeat, et presidium apostolice firmitatis impendat, maxime cum sicut ex tenore tue petionis accepimus, tam tu, quam predecessores tui Reges Scocie consueveritis ab Episcopis Sancti Andree, qui fuerunt pro tempore, ab antiquis retroactis temporibus insignia recipere Regie dignitatis. Quare tu per tuos solempnes nuncios, quos propter hoc ad sedem apostolicam specialiter destinasti, nobis humiliter supplicasti, quod tibi Coronationem et inunctionem cum ceteris regalibus insigniis ab Episcopo Sancti Andree, qui erit pro tempore, volente et valente, alioquin ab alio Regni Scotie Antistite, tu et successores tui Reges Scocie valeatis recipere, auctoritate apostolica concedere de speciali gratia dignaremur. Nos igitur sinceritatis tue devotionem multimodam attendentes, ac considerantes, quod erga apostolice sedis obsequia tanto te studebis reddere promptiorem, quanto eam tibi senseris magis propiciam et benignam, tuis supplicationibus grato concurrentes assensu, ut tam tu, quam successores tui, qui tibi legitime in Regno predicto succedent, in devotione Romane ecclesie persistentes, a Sancti Ardree, aut ipso forsan ea exequi nolente sine causa rationabili, vel etiam nequeunte, a Glasguensi Episcopis, qui sunt vel erunt pro tempore, gratiam et communionem apostolice sedis habentibus, possitis unctionem et Regium suscipere Dyadema, idemque Sancti Andree, vel eo, illa, ut prefertur, nolente exequi, vel etiam nequeunte, dictus Glasguensis Episcopus auctoritate apostolica adhibito secum decenti Episcoporum numero, tum propter regiam honorificentiam, tum propter sacre reverentiam unctionis, more debito te et successores predictos inungere, tuoque et illorum verticibus auctoritate predicta Regium imponere valeant Dyadema, iure tamen Romane ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, de fratrum nostrorum consilio tenore presentium indulgemus. Volumus autem, quod idem Episcopus, qui premissa exercuerit, ut prefertur, ab eisdem Regibus tempore unctionis et coronationis huiusmodi nostro et eiusdem ecclesie Romane nomine corporale recipiat iuramentum, quod

de prefato Regno et aliis terris suis, sueque dictioni subiectis universos hereticos ab ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt, quodque libertates et immunitates ecclesiasticas ledere vel minuere per se vel alios non presument, quinimmo eas defendent et conservabunt illesas, ipsasque facient a suis subditis inviolabiliter observari. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringore etc. Datum Avinione Id. Iunii, P. n. anno XIII.

In e. m. Venerabili fratri ... Ep̃o Sancti Andree etc. ut supra, verbis directis Regi que sunt in secunda persona, mutatis in tertiam.

CCCCLXXXI.

Nuntio apostolico in Anglia, ut clericos et laicos Anglos, qui in Scotia tempore interdicti sponsalia solemnizaverant, matrimonia et alia sacramenta divina et ecclesiastica tractaverant, a censuris ideo incursis absolvat. Reg. An. XIII. Com. par. 3. fol. 256.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Iterio de Concoreto Canonico Saresbiriensi, in Regno Anglie apostolice sedis nuntio, salutem etc. Petitio pro parte Carissime in Christo filie nostre Isabellis Regine Anglie Illustris nobis exhibita continebat, quod tempore, quo terra Scotie ex certis causis per nos supposita fuerat ecclesiastico interdicto, ipsoque interdicto durante nonnulle persone tam clerici, quorum aliqui tunc erant et sunt in sacris ordinibus constituti, et etiam beneficia ecclesiastica obtinentes curam habentia animarum, quam laici de Regno Anglie, et presertim quidam familiares eiusdem Regine scienter sponsalia et matrimonia solennizare, et alia sacramenta divina et ecclesiastica tractare infra dictam terram Scotie temere presumpserunt, et quod postmodum dicti clerici extra terram eandem, non tamen in contemptum clavium, se immiscendo divinis in suis ministrarunt ordinibus sicut prius. Quare ex parte ipsius Regine fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere personis ipsis et eorum statui super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque more pii patris volentes, quantum cum deo possumus, ipsarum personarum statui et saluti consulere in hac parte, dicte Regine supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus personas illas de predictis, que a te ab huiusmodi reatibus petierint humiliter se absolvi, apostolica auctoritate per te vel per alium seu alios a reatibus ipsis absolvas, et iniunctis sibi penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, cum eisdem clericis super irregularitate et inhabilitate, si quas ob premissa forsan contraxerunt, auctoritate predicta dispenses, prout secundum deum animarum suarum saluti videris expedire. Datum Avinione VI. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

CCCCLXXXII.

Alexander causarum apostolici palatii auditor praeficitur ecclesiae Aberdonensi in episcopum. Reg An. XIV. Com. par. 4. fol. 1.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Alexandro Ep̃o Aberdonensi, salutem etc. Apostolatus officium, quo generalis ecclesie regimini quamquam immeriti, disponente domino, presidemus, diligenter ac utiliter exequi, adiuvante domino, cupientes, reddimur corde vigiles et solertes, ac opem et operam, quatenus nobis ex alto conceditur, libenter impendimus, ut ecclesie universe statu prospero floreant et accrescant: sed ad illas ecclesias presertim ecclesie Romane immediate subiectas, que sunt suis propriis pastoribus destitute, ne vacationum prolixarum subiaceant detrimentis, necessario dirigimus paterne considerationis intuitum, diligentiamque precipuam adhibemus, ut per apostolice providentie studium tales pastores substituantur eisdem, qui potentes in opere et sermone ipsas ecclesias eorum gubernationi commissas circumspecte regant, salubriter dirigant, easque in suis bonis et iuribus feliciter manuteneant et augmentent. Sane dudum bone mem. Henrico Ep̃o Aberdonensi ecclesie Aberdonensis, ad dictam Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, regimini presidente, Nos cupientes eidem ecclesie Aberdonensi, cum ipsam quovis modo vacare contingeret, ministerio apostolice sollicitudinis ydoneam preesse personam, provisionem ecclesie prefate, cum ut prefertur vacaret, dispositioni nostre ac sedis apostolice duximus reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum autem dicta Aberdonensi ecclesia per obitum ipsius Henrici Ep̃i, qui decessit in illis partibus, vacante, Nos ecclesie Aberdonensi predicte de bone mem. Waltero Electo Aberdonensi, existente decano ecclesie Moraviensis, tunc apud dictam sedem constituto providimus, ipsumque Aberdonensi ecclesie prelibate prefecimus in Episcopum et pastorem. Sed idem Walterus, transactis diebus aliquibus a tempore dicte provisionis sue, apud dictam sedem debitum nature persolvit: sic denuo vacante Aberdonensi ecclesia memorata, eiusque iterata provisione in nostris manibus remanente, pro eo quod nos diu ante huiusmodi ultimam vacationem eiusdem ecclesie Aberdonensis provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud sedem ipsam vacantium, et vacaturarum in antea dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, de preficiendo ecclesie Aberdonensi prefate personam utilem ac etiam fructuosam cogitare cepimus diligenter: et post deliberationem, quam cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in te, tunc Archidiaconum Londoniensem, in ecclesia Sancti Andree, Capellanum nostrum, et causarum apostolici palatii auditorem, et in sacerdotio constitutum, quem vite ac morum honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum, litterarum scientia preditum, aliisque multiplicium virtutum titulis insignitum familiari experientia novimus, noster animus requievit. Quapropter intendentes dicte Aberdonensi ecclesie salubriter et utiliter providere, de persona tua nobis et eisdem fratribus, exigentia tuorum laudabilium me-

ritorum accepta, predicte Aberdonensi ecclesie de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica providimus, teque ipsi prefecimus in Epum et pastorem, curam et administrationem ipsius tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo: et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Epum Tusculanum tibi fecimus munus consecrationis impendi, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod ipsius tibi assistente clementia, dicta Aberdonensis ecclesia per tue industrie studium fructuosum preservabitur a noxiis et adversis, et in utrisque optatis, auctore domino, proficiat incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem Aberdonensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, curam et administrationem predictas sic diligenter exerceas, et sollicite prosequaris, gregem dominicum in ea tue commissum fidei doctrina verbi et opere taliter informando, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque laudabili de grege ipso reddita in die districti examinis ratione, regnum patris eterni electis suis a mundi origine preparatum accipere merearis, et gregem eundem ad uberioris meriti fructum et retributionis maioris cumulum introducas. Datum Avinione xii. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo, Clero, populo, universis Vassallis ecclesie Aberdonensis, et Carissimo in Christo filio David Regi Scocie Illustri.

CCCCLXXXIII.

David regem Scotiae pontifex de obitu Roberti regis eius genitoris consolatur, eique omnia prospera ad bene administrandum regnum adprecatur. Reg. An. XIII. Secret. fol. 163.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio David Regi Scotorum Illustri, salutem et ap. b. Presentatas nuper apostolatui nostro regalis excellencie litteras, per quas inclite memorie Rob. Regis Scotorum genitoris tui transitum, teque, fili Carissime, inde turbatum et anxium nunciasti, benigne non absque magna compassione recepimus et earum seriem intelleximus diligenter. Sane, fili dilectissime, quia decet principem fortitudo, ut nec elevetur in prosperis, nec concidat etiam in adversis, sed sic animum suum temperet, ut in omnibus divinis beneplacitis se conformans bona de manu domini, si dare dignetur, cum letitia spirituali suscipiat, et adversa, si evenire quandoque permiserit, sufferre cum humili patientia sit paratus: Sublimitatem regiam in domino exhortamur, quatenus te talem in omnibus sicut princeps magnanimus exhibens, et considerans nichilominus diligenter, quod eundem genitorem tuum sic divina clementia oculo pietatis respexit, quod post anxietates et pericula varia, que sicut novit tua prudentia, in hac valle miserie diutius fuit perpessus, pacem vidit suo tempore, ac unitati ecclesie sancte dei, extra quam aliquibus fuerat temporibus ante suum de hoc mundo exitum, reconciliari meruit, ita quod tamquam princeps catholicus de presenti seculo nequam ereptus, post multorum laborum inquietudinem transisse ad patriam felicius credi possit, consolationem assumas in domino, et ei, qui te dictumque genitorem tuum tot et tantis dignatus est beneficiis prevenire, suppliciter ad gratiarum actiones assurgens, et habens in tuis actibus ipsius timorem et amorem ante oculos mentis tue, non cesses operari, que sibi placita fuerint, et que sue maiestatis possent oculos offendere, summopere studeas devitare, Romanam ecclesiam tuam et cunctorum matrem fidelium reverearis in omnibus Regni tui ecclesiis, earumque Prelatos et personas alias ecclesiasticas honorando pro divina reverentia, et nichilominus in suis iuribus et libertatibus confovendo. Et ut Regni gubernacula, que disponente domino suscepisti, ad dei laudem et gloriam, tuique honoris et salutis augmentum, ac subditorum pacem et commodum dirigas salubriter et disponas, prudentum virorum, qui tuam et eorumdem subditorum salutem et quietem zelentur, utaris consiliis, talesque consiliarios, iusticiarios et officiales habere satagas, qui deum timeant, iusticiam diligant, et lucra propria in tuum et subditorum predictorum dispendium non venentur: ita quod in Regno eodem cessent oppressiones pauperum, assit pupillorum, viduarum aliarumque miserabilium personarum defensio, regnetque in omnibus cum pace iusticia oleo misericordie, sicut opportunum extiterit, temperata. Hec, fili amantissime, si feceris, et dirigere continue per viam rectitudinis iuxta divine voluntatis beneplacitum curaveris gressus tuos, corroborabit dominus Regnum tuum, adaugebit tibi dies vite, ac tandem de Regno temporali, quod obtines, ad Regni gloriam provehet sempiterni, nosque ac eandem Romanam ecclesiam propicios in tuis opportunitatibus reperies et benignos. Datum Avinione x. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

CCCCLXXXIV.

Walterus de ecclesia Corkagensi transfertur ad ecclesiam Cassellensem. Reg. An. XIV. Com. par. I. fol. 285.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Waltero Episcopo olim Corkagensi, in Archiepiscopum Cassellensem Electo, salutem etc. Romana ecclesia, que super universas alias orbis ecclesias obtinet divina miseratione primatum, circa singulas materne diligentie cura sedulo vigilans, earum profectibus velut sollicita mater ardenter intendit, studens regiminibus ecclesiarum ipsarum presertim Cathedralium, que sunt propriis destitute pastoribus, interdum per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit, et ecclesiarum ipsarum utilitas persuadet, viros ydoneos deputare. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Archiepiscopo Cassellensi regimini Cassellensis ecclesie presidente, Nos intendentes ipsius ecclerie regimini apostolice operationis ministerio, cum eam per ipsius Iohannis obitum vel alias quovis modo vacare contingeret, personam ydoneam presidere, provisionem ipsius ecclesie, cum, ut premittitur, vacaret,

dispositioni nostre ea vice duximus reservandum, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum ipsius Iohannis Archiepiscopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, de ipsius ecclesie provisione celeri et felici, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere posset, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, ne longe vacationis exponeretur incomodis, solicite cogitantes, ac cupientes talem eidem ecclesie prefici in pastorem, qui posset, sciret et vellet eam in suis manutenere iuribus, et etiam adaugere, post deliberationem, quam super premissis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc Episcopum Corkagensem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam Dominus insignivit, et quod tu, qui ecclesie Corkagensi hactenus laudabiliter prefuisti, dictam Cassellensem ecclesiam scies et poteris salubriter gubernare, direximus oculos nostre mentis. Intendentes itaque tam gregi dominico, quam eidem Cassellensi ecclesie utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris prefate Carkagensi ecclesie, cui tunc preeras, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad predictam Cassellensem ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Cassellensis tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam ad prefatam Cassellensem ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod dextera Domini tibi assistente propitia, prefata Cassellensis ecclesia per tue industrie ac circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter et prospere dirigetur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter retributionis eterne premium benevolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Datum Avinione xii. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo, Clero et populo, universis Vassallis, et Ven. fratribus universis Suffraganeis ecclesie Cassellensis, ac Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Anglie Illustri.

CCCCLXXXV.

Rex Scotiae de xii. millibus florenorum auri, quae pater suus camerae apostolicae debebat, solutis absolvitur. Reg. An. XIV. Secret. fol. 269.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio David Regi Scotorum Illustri, salutem etc. Dudum Venerabiles fratres nostri Iohannes Moraviensis et Adam tunc electus Brechinensis, ac Iacobus tunc Archidiaconus Sancti Andree Episcopi, clare memorie Roberti Regis Scotorum genitoris tui procuratores et nuncii ad sedem apostolicam destinati, recognoverunt ibidem prefatum genitorem tuum nobis, et Camere nostre in duobus milibus librarum bonorum sterlingorum argenti ex certis et iustis causis teneri, ac huiusmodi duorum milium librarum sterlingorum summam in duodecim milibus florenis auri dicte Camere sepefati Regis nomine solvere promiserunt, Regem eundem ac Regnum et omnia bona sua propter hoc nobis et eidem Camere obligando, sicut in instrumento inde confecto plenius continetur. Sane cum tu, fili carissime, per manus dilectorum filiorum Boni Philippi et Nicolai Bindi Ferrucii, mercatorum et sociorum societatis Bardorum de Florencia, die nona presentis mensis Octobris octo millium florenorum auri, nec non die date presencium per manus eiusdem Episcopi Moraviensis et dilecti filii Magistri Galteri de Thwinham, Canonici Glasguensis, Cancellarii tui quatuor milia florenorum auri prelibate Camere feceris assignari, sicque sit de dicta duodecim milium florenorum auri summa, que pro dictis duobus milibus libris sterlingorum solvi debebat, ut premittitur, nobis et eidem Camere integre satisfactum: Nos tuis volentes indempnitatibus super hiis precavere, te ac Regnum omniaque bona tua et eiusdem genitoris de dictis duodecim milibus florenis pro dictis duobus milibus librarum sterlingorum, ut prefertur, solutis absolvimus in perpetuum et quitamus. Datum Avinione ix. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

CCCCLXXXVI.

Iudicibus, ut donationem iuris patronatus et advocationis in ecclesia de Dunbretan Glasguensis dioecesis factam per Robertum quondam regem Scotiae, et concessionem eiusdem ecclesiae factam per Ioannem episcopum Glasguensem monasterio de Kylwynin confirment. Reg. An. XIV. Com. par. 4. epist. 266.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Bertrando Cariti Archidiacono Vauriensis et Raymundo de Quercu Canonico Lingoniensis ecclesiarum, in Regno Scocie nostris et apostolice sedis nuntiis, salut. etc. Significavit nobis Carissimus in Christo filius noster David Rex Scocie Illustris, quod olim clare memorie Robertus Rex Scocie pater suus, dum vitam duceret in humanis, ad Monasterium ss. Marie et Wynnini de Kylwynin ordinis s. Benedicti Glasguensis diocesis, et personas ipsius specialis gerens devotionis affectum, ius patronatus et advocationem, quod et quam habebat in parrochiali ecclesia de Dunbretan dicte diocesis, dilectis filiis ... Abbati et Conventui ac Monachis ipsius Monasterii pro sue, ac predecessorum et successorum ipsius animarum salute donavit in perpetuum et concessit. Quodque postmodum Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Glasguensis attendens hospitalitates, que fiebant in Monasterio memorato, ecclesiam supradictam, dilectorum filiorum Capituli sui ecclesie Glasguensis accedente consensu, eisdem Abbati et Conventui auctoritate ordinaria concessit in eorum usus proprios et donavit, reservata tamen de ipsius ecclesie proventibus perpetuo Vicario inibi servituro congrua portione, ex qua possit congrue sustentari, Episcopalia iura solvere, et alia sibi incumbentia onera supportare, prout

in eorumdem Regis ac Episcopi et Capituli patentibus litteris inde confectis, eorumque sigillis munitis dicitur plenius contineri. Quare idem David Rex nobis humiliter supplicavit, ut cum predicte littere non possint tute propter magnam locorum distanciam ad sedem apostolicam destinari, aliquibus discretis in partibus illis committere dignaremur, ut si eis ita esse constaret, quod per dictos Regem, Episcopum et Capitulum super hiis factum est, confirmationis apostolica auctoritate ex certa scientia munimine roborarent. Nos itaque ipsius Regis devotis supplicationibus inclinati, ac de circumspectione vestra plenam in domino fiduciam obtinentes, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si inveneritis ita esse, quod per dictos Robertum Regem ac Episcopum et Capitulum super premissis factum est, auctoritate nostra confirmetis, iure tamen cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, tenorem dictarum litterarum huiusmodi confirmationis vestris litteris inserendo, Contradictores etc. Datum Avinione IIII. Nonas Novembris, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

CCCCLXXXVII.

Iisdem iudicibus, ut unionem per episcopum Glasguensem supradicto monasterio de Kylwynin de quibusdam perpetuis vicariis factam confirment. Reg. An. XIV. Com. par. 4. epist. 264.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Bertrando Cariti Archidiacono Vauriensis et Raymundo de Quercu Canonico Lingoniensis ecclesiarum, in Regno Scocie nostris et apostolice sedis nuntiis, salut. etc. Petitio Carissimi in Christo filii nostri David Regis Scocie Illustris nobis exhibita continebat, quod bone memorie Robertus Episcopus Glasguensis, dum adhuc vitam ageret in humanis, attendens, quod Monasterium sanctorum Marie et Wynnini de Kylwynin ordinis sancti Benedicti Glasguensis diocesis, propter diversarum guerrarum discrimina et frequentes incursus malignantium, ac propter ecclesias destructas ipsius Monasterii et possessiones eiusdem in redditibus attenuatas, dilecti filii ... Abbas et Conventus dicti Monasterii ad tantam inopiam et paupertatem devenerant, quod sufficientes redditus non habeant, unde possent commode sustentari, ac ob hoc dictus Episcopus eisdem Abbati et Conventui affectu pio compatiens de Kylmernot et de Bech ecclesiarum perpetuas Vicarias Glasguensis diocesis, in quibus Vicariorum presentatio ad eosdem Abbatem et Conventum antea pertinebat, dilectorum filiorum Capituli Glasguensis ad hoc accedente consensu, eisdem Abbati, Conventui et Monasterio tam pro ipsorum et pauperum ibi consistentium sustentatione, quam etiam ad manutenendum hospitalitatem, que fieri consuevit ibidem, in usus proprios tradidit in perpetuum et concessit, prout in litteris inde confectis, eiusdem Epi sigillo munitis dicitur plenius contineri. Quapropter idem Rex nobis humiliter supplicavit, ut in illis partibus aliquibus discretis committere dignaremur, ut si eis ita esse constaret, quod per dictum Epum super hoc pie ac provide factum est, id ex certa scientia debeant confirmare. Nos itaque ipsius Regis supplicationibus inclinati, ac de vestre circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si inveneritis ita esse, quod per dictum Episcopum super predictis provide factum est, auctoritate nostra confirmare curetis, iure tamen cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, tenorem dictarum litterarum ipsius Episcopi huiusmodi confirmationis vestris litteris inserentes, Contradictores auctoritate nostra etc. Datum Avinione IIII. Nonas Novembris, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

CCCCLXXXVIII.

Iisdem iudicibus, ut donationem iuris patronatus cuiusdam parochialis ecclesiae factam per Walterum comitem de Monethet, et concessionem eiusdem ecclesiae factam per Andream episcopum Ergadiensem praefato monasterio de Kylwynin confirment. Ibidem ep. 265.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Bertrando Cariti Archidiacono Vauriensis et Raymundo de Quercu Canonico Lingoniensis ecclesiarum, in Regno Scocie nostris et apostolice sedis nuntiis, salutem etc. Petitio Carissimi in Christo filii nostri David Regis Scocie Illustris nobis exhibita continebat, quod quondam Walterus Comes de Monethet, dum vitam ageret in humanis, pro sue ac uxoris, et antecessorum et successorum suorum animarum salute ius patronatus, quod Comes predictus tunc habebat in parrochiali ecclesia de Kilmachermat in Cnapedale, tunc capellis sancte Marie in Cnapedale et sancti Michaelis in Inwerlaxo, cum tribus denariatis terre in Riventos eidem ecclesie annexis Ergadiensis diocesis, dilectis filiis ... Abbati et Conventui ac Monachis Monasterii sanctorum Marie et Wynnini de Kylwynyn ordinis sancti Benedicti Glasguensis diocesis concessit in perpetuum et donavit. Quodque postmodum frater (Ven.) noster Andreas Epus Ergadiensis paupertati et tenuitati reddituum mense communis Monasterii supradicti, qui ad sustentationem personarum degentium in eodem, et ad hospitalitatem solitam exercendam, ac alia eidem incumbentia honera supportanda minime sufficere noscebantur, pie compatiens eandem ecclesiam cum annexis, ac omnibus iuribus et pertinentiis earumdem, dilectorum filiorum Capituli sue ecclesie Ergadiensis super hoc interveniente consensu, eisdem Abbati, Conventui ac Monasterio in usus proprios ad sustentationem ipsorum tradidit imperpetuum et concessit, reservata tamen perpetuo Vicario inibi servituro de proventibus eius ecclesie congrua portione, ex qua possit congrue sustentari, Episcopalia iura solvere, et alia sibi incumbentia onera supportare, prout in patentibus litteris inde confectis, dictorum Comitis, Episcopi et Capituli sigillis munitis plenius dicitur contineri. Quare idem Rex nobis humiliter supplicavit, ut quod super hiis per eosdem Comitem ac Episcopum et Capitulum factum est, mandaremus per aliquos discretos in illis partibus, si ita esse reperirent, auctoritate apostolica ex certa scientia confirmari. Nos igitur eiusdem

Regis supplicationibus inclinati, ac de circumspectione vestra super hiis gerentes in domino fiduciam specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus si premissa inveneritis ita esse, quod per eosdem Comitem ac Episcopum et Capitulum super illis factum est, auctoritate nostra confirmare curetis, iure tamen cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, tenorem dictarum litterarum Comitis, Epi et Capituli predictorum huiusmodi confirmationis litteris inserentes, Contradictores etc. Datum Avinione IIII. Nonas Novembris, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

CCCCLXXXIX.

Thome Ranulphi comiti Moravie, ut corpus suum post mortem exenterari, possit indulgetur. Reg. An. XIV. Com. par. 4. ep. 267.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Thome Ranulphi Comiti Moravie, salut. etc. Exigit tue devotionis integritas, quam ad nos et Romanam habes ecclesiam, ut ad ea solite benignitatis officium favorabiliter extendamus, que ex causa devotionis placere novimus votis tuis. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, tibi qui sepulturam in duobus locis ex magna devotione, ut asseris, eligisti, ut postquam fueris rebus humanis exemptus, corpus tuum exenterari possit, et deinde cor in uno et corpus in alio locis sepulture ecclesiastice tradi valeat licite et impune, felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, et aliis quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione Idus Novembris, Pont. nostri anno quartodecimo.

CCCCXC.

Moraviensi et Rossensi episcopis, ut cum Hugone comite Rossensi et Margareta de Gram uxore sua S. Andreae dioecesis super consanguinitate dispensent. Reg. An. XIV. Com. par. 1. epist. 216.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Moraviensi et ... Rossensi Episcopis, salutem etc. Petitio pro parte dilecti filii nobilis viri Hugonis Comitis Rossensis, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margarete de Gram S. Andree diocesis nobis exhibita continebat, quod dudum ipsi credentes nullum fore impedimentum inter eos, quod matrimonium impediret, bannis editis in facie ecclesie matrimonium invicem contraxerunt: quodque tandem dictus Hugo, cum ad ipsius pervenisset notitiam, quod prefata Margareta in quarto gradu consanguinitatis attinebat cuidam alii mulieri, quam ipse Hugo actu fornicario cognoverat ante matrimonium prelibatum, litteras dispensationis clausas, eo quod tunc impedimentum ipsum occultum erat, a Venerabili fratre nostro Gaucelino Episcopo Albanensi, penitentiarie nostre curam gerente, obtinuit, ut est moris: et quod postmodum tu, frater Episcope Moraviensis, diocesim tuam visitares, ad aures tuas pervenit, quod Margareta et alia mulier prefata in quarto ex uno, et in tertio consanguinitatis gradibus ex alio lateribus ab eodem stipite descendentes sibi invicem attinebant, et quod affinitas huiusmodi per aliquos probari iam potest, quodque si divortium inter eosdem Hugonem et Margaretam fieret, possent exinde inimicitie capitales et scandala plurima suboriri: quare pro parte predicta nobis extitit humiliter supplicatum, ut eisdem Hugoni et Margarete providere super hiis de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem et pacem cunctorum Christifidelium affectamus, predictis inimicitiis et scandalis, quantum cum deo possumus, obviare volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac de vestre circumspectionis industria in hiis et aliis plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si est ita, cum eisdem Hugone et Margareta, ut ipsi, impedimento affinitatis, quod ex premissis provenit, aliquatenus non obstante, possint licite in eodem matrimonio remanere, auctoritate nostra dispensare curetis, prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam nuntiando. Datum Avinione VIII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

CCCCXCI.

Datur potestas Ioanni episcopo Moraviensi dispensandi cum quinque clericis super defectu natalium. Reg. An. XIV. Com. par. 1. epist. 217.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Moraviensi, salutem etc. Cum sicut petitio tua nobis exhibita continebat, in aliquibus partibus Regni Scotie Ministrorum ecclesiasticorum defectus maximus habeatur; nam vix inibi pro duabus vel tribus ecclesiis invenitur unicus ydoneus Capellanus: dispensandi cum quinque clericis dictarum partium de soluto genitis et soluta, quod huiusmodi non obstante defectu possint ad omnes ordines promoveri, et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam habeat animarum, dummodo ipsi consideratis circumstantiis universis, que circa ydoneitatem ipsorum fuerint attendende, et paterne non sint incontinentie sectatores, sed moribus et scientia sint ydonei, ac bone conversationis et vite, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, aliaque merita suffragentur eisdem, ad huiusmodi dispensationis gratiam obtinendam, prout secundum deum animarum suarum saluti videris expedire, fraternitati tue plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Datum VIII. Kal. Dec. etc. ut supra.

CCCCXCII.

Archiepiscopo Armachano, ut, si id sibi opportunum esse visum fuerit, episcopum Corkagensem ad Dunensem, et Dunensem episcopum ad Corkagensem ecclesias transferat. Reg. An. XIV. Com. par. 2. epist. 1205.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. In specula vinee domini Sabaoth ex dispositione superna presidens, et vigilis speculatoris gerens officium, Romanus Pontifex, beati Petri successor et vicarius Ihesu Christi, de statu salubri et prospero cunctarum ecclesiarum et Ministrorum Dei, eorumque precipue, qui sunt presulatus eminentie titulis insigniti, celita

suffultus potentia salubriter ordinat et disponit, prout personarum qualitas et locorum diversitas, ipsorumque varietas exigunt, et cause rationabiles persuadent. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam deduxit relatio fidedigna, quod Venerabiles fratres nostri Iohannes Corkagensis et Rodulphus Dunensis Episcopi, pure ac provide intentionis affectum ostendentes, sperant amplius proficere animabus et locis, ut efficacius impleant ministerium eorumdem, quod credunt Deo propicio posse firmiter provenire, si Iohannes ad Dunensem, Rodulphus vero prefati ad Corkagensem ecclesias apostolice auctoritatis presidio transferantur. Nos igitur de tue circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue Iohannem ab eo, quo Corkagensi, Rodulphum autem predictos ab eo, quo Dunensi ecclesiis prelibatis, quibus presunt, vinculis tenentur, penitus absolvendi, necnon Iohannem ad Dunensem, Rudulphum vero prefatos ad Corkagensem ecclesias iam dicta auctoritate apostolica transferendi, ac Iohannem Dunensi, Rudulphum autem predictos Corkagensi eccleslis antedictis preficiendi in Episcopos et pastores, et Dunensis Iohanni, Corkagensis vero ecclesiarum predictarum curam et administrationem Rodulpho iam dictis in spiritualibus et temporalibus plenarie committendi, ac Iohanni ad Dunensem, Rodulpho autem predictis ad Corkagensem ecclesias prefatas transeundi liberam licentiam tribuendi, dummodo eorumdem Episcoporum expressus assensus intervenerit in premissis, faciendi quoque Iohanni et Rodulpho prefatis ab eorum subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, necnon contradictores per censuram eccleciasticam, appellatione postposita, compescendi, ac recipiendi postmodum nostro et ecclesie Romane nomine a Iohanne et Rodulpho predictis fidelitatis debite solitum iuramentum, iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, plenam ac liberam de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine concedimus tenore presentium facultatem. Formam autem iuramenti, quod quilibet eorumdem Iohannis et Rodulphi prestabit, nobis de verbo ad verbum per utriusque ipsorum patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinare procures. Per hoc autem tibi, cui ecclesie supradicte metropolitico iure subesse noscuntur, et Archiepiscopo Armachano, qui pro tempore fuerit, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Avinione Nonis Ianuarii, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

CCCCXCIII.

Rex Angliae de censu Romanae ecclesiae pro regnis Angliae et Hiberniae debito soluto absolvitur. Reg. An. XIV. Secret. fol. 289.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio (Eduardo) Regi Anglie Illustri, salutem etc. Cum pro Regno Anglie et terris Hibernie censum mille marcharum sterlingorum annis singulis Romane ecclesie solvere tenearis, illumque videlicet mille marchas sterlingorum pro uno anno, terminato in festo apparitionis beati Michaelis proxime preterito, per manus dilecti filii Alexandri de Bardis, mercatoris et socii societatis Bardorum de Florencia, volentibus et expresse tibi mandantibus, dilectis filiis nobilibus viris Guillelmo de Monteacuto, et Bartholomeo de Burghassche tue celsitudinis nunciis et procuratoribus apud sedem apostolicam constitutis, Camere apostolice sedis exsolvi feceris ac etiam assignari. Nos solutionem et assignationem approbantes easdem, te ac heredes et successores tuos, necnon Regnum et terras predicta de dictis mille marchis sic solutis absolvimus et quitamus. Nulli ergo etc. Datum .... VII. Idus Aprilis, Pont. nostri anno quartodecimo.

CCCCXCIV.

Electo Cassellensi mittitur pallium. Reg. An. XIV. Com. par. 2. ep. 92.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Waltero Episcopo olim Corkagensi, in Archiepiscopum Cassellensem electo, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tua fuisset a nobis per dilectos filios Iohannem Ograda Thesaurarium, et Guillelmum Quatremars Canonicum ecclesie Cassellensis, nuntios et procuratores tuos, cum ea, qua decuit, instantia postulatum: Nos tuis supplicationibus annuentes, palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum, tibi per Venerabiles fratres nostros ... Limiricensem et ... Imlacensem Episcopos assignandum, per prefatos nuncios et procuratores tuos duximus destinandum, ut iidem Episcopi vel eorum alter illud tibi assignent sub forma, quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite solitum recipiant iuramentum. Tu autem illo intra ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iusticiam, dante Domino, qui dat premia et munera elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Cassellensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Avinione IIII. Nonas Maii, Pont. nostri anno quartodecimo.

CCCCXCV.

Limiricensi et Imelacensi episcopis, ut electo Cassellensi pallium tradant. Reg. An. XIV. Com. par. 2. epist. 95.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Limericensi et ... Imlacensi Episcopis, salut. etc. Cum palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte Venerabilis fratris nostri Walteri, Episcopi olim Corkagensis, in Archiepiscopum Cassellensem electi, fuisset a nobis per dilectos filios Iohannem Ograda Thesaurarium et Guillelmum Quatremars Canonicum ecclesie Cassellensis, nuncios et procuratores suos, cum ea, qua decuit, instantia postulatum: Nos eius supplicationibus annuentes, palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum sibi per

vos assignandum per prefatos nuncios et procuratores duximus destinandum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum palleum ipsum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, sibi assignare curetis, et ab ipso nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipere iuramentum: formam autem iuramenti, quod idem electus prestabit, nobis de verbo ad verbum per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium studeatis quantocius destinare. Datum Avinione III. Nonas Maii, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

CCCCXCVI.

Iacobus episcopus Sancti Andreae consolatur, et de munere bene gesto commendatur. Reg. An. XV. Secret. fol. 70.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iacobo Episcopo Sancti Andree, salutem etc. Perceptis hiis, que nobis pridem per tuas litteras intimasti, et super eis more pii patris tibi compatientes condigne tuam providentiam excitamus, quatenus in eo, cuius negocium in hac parte pia devotione exerces, figens immobiliter gubernaculum spei tue, ipsius nutricem manum et indeficiens auxilium pro ecclesie tibi commisse conservandis iuribus pura intentione requiras, quatinus tuo firmo et laudabili perquam proposito de solita sui benignitate assistens, eamdem ecclesiam gubernare feliciter, et eius iura tueri viriliter, et utiliter adaugere tibi concedere sui bonitate dignetur. Prope est enim, ut cum propheta loquimur, hiis, qui tribulato sunt corde, et invocantibus nomen suum. Ad hoc super favoribus, auxiliis, et consiliis per te nunciis nostris illarum partium exhibitis tibi gratiarum actiones uberes exolventes, fraternitatem tuam rogamus attente, quatinus premissa solerter continuans, velis eosdem nuncios eorumque negocia habere more solito propensius commendata. Datum (Avinione) x. Kal. Novembris, Pont. nostri anno quintodecimo.

CCCCXCVII.

Comiti Moraviae commendantur praedictus episcopus Sancti Andreae et caeteri episcopi ecclesiae Scoticanae. Reg. An. XV. Secret. fol. 70.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Thome Comiti Moravie, salutem etc. Quam, fili, sit grata altissimo ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum debita reverentia, quamque exosa iniuria, tuam non credimus providentiam ignorare. Ipse enim in eorum veneratur honore, et illatis eis contumeliis in eum principaliter desevitur. Ut igitur ecclesias et personas easdem in terris tibi subditis presertim, sed et omnes alias, quantum in te fuerit, attenta sollicitudine venereris, et specialiter Sancti Andree ecclesiam inter ceteras Regni Scocie prerogativis modis insignitam, ipsiusque ac aliarum presules et rectores, Nobilitatem tuam rogamus et in domino attentius exhortamur. Per hoc enim preter humane laudis preconium divine retributionis meritum tibi non indigne acquires, nostramque et apostolice sedis benedictionem et gratiam propterea uberius vindicabis. Premissis nostris precibus nichilominus adiungentes, quatinus nuncios nostros illarum partium, nostraque eis ibidem commissa negocia velis ob nostram et sedis prefate reverentiam habere propensius commendata. Datum x. Kal. Nov. etc. ut supra.

CCCCXCVIII.

Episcopo Moraviensi, ut illos, qui corpus quondam Roberti regis Scotorum exenteraverunt, et de ipso corpore, prout ipse in testamento suo praeceperat, cor extraxerunt, et in bello contra Sarracenos apud Granatam portaverunt, absolvat a sententiis et irregularitatibus, quas propter hoc incurrerint. Reg. An. XV. Com. par. 3. epist. 1607.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Moraviensi, sal. etc. Petitio dilecti filii Thome Comitis Moravie nobis exhibita continebat, quod dudum clare mem. Robertus Rex Scotorum, dum adhuc rebus superesset humanis, zelo fidei et pie devotionis accensus proposuerat ad partes transmarinas contra perfidos Sarracenos cum decenti hominum armatorum comitiva personaliter se conferre, sed morte proventus non potuit huiusmodi suum propositum adimplere: quodque cum idem Rex suum ultimum conderet testamentum, voluit et mandavit expresse, quod si eum mori contingeret, cor suum ab eius corpore extraheretur, et in bello contra Sarracenos eciam portaretur: quodque postmodum cum ipse Rex nature debitum persolvisset, corpus eius exenteratum extitit, ipsiusque cor a dicti Regis corpore extitit separatum, et per quondam Iacobum de Dunglas, militem Glasguensem, in Ispaniam in bello contra dictos Sarracenos iuxta voluntatem ipsius Regis etiam deportatum. Nos igitur, qui salutem animarum cunctis desideriis affectamus, volentes eis, qui corpus ipsius Regis ita inhumaniter, ut premittitur, tractaverunt, et ob hoc excommunicationis sententiam latam a canone incurrerunt, de absolutionis remedio salubriter provideri, ipsius Comitis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus omnes personas, cuiuscumque dignitatis, preminentie, status, gradus, ordinis vel conditionis existant, que corpus ipsius Regis sic inhumaniter et crudeliter pertractaverunt, vel pertractari fecerunt, aut super hoc dederunt auxilium, consilium vel favorem, vel culpabiles fuerunt quomodolibet in premissis, a predictis excommunicationum sententiis, quas propterea, ut premittitur, incurrerunt, eas videlicet, que hoc humiliter petierint, auctoritate nostra iuxta ecclesie formam absolvas, ac nichilominus cum clericis, si qui forsan ex dictis personis fuerunt, super irregularitatibus, quas sic ligati celebrando divina, vel se eis alias immiscendo forsitan contraxerunt, eadem auctoritate dispensare procures, iniungens eis super hiis penitencias salutares. Datum Avinione VIII. Idus Augusti, anno XV.

CCCCXCIX.

Abbati de Dunfermelyn ord. s. Benedicti S. Andreae dioecesis, et suis successoribus conceditur, ut benedictionem episcopalem elargiri possint. Reg. An. XVI. Com. par. 2. ep. 1449.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Alexandro Abbati Monasterii de Dunfermelyn ordinis sancti Be-

nedicti Sancti Andree diocesis, salutem etc. Ex decoro Prelatorum ornatu ecclesie ac Monasteria illis commissa claris famosisque titulis venustantur, et eis accedit propterea patentis honorificentie incrementum. Unde interdum Romanus Pontifex, pensatis favoribus rationum, aliqua ex eis insignit et munit honoris et gratie privilegio speciali, ut proinde ad deum et apostolicam sedem devotio ipsorum exuberet, et etiam augeatur. Cum itaque, sicut tua nuper humili et devota nobis extitit informatione monstratum, in Monasterio tuo regularis observantia, hospitalitas, multaque alia vigeant opera caritatis, et propter solennia eiusdem Monasterii structura ac edificia per clare mem. Reges Scocie, qui ab antiquo elegerunt inibi sepeliri, Magnatum et multorum Nobilium continuus habeatur accessus ad Monasterium prelibatum: Nos porrectis nobis ex parte tua devotis supplicationibus inclinati, ut ad idem Monasterium tam Nobilium quam aliorum fidelium eo excrescat devotio, quo maiori fuerit honore atque gratia communitum, tibi et successoribus tuis prefati Monasterii Abbatibus, qui erunt pro tempore, quod tu et ipsi in Episcoporum vel aliorum superiorum prefatorum absentia, quotiens te ac eosdem successores celebrare divina, vel eis interesse contigerit, et etiam in mensa, quemadmodum per Episcopos fieri consuevit, benedictionem elargiri possitis, auctoritate apostolica de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Avinione III. Nonas Augusti, Pontificatus nostri anno sextodecimo.

D.

Monasterio de Kylwinin ord. s. Benedicti Glasguensis dioec. dantur conservatores. Reg. An. XVII. Com. par. 1. ep. 1186.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis... de Kelchou et de... Culros Sancti Andree et Dumblanensis diocesum Monasteriorum Abbatibus, ac Archidiacono Glasguensi, salutem etc. Militanti ecclesie etc. Sane dilectorum filiorum ... Abbatis et Conventus Monasterii de Kilwynnine ordinis sancti Benedicti Glasguensis diocesis conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi et Episcopi, ac Clerici ecclesiasticeque persone, tam religiose, quam seculares, necnon Duces, Comites, Barones, Nobiles Milites et laici, Communia quoque civitatum, Universitates castrorum, villarum et aliorum locorum, et alie singulares persone civitatum et diocesum, et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt villas, ecclesias, terras, domos, grangias, decimas, molendina, piscarias, maneria, possessiones, iura et iurisdictiones, necnon fructus, census, redditus et proventus, ac nonnulla alia bona mobilia et immobilia spiritualia et temporalia ad monasterium ipsum spectantia, et ea detinent indebite occupatata, seu eadem detinentibus prestant auxilium, consilium vel favorem. Nonnulli etiam civitatum et diocesum partium predictarum, qui nomen domini in vacuum recipere non formidant, eisdem Abbati et Conventui super predictis villis, ecclesiis, terris, domibus, grangiis, decimis, melendinis, piscariis, maneriis, possessionibus, iuribus et iurisdictionibus, necnon fructibus, censibus, redditibus et proventibus eorumdem, et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus spiritualibus, et temporalibus, et rebus aliis ad dictum Monasterium spectantibus multiplices molestias ac iniurias inferunt et iacturas. Quare prefati Abbas et Conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum valde difficile reddatur eisdem pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere eis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, presumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eis remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia precludatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices, prefatis Abbati et Conventui efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eisdem super hiis, et quibuscumque aliis bonis et iuribus ad dictum Monasterium spectantibus ab eisdem vel quibuscumqse aliis indebite molestari, vel sibi gravamina seu dampna vel iniurias irrogari, facturi dictis Abbati et Conventui, cum ab eis, aut procuratore seu procuratoribus suis, vel eorum aliquo fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione dictarum villarum, ecclesiarum, terrarum, domorum, grangiarum, decimarum, molendinorum, piscariarum, maneriorum, possessionum, iurium et iurisdictionum, necnon fructuum, censuum, reddituum et proventuum et aliorum bonorum mobilium et immobilium, spiritualium et temporalium, et aliorum quorumcumque bonorum, nec non et de quibuscumque molestiis, iniuriis atque dampnis, presentibus et futuris, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, iusticie complementum, occupatores, seu detentores, molestatores, presumptores et iniuriatores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque et quotienscumque expedire videritis, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etc. usque mentio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quelibet vestrum prosequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, quodque a data presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet

vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, Constitutione predicta super Conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Avinione III. Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno decimoseptimo.

DI.

Executoribus testamenti epi S. Andreae in Scotia datur quistantia de duobus milibus florenorum auri et annulo, a defunto epo pontifici dono datis. Reg. An. XVII. Secret. fol. 69.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Iohanni de Leys Glasguensis, et Malcolmo de Inverpeffri Dumblanensis Canonicis, et Thome de Hadington Vicario de Marchinche Sancti Andree diocesis ecclesiarum, salutem etc. Cum bone memorie Iacobus Episcopus Sancti Andree in Scotia nobis in suo ultimo testamento duo milia florenorum auri, et unum anulum aureum cum lapide rubino legaverit, sicut in nostra proposuistis presencia constituti, vosque qui familiares eratis eiusdem Episcopi, dum viveret, de dicto legato mille et sexcentos florenos auri, et dictum anulum per manus vestras nobis duxeritis assignandos: Nos vestris supplicationibus inclinati, volentes vobis et aliis, quorum interest, de cautele remedio super hiis paterna benevolencia provideri, vos et executores testamenti predicti, ac vestra dictique Episcopi et eorumdem executorum bona de dictis mille sexcentis florenis, et anulo nobis, ut premittitur, assignatis absolvimus tenore presentium in perpetuum et quitamus. Nulli ergo etc. Datum Avinione IX. Kalend. Novembris, Pontificatus nostri anno decimo septimo.

DII.

Monachis de Kilwynin ord. s. Benedicti Glasguensis dioecesis confirmatur donatio eis facta per regem Scotiae et episcopum Glasguensem de parochiali ecclesia de Dunbretan, insertis ipsorum privilegiis. Reg. An. XVII. Com. par. 1. ep. 1522.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii sanctorum Marie et Wynnini de Kilwynin ordinis sancti Benedicti Glasguensis diocesis, salutem etc. Quamvis ea, que auctoritate sedis apostolice pie ac provide ordinantur, robur in se obtineant firmitatis, nichilominus tamen ex habundanti sedes eadem illis apostolice confirmationis munimen adicit, ut validiora consistant. Sane dudum Carissimo in Christo filio nostro David Scotie Rege Illustri nobis intimante, quod clare memorie Robertus Rex Scotie, pater eius, gerens ad Monasterium vestrum et personas in eo degentes specialis devotionis affectum, ius patronatus et advocationem, quod et quam habebat in parrochiali ecclesia de Dunbretan Glasguensis diocesis, vobis pro sue ac predecessorum et successorum suorum animarum salute donaverat in perpetuum et concesserat: et quod postmodum Venerabilis frater noster Episcopus Glasguensis antedictus, attendens hospitalitates, que fiebant in Monasterio momorato, ecclesiam eandem, dilectorum filiorum Capituli sui ecclesie Glasguensis accedente consensu, auctoritate ordinaria vobis concesserat in usus vestros proprios et donaverat, reservata de ipsius ecclesie proventibus perpetuo Vicario inibi servituro congrua portione, ex qua possit congrue sustentari, Episcopalia iura solvere, et alia sibi incumbentia onera supportare, prout in ipsorum Roberti Regis et Episcopi, ac Capituli patentibus litteris inde confectis, eorumque sigillis munitis dicebatur plenius contineri. Nos ad supplicationem ipsius David Regis, dilectis filiis Bertrando Cariti Archidiacono Vauriensis et Raymundo de Quercu Canonico Lingoniensis ecclesiarum, in Regno Scotie nostris et apostolice sedis nunciis, litteris nostris dedisse meminimus in mandatis, ut si predicta ita esse reperirent, quod per dictos Robertum Regem et Episcopum ac Capitulum super hiis factum esset, auctoritate apostolica confirmarent, iure tamen cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, ac huiusmodi sue confirmationis litteris litterarum Regis, Episcopi et Capituli earumdem tenorem insererent predictarum, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, prout in eisdem nostris litteris plenius continetur. Verum prefati nuntii formam ipsarum litterarum nostrarum diligentius observantes, quia inspectis et examinatis diligenter per ipsos tam nostris, quam Regis, Episcopi et Capituli predictorum litteris antedictis, premissa invenerunt legitime ita esse, deliberatione super illis prehabita diligenti, dictam ecclesiam de Dunbretan cum omnibus iuribus et pertinentiis suis vobis, et Monasterio vestro predicto in usus proprios in perpetuum confirmarunt, salvo iure cuiuslibet alieno, prout in publico quodam instrumento inde confecto eorumdem nunciorum sigillis munito, cuius tenore de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum verisimiliter dubitetur, quod processu temporis predicta eorumdem nuntiorum sigilla fiant incognita, et quod interim vel post dicta eorum sigilla consumi poterant, vel aliquo fortuito casu corrumpi, que per eosdem nuntios facta sunt super hiis, ut prefertur, confirmare ex certa scientia dignaremur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, premissa omnia super hiis per eosdem nuntios, ut premittitur, facta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem dicti instrumenti eorumdem nuntiorum talis est.

Universis sancte Matris Ecclesie filiis, ad quos presentes littere pervenirent, Bertrandus Cariti Archidiaconus Vauriensis et Raymundus de Quercu Canonicus Lingoniensis ecclesiarum, in Regno Scotie sedis apostolice Nuntii delegati, salutem in domino sempiternam. Noveritis mandatum Sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Iohannis divina providentia pape XXII. non vitiatum, non cancellatum, nec in aliqua sua parte corruptum, nos recepisse cum ea qua docuit reverentia in hec verba. Iohannes Episcopus etc. Dilectis filiis Bertrando

Cariti Archidiacono Vauriensis et Raymundo de Quercu Canonico Lingoniensis ecclesiarum, in Regno Scotie nostri et apostolice sedis nunciis, salutem etc. Significavit nobis carm̃us etc. ut supra Nr. DCCCLXXXVII. pag. 247. Dat. Avinione III. Nonas Novembris, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Cum igitur ... Abbas dicti Monasterii de Kylwynin nomine suo, et Monasterii sui predicti coram nobis in ecclesia Cathedrali Glasguensi VIII. Kalend. Maii, anno gratie M.CCC.XXX., in presentia venerabilium virorum dominorum Walteri de Roule precentoris, Roberti thesaurarii, et Iohannis Wylebardi, Iohannis de Passelet et Roberti de Sancto Andrea dicte ecclesie Glasguensis canonicorum, litteras patentes serenissimi principis clare memorie domini Roberti dudum Regis Scotie super advocatione, et iure patronatus ecclesie de Dumbretan Glasguensis diocesis, ac etiam litteras patentes domini Iohannnis dei gratia Episcopi Glasguensis super advocatione sive concessione predicte ecclesie sibi, et Monasterio suo predicto in usus proprios, necnon et litteras Capituli ecclesie Glasguensis super consensu collationis seu concessionis memorate, sigillis dictorum dominorum Regis, Episcopi et Capituli sigillatas, ut prima facie apparebat, exhibuerit, ac ad informationem premissorum eas nobis presentaverit inspiciendas, legendas et examinandas, ut quarum litterarum tenores inseruntur per ordinem sub hiis verbis. Tenor littere Regis talis est.

Robertus dei gratia Rex Scotorum omnibus probis hominibus totius terre sue, tam clericis, quam laicis, salutem. Sciatis nos pro salute anime nostre, et pro salute animarum antecessorum et successorum nostrorum Regum Scotie dedisse, concessisse, et hac presenti carta nostra confirmasse deo et beate Marie virgini et beato Wynnino, ac Monasterio de Kylwynin in Cunyngham, Abbati et Monachis ibidem deo servientibus, et in perpetuum servituris ius patronatus, et advocationem ecclesie Ville nostre de Dunbretan tenendum, et habendum dicto Monasterio et Monachis predictis in perpetuum, cum omnibus iustis pertinentiis suis, in liberam, puram et perpetuam elemosinam, adeo libere, pure, quiete et honorifice, sicut aliqua elemosina in Regno Scotie alicui Monasterio, seu pio loco per antecessores nostros Reges Scocie, seu per nos data et concessa liberius, purius, quietius seu honorificentius tenetur aut possidetur, salvo iure Rectoris dicte ecclesie, qui nunc est, donec cedat vel decedat. In cuius rei testimonium presenti carte nostre sigillum nostrum precepimus apponi, testibus venerabilibus patribus Willelmo, Wyllelmo et Iohanne Sancti Andree, Dunkeldensis et Breychinensis ecclesiarum dei gratia Ep̃is, Bernardo Abbate de Abirbrothoc Cancellario nostro, Waltero Senescallo Scotie, Iacobo domino de Duglas, Iohanne de Menetech, et Roberto Boyde militibus. Apud Abirbrothoc quarto die Maii, anno Regni nostri quinto decimo. — Tenor littere dñi Episcopi talis est.

Universis Christifidelibus, ad quorum notitiam presens scriptum pervenerit, Iohannes miseratione divina ecclesie Glasguensis minister humilis, salutem in domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod cum magnificus Princeps dominus Robertus dei gratia Rex Scotorum Illustris advocationem, sive ius patronatus ecclesie sancte Marie de Dunbretan nostre diocesis Religiosis viris ... Abbati, et Conventui Monasterii de Kylwynin in Conynghame eiusdem diocesis, et eorum Monasterio pie ac devote pro salute anime sue, et pro salute animarum antecessorum et successorum suorum Regum Scotie perpetuo contulisset, et nos tam viva voce, quam per litteras suas patentes cum instantia sepius requisisset, quod dictam ecclesiam dictis Religiosis in suos proprios usus generose conferre dignaremur: Nos tam devotionem dicti domini Regis, quam hospitalitates, quas dicti Religiosi indesinenter perficiunt, concorditer attendentes, utilitate et honore ecclesie nostre pensatis, ipsam ecclesiam de Dunbretan cum terris, decimis, obventionibus et omnibus aliis iustis pertinentiis suis, predictis Religiosis et eorum successoribus, ac Monasterio suo de Kylwynin predicto divine caritatis intuitu, interveniente consensu Capituli nostri, pro nobis et successoribus nostris in suos proprios usus damus, concedimus, et Episcopali auctoritate presenti scripto imperpetuum confirmamus, salvo iure veri Rectoris eiusdem ecclesie, donec cedat vel decedat, seu alio modo de iure fuerit amovendus, reservata tamen nobis et successoribus nostris collatione Vicarie eiusdem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret. Qui quidem Vicarius per nos instituendus tenebit se contentum de portione competenti ordinanda per nos et religiosos predictos, et respondebit de omnibus et singulis oneribus ordinariis et extraordinariis pro rata portionis sue. In cuius rei testimonium presenti scripto sigillum nostrum autenticum est appensum. Datum et actum apud Abirbrothoc vicesimoseptimo die Novembris, anno gratie M.CCC.XXV. — Tenor littere Capituli.

Omnibus sancte Matris Ecclesie filiis presens scriptum visuris vel audituris, ... Decanus et Capitulum Glasguenses, salutem in domino. Noveritis nos inspexisse et veraciter intellexisse cartam venerabilis patris nostri Iohannis dei gratia Glasguensis Episcopi in hec verba. Universis Christifidelibus etc. ut in proxima superiori per totum. Quam quidem donationem et concessionem secundum tenorem superius annotatam de communi consilio nostro et assensu, diligenti tractatu premisso, pro nobis et successoribus nostris imperpetuum ratificamus, approbamus et confirmamus, et ut ista nostra confirmatio plenam obtineat firmitatem, presenti scripto commune sigillum Capituli nostri fecimus apponi. Datum in Capitulo nostro apud Glasguam tertiodecimo die mensis Octobris, anno gratie M.CCC.XXVI.

Quibus litteris apostolicis nobis exhibitis et presentatis, dictus dominus Abbas nos cum instantia requisivit, ut ad confirmationem predictarum procedere deberemus iuxta traditam per ipsas litteras apostolicas nobis formam. Nos igitur volentes mandatum apostolicum nobis in hac parte directum ut filii

obedientie exequi, ut tenemur, supradictis litteris tam apostolicis, quam aliis inspectis et examinatis, et super negotio memorato deliberatione prehabita diligenti, auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa dictam ecclesiam de Dunbretan, cum omnibus iuribus suis et pertinentiis universis, dictis Religiosis et eorum Monasterio predicto in usus proprios in perpetuum confirmamus, salvo iure cuiuslibet alieno. In quorum omnium testimonium premissorum presentem confirmationem scribi fecimus per Geraldum Marquesii Notarium infrascriptum, et sigillorum nostrorum appensione muniri. Datum et actum apud Glasguam in domo domini Walteri de Tuwynam Rectoris ecclesie Glasguensis, prima die mensis Maii, anno domini M.CCC.XXX. presentibus dominis Iohanne de Passelet Canonico Glasguensi, Malcolmo de Kandi Vicario ecclesie Glasguensis, Guillermo de Corri Rectore de Kenen, et fratre Iohanne Dalgarnet Monacho predicti Monasterii, testibus ad premissa vocatis et rogatis. Et ego Geraldus Marquesii clericus Vabrensis diocesis, publicus auctoritate apostolica Notarius, de mandato dictorum dñorum Bertrandi Cariti et Raymundi de Quercu sedis apostolice nuntiorum predictam confirmationem, et omnia et singula in ea contenta manu mea propria scripsi, et in hanc formam publicam redegi, signoque meo solito signavi requisitus. Signum mei Guillermi Gaufredi hic est appensum in testimonium premissorum.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Datum Avinione Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno decimoseptimo.

DIII.

Iisdem donatio per epum Glasguensem facta de ecclesiis de Kylmernot et de Bech dictae dioecesis confirmatur. Ibidem ep. 1323.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii sanctorum Marie et Wynnini de Kylwynin etc., salutem etc. Quamvis ea que auctoritate ap. etc. ut supra usque consistant. Sane dudum Carissimo in Christo filio nostro David Rege Scotie Illustri nobis intimante, quod bone memorie Robertus Episcopus Glasguensis, dum adhuc vitam duceret in humanis, attendens, quod Monasterium vestrum propter diversarum guerrarum discrimina et frequentes incursus malignantium, ac propter ecclesias destructas ipsius Monasterii, et possessiones eiusdem in earum redditibus attenuatas vos ad tantam deveneritis paupertatem ac inopiam, quod sufficientes redditus non habebatis, unde possetis commode sustentari, et quod ob hoc dictus Episcopus pio vobis compatiens affectu, de Kylmernot et de Bech ecclesiarum perpetuas Vicarias Glasguensis diocesis, in quibus Vicariorum presentatio ad vos communiter pertinebat, dilectorum filiorum Capituli ecclesie sue Glasguensis ad hoc accedente consensu, vobis et dicto Monasterio vestro tam pro vestra, quam pauperum illuc confluentium sustentatione, quam etiam ad manutenendam hospitalitatem, que consueverat ibi fieri, in usus proprios tradiderat imperpetuum et concesserat, prout in patentibus litteris inde confectis eiusdem Episcopi sigillis munitis dicebatur plenius contineri.

Nos ad supplicationem Regis eiusdem dilectis filiis Bertrando Cariti Archidiacono Vauriensis, et Raymundo de Quercu Canonico Lingonensis ecclesiarum, tunc in Regno Scotie nostris et apostolice sedis nunciis, nostris dedimus litteris in mandatis, ut si predicta ita esse reperirent, quod per dictum Episcopum super illis factum erat, auctoritate nostra confirmare curarent, iure tamen cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, tenorem dictarum litterarum ipsius Episcopi huiusmodi confirmationis eorum litteris inserendo, ac contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, prout in dictis nostris litteris plenius continetur. Dicti namque nuntii formam ipsarum litterarum nostrarum diligentius observantes, quia inspectis et examinatis per eos tam nostris quam Episcopi litteris antedictis, premissa invenerunt legitime ita esse, prout nobis per Regem erant exposita memoratum, deliberatione super dicto negotio prehabita diligenti, auctoritate apostolica eis in ea parte commissa predictas de Kylmernot et de Bech ecclesiarum predictarum perpetuas vicarias cum omnibus iuribus et pertinentiis suis vobis, et Monasterio vestro predicto in usus proprios in perpetuum confirmarunt, salvo iure cuiuslibet alieno, prout hec in quodam instrumento inde confecto, eorundem nuntiorum nostrorum sigillis munito, cuius tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum verisimiliter dubitaretur, quod processu temporis predicta eorundem nuntiorum sigilla fiant incognita, et quod interim vel post dicta eorum sigilla consumi poterant, vel aliquo fortuito casu corrumpi, que per dictos nuncios super premissis facta sunt, ut prefertur, confirmare ex certa scientia dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus etc. ut in superiori. Tenor autem dicti instrumenti etc. Iohannes Episcopus etc. Dilectis filiis Bertrando etc. ut supra Nr. CCCCLXXXVII. pag. 248. Datum Avinione IIII. Nonas Novembris, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Post quarum litterarum apostolicarum receptionem, cum dictus dominus Abbas Monasterii de Kylwynin nomine suo, et Monasterii sui predicti in ecclesia Glasguensi VIII. Kal. Maii, anno gratie M.CCC. tricesimo, in presentia venerabilium virorum dñorum Walteri de Roule precentoris, Roberti thesaurarii, Iohannis Wischard, Iohannis de Passelet et Roberti de S. Andrea (canonicorum) dicte ecclesie Glasguensis ecclesiarum litteras patentes bone memorie dñi Roberti dudum Episcopi Glasguensis super donatione, et concessione Vicarie de Kylmernot, cum litteris Capituli ecclesie Glasguensis de consensu super huiusmodi donatione, necnon et quasdam alias litteras patentes eorumdem Episcopi et Capituli super collatione, sive traditione Vicarie de Bech Glasguensis diocesis in proprios usus ipsius Monasterii factis, predictorum ... Episcopi et Capituli sigillis sigillatas, ut prima facie apparebat, ad informationem premissorum no-

bis exhibuerit et presentaverit legendas, videndas et examinandas, quarum omnium exhibitarum premissarum super hoc litterarum tenores de verbo ad verbum successive secuntur. Tenor littere Episcopi super collatione Vicarie de Kylmernot talis est.

Robertus miseratione divina ecclesie Glasguensis minister humilis, dilectis in Christo filiis religiosis viris ... Abbati et Conventui de Kylwynin nostre diocesis, salutem in dño. In nostra presentia vestra petitio querulosa proposita continebat, quod propter diversa guerrarum discrimina et frequentes incursus malignantium sic ad summam inopiam devenistis, ut ecclesie vestre destructe et possessiones attenuate vobis alimenta tenuissima non sufficiant ministrare: unde per nos vobis petistis misericorditer subveniri, et Vicariam de Kylmernot vobis in proprios usus in perpetuum concedi possidendam. Nos igitur vestre compatientes inopie, ut ex paterno tenemur affectu, ad instantiam Serenissimi principis et domini nostri, domini Roberti dei gratia Regis Scotie Illustris, qui super hoc nobis humiliter supplicavit, dictam Vicariam de Kylmernot vobis et Monasterio vestro in proprios usus in perpetuum possidendam per presentem concedimus et donamus: ita tamen, quod domino Ade Balty nuper eiusdem Vicario, qui ob cecitatem oculorum factus inhabilis, dictam Vicariam resignavit, pro tempore vite sue faciatis decenter secundum statum suum in necessariis provideri, ac etiam omnia ordinaria et extraordinaria, in quibus prius tenebatur ecclesia de Kylmernot, imposterum teneamini nichilominus exhibere. In cuius rei testimonium ad perpetuam nostre concessionis et donationis firmitatem presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Londonii vicesimo quarto die Martii anno gratie M.CCC.XII.

Tenor littere consensu Capituli.

Omnibus sancte matris ecclesie filiis presens scriptum visuris vel audituris, Vicegerens Venerabilis viri domini Raymundi de Monteboerii, Decani Glasguensis, in Curia Romana tunc degentis, et eiusdem loci Capitulum, salutem in domino. Noveritis nos inspexisse ac veracter intellexisse cartam Venerabilis patris domini Roberti dei gratia Glasguensis Episcopi, factam Monasterio de Kylwynin et Monachis ibidem deo servientibus super donatione Vicarie de Kylmernot cum pertinentiis suis eisdem Monasterio, et Monachis in suos proprios usus consessa in perpetuum in hec verba. Robertus miseratione divina ecclesie Glasguensis humilis minister etc. In nostra presentia etc. fecimus roborari. Datum Londonii vicesimo quarto Martii anno gratie M.CCCXII. Quam quidem donationem et concessionem secundum tenorem superius annotatum de communi consilio nostro et consensu, diligenti tractatu premisso pro nobis et successoribus nostris in perpetuum ratificamus, approbamus et confirmamus. Et ut ista nostra confirmatio plenam obtineat firmitatem presenti scripto commune sigillum Capituli nostri fecimus apponi. Datum in Capitulo nostro apud Glasguam duodecimo Kal. Iunii anno dñi M.CCC.XIII.

Item sequitur tenor littere Episcopi Glasguensis super donatione Vicarie de Bech. Robertus permissione divina Glasguensis ecclesie minister humilis, universis sancte matris ecclesie filiis presens scriptum visuris vel audituris, salut. in dño. Noveritis nos divine caritatis intuito, ac utilitate ecclesie diligenter inspecta, diligenti tractatu premisso, de consensu Capituli nostri Glasguensis dedisse, concessisse, et hac presenti carta nostra confirmasse Monasterio sancte Marie et sancti Wynnini de Kylwynin in Cunigham, et Abbati et Monachis ibidem deo servientibus, et perpetuo servituris Vicariam de Bech in suos proprios usus, cum omnibus comoditatibus, aisiamentis et libertatibus ad dictam Vicariam pertinentibus, ad sustentationem pauperum et ad hospitalitatem dicte domus sustentandam, tenendam et habendam dicto Monasterio et dictis Monachis imperpetuum ita quiete, libere, plene et honorifice, sicut aliqua ecclesia seu Vicaria infra nostram diocesim in proprios usus alicui Monasterio concessa tenetur, seu possidetur, salvo iure Episcopi et Archidiaconi in omnibus. In cuius rei testimonium presenti scripto sigillum nostrum est appensum. Datum apud Glasguam anno dñi M.CC.octuagesimosexto, die Martis proxima post translationem sancti Thome martiris, presentibus dño Waltero Rectore ecclesie de Ar, Radulpho Rectore ecclesie de Kirkmichel, domino David Capellano, dño Willelmo de Swineford, Magistro Henrico de Cubiehath, et multis aliis. — Tenor littere confirmationis Capituli super Vicaria de Bech.

Omnibus sancte Matris Ecclesie filiis presens scriptum visuris vel audituris, Thomas Wischard Decanus ecclesie Glasguensis, et eiusdem loci Capitulum, sal. in dño. Noveritis nos inspexisse ac veraciter intellixisse cartam Vener. patris nostri Roberti dei gratia Glasguensis Episcopi, factam Monasterio de Kylwynin et Monachis ibidem deo servientibus super donatione Vicarie de Bech cum pertinentiis, eisdem Monasterio et Monachis in suos proprios usus concessa imperpetuum in hec verba. Robertus permissione divina Glasguensis ecclesie minister humilis etc. ut supra. Quam quidem donationem et concessionem, secundum tenorem superius annotatum, de communi consilio nostro et assensu, diligenti tractatu premisso, pro nobis et successoribus nostris imperpetuum ratificamus, et approbamus et confirmamus: et ut ista nostra confirmatio plenam obtineat firmitatem, presenti scripto commune sigillum Capituli nostri fecimus apponi. (Deest data.)

Quibus litteris apostolicis et aliis predictorum Episcopi et Capituli nobis exhibitis et presentatis, dictus dominus Abbas nos cum instantia requisivit, ut ad confirmationem predictarum Vicariarum procedere deberemus, iuxta traditam per litteras apostolicas nobis formam. Nos igitur volentes mandatum apostolicum nobis in hac parte directum ut filii obedientie reverenter exequi, ut tenemur, supradictis omnibus litteris tam apostolicis, quam aliis diligenter inspectis et examinatis, et super negotio memorato deliberatione prehabita diligenti, auctori-

tate apostolica nobis in hac parte commissa, dictas de Kylmernot et de Bech perpetuas Vicarias cum omnibus iuribus suis et pertinentiis universis dictis Religiosis, et eorum Monasterio predicto in usus proprios in perpetuum confirmamus, salvo iure cuiuslibet alieno. In quorum omnium premissorum (testimonium) presentem confirmationem scribi fecimus per Geraldum Marquesii notarium infrascriptum, et sigillorum nostrorum appensione muniri. Datum et actum apud Glasguam in domo domini Walteri de Tuwynam Rectoris ecclesie Glasguensis, prima die mensis Maii, anno domini M.CCC.XXX. Pontificatus domini nostri Iohannis divina providentia pp. XXII. anno quartodecimo. Presentibus dñis Iohanne etc. ut supra.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere, vel ei etc. Datum Avinione Kalendas Aprilis, Pont. nostri anno decimoseptimo.

DIV.

Eidem abbati donatio per comitem de Menetheht de iurepatronatus parochialis ecclesiae de Kilmachormant Ergadiensis dioec. facta confirmatur, inserto eiusdem comitus donationis instrumento. Ibidem epist. 1394.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Abbati et Conventui Monasterii de Kylwynin etc. salut. etc. Quamvis ea etc. ut supra. Sane dudum Carissimo in Christo filio nostro David Rege Scotie Illustri nobis intimante, quod quondam Walterus Comes de Menetheht, dum vitam ageret in humanis, pro sue et uxoris et antecessorum et successorum suorum animarum salute ius patronatus, quod idem Comes tunc habebat in parrochiali ecclesia de Kilmachormant in Cnapedale, cum Capellis sancte Marie in Cnapedole et sancti Michaelis in Inwerlaxo cum tribus denariatis terre in Riventos eidem ecclesie annexis, Ergadiensis diocesis vobis concesserat in perpetuum et donaverat: et quod postmodum venerabilis frater noster Andreas Episcopus Ergadiensis, paupertati et tenuitati reddituum mense communis dicti vestri Monasterii, qui ad sustentationem personarum degentium in eodem, et ad hospitalitatem solitam exercendam, et alia eidem incumbentia onera supportanda non sufficere noscebatur, pie compatiens, eandem ecclesiam cum annexis ac omnibus iuribus et pertinentiis eorumdem, dilectorum filiorum Capituli sue ecclesie Ergadiensis super hoc interveniente consensu, vobis et Monasterio vestro in usus proprios ad sustentationem vestram tradiderat imperpetuum et concesserat, reservata perpetuo Vicario inibi servituro de proventibus eiusdem ecclesie congrua portione, ex qua possit congrue sustentari, Episcopalia iura solvere, et alia sibi incumbentia onera supportare, prout in patentibus litteris inde confectis dictorum Comitis, Episcopi et Capituli sigillis munitis dicebatur plenius contineri. Nos ad ipsius David Regis supplicationem dilectis filiis Bertrando Cariti Archidiacono Vauriensis et R. de Quercu Canonico Lingonensis ecclesiarum, tunc in Regno Scotie nostris et apostolice sedis nuntiis, nostris dedimus litteris in mandatis, ut si predicta ita esse reperirent, quod per eosdem Comitem et Episcopum ac Capitulum super illis factum erat, auctoritate nostra confirmare curarent, iure tamen cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, Tenorem dictarum litterarum Comitis, Episcopi ac Capituli huiusmodi confirmationis eorum litteris inserendo, ac Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Dicti namque nuntii formam ipsarum litterarum nostrarum exacta diligentia observantes, quia inspectis et examinatis per eos tam nostris, quam Comitis, Episcopi ac Capituli eorumdem litteris antedictis, premissa invenerunt legitime ita esse, prout nobis fuerant per Regem exposita memoratum, deliberatione super negotio predicto prehabita diligenti, auctoritate apostolica eis in hac parte commissa dictam ecclesiam de Kilmachormant cum omnibus iuribus et pertinentiis suis vobis, ac vestro Monasterio supradicto in usus proprios imperpetuum confirmarunt, salvo iure cuiuslibet alieno, prout hoc in quodam instrumento publico inde confecto, eorumdem nuntiorum nostrorum sigillis munito, cuius tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum difficiliter dubitaretur, quod processu temporis predicta eorumdem nuntiorum sigilla fiant incognita, et quod interim vel post dicta eorum sigilla consumi poterunt, vel aliquo fortuito casu corrumpi, que per eosdem nuntios facta sunt super hiis, ut prefertur, confirmare ex certa scientia dignaremur. Nos igitur huiusmodi vestris supplicationibus inclinati, premissa omnia per dictos nuntios nostros super hiis, ut predicitur, facta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem dicti instrumenti eorumdem nuntiorum talis est.

Universis sancte Matris Ecclesie filiis, ad quos presentes littere pervenerint, Bertrandus Cariti Archidiaconus Vauriensis et Raymundus de Quercu Canonicis Lingonensis ecclesiarum, in Regno Scotie sedis apostolice nuntii delegati, sal. in dño. Noveritis mandatum sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Iohannis divina providentia pape XXII. non vitiatum etc. nos recepisse cum ea qua decuit reverentia in hec verba. Iohannes Episcopus etc. Dilectis filiis Bertrando Cariti et R. de Quercu etc. Petitio Carmi in Christo filii nostri David Regis Scotie etc. ut supra Nr. DIII. pag. 253. Datum Avinione IV. Nonas Novembris, P. n. anno XIV.

Cum igitur ... Abbas etc. usque litteras patentes Nobilis viri domini Walteri dudum Comitis de Menetheht super advocatione et iure patronatus ecclesie de Knapedale, ac etiam litteras patentes Venerabilis patris domini Andree Episcopi Ergadiensis consensum sui Capituli continentes super concessione predicte ecclesie de Knapedale Ergadiensis diocesis sibi, et Monasterio suo in usus proprios facte ad informationem premissorum nobis exhibuerit inspiciendas, videndas et examinandas: quarum litterarum tenores per ordinem subsecuntur. Tenor littere Comitis talis est.

Sciant presentes et futuri, quod ego Walterus Senior Comes de Mentheht dedi, concessi, et hac presenti carta mea confirmavi deo, et Monasterio sancte Marie et sancti Wynnini de Kylwynin in Cumingham, et Monachis ibidem deo servientibus et perpetuo servituris ecclesiam de Kylmachornat in Knapedale, cum capellis sancte Marie in Cuapro et sancti Michaelis in Inwerlaxo, et cum tribus denariatis terre in Riventos eidem ecclesie de Kylmachormat annexis, et cum omnimodis aliis commoditatibus ad dictam ecclesiam cum capellis suis de iure pertinentibus, vel futuris temporibus quocumque modo pertinere valentibus, in puram et perpetuam elemosinam divine caritatis intuitu, et pro salute anime mee et domine Marie quondam sponse mee Comitisse de Menetheht, et animabus omnium antecessorum meorum et successorum. Ego vero Walterus et heredes mei ecclesiam predictam de Kylmachornat, cum omnibus predictis pertinentiis suis et libertatibus, predictis Monasterio et Monachis contra omnes homines et feminas imperpetuum garantizabimus et defendemus. In cuius rei testimonium presenti carte sigillum meum apposui, hiis testibus dominis Iohanne Sen, Iohanne de Sonlis, Andrea Kras, Ingerramo de Henka Wille, Reginaldo de Cranford militibus, Alexandro de Menetheht et Iohanne filiis meis, Magistro Gilberto de Templeton et multis aliis. (Deest data.)

Tenor littere concessionis Episcopi de consensu sui Capituli talis est. Frater Andreas permissione divina Ergadiensis ecclesie minister humilis, Reverendo et discreto viro domino Ade dei gratia Abbati Monasterii de Kylwynin ordinis Turonensis, necnon et eiusdem Monasterii Conventui deo servientibus et in perpetuum servitutis, salutem et gratiam salvatoris. Compatientes vestre communis mense non modice paupertati, que non sufficit, prout asseritis, ad vestram sustentationem in divinis obsequiis, et ad respondendum de hospitalitate et aliis oneribus incumbentibus, sicut lex exigit caritatis, supplicatoriis vestris devotis precibus inclinati, habita deliberatione consilii de communi assensu nostri Capituli, vobis dispensative duximus concedendum et concedimus per presentes, ut fructus et obventiones, qui ad Rectorem pertinere dignoscuntur in ecclesia sancti Trechani in Cnapodel cum capellis eiusdem nostre diocesis, possitis convertere in usus vestros ad sustentationem vestre communis mense, salva carta nostra Episcopali, salvaque portione Vicarii in ecclesia memorata. In cuius rei testimonium sigillum nostrum una cum sigillo dicti Capituli nostri est appensum. Datum apud nostram ecclesiam Cathedralem in octabis s. Martini Episcopi gloriosi, Anno dñi m.ccc.vicesimoseptimo.

Quibus litteris apostolicis ac aliis predictorum dominorum Comitis, Episcopi et Capituli sigillorum eorum sigillatis, ut prima facie apparebat, nobis exhibitis et presentatis, dictus dominus Abbas nos cum instantia requisivit, ut ad confirmationem predictam procedere deberemus iuxta traditam per ipsas litteras apostolicas nobis formam. Nos igitur volentes mandatum apostolicum nobis in hac parte directum ut filii obedientie exequi, ut tenemur, supradictis omnibus litteris inspectis et examinatis, et super negotio memorato deliberatione prehabita diligenti, auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa dictam ecclesiam de Kylmachormant, cum omnibus iuribus suis et pertinentiis universis dictis religiosis, et eorum Monasterio predicto in usus proprios imperpetuum confirmamus, salvo iure cuiuslibet alieno. In quorum omnium testimonium premissorum presentem confirmationem scribi fecimus per Geraldum Marquesii notarium infrascriptum, et sigillorum nostrorum appensione muniri. Datum et actum apud Glasguam in domo domini Walteri de Tuwynam Rectoris ecclesie eiusdem Glasguensis, prima die mensis Maii, Anno dñi m.ccc.xxx. Pontificatus domini nostri, dñi Iohannis divina providentia pape XXII. anno quartodecimo. Presentibus dominis Iohanne de Passeleto Canonico Glasguensi, Macolmo de Canedi Vicario ecclesie Glasguensis, Guillelmo de Carry Rectore ecclesie de Kenen, et fratre Iohanne Dalgarnot Monacho dicti Monasterii testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. Constat michi de rasuris suprascriptis in decimaoctava et decimanona ac vicesima lineis. Datum ut supra. Et ego Geraldus Marquesii clericus Vabrensis diocesis, publicus auctoritate apostolica notarius, de mandato ipsorum dominorum Bertrandi Cariti et Raymundi de Quercu sedis apostolice nuntiorum predictam confirmationem, et omnia et singula in ea contenta manu mea propria scripsi, et in hanc publicam formam redegi, signoque meo solito signavi requisitus. Et ego Guillermus Gaufridi clericus Caturcensis diocesis, auctoritate apostolica notarius, qui de premissis omnibus notam recepi, huic instrumento me subscripsi, et signum meum apposui ad maiorem roboris firmitatem.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Datum Avinione Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno decimoseptimo.

DV.

Electo Darensi testandi datur licentia. Reg. An. XVII. Com. p. 1. ep. 971.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Richardo Electo Darensi, salutem et ap. b. Quia presentis vite conditio statum habet instabilem, et ea, que visibilem habent essentiam, tendunt visibiliter ad non esse: tu hoc salubri meditatione premeditans, diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque non per ecclesiam seu ecclesias tibi conmmissas, alias tamen licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispositioni et administrationi commissis, que tamen non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum cultui seu usui destinata, nec non et de quibuscumque bonis mobilibus a te per ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis, pro decentibus et honestis expensis funeris, et pro remuneratione illorum, qui tibi viventi servive-

rint, sive sint consanguinei, sive alii, iuxta servitii meritum, moderate tamen disponere ac erogare, et alias prius de ipsis earumdem ecclesiarum ere alieno deducto, ut eedem ecclesie non remaneant debitis obligate, in pios ac licitos usus convertere possis, plenam et liberam discretioni tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus autem, ut in eorumdem ecclesiasticorum dispositione bonorum iuxta quantitatem residui erga ecclesias, a quibus eadem percepisti, te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit, et anime tue saluti videris expedire. Datum Avinione viii. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno decimo septimo.

DVI.

Rex Angliae de censu annuo Romanae ecclesiae soluto pro regno Angliae ac terris Hiberniae absolvitur. Reg. An. XVII. Com. p. 1. ep. 1542.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Edwardo Regi Anglie Illustri, salutem etc. Cum censum annuum mille marcharum sterlingorum argenti pro Regno Anglie, ac terris tuis Ibernie Nobis, et ecclesie Romane solvere annis singulis tenearis, Censumque huiusmodi, videlicet mille marchas sterlingorum argenti pro uno anno terminato in festo apparitionis sancti Michaelis de anno domini millesimo trecentesimo xxx. necnon et ulterius de eodem censu pro termino in festo Resurrectionis dominice de anno dñi m.ccc.xxxi. quingentas marchas sterlingorum argenti per manus dilecti filii Magistri Riccardi de Bury Decani ecclesie Wellensis, Capellani nostri tuique ambassiatoris et nuntii, in sex millibus florenorum auri singulis marchis pro quatuor florenis auri computatis, die date presentium nostre Camere persolvi feceris, ac etiam assignari. Nos tuis in hac parte volentes indempnitatibus providere, solutionem et assignationem huiusmodi ratam et gratam habentes, te, fili carissime, ac Regnum et terras tua predicta de dictis mille quingentis marchis sterlingorum in dictis sex milibus florenis auri, sicut et prout exprimitur superius, solutis et assignatis absolvimus in perpetuum et quitamus. Datum Avinione iii. Nonas Iulii, Pontificatus nostri anno decimo septimo.

DVII.

Ioannes electus Clonensis confirmatur. Reg. An. XVII. Com. par. 2. ep. 33. et An. XVIII. par. 2. epist. 75. 920 et 921.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Clonensi, salutem etc. Supremi dispositione consilii etc. Dudum siquidem bone memorie Mauricio Episcopo Clonensi ecclesie Clonensis regimini presidente, Nos cupientes ipsi ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie dispositioni nostre ac dicte sedis ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Mauricii Episcopi Clonensis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, considerantes, quod nullus preter nos de ordinatione ipsius ecclesie se hac vice intromittere poterat, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, post deliberationem, quam de preficiendo ecclesie prefate virum talem, per quem posset circumspecte regi ac dirigi, et etiam defensari, cum fratribus nostri habuimus diligentem, ad te, tunc abbatem monasterii de Cumba Cisterciensis ordinis Lichefeldensis diocesis, sacre Theologie magistrum, quem decorum elegantia morum, discretionis et consilii maturitate conspicuum, conversationis honestate placidum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicum virtutum donis ex claris fidedignisque testimoniis accepimus insignitum, aciem direximus nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et dictis fratribus exigentia tuorum laudabilium meritorum accepta, eidem Clonensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque ipsi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo: et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Anibaldum Episcopum Tusculanum fecimus munus consecrationis impendi, firma spe etc. Datum Avinione iiii. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno decimo septimo.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Clonensis, Clero et populo civitatis et diocesis Clonensis, Archiepiscopo Cassellensi, et Edwardo Regi Anglie.

Eidem Electo datur licentia mutuum usque ad summam quingentorum florenorum auri contrahendi. Datum Avinione xvii. Kalendas Septembris anno decimo septimo.

Eidem Electo dantur Conservatores Episcopus Fernensis et Decanus Dublinensis ac Archidiaconus Ossoriensis. Datum Avinione ii. Kal. Ianuarii anno decimo octavo.

Eidem Electo conceditur, ut a Clero et fidelibus suis caritativum quoddam subsidium exigere, ac testamentum condere possit. Datum ut supra.

DVIII.

Mittuntur nuntii apostolici in Scotiam, ut pacem inter Angliae et Scotiae reges reconcilient. Reg. An. XVIII. Secret. fol. 208.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Geraldo Othonis generali Ministro Minorum, et Arnaldo de Sancto Michaele Predicatorum ordinum fratrum, penitentiario nostro, sacre Theologie professoribus, salutem etc. Cum sicut nimis displicenter percepimus hiis diebus, pacis emulus et humani generis inimicus inter carissimos in Christo filios nostros E. Anglie ex parte una, et David Scotie Reges Illustres ex altera gravis dissensionis materiam suscitarit, adeo Reges ipsos commovens dissidentes, quod non iuribus, sed congressibus bellicis decrevisse viden-

tur et velle exortam dirimere questionem: qui tamen affinitatis attento vinculo, quo iunguntur invicem preter cognationem naturalem, quam natura constituit inter homines noscatur (sic), se deberent potius mutuis fulcire presidiis et favoribus confovere, ac illa, que pro temporum diversitate contingit emergere, quamcumque gravia, quamcumque difficilia tractatibus ordinare domesticis et familiaribus collationibus expedire. Nos animarum pericula, strages corporum, dampna rerum, que iam dicta dissensio, proh dolor! intulisse dicitur, ante mentis nostre oculos expandentes, necnon et considerantes attente, quantis sit onusta periculis, quantisque plena dispendiis, queque multorum discrimina secum trahat dicta dissensio, quantaque impedimenta comminatur terre sancte negocio, nisi ocius occurratur, ad huiusmodi sedandam discordiam, et turbate pacis federa reformanda vigilantibus studiis intendentes, et de circumspectione vestra gerentes in domino fiduciam pleniorem, vobis districte precipimus et mandamus, quatenus ad partes illas vos personaliter conferentes, Reges ipsos ad pacem et concordiam iuxta datam vobis ex alto prudentiam sollicitis monitis, et efficacibus persuasionibus inducatis, ut auxiliante domino, qui pacis est auctor, et humane salutis amator, vestraque cooperante vigilantia, tam utilis et necessaria fidei orthodoxe concordia possit utiliter provenire. Ut autem bonum pacis huiusmodi, hiis interim, que afferre in hac parte impedimentum valerent, vel viam pacificam difficiliorem reddere, cessantibus, melius et utilius valeat procurari, Reges eosdem ad cessandum ab aggressionibus et offensionibus mutuis, et propterea Treugas pacis representantes ymaginem, duraturas usque ad aliquem competentem terminum, ineundum exhortari et inducere procuretis. Quas quidem treugas, si eas prefati Reges inierint, auctoritate nostra confirmandi, roborandi et vallandi penis et sententiis, de quibus videritis expedire, necnon dissolvendi, vacuandi, annullandi et irritandi quasvis colligationes, confederationes et pactiones, inter quoscumque occasione dissidii huiusmodi nutriendi sub quacumque forma vel expressione verborum factas quomodolibet vel initas, penas super eis adiectas, et iuramenta prestita, cum iramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, nichilominus relaxando, plenam vobis concedimus tenore presentium facultatem. Datum (Avinione) Nonis Septembris, Pont. nostri anno decimo octavo.

DIX.

Iisdem, ut si regem Scotiae coram alloqui nequeant, cum eius nuntiis de pace reformanda agant. Reg. An. XVIII. Secret. fol. 219.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Geraldo Othonis generali Ministro Minorum, et Arnaldo de S. Michaele Predicatorum ordinum fratrum, Penitentîario nostro, sacre Theologie professoribus, sal. etc. Cum nos, gravibus attentis periculis, ac innumeris personarum et rerum dispendiis, que suscitata inter Carissimos in Christo filios nostros Ed. Anglie ex parte una, et David Scotie Reges Illustres ex altera dissensio iam intulisse, proh dolor! dicitur, ad sedandam periculosam inter ipsos Reges discordiam, et turbate pacis reformanda federa paterna diligentia intendentes, vobis, de quorum circumspectione plenam in domino fiduciam gerimus, per alias nostras litteras providerimus committendum, ut ad partes illas vos personaliter conferentes, Reges ipsos ad pacem et concordiam iuxta datam vobis ex alto prudentiam sollicitis monitis, et efficacibus persuasionibus inducere procuretis: ita quod auxiliante domino, qui pacis est auctor etc. ut supra usque relaxando, per easdem litteras concessimus, sicut in eis continetur plenius, facultatem. Sane quia libenter ad removendum obstacula, que obviare possent quomodolibet bono pacis, huiusmodi studia dirigimus mentis nostre, volumus et nostre intentionis existit, quod licet prefatus Rex Scocie non esset forsan in eis partibus, vel non possetis commode, aut non videretis expediens, vos eius personalem presentiam adituros, cum ipsius tamen gentibus procuratoribus seu nunciis, ad hoc ab ipso sufficienti potestate suffultis, valeatis contenta in prefatis litteris plenarie consequi ac complere. Datum ut supra.

DX.

Proceribus ecclesiasticis et saecularibus Angliae et Scotiae, ut nuntiis apostolicis in reconciliandis inter Angliae et Scotiae reges pace praesto esse velint. Reg. An. XVIII. Secret. fol. 210.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Henrico de Bellomonte Comiti de Bowhay, salutem etc. Non absque magna mentis amaritudine percepimus hiis diebus, quod zizanie sator cunctorumque malorum incentor inter Carissimos in Christo filios nostros E. Anglie, et David Scotie Reges Illustres adeo gravis dissensionis iniecit invicem semina, quod iam ad tam graves congressus bellicos processerunt mutuo, quod, proh dolor! gens innumera in eisdem dicitur cecidisse. Nec hiis contenti, ad graviora inferenda hinc inde, sicut asseritur, se disponunt. Que quidem dissensio ratione quorumdam iurium et terrarum, que tu, fili, et certi alii nobiles in Regno Scotie vos habere dicimini, extitit, sicut habet fidedignorum relatio, inchoata. Nos igitur more pii patris, quem incommoda filiorum non pretereunt, ad huiusmodi sedandam discordiam, turbateque pacis federa reformanda, necnon et semina huiusmodi pestifera, ne perniciosam coalescant in segetem, radicitus extirpanda vigilantibus studiis intendentes, dilectos filios Geraldum Othonis Ministrum generalem Minorum, et Arnaldum de Sancto Michaele, Penitentiarium nostrum, Predicatorum ord. fratrum professores, Magistros sacre pagine, apostolice sedis nuncios, de quorum circumspectione et fidelitate plene confidimus, ad eas partes tamquam pacis Angelos providimus destinandos. Quocirca nobilitatem tuam rogamus attente, et in domino exhortamur, quatinus pacis commoda et dissensionum discrimina consideranter attendens, ad ea, que pacis sunt, tuum convertas animum et inclines, nunciorum ipsorum salubribus in hac parte consiliis et persuasionibus taliter acquiescens, quod exinde deo et apostolice sedi reddaris acceptior, tuaque

prudencia debeat merito commendari. Dat. Avinione Nonis Septembris, Pontificatus nostri anno decimo octavo.

In e. m. Nobilibus viris David Comiti Assellensi, Henrico de Percy, Alexandro de Monbray, Thome de Lawach, Roberto de Ferreys et Ricardo Talbot.

In e. m. Venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis et Episcopis, et dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prepositis, Archidiaconis, Archipresbiteris et aliis ecclesiarum Prelatis per Regna Anglie et Scotie constitutis.

DXI.

Angliae et Scotiae regibus, ut pacem inter se reconcilient, et nuntios apostolicos sibi missos benigne recipiant et audiant. Reg. An. XVIII Secret. fol. 209.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Edwardo Regi Anglie Illustri, salut. etc. Non sine multa mentis nostre amaritudine, fili carissime, percepimus hiis diebus, quod zizanie sator cunctorumque malorum incentor inter te, ac Carissimum in Christo filium David illustrem Regem Scotie adeo gravis dissensionis iniecit semina, quod iam ad tam congressus bellicos processistis mutuo, quod, proh dolor! gens innumera in eisdem cecidisse dicitur: nec hiis contenti, ad graviora hinc inde vos, ut fertur, disponitis inferenda. Nos igitur more pii patris, quem incommoda filiorum non pretereunt, ad huiusmodi sedandam discordiam, turbateque pacis federa reformanda, necnon ad huiusmodi semina, ne perniciosam coalescant in segetem, extirpanda radicitus vigilantioribus studiis intendentes, dilectos filios Geraldum Othonis Generalem Minorum, et Arnaldum de Sancto Michaele, Penitentiarium nostrum, Predicatorum ordinum professores, Magistros sacre pagine, ad tuam et dicti Regis presentiam destinamus. Quocirca serenitatem Regiam rogamus, hortamur et obsecramus in domino Ihesu Christo, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus pacis commoda et dissensionum discrimina consideranter attendens, summi pacificique Regis intuitu, nostrorumque precaminum interventu ad pacem regalem habilitans animum, premissos nuncios benigne recipias, eorum exhortationibus et salutaribus monitis acquiescas, ut per hec non solum Regno tuo quietem indulgeas, sed et publice utilitati provideas, dei serviciis, precipue terre sancte negocio, que per tuam et sepefati Regis discordiam impedimenta noscuntur recipere, consulas, illumque tibi retributorem constituas, qui fidelium obsequia in resurrectione iustorum sine retributione ineffabili non relinquet. Datum ut supra.

In e. m. David Regi Scotie.

DXII.

Richardus electus Darensis confirmatur. Reg. An. VI. Com. par. 1. ep. 21.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Riccardo Episcopo Darensi, salutem etc. In supreme dignitatis specula etc. Dudum siquidem ecclesia Darensi per obitum bone memorie Walteri Epi Darensis, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, te tunc Archidiaconum Darensem, in diaconatus ordine constitutum, quasi per inspirationem divinam in Darensem Epum concorditer elegerunt: tuque ad Capituli predictorum instanciam huiusmodi electioni de te facte postmodum consensisti, et a dilectis filiis ... Vicariis generalibus Venerabilis fratris nostri ... Archiepiscopi Dublinensis loci Metropolitani, in remotis agentis, cum instancia postulasti, ut electionem huiusmodi confirmarent. Cumque prefati Vicarii assererent eis fore per dictum Archiepiscopum specialiter interdictum, quod nullam electionem confirmare deberent: tu ad sedem apostolicam personaliter accessisti, et tam tu per te ipsum, quam dicti Capitulum per certos eorum procuratores ydoneos ad eandem sedem propter hoc specialiter destinatos, presentato nobis ipsius electionis decreto, a nobis suppliciter postulastis, ut confirmare electionem huiusmodi de benignitate sedis dignaremur eiusdem, in hiis omnibus aliis statutis a iure temporibus observatis. Nos itaque electionem ipsam, tueque persone merita per Venerabilem fratrem Gaucelinum Epum Albanensem, et dilectos filios nostros Raymundum tituli sancti Eusebii presbiterum, ac Raymundum s. Marie nove diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter, et facta nobis ab eisdem Episcopo et Cardinalibus super hiis relatione plenaria et fideli, quia predictam electionem invenerimus de te, viro litterarum scientia predito, morum honestate decoro, in spiritualibus provido, et temporalibus circumspecto, aliarumque multiplicum virtutum meritis insignito, canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus confirmandam, teque ipsi Darensi ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi, tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo: et subsequenter tibi ad presbiteratus ordinem interim rite promoto per eundem Episcopum Albanensem munus fecimus consecrationis impendi, firma etc. Datum Avinione xv. Kalend. Novembris, Pontificatus nostri anno decimoctavo.

DXIII.

Archiepo Cassellensi, ut processum pontificium contra dogmatizantes in provincia sua promulgari faciat. Reg. An. XVIII. Secret. fol. 211.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri .... Archiepiscopo Cassellensi, salutem etc. Diligentiam tuam in scribendo nobis ea, que a nonnullis perversis illarum partium religiosis dumtaxat habitu in ipsis partibus contra constitutiones nostras super hoc editas dogmatizantur, et etiam predicantur, plurimum in domino commendantes, ecce, sicut postulasti a nobis, processum quendam per nos contra dogmatizantes huiusmodi habitum sub bulla nostra tibi, et Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Dublinensi sub di-

versis nostris litteris duximus destinandum: fraternitatem tuam requirimus et eidem mandamus, quatinus ad eius publicationem et executionem, prout servato ipsius tenore expedire cognoveris, non postponas. Dat. Avinione VIII. Kal. Marcii, Pontificatus nostri anno decimo octavo.

DXIV.

Episcopo Clonensi prioratus s. Andreae de Towardereth confertur in commendam. Reg. An. XVIII. Com. par. 1. ep. 677.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Clonensi, salutem etc. Meritis tue devotionis inducimur, ut personam tuam favore apostolico prosequentes, petitionibus tuis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque Prioratus Conventualis sancti Andree de Towardereth, Monasterio sanctorum Sergii et Bachi ordinis sancti Benedicti Exoniensis et Norwicensis diocesum immediate subiectus, et per eiusdem Monasterii monachos solitus gubernari, quem quondam Philippus eiusdem Prioratus ultimus Prior ac monachus Monasteriorum predictorum, qui pridem extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacare noscatur ad presens, nullusque preter nos de dicto Prioratu hac vice disponere possit pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi, dum adhuc idem Philippus ageret in humanis, intendentes de Prioratu predicto, quamprimum illum vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam ordinari, Prioratum predictum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, videlicet XVII. Kalend. Octobris, Pontificatus nostri anno decimoseptimo, collationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandum, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et sicut ex serie tue petitionis nobis nuper oblate percepimus, tu, quem pridem tunc, sicut ex nunc in Curia existentem, ecclesie Clonensi pastore carenti de fratrum nostrorum consilio prefecimus in Episcopum et pastorem, de proventibus exiguis ecclesie tue Clonensis predicte, certis ex causis nobis expositis, nondum aliquid percipere potueris, neque possis, sicque propterea tam pro tuis expensis necessariis, quam etiam pro ecclesie tue predicte apud sedem eandem promovendis negotiis, in magnis pecuniarum summis diversis creditoribus obligatus: Nos tibi et ecclesie tue predicte paterno in hac parte compatientes affectu, ac volentes personam tuam nobis et sedi apostolice devotam, tuorum grandium exigentia virtutum acceptam, ut huiusmodi onera valeas commodius supportare, prerogativa prosequi favoris et gratie specialis, prefatum Prioratum sic vacantem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate usque ad dicte sedis beneplacitum commendamus, per te una cum ecclesia tua Clonensi predicta tenendum, et etiam possidendum: ita quod de fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis ipsius Prioratus debitis et consuetis, eiusdem Prioratus supportatis oneribus, libere ordinare, et disponere possis huiusmodi commenda durante, sicut veri Priores ipsius Prioratus, qui fuerunt pro tempore, ordinare et disponere potuerunt et etiam debuerunt, alienatione tamen bonorum immobilium Prioratus ipsius tibi penitus interdicta, Decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis etc. usque attemptari. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus etc. Nulli ergo etc. Dat. Avinione IIII. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno decimo octavo.

In e. m. Magistro Manueli de Flisco Canonico Eboracensi Notario nostro, et Decano Exoniensis ac Archidiacono Norwicensis ecclesiarum, ut hanc collationem Epo Clonensi concessam exequendam curent.

DXV.

Episcopo Dumblanensi, ut cum Ioanne de Gram et Maria de Metet eius coniuge super matrimonio dispenset. Reg. An. XVIII. par. 2. ep. 984.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Dumblanensi, salutem etc. Sedis apostolice circumspecta benignitas rigorem nonnunquam mansuetudine temperans, quod negat iuris severitas, misericorditer de gratia benignitatis indulget, prout locorum, personarum et temporum qualitate pensata, id in domino conspicit salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis de Gram militis, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Marie de Metet tue diocesis petitio continebat, quod dudum ipsi desiderantes invicem matrimonialiter copulari, quamvis se esse scirent in quarto consanguinitatis gradu coniunctos, quibusdam tamen certis causis realibus propositis coram nobis inducti, matrimonium alias legitime in facie ecclesie sollempniter contraxerunt, illudque etiam confirmarunt. Cum autem, sicut ipsi asserunt, ex separatione huiusmodi matrimonii, si fieret, scandala et mala plurima orirentur, nobis humiliter supplicarunt, ut providere super hoc eis de absolutionis ab excommunicationis sententia, quam propter ea incurrerunt, ac dispensationis beneficio de benignitate apostolica misericorditer dignaremur. Nos itaque, qui animarum salutem, ac singulorum pacis et quietis desideramus augmentum, scandalis et malis huiusmodi obviare volentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, et tibi expediens videatur, quod dicta concedatur dispensatio, super quo tuam conscientiam oneramus, ipsis milite et Maria separatis ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, ipsos a sententia excommunicationis, quam propter premissa incurrisse noscuntur, iuxta formam ecclesie absolvas, iniuncto eis inter alia sub virtute iuramenti prestandi, quod deinceps similia non committant, nec committentibus prebeant auxilium, consilium, vel favorem, iniunctis etiam eisdem Iohanni et Marie penitentia salutari, et aliis, que de iure fuerint iniungenda: et demum cum eisdem, ut impedimento huiusmodi non obstante matrimonium de novo contrahere, et in eo licite remanere valeant, eadem auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando.

Datum Avinione Kalendis Maii, Pontificatus nostri anno decimo octavo.

DXVI.

Cum Willelmo Darcy et Mathilde de Burgo eius uxore super matrimonio dispensatur. Reg. An. XVIII. Com. par. 1. ep. 1135.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Willelmo Darcy nato dilecti filii nobilis viri Iohannis Darcy dominicello, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Matildi nate dilecti filii nobilis viri Walteri de Burgo militum Darensis et Enagdunensis diocesum, salutem etc. Romani Pontificis precellens auctoritas non nunquam rigorem iustitie mansuetudine temperans, quod negat iuris severitas, de gratia benignitatis indulget, cum id secundum Deum prospicit salubriter expedire. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod vos pro sedandis gravibus et periculosis inimicitiis, magnisque et inflammatis odiis, que inter progenitores vestros retroactis temporibus extiterunt et vigent, ex quibus guerrarum discrimina, scandala plurima, cedes et strages hominum sunt secuta, de communium etiam amicorum vestrorum tractatu desideratis insimul matrimonialiter copulari. Sed quia quarto consanguinitatis gradu invicem vos contingitis, matrimonium huiusmodi contrahere non potestis, dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Quare nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christifidelibus quietis et pacis commoda procuramus, volentes huiusmodi inimicitiis et scandalis obviare, vestris supplicationibus inclinati, vobiscum, quod impedimentum consanguinitatis huiusmodi non obstante, matrimonium invicem libere contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeatis, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nuntiantes. Nulli ergo etc. Datum Avinione v. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno decimo octavo.

DXVII.

Electus Armachanus confirmatur. Reg. An. XVIII. Com. par. 1. ep. 1139.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio David Electo Armachano, Ibernie Primati, salutem etc. In supremo dignitatis specula etc. Olim siquidem ecclesia Armachana per obitum bone memorie Stephani Archiepiscopi Armachani, Ibernie Primatis, qui in partibus Anglie debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, te Decanum dicte ecclesie, in sacerdotio constitutum, quasi per inspirationem divinam in Armachanum Archiepiscopum concorditer elegerunt: ac electione huiusmodi Clero et populo solempniter publicata, tu ad Capituli predictorum instantiam huiusmodi electioni de te facte postmodum consensisti, et ad sedem apostolicam personaliter accedens, tam tu per te ipsum, quam dicti Capitulum per certos eorum procuratores ydoneos ad eandem sedem propter hoc specialiter destinatos, presentato nobis ipsius electionis decreto, a nobis suppliciter postulastis, ut confirmare electionem huiusmodi de benignitate sedis dignaremur eiusdem, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nos itaque electionem eandem, tueque persone merita per Venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum Episcopum Albanensem, et dilectos filios nostros Petrum tituli sancti Martini in Montibus presbiterum, et Raymundum sancte Marie nove diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter: et cum postquam ad aliquos actus in huiusmodi examinationis negotio per dictos Episcopum et Cardinales processum extitit, prefatus Petrus Cardinalis foret infirmitate detentus, nec posset negotio predicto vacare, loco ipsius dilectum filium nostrum Petrum tituli sancti Clementis presbiterum Cardinalem subrogavimus negotio memorato. Et deinde facta nobis ab eisdem Episcopo et sancti Clementis (presbitero) ac diacono Cardinalibus super hiis relatione plenaria et fideli, quia predictam electionem invenimus de te viro vite laudabilis, litterarum scientia predito, morum honestate decoro, in spiritualibus provido, et in temporalibus circumspecto, aliarumque virtutum meritis multipliciter insignito canonice celebratam, eam de predictorum, et aliorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus, teque dicte Armachane ecclesie in Archiepiscopum preficimus et pasterem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, In illo qui dat gratia etc. Datum Avinione iiii. Nonas Iulii, Pontificatus nostri anno decimo octavo.

In e. m. Capitulo ecclesie Armachane, Clero et populo civitatis et diocesis Armachane, universis Vassallis, et universis Suffraganeis ecclesie Armachane, et Edwardo Regi Anglie.

DXVIII.

Electo Armachano munus consecrationis et licentia datur redeundi ad ecclesiam suam. Reg. An. XVIII. Com. par. 1. ep. 1146.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri David Archiepiscopo Armachano, Ybernie Primati, salutem etc. Pridem Armachana ecclesia solatio destituta pastoris, Nos ad personam tuam claris titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio, eidem ecclesie in Archiepiscopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem episcopum Portuensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi: fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione etc. Datum Avinione vii. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno decimo octavo.

EPISTOLAE BENEDICTI PP. XII.

DXIX.

Nuntii apostolici ad Angliae et Scotiae reges mittuntur, ut inter ipsos pacem reforment. Reg. An. 1. Secret. fol. 79.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Hugoni Episcopo Tricastrino, et dilecto filio Magistro Rolando de Aste Canonico Laudunensi, Capellano nostro, et causarum nostri palacii Auditori, apostolice sedis Nunciis, salutem etc. Quamvis pacis concordia inter cunctos fideles ubique vigere desiderabiliter affectemus, illam tamen inter Reges et Principes catholicos eo desideramus habundare uberius, quo ipsorum concordia quietem et securitatem ministrat pluribus, et maiora exinde proventura conspicimus commoda negotio passagii transmarini. Habet siquidem rumor implacidus et infestus, quod licet olim inter Carissimos in Christo filios nostros Eduardum Anglie ex parte una, et David Scocie Reges Illustres, seu patrem eiusdem Regis Scocie, dum viveret, ex altera, post guerrarum et dissentionum calamitates et hostiles incursus inter ipsos ingruentes varios, pacis deo grate fuerit concordia reformata: hostis tamen humani generis concordiam odiens, et discordiam amans, sic pacem huiusmodi solennibus affinitatis et parentele nexibus stabilitam turbare, ipsiusque federa disrumpere per suas fraudulentas astucias procuravit, eosdem ad iracundiam ac rancorem, et odia periculose nimium provocando, quod oblitis seu violatis pacis eiusdem federibus, ad offensas mutuas et hostiles congressus prosilierunt hinc inde hactenus, et ad prosiliendum non sine suis et aliorum multorum periculis et dispendiis, sicut accepimus, se disponunt. Nos igitur lapsus rerum, strages corporum, et animarum amarius plangendo pericula, necnon instanti transmarino passagio impedimenta et incommoda proventura varia ex hiis probabiliter formidantes, attendentes insuper innumera commoda, que tam utrique Regum predictorum suisque Regnis et subditis, ac multis aliis, quam prelibato passagio ex eorum mutua concordia provenirent, eos ad desistendum a guerrarum et dissensionum fremitibus, et reintegranda seu reformanda pacis predicte federa per nostras oportunas litteras exhortamur. Sane quia vox viva magis quam mortua imprimere auditorum cordibus consuevit, vos viros utique pacis et concordie zelatores fervidos, de quorum circumspectione ac fidelitate plenam in domino fiduciam gerimus, ad Regum ipsorum presentiam providimus destinandos. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad Reges prefatos vos personaliter conferentes, litterasque nostras, quas eis dirigimus, ut premittitur, presentantes, ostensis eis pacis et concordie commodis, et dissensionum incommodis, ac aliis periculis et dispendiis supradictis, ipsos ad desistendum ab eisdem congressibus hostilibus, ac pacis et unitatis reformanda federa, necnon et ad ineunda propterea invicem treugas viis et modis, quibus melius poteritis, iuxta datam a deo vobis prudentiam inducatis. Et si divina clementia corda Regum ipsorum tetigerit, ut ad viam pacificam, vel saltem ineundas treugas se convertant, ne subsint obstacula, que tantum bonum retardare vel impedire valeant, quovis modo in casu huiusmodi dissolvendi quascumque colligationes, pactiones et confederationes, per quasvis personas ecclesiasticas vel seculares, cuiuscumque status vel conditionis existant, factas vel initas causa huiusmodi discordie nutriende, ac iuramenta super eis prestita, et penas adiectas quaslibet relaxandi, cum iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, vobis tenore presentium concedimus potestatem. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis ii. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

DXX.

Angliae et Scotiae regibus, ut pacem inter se reconcilient, et nuntios apostolicos ea de re missos benigne recipiant et audiant. Reg. An. I. Secret. fol. 79.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Edwardo Regi Anglie Illustri, salutem et ap. ben. Etsi nos, qui licet immeriti vices in terris gerimus Regis pacifici et excelsi, pacem inter cunctos Christicolas cure nostre commissos intensis optemus desideriis habundare, illam tamen eo vigere uberius inter Reges et Principes capimus, odiorum fomitibus extirpatis, quo eorum concordia utilior pluribus redditur, et dissensiones maiora pericula secum trahunt. Intelleximus siquidem displicenter, quod licet olim inter te, fili carissime, ex parte una, et Carissimum in Christo filium nostrum David Regem Scocie Illustrem, seu patrem suum, dum viveret, ex altera, post calamitates et fremitus guerrarum varios, pacis concordia reformata fuerit, et solennibus affinitatis et parentele nexibus roborata: hostis tamen humani generis, pacis et caritatis emulus, paci huiusmodi et bonis ex ea secuturis invidens, eam sic turbare, sicque caritativa federa inter te ac Regem eundem irrita dissolvere procuravit, quod tu et Rex ipse, huiusmodi violatis federibus, et antiquis suscitatis rancoribus, ad offensiones et congressus bellicos non sine magnis animarum et personarum et rerum periculis invicem rediistis. Nos igitur ex hiis lapsus rerum, strages corporum et animarum amarius plangendo pericula, necnon impedimenta instantis transmarini passagii, et alia innumera dispendia probabi-

liter formidantes, desideranter affectamus, ut spretis hostis predicti suggestionibus, ad formanda et reintegranda pacis et concordie federa, deo grata utique, ac utrique vestrum accommoda, necnon subditis et amicis fructuosa et gaudiosa plurimum, cum eodem Rege Scocie redire Regia providentia procuraret. Quocirca Regalem rogamus excellentiam, et in domino attentius exhortamur, quatenus pacis commoda et dissensionis incommoda consideranter attendens, ad cessandum et abstinendum a guerris predictis, pacisque reformanda et reintegranda violata federa, initis interim, ut ad hec quietius et melius intendi valeat, aliquibus invicem treugis regium coaptes animum et inclines. Verum quia vox viva artius quam mortua imprimere consuevit, Venerabilem fratrem nostrum Hugonem Episcopum Tricastrinum, et dilectum filium Magistrum Rolandum de Aste Canonicum Laudunensem, Capellanum nostrum, et causarum nostri palatii auditorem, apostolice sedis Nuncios ad tuam et eiusdem Regis Scocie presentiam propterea providimus destinandos: quorum exhortationibus in hac parte salubribus sic prompte pro divina et apostolice sedis reverentia, tueque salutis obtentu, quesumus, acquiescas, quod guerris in Regno et terris tuis cessantibus, pacisque serenitate regnante, prosperari ad dei laudem et gloriam, fideique dilatationem Catholice valeat negotium predicti passagii, tuque Rex merito possis dici pacificus, et propterea dei filius appellari. Nos enim pro huiusmodi confirmanda concordia sedule laborare offerimus, quando et quociens expedire cognoverimus et fuerimus requisiti. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis II. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Carissimo in Christo filio David Regi Scocie Illustri.

DXXI.

Nuntiis apostolicis ad reges Angliae et Scotiae destinatis dantur litterae passus et procurationis ipsis a clero faciendae. Reg. An. I. Secret. fol. 80.

Benedictus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, et dilectis filiis Electis, Abbatibus etc. ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum nos Venerabilem fratrem nostrum Hugonem Episcopum Tricastrinum, et dilectum filium Magistrum Rolandum de Aste Canonicum Laudunensem, Capellanum nostrum, causarum nostri palacii Auditorem, apostolice sedis Nuncios ad partes Regnorum Anglie et Scocie pro certis negociis, statum eorumdem Regnorum pacificum concernentibus, providerimus destinandos: Universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolice vobis scripta mandantes, quatenus eosdem Nuncios et eorum quemlibet, cum per partes vestras transitum fecerint, ob nostram et eiusdem sedis reverentiam benigne recipientes et honeste tractantes, sibi de securo conductu, ac pro suis et familiarum suarum necessariis eidem Episcopo in sex libris, et dicto Capellano in quinquaginta solidis Turonensium parvorum singulis diebus eundo, morando et redeundo, cum super hiis per ipsos, vel eorum aut alterius ipsorum nuncium vel nuncios requisiti fueritis, liberaliter providere curetis. Et si eosdem Nuncios in aliquibus locis, vel loco moram contrahere contigerit, volumus, quod non solum earumdem, sed vicinarum partium, sicut iidem Nuncii pro huiusmodi oneribus dividendis et facilius supportandis expedire viderint, vos Archiepiscopi, Episcopi etc. contribuere in subventionibus teneamini antedictis. Sic itaque mandatum nostrum huiusmodi efficaciter adimplere curetis, quod possitis exinde merito commendari. Alioquin sententiam, quam ipsi rite tulerint in rebelles, super quo sibi tenore presentium plenariam concedimus potestatem, ratam habebimus, et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione postposita, inviolabiliter observari. Non obstantibus, si aliquibus ab eadem sit sede indultum, quod Nunciis sedis ipsius aliquam procurationem exhibere, vel in ipsa contribuere, nisi ad eos descenderint, seu etiam alias minime teneantur, seu quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, aut quibuslibet privilegiis et indulgentiis apostolicis quibusvis personis, locis et ordinibus sub quavis forma verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus in nostris litteris specialis et expressa mentio sit habenda, et per que presens mandatum nostrum posset quomodolibet impediri. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis II. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

DXXII.

Regi Franciae, ut Angliae et Scotiae reges ad consilia pacis inducat, neque se permoveri sinat, ut regi Scotiae contra regem Angliae suppetias prestet. Reg. An. I. Secret. fol. 81.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Philippo Regi Francie Illustri, salutem etc. Super negocio tangente Carissimos in Christo filios nostros Edwardum Anglie et David Scocie Reges Illustres, de quo faciebant tue celsitudinis presentate nobis littere, quas benigne recepimus, mentionem, cum quibusdam fratribus nostris, honoris et commodi Regii zelatoribus fervidis, ad nostram propter hoc evocatis presenciam, deliberatione prehabita diligenti, visum fuit nobis et ipsis fratribus expediens propter multa, que dicta fuerunt ibidem, quod Reges prefatos ad cessandum propter rerum ac corporum et animarum pericula, necnon et instans passagium transmarinum a guerrarum fremitibus, ac pacis reformandam concordiam, vel saltem ineundas treugas per litteras et nuncios nostros exhortari et inducere efficaciter debeamus: sed quod indicamus inter eos ad presens treugas, non creditur expedire, presertim quia iurium dictarum partium noticiam non habemus, nec, si per nos indicerentur, sicut alias visum est in similibus, forsitan servarentur, sicque non esset aliud nisi per penas et sentencias, que infligerentur adversus non servantes vel infringentes treugas, inicere laqueum, quod vitare nos convenit,

tante multitudini animarum. Insuper etiam quia cum Reges prefati seu gentes eorum sint in procinctu confligendi, sicut litterarum ipsarum lectio subiungebat, idemque Rex Anglie se fortiorem videat vel reputet, sicut fertur, ad treugas publicandas, si sciretur, et esse minime posset occultum, liberum ad Regem predictum Anglie nequaquam forsam haberetur accessus. Audita vero responsione Regum predictorum, quam ad litteras et nuncios nostros predictos facient, parati erimus adhibere alia salubria remedia, sicut, deliberatione prehabita, viderimus expedire. Sane, fili Carissime, quia ex litterarum tuarum serie collegimus, Regie intentionis existere, propter certas conventiones et pacta inter tuos et Regis predicti Scocie predecessores, pro se suisque successoribus habita, Regi eidem favores et auxilia exhibere, quamquam tibi suadere vel consulere contrarium, cum conventiones et pacta ignoremus huiusmodi, nequeamus precise, ex sincera tamen dilectione, qua te Regnumque tuum prosequimur, que nobis ad presens occurrunt circa hec nolumus, presertim cum imminere pericula conspicimus, subticere. Veremur siquidem, quod ex impensione auxilii huiusmodi negotium transmarini passagii, si mittatur gens belligera Francie in Scociam, turbari non parum valeat vel etiam impediri, nec id sine sumptibus magnis fieri poterit, qui forsan forent utiles et necessarii pro negocio prelibato. Et ulterius, cum belli dubius sit eventus, si contingeret eundem Regem Scocie a Rege prefato Anglie superari, non posses cum honore tuo illum, quem adiuvisses, dimittere, quin fortius in eius auxilium assurgere procurares, sic multiplicare oporteret gentem belligeram, ac labores, odia et expensas. Ad hec non dubitamus, quod Regnum tuum, quia illud Deus facit prosperum, emulos habet et invidos, qui si possent, quod avertat Altissimus, libenter offenderent et nocerent, et cum iam aliqui circumvicini Magnates, ut intelleximus, accedant vel mittant ad subveniendum Regi Anglie memorato, posset inter te gentemque tuam, ac ipsos ex tui assistencia dicti Regis Scocie contraria inimicitiarum periculosum odium, quod vitare videtur potissime hiis temporibus expediens, suboriri. Displicenter percipimus insuper in certa parte Regni tui fuisse inter aliquos turbationis materiam suscitatam, qui si se cum emulis dicto Regno vicinis contingentibus forsitan ex assistencia provocata predicta confederarent, quod absit, periculosum non modicum videretur. Preterea non videmus, quod per aliquem principem secularem, sicut per te, fili dilectissime, inter Reges dissidentes predictos sic commode possit pacis concordia reformari, et si te contingat partem cum illorum altero facere, de te postmodum ille, contra quem partem facies, non confidet, sicque perdentur quo ad te tam desiderabiles tamque meritorii et honorabiles fructus pacis. Attendendum est etiam illud, quod tue celsitudini per dilectum filium nobilem virum Ludovicum Ducem Borbonesii exponi, data sibi a nobis credencia, voluimus, si cum aliis, que premisimus, miscerentur. Ex premissis autem et aliis multis, que circumspectioni Regie possunt circa hec occurrere, videretur expediens, presentis considerata qualitate temporis, quod per viam aliquam accommodam honori Regio condecentem procedendo, absque tamen Dei offensa, et lesione conscientie, super hiis a te parcialitas vitaretur. Regalis autem prudencia circumspiciat, et matura deliberatione prehabita videat consultius super hiis quid agendum. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis II. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

DXXIII.

Magister Bernardus Sistre constitutus apostolicae sedis nuntius ac decimarum collector in Angliae, Scotiae, Walliae et Hiberniae partibus. Reg. An. I. Secret. fol. 93.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Bernardo Sistre Canonico ecclesie beati Ilarii Pictavensis, in partibus Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie nostro et apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Cum de tue circumspectionis et fidelitatis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, te ad partes Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie, tanquam nostrum et apostolice sedis Nuncium, pro colligendo censu annuo, qui denarius beati Petri nuncupatur vulgariter, in eisdem partibus ecclesie Romane debito, et certis aliis negociis nos et ecclesiam memoratam tangentibus ibidem prosequendis et expediendis providerimus destinandum, petendi, exigendi et recipiendi nostro et ecclesie predicte nomine per te vel, alium seu alios dictum censum ab omnibus et singulis personis ecclesiasticis et secularibus, cuiuscumque status vel conditionis existant, que ad illius solutionem tenentur, tam pro preterito tempore quo ab illius sosolutione cessaverunt, quam futuro usque ad nostrum et eiusdem sedis beneplacitum; solventes quoque censum predictum quitandi et absolvendi dicto nomine de hiis, que inde receperis ab eisdem, nec non contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, Non obstantibus si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quibuscumque concessis, per que commisse tibi potestatis executio impediri posset quomodolibet vel differri, plenam tibi concedimus tenore pesentium potestatem. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis Id. Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

DXXIV.

Eidem, ut negotia ecclesiam Romanam tangentia per nuntios apostolicos suos antecessores in iisdem partibus inchoata ad finem debitum perducat. Reg. An. I. Secret. fol. 93.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Bernardo Sistre Canonico ecclesie beati Ilarii Pictavensis, in partibus Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie nostro et apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Olim

felicis recordationis Iohannes papa XXII., predecessor noster, primo Venerabilem fratrem nostrum Hugonem de Engolisma Episcopum Carpentoratensem, et subsequenter dilectum filium Icherium de Concoreto, Canonicum Saresbiriensem, duxit ad partes Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie, commissis eisdem in partibus ipsis diversis negociis ecclesiam Romanam tangentibus, per diversas suas litteras deputandos. Sane cum, sicut accepimus, adhuc aliqua de huiusmodi negociis pro toto vel pro parte restent complenda, nos volentes eiusdem ecclesie indempnitatibus providere, ut negocia ipsa, quecumque sint eandem ecclesiam vel cameram nostram tangencia, iuxta tenorem litterarum predictarum, necnon contenta in eisdem litteris tam super ceptis, quam non ceptis negociis exequi valeas et complere, ac si littere ipse tibi directe fuissent, Contradictores etc. plenam discretioni tue concedimus tenore presentium facultatem. Dat. apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis Idibus Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

DXXV.

Eidem, ut a clero tam saeculari quam regulari earum partium censum ecclesiae Romanae debitum exigat, adhibitis etiam, si opus esset, censuris ecclesiasticis. Reg. An. 1. Secret. fol. 93.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Bernardo Sistre etc. Nuncio, salutem etc. Cum nonnulli Venerabiles fratres nostri Archiepiscopi et Epi, ac dilecti filii Abbates, Priores, necnon Capitula et Conventus, alieque persone ecclesiastice et seculares, exempte et non exempte partium Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie certum censum annuum ecclesie Romane solvere, sicut accepimus, teneantur: Nos volentes eiusdem ecclesie indempnitatibus, ut ex debito tenemur pastoralis officii, providere, ab omnibus et singulis supradictis, ac eorum ecclesiis, Monasteriis et locis, prout ad dictum censum solvendum tenentur, super quo, si necesse fuerit, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii te informes, tam pro preterito tempore, quo ab illius solutione cessarunt, quam futuro usque ad apostolice sedis beneplacitum petendi, exigendi et recipiendi nostro et eiusdem ecclesie nomine, Contradictores quoque quoslibet et rebelles, cuiuscumque conditionis, status, ordinis vel dignitatis existerint, etiam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, Non obstantibus etc. ut in prima, plenam discretioni tue concedimus, tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod eos, a quibus receperis dictum censum, absolvere valeas plenius, et quitare de hiis, que inde receperis ab eisdem. Datum ut supra.

DXXVI.

Eidem, ut pecuniam sic collectam quibusdam mercatoribus Florentinis apostolicae camerae assignandam tradat. Reg. An. I. Secret. fol. 93.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Bernardo Sistre etc. Nuncio, salutem etc. Cum nos de tue circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, te in partibus Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie nostrum et apostolice sedis Nuncium, commissis ibidem diversis negociis nos et ecclesiam Romanam tangentibus, duximus deputandum: volumus et discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes pecunias, quas te nostro et ecclesie predicte nomine colligere ac recipere in partibus contigerit supradictis, dilectis filiis Bardorum, Peruciorum et Azayalorum societatum Mercatoribus Florentinis, cuiuslibet videlicet societatum predictarum Mercatoribus partem, de qua expedire cognoveris, assignare procures, per eosdem postmodum Mercatores infra certos terminos, de quibus cum eis conveneris, seu quos sibi prefixeris, exolvendas nostre Camere, ac etiam assignandas, faciens super singulis assignationibus huiusmodi duo confici consimilia publica instrumenta, quorum altero penes te retento, reliquum ad eandem procures Cameram destinare, ipsam certificaturus nichilominus super hiis, et etiam de quibus proventibus collecte fuerint dicte pecunie, clare, particulariter et distincte. Datum ut supra.

DXXVII.

Regibus Angliae et Scotiae idem nuntius commendatur. Reg. An. I. Secret. fol. 93.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Edwardo Regi Anglie Illustri, salut. etc. Tenet indubie de sincera devotione Regali consideratio mentis nostre, quod super hiis, que nobis et apostolice sedi gratia existere cognoverit, promptis et devotis affectibus se impendet. Cum itaque dilectum filium Magistrum Bernardum Sistre, Canonicum ecclesie beati Ilarii Pictavensis, nostrum et apostolice sedis Nuncium ad partes Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie pro certis nostris et ecclesie Romane negociis providerimus destinandum, Regiam excellentiam attentius deprecamur, quatenus eundem Nuncium habere velit pro nostra et eiusdem sedis reverentia, propensius commendatum, eidem favorem Regium, sicut oportunum extiterit, sic benigne ac favorabiliter impendendo, quod nos, qui te, fili carissime, Regnumque tuum sincere diligimus, reperire merito debeas in tuis oportunitatibus propentiores. Datum ut supra.

In e. m. David Regi Scotie.

DXXVIII.

Eidem nuntio, ut se informet et referat, quomodo nuntii apostolici sui antecessores munus suum exercuerunt. Reg. An. I. Secret. fol. 104.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Bernardo Sistre Canonico ecclesie beati Ilarii Pictavensis, in partibus Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie nostro et apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Cum subditorum oppressiones et gravamina sedi apostolice, que iusticiam, veritatem et equitatem diligit, admodum sint infesta: volumus et discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si Venerabilis frater noster Hugo Episcopus Carpentoratensis, et dilectus filius Icherius de Concoreto

Canonicus Saresbiriensis, olim in partibus Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie dicte sedis Nuncii, super colligendis diversis proventibus ad Cameram apostolicam in partibus predictis spectantibus per felicis recordationis Iohannem papam XXII., predecessorem nostrum, successive constituti, aut subcollectores ab eis vel eorum altero super premissis in predictis partibus constituti, aliquos gravaverint indebite, aut extorsiones, seu prava munera receperint ab eisdem, aut dolose vel maliciose Cameram apostolicam eius defraudaverint iuribus et proventibus, vel eam premissis modis vel aliis diffamaverint, ac de aliis circumstanciis circa hec occurrentibus simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, solerti et fideli adhibita diligentia, per te vel alium seu alios te informes, nobis informationem huiusmodi et ea, que circa hec repereris, in scripturam redacta publicam, ut inde debitum possit subsequi iusticie, fideliter transmissurus. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis vi. Kal. Octobris, P. n. anno primo.

DXXIX.

Icherio de Concoreto, olim in Anglias, Scotiae etc. partibus nuntio apostolico et collectori, ut successori suo in eodem munere omnes litteras id munus respicientes assignet. Reg. An. I. Secret. fol. 104.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Icherio de Concoreto, Canonico Saresbiriensi, salutem etc. Cum nos dilectum filium Magistrum Bernardum Sistre, Canonicum ecclesie beati Ilarii Pictavensis, in partibus Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie nostrum et apostolice sedis Nuncium duximus deputandum, sibique, ut omnibus et singulis litteris apostolicis Venerabili fratri nostro Hugoni Epo Carpentoratensi, et tibi olim successive in partibus predictis Nunciis super quibuscumque negociis directis uti tam in ceptis, quam non ceptis negociis, et contenta in eis exqui valeat et complere, ac si sibi specialiter et expresse directe fuissent, plenam per nostras litteras concesserimus potestatem: discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus litteras huiusmodi, que utilitatem vel necessitatem officii sibi commissi tangentes penes te, vel quoscumque subcollectores tuos fuerint, eidem integraliter et fideliter studeas assignare, ipsum super huiusmodi negociis, prout ad te pertinuerit seu te requisierit, nichilominus dirigendo. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis vi. Kalendas Octobris, Pont. nostri anno primo.

DXXX.

Britius monasterio ss. Petri et Pauli Armachano ordinis s. Augustini in abbatem praeficitur. Reg. An. I. Com. par. 2. epist. 5.

Benedicts episcopus etc. Dilecto filio Bricio Abbati Monasterii Apostolorum Petri et Pauli Armachani ordinis s. Augustini, salutem etc. Apostolice sollicitudinis studium etc. Dudum siquidem fel. rec. Iohannes pp. XXII., predecessor noster, provisionem omnium Monasteriorum tunc apud sedem apostolicam vacantium, et in antea vacaturorum dispositioni sue reservans, decrevit ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero Monasterio Apostolorum Petri et Pauli Armachani ordinis s. Augustini per obitum quondam Odonis eiusdem Monasterii Abbatis, qui vivente dicto predecessore apud sedem eandem debitum nature persolvit, pastoris regimini destituto, dil. filii Conventus eiusdem Monasterii huiusmodi reservationis et decreti forsitan ignari, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, te tunc Abbatem Monasterii Apostolorum Petri et Pauli de Cloveoys dicti ordinis Clochorensis diocesis quasi per inspirationem divinam, quamvis de facto, in eorum Abbatem concorditer elegerunt: tuque electioni huiusmodi (reservationis et decreti predictorum ignarus), illius tibi presentato decreto, de facto etiam consensisti, et deinde electionem eandem per dilectum filium Vicarium generalem Venerabilis fratris nostri ... Archiepiscopi Armachani, tunc in remotis agentis, reservationis huiusmodi etiam forte inscium, de facto similiter obtinuisti confirmari, teque administrationi spiritualium et temporalium ipsius Monasterii Apostolorum Petri et Pauli Armachani ingessisti, alias tamen fideliter et solerter: ac postmodum eodem predecessore interim sublato de medio, nobisque deinde ad apicem summi apostolatus assumptis, reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, ad dictam sedem apostolicam accessisti, ac huiusmodi negotium per te coram nobis humiliter exposuisti, et nichilominus omni iuri, si quod ex electione huiusmodi tibi competebat, sponte cessisti in manibus Venerabilis fratris nostri Epi Penestrini, de mandato nostro vive vocis oraculo sibi facto cessionem huiusmodi admittentis. Nos igitur attendentes electionem et confirmationem prefatas, utpote post et contra reservationem et decretum predicta factas fore irritas et inanes, ac de ipsius Monasterii Apostolorum Petri et Pauli Armachani, de quo idem predecessor noster disposuit, ordinatione, ne prolixe vacationis pateretur incommoda, paterna sollicitudine cogitantes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Monasterio Apostolorum Petri et Pauli Armachano personam utilem ac etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem; demum considerantes concordes te eligentium voluntates, quodque regimini eiusdem Monasterii Apostolorum Petri et Pauli de Cloveois laudabiliter prefuisti, in te direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, prefato Monasterio Apostolorum Petri et Pauli Armachano de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione viii. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Conventui Monasterii Apostolorum Petri et Pauli Armachani ordinis sancti Augustini, et Archiepiscopo Armachano.

DXXXI.

Regi Angliae, ut episcopo Ossoriensi bona, quibus eius ecclesia ab haereticis spoliata fuerat, restitui curet. Reg. An. I. Com. par. 1. ep. 909.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Edwardo Regi Anglie Illustri, salut. etc. Decet Catholicos Reges et principes non solum prelatis, et personis ecclesiasticis negotium catholice fidei contra hereticos prosequentibus presidiis, et favoribus oportunis adesse, sed etiam defensores eiusdem fidei existere principales, ac temerariis ausibus eorumdem, qui prosecutionem dicti negotii impedire conantur, debite provisionis remedio obviare. Cum itaque, sicut habet Venerabilis fratris nostri Ricardi Epi Ossoriensis in Hybernia expositio facta nobis, ipse qui negotia fidei contra certos hereticos illarum partium inimicos eiusdem fidei diutius in Romana Curia prosecutus est, et adhuc prosequitur, ac ecclesia sua Ossoriensis ad dictorum hereticorum instantiam bonis multis fuerint spoliati, et multipliciter lacessiti: Nos eidem Epo in hac parte paterno compatientes affectu, ac sperantes firmiter, quod celsitudo tua pro exaltatione catholice fidei prefato Epo in restitutione ablatorum eidem se debeat promptam et favorabilem exhibere, Serenitatem Regiam rogamus in domino et hortamur, quatenus attente considerans, quam meritorium apud deum, et apud homines commendabile tibi sit, si prefato Episcopo in premissis assistis, quantumque honori tuo et nomini derogares, si spoliationem predictam ad talium instantiam factam conniventibus oculis pertransires, Iusticiario et ceteris ministris tuis in Hybernia mandes districtius et iniungas, ut omnia et singula bona ipsius ecclesie Ossoriensis Episcopo et ecclesie predictis, ac ministris ipsius ecclesie ablata, postquam idem Episcopus iter arripuit pro huiusmodi prosecutione negotii ad dictam Curiam veniendi restituant, et ab illorum detentoribus cum integritate sine dilationis obstaculo restitui faciant cum effectu, ita quod idem Episcopus ob defectum necessariorum non compellatur prosecutionem negotii relinquere memorati, preces huiusmodi, que ex paterno affectu prodeunt, sic ad exauditionis debitum admissurus, quod preter retributionis eterne premium tibi exinde a dño proventurum, apostolice sedis ad nostram gratiam ac favorem uberius assequi merearis. Datum Avinione viii. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

DXXXII.

Eidem regi, ut haereticos in Hibernia comprimat, et per suos administros comprimi faciat. Reg. An. I. Com. par. 1. ep. 910.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Eddwardo Regi Anglie Illustri, salutem etc. Unigenitus dei vivi et veri dñus noster Ihesus Christus, qui corda fidelium sua ineffabili claritate illuminat et illustrat, ut excellentiam agnoscant ipsius in omni, potentiam suam credant, et in eius virtuosa virtute confidant, et propterea salvi fiant, perveniantque post vite presentis exilium ad patriam civium supernorum, diebus novissimis detexit in tua terra Hybernie lupine rapacitatis astutiam, vellere agnino velatam patefecit vulpeculas demoliri vineam domini pro viribus presumentes, et ostentavit tribulos infra segetem agri dominici usque ad hec tempora latitantes, hereticos quidem pestiferos diversas habentes facies, sed colligationes execrabiles et execrandas insimul ineuntes, utpote convenientes de vanitate deceptoria in idipsum. Nam sicut nuper ad apostolatus nostri, prohdolor! pervenit auditum, dum Venerabilis frater noster Ricardus Episcopus Ossoriensis suam diocesim iure ordinario visitaret, apparuerunt in medio catholici populi homines et eorum fautores heretici ceno pravitatis heretice labefacti, quorum quidam asserebant Ihesum Christum fuisse hominem peccatorem, et iuste crucifixum pro suis extitisse peccatis: alii vero factis per eos homagiis demonibus, etiam eis sacrificiis impensis ad dictorum informationes demonum de sacramento corporis Christi aliter sentiebant, quam de illo Catholica et Romana ecclesia sentit, dicentes non esse colendam, nec adorandum ullo modo sacramentum prefatum; et etiam asserentes quod decretibus et decretabilibus, ac etiam mandatis apostolicis credere vel obedire minime tenebantur, nec non ad consulendum demones in agendis iuxta ritus et sectas gentium et paganorum, spretis ecclesie Catholice sacramentis, Christifideles suis superstitionibus attraxerunt. Hec labes heretica intermixta fidelium cetibus fedat illos, hic morbus sui pudore contagii proximos fideles inficit adherentes, et hoc pestiferum aconitum serpens interimit animas illius pestilentia infectorum. Unde cum sicut accepimus in eadem Hybernia et Regno aliaque terra tui dominii Anglie non sunt inquisitores hereseos, nec ex offitio inquisitionis sue pravitatis hereses ibidem inveniri et puniri soleant, propter quod iura et privilegia inquisitionis eiusdem pravitatis incognita et inusitata inibi existere dinoscuntur, ad tui favoris clipeum, fili carissime, in quo splendor longe lateque irridiat fidei orthodoxe, velut ad strenuissimum Christi et eiusdem fidei pugilem pro huiusmodi pravitate, ac eius cultoribus confundendis et extirpandis recurrit sancta mater ecclesia confidenter. Quapropter Serenitatem Regiam attente requirimus, attentius exhortamur in domino, et obnixius deprecamur, cum in fulcimentum ecclesiastice potestatis temporalis fortitudinis sit gladius institutus, quatenus pro divina reverentia, honore ipsius fidei, et populari salute tam ... Iustitiario tuo Hybernie prelibate, quam ceteris ministris tuis per ipsam Hyberniam constitutis dare cures pervigil, ferventer et efficaciter per tuas litteras in mandatis, ut dicto Episcopo ceterisque Antistitibus Hybernie supradicte, quotiens et quando ab eis fuerint requisiti, viriliter et potenter assistant auxilio brachii secularis ad capiendum, puniendum, et extirpandum prefatos homines, et alias hereses in illis partibus noviter pululantes, ac etiam ceteros credentes, fautores, receptatores et defensores eorumdem hereticorum iuxta canonica instituta, que etiam ad quod presidentes regimini Regni, provintie sive loci obligant et astringunt. Ex hoc enim eterne maiestati offeres gratitudinis debite holocaustum, fidem exal-

tabis eandem, sanctam ecclesiam honorabis, requisitioni, exhortationi et deprecationi nostris huiusmodi acquiesces, tuique regalis nominis titulus extollatur altius, et continuus tibi prosperitatis et salutis proveniet usufructus. Datum Avinione viii. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

DXXXIII.

Nuntio apostolico, ut de conditione, valore, taxatione omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum in Angliae, Scotiae, Walliae et Hiberniae partibus consistentium se informet et referat. Reg. An. I. Secret. fol. 124.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Bernardo Sistre Canonico ecclesie beati Ilarii Pictavensis, in partibus Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Attendentes quod ex eo, quia sedes apostolica de conditionibus et facultatibus dignitatum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura in plerisque mundi partibus consistentium, necnon quot et que dignitates et beneficia huiusmodi ad electionem, nominationem, collationem vel aliam dispositionem Prelatorum, et quorumvis aliorum pertinent, notitiam pleniorem non habet, contigit interdum, quod ad dignitates et beneficia ipsa persone minus ydonee, plerumque ad ambitiosam importunitatem petentium promoventur, quodque Prelati et alii collationes vel presentationes beneficiorum habentes non nunquam pluribus, quam expediret, expectantibus onerantur, honori sedis eiusdem ac utilitati ecclesiarum et Prelatorum, animarumque commodis expediens admodum arbitramur, sedem ipsam de conditionibus et facultatibus dignitatum et beneficiorum ubique consistentium, ut super provisionibus per eam de illis, cum oportunum extiterit, faciendis agere salubrius, et onera partiri predicta consultius attenta pluralitate vel paucioritate collationum cuiuslibet valeat, plenius informari. Cum igitur te, de cuius fidelitate et circumspecta industria plenam in domino fiduciam gerimus, ad partes Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie pro certis nostris et ecclesie Romane negociis providerimus destinandum: Nos extimantes, quod per te melius, promptius et utilius fieri poterit informatio de premissis, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus tam de Cathedralibus, quam Collegiatis, et aliis quibusvis curatis et non curatis ecclesiis, necnon dignitatibus, personatibus, officiis et prebendis in eis consistentibus, quam Monasteriis, Prioratibus, decanatibus, administrationibus et aliis beneficiis, et locis ecclesiasticis quibuscumque religiosis et secularibus, exemptis et non exemptis in partibus supradictis consistentibus, ac eorum et cuiuslibet ipsorum conditionibus, necnon fructuum, redditunm et proventum tam secundum taxationem decime, quam verum valorem extimatione communi valoris, et ad cuius vel quorum electionem, nominationem, collationem vel presentationem pertinent, aliisque circumstanciis universis, prout in instructione tibi super hoc per Cameram nostram tradita plenius exprimuntur, te solerti adhibita diligentia particulariter et distincte, ut secretius poteris, informare procures, informationem, quam inde feceris, in scripturam redactam publicam nobis quantocius fideliter transmissurus. Datum Avinione iiii. Idus Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

DXXXIV.

Eidem, ut certam partem pecuniae collectae mercatoribus Florentinis societatis Albertorum assignet. Reg. An. I. Secr. fol. 125.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Bernardo Sistre etc. Nuncio, salutem etc. Quamvis tibi, quod pecunias per te nomine nostre Camere in partibus Anglie, Scocie, Wallie et Ibernie, ad quas te nuper destinavimus, colligendas dilectis filiis Bardorum, Feruciorum et Azayalorum mercatoribus Florentinis assignares, per eos postmodum predicte Camere persolvendas, per nostras certi tenoris litteras dederamus in mandatis: volumus tamen, quod partem pecuniarum ipsarum, de qua tibi videbitur expedire, dilectis filiis mercatoribus Florentinis societatis Albertorum assignes et tradas, sub modis et formis, quibus iuxta tenorem litterarum predictarum debes aliis prefatis mercatoribus assignare, utilitatem et securitatem prefate Camere tam super hiis, quam aliis, sicut honeste ac commode poteris, nichilominus concernendo. Datum ut supra.

DXXXV.

Collector decimarum etc. in Angliae, (Scotiae,) Walliae et Hiberniae partibus de quadam solutione absolvitur. Reg. An. I. Secret. fol. 140.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Icherio de Concoreto Canonico Saresbiriensi, salutem etc. Pro parte tua et dilectorum filiorum Mercatorum et sociorum societatis Azayalorum de Florencia propositum extitit coram nobis, quod tu dudum, videlicet in mense Iulii de anno Nativitatis domini millesimo trecentesimo tricesimoquarto proxime preterito, penes dilectum filium Petrum Soti, et quondam Paulum Bertaldi Mercatores et socios societais predicte, tunc in Anglia commorantes, quadringentas nonagintaquatuor libras, novem solidos, et quatuor denarios monete sterlingorum argenti, quos tam de decimis per felicis record. Iohannem papam XXII., predecessorem nostrum, in partibus Anglie, Wallie et Ibernie impositis, quam de fructibus beneficiorum ecclesiasticorum inibi vacantium, per eundem predecessorem nostrum sub certis modis et formis reservatis, et sue Camere pro ipsius supportandis utilius oneribus applicatis, necnon et de denario beati Petri, ac censibus annuis ecclesie Romane in partibus ipsis debitis, ac quibusdam aliis proventibus, Cameram prefati predecessoris nostri contingentibus, litterarum eiusdem predecessoris tibi directarum auctoritate collegeras, deponere predecessoris ac Camere predictorum nomine curavisti: quas quidem quadringentas nonagintaquatuor libras, novem solidos et quatuor denarios monete iamdicte, prefati Petrus et Paulus solvere et assignare supradicte Camere promiserunt, seque suo proprio et dicte societatis ipsorumque Mercatorum et sociorum nomine effica-

citer obligarunt. Cum autem dilectus filius Francicus Azayoli Mercator et socius societatis predicte in Romana Curia moram trahens, suo et dictorum Petri Soti, et quondam Pauli Bertaldi ac societatis memorate nomine dictas quadringentas nonagintaquatuor libras, novem solidos et quatuor denarios monete predicte sterlingorum in tribus milibus centum vigintiduobus florenis auri, et duodecim solidis monete coronatorum, singulis florenis pro tribus solidis et duobus denariis sterlingorum argenti computatis, nostre Camere duxerit die data presentium assignandos, fuit nobis humiliter supplicatum, ut tam tibi, quam eidem Petro et Paulo, totique societati predicte providere super hiis de cautele sufficientis remedio dignaremur. Nos itaque supplicationi huiusmodi benignius inclinati, assignationem et alia predicta rata habentes et grata, te dictosque Petrum Soti et quondam Paulum Bertaldi, ac totam societatem predictam, necnon tuos ac ipsorum heredes et bona de dictis quadringentis nonagintaquatuor libris, novem solidis et quatuor denariis sterlingorum prefate Camere, ut premittitur, assignatis absolvimus tenore presentium et quitamus. Et cum Mercatoribus et sociis societatis predicte pro ipsorum maiori cautela litteras alias super quadringentarum nonaginta quatuor librarum, novem solidorum et quatuor denariorum sterlingorum argenti predictorum assignatorum in dictis tribus milibus, centum vigintiduobus florenis auri, duodecim solidis monete coronatorum, et ut premittitur, computatis, quitacionem sub data concedimus presenti, te dictosque Petrum et Paulum ac societatem de summa eadem per litteras ipsas ex superhabundanti quitantes, volumus, decernimus et intelligimus, quod summa ipsa, que in presentibus et aliis directis dicte societatis Mercatoribus et sociis litteris nostris contenta una et eadem est, non possit dici vel intelligi diversa quomodolibet vel etiam duplicata. Datum Avinione v. Kal. Decembris, Pont. nostri anno primo.

DXXXVI.

Nuntio apostolico, ut duos tabelliones pro officio suo exercendo creare possit. Reg. An. II. Secret. fol. 30.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Bernardo Sistre Canonico ecclesie beati Ilarii Pictavensis, in partibus Anglie, Scotie, Wallie et Ibernie apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum tu, quem dudum ad partes Anglie, Scotie, Wallie et Ibernie pro certis negotiis nos et Cameram nostram contingentibus destinavimus, aliquibus Tabellionibus publicis pro expediendis felicius et securius dictis negociis indigeas, ut scripsisti: Nos de tue circumspectionis et fidelitatis industria plene in domino confidentes, ut duobus clericis non coniugatis, nec in sacris ordinibus constitutis, quos post diligentem examinationem a te super hoc faciendam ydoneos repereris, ad Tabellionatus officium exercendum, recepto prius a quolibet ipsorum iuramento iuxta formam inferius annotatam, dictum officium auctoritate nostra concedere valeas, plenam discretioni tue concedimus tenore presentium facultatem. Formam autem iuramenti predicti presentibus inseri fecimus, que talis est. Ego etc. Datum Avinione vi. Idus Maii, Pontificatus nostri anno secundo.

DXXXVII.

Regi Franciae, ne in negotio Scotiae temere procedat. Reg. An. II. Secret. fol. 51.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Philippo Regi Francie Illustri, salutem etc. Magnificentie Regalis littere, per quas hiis, que Vener. frater noster Guido Episcopus Lingonensis super certis, que sibi pridem imposueramus Regie celsitudini explicanda, nobis per scripturam referret, fidem prudentia Regia petiit per nos adhiberi credulam, solita benignitate receptis, et tam contentis in eisdem litteris, quam scripture nobis misse per eundem Episcopum cum suis litteris serie diligentius intellectis, devotionem et intentionem puram Regiam super hiis multipliciter in Domino commendamus. Sane, fili carissime, quia gressus et actus tuos per vias rectas dirigi, et ab inviis cupimus custodiri, optaremus admodum, ut super facto Scocie, antequam procedatur ad aliud, ne te Regnumque tuum et subditos periculosis subicias involutionibus, et specialiter talibus, a quibus absque detrimento honoris et fame non posset resiliri faciliter, presertim hoc presenti turbato et impacato, proh dolor! tempore, quo multorum inordinati motus in diversis mundi partibus audiuntur, matura deliberatione previa consideranter adverteret Regia providentia, quid agendum. Cito equidem unum tale potest inchoari negocium, sed prius sapienter et provide advertendum est, qualis esse valebit continuationis prosecutio, et quis finis. Super factis autem Alamannie iam in parte provisum est, sicut nuper serenitati Regie meminimus seriosius descripsisse: sed si aliqua in hac parte audiremus, circa que provisionis esset adhibendum remedium, id facere, prout videremus expediens, Regieque nunciare magnitudi curaremus: quod quidem etiam per eam nobis fieri volumus, si qua sibi super hiis occurrerent intimanda. Datum Avinione viii. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

DXXXVIII.

Alanus ecclesiae Artfertensi in episcopum praeficitur. Reg. An. II. Com. par. 1. ep. 565.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Alano Episcopo Artfertensi, salutem etc. Militanti ecclesie etc. Dudum siquidem bone memorie Nicolao Episcopo Artfertensi regimini Artefertensis ecclesie presidente, Iohannes pp. XXII. pred. noster intendens eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius Artfertensis ecclesie, cum eam quovis modo et ubicumque vacare contingeret, dispositioni sue ac sedis predicte ea vice (specialiter) reservavit, decernens ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicto

predecessore nature debitum persolvente, ac deinde prefata ecclesia per obitum ipsius Nicolai, qui nuper in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii ... Decanus et Capitulum ipsius ecclesie, huiusmodi reservationis et decreti predecessoris eiusdem forsan ignari, te tunc Canonicum eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, quasi per inspirationem divinam, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, huiusmodi electioni de te celebrate de facto etiam consensisti, et demum quibusdam asserentibus predecessorem eumdem provisionem eiusdem ecclesie dispositioni sue et dicte sedis reservasse, tu de huiusmodi reservatione dubitans, ad sedem accessisti eamdem. Huiusmodi electionis negotio proposito coram nobis, nos attendentes electionem ipsam, utpote post et contra reservationem et decretum predicta de facto celebratam, illam, prout erat, reputavimus irritam et inanem. Ac deinde ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere poterat, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, ne ipsa ecclesia longe vacationis incomodis exponeretur, paternis et sollicitis studiis intendentes, et cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, qui sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus, et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, que prout fidedigna relatione percepimus, morum et vite insignivit honestas, litterarum scientia, spiritualium et temporalium providentia, aliaque multiplicia virtutum dona commendant, et in quem etiam vota ipsorum Decani et Capituli tam concorditer, ut permittitur, concurrerunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua, nobis et fratribus eisdem ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: ac subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum Episcopum Albanensem tibi fecimus munus consecrationis impendi, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem Artfertensis ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi suffragante divina, prospere dirigitur, et salubria suscipiet incrementa. Quare etc. Dat. Avinione XIV. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Capitulo ecclesie Artfertensis, Clero, populo, universis Vassallis ecclesie Artfertensis, Archiepo Cassellensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DXXXIX.

Regi Angliae, ut cum archiepiscopo Dublinensi, quamvis excommunicato, de negotiis regni per tres menses communicare possit. Reg. An. II. Com. epist. 582.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Edwardo Regi Anglie Illustri, salut. etc. Regie tue devotionis sinceritas, quam ad nos et apostolicam sedem gerere nosceris, promeretur, ut petitionibus tuis in hiis, que tibi et Regno tuo possunt reddi proficua, quantum cum deo possumus, annuimus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut cum Alexandro Archiepiscopo Dublinensi, quem Venerabilem fratrem appellare non possumus, pro eo quod est excommunicationis sententiis innodatus, possis usque ad tres menses pro tuis et Regni tui negotiis consilia tua communicare, ac super hiis cum dicto Archiepiscopo loquendo participare sine conscientie scrupulo, cum eius, sicut asseris, consilium tibi sit plurimum opportunum, ita tamen quod in divinis et aliis, que huiusmodi consilia non contingunt, pro eo maxime, quod dictus Archiepiscopus animo obstinato per multos annos sustinuit sententias supradictas, nullatenus particepes cum eodem, excellentie tue auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione II. Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

DXL.

Ioannes renunciatur episcopus Glasguensis. Reg. An. III. Com. par. 1. fol. 13.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Glasguensi, salutem etc. Ad universalis ecclesie regimen etc. Dudum siquidem ecclesia Glasguensi, ad dictam Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone memorie Iohannis Episcopi Glasguensis, qui in illis partibus debitum nature persolvit, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, ac deliberantes in huiusmodi electionis negocio per viam procedere compromissi, quinque de dictis Capitulo, videlicet dilectis filiis Gylberto de Soncheyk Cancellario, Roberto de Strathern Thesaurario, Ricardo Svial, Nigello de Carrothorys et Malcolmo Kenedi, Canonicis ecclesie prelibate, providere ea vice per electionem canonicam ipsi ecclesie de pastore concesserunt unanimiter potestatem, usque ad certi temporis spacium tantummodo duraturam, promittentes illum recipere et habere in eorum, et eiusdem ecclesie Glasguensis Episcopum et pastorem, quem dicti compromissarii de seipsis, vel de aliis de gremio ipsius ecclesie concorditer ducerent eligendum. Dicti vero compromissarii, huiusmodi potestate recepta, secedentes in partem, post deliberationem, quam inter se habuerunt super huiusmodi negocio diligentem, demum in te Archidiaconum eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, direxerunt concorditer vota sua, ac deinde dictus Nigellus ex potestate huiusmodi sibi et eisdem collegis suis, ut premittitur, tradita, de ipsorum ibidem presentium mandato vice sua et collegarum, nec non Capituli predictorum nomine te infra dictum spacium in Episcopum Glasguensem elegit, ac electionem huiusmodi a dictis Capitulo acceptatam concorditer, clero et

populo solempniter publicavit: tuque post consensum eidem electioni, ipsius tibi presentato decreto, ad instantiam dictorum Capituli a te legitime prestitum ad sedem apostolicam personaliter accessisti, et postmodum tam tu per te ipsum, quam dicti Capitulum per certos procuratores eorum et nuncios ydoneos, ab eis propterea ad nos specialiter destinatos, confirmari per nos electionem prefatam, ipsius nobis presentato decreto, humiliter postulastis. Nos igitur electionem predictam, tuamque personam per Venerabilem fratrem Iohannem Episcopum Portuensem, et dilectos filios nostros Talayrandum tit. sancti Petri ad Vincula presbiterum, et Iacobum s. Georgii ad Velum aureum diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter: et facta nobis ab Episcopo et Cardinalibus memoratis super hiis relatione fideli, quia invenimus electionem eamdem de te persona ydonea, cui de litterarum scientia, honestate morum et vite, aliisque virtutum meritis fidedigna testimonia suffragantur, canonice celebratam, ac in premissis omnibus fuisse statuta a iure tempora observata, eam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus confirmandam, teque ipsi Glasguensi ecclesie preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo: et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Anibaldum Episcopum Tusculanum tibi fecimus munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque conceptis etc. Datum Avinione xiiii. Kal. Marcii, Pont. nostri anno tercio.

In e. m. Capitulo ecclesie Glasguensis, Clero et populo civitatis et diocesis Glasguensis, universis Vassallis ecclesie Glasguensis, et David Regi Scotorum Illustri.

DXLI.

Episcopo Clonensi, ut cum Petro Lepoer et eius uxore de matrimonio dispenset. Reg. An. III. Com. par. 2. epist. 255.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Clonensi, salutem etc. Sedis apostolice providentia circumspecta etc. Exhibita siquidem nobis pro parte dilecti filii Petri Lepoer nati dilecti filii nobilis viri Rogerii Lopoer militis tue Clonensis diocesis, et dilecte in Christo filie Rose nate Percevalli Vincentii maioris civitatis Corkagensis petitio continebat, quod olim ipsi ignorantes aliquod impedimentum existere inter eos, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium in facie ecclesie, bannis, ut moris est, editis, nemine se opponente, per verba de presenti insimul contraxerunt, illudque carnali copula consumarunt: quodque processu temporis ad eorum pervenit notitiam ex relatu et affirmatione quorumdam, quod quedam mulier, quam predictus Petrus ante huiusmodi contractum matrimonium carnaliter cognoverat, eidem Rose ab uno in tertio, et ab alio lateribus in quarto consanguinitatis gradibus erat coniuncta, propter quod predicti Petrus et Rosa thorum ab invicem separantes a carnali copula huiusmodi abstinere curarunt, donec eis super hoc provideretur de remedio opportuno. Quare pro parte dictorum Petri et Rose fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum, si divortium fieret inter eos, propter partium potentiam gravia inde possent scandala inter eorum amicos et consanguineos exoriri, providere eis in hac parte de oportune dispensationis beneficia misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui Christifidelibus libenter pacis commoda procuramus, volentes huiusmodi scandalis obviare, predictorum Petri et Rose supplicationibus inclinati fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si est ita, cum prefatis Petro et Rosa, ut impedimento, quod ex affinitate huiusmodi provenit, non obstante in dicto matrimonio licite remanere valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Dat. Avinione v. Kal. Aug. an. iii.

DXLII.

Archiepiscopo Dublinensi, ut Ioanni Cerney de provisione ei facta iustitiam reddat. Reg. An. III. Com. par. 1. ep. 378.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Significavit nobis dilectus filius Iohannes Cerney pauper clericus tue diocesis, quod olim inter ipsum et Radulphum natum Stephani clericum eiusdem diocesis super perpetua vicaria parrochialis ecclesie de Baliscadan dicte diocesis, ad quam vacantem uterque eorum se asserebat a veris patronis eiusdem ecclesie legitime presentatum, coram te seu officiali tuo orta materia questionis: demum pro parte dicti Iohannis in huiusmodi causa oblato libello, et lite inter dictos Iohannem et Radulphum coram te in dicta causa legitime contestata, ac de calumpnia et veritate dicenda hinc inde prestito iuramento, receptis quoque testibus hinc inde productis, eorumque depositionibus publicatis, productis quoque, que partes in causa huiusmodi producere, auditis etiam allegationibus, que eedem partes allegare et proponere voluerunt, et tandem ab eisdem partibus in dicta causa concluso, eisque tam per te, quam per officialem et commissarios tuos ad audiendum diffinitivam sententiam super dicta causa, diversis terminis assignatis, eundem Iohannem per unum annum et decem et octo dies per huiusmodi terminum frustratorie tenuisti, causam huiusmodi terminare per diffinitivam sentenciam non curando in periculum animarum parrochianorum eiusdem ecclesie, et eiusdem Iohannis preiudicium et gravamen: propter quod prefatus Iohannes ad nos super hoc duxit humiliter recurrendum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus prudenter attendens, quod in huiusmodi causis ecclesiasticis nichil sibi debet favor vel odium usurpare, et quod propter pericula, que ecclesiarum inducit vacatio, quanto celerius et commodius fieri potest, sunt, exigente iusticia, terminande, predictam causam, omni ulteriori dilatione remota, studeas terminare, ita quod prefatus Iohannes non cogatur premissa amplius deducere in querelam. Datum Avinione iii. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno tercio.

DXLIII.

Willelmus ecclesiae Glasguensi in episcopum praeficitur. Reg. An. V. Com. fol. 178.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo Episcopo Glasguensi, salutem etc. Dum ad universalis Orbis ecclesias etc. Dudum siquidem ecclesia Glasguensi, ad eamdem Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bo. mem. Iohannis Episcopi Glasguensis, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, pro electione futuri pastoris inibi celebranda, die ad hoc prefixa, convenientes in unum post tractatus aliquos super hoc habitos, qui sortiti effectum aliquod non fuerunt, deliberantes ad id per viam procedere compromissi, in quinque ex eis fidedignos, videlicet dilectos filios Gilbertum de Sonchayk Cancellarium, Robertum de Stratherne Thesaurarium, Ricardum Svial, Robertum de S. Andrea, et Willelmum de Corri canonicus ipsius ecclesie Glasguensis super hoc compromittere curaverunt, concessa eis ea vice potestate usque ad certi temporis spatium duratura, providere dicte ecclesie de pastore, promittentes illum in eorum et eiusdem ecclesie Episcopum recipere et habere, quem dicti compromissarii ducerent eligendum. Dicti vero commissarii huiusmodi potestate recepta, secedentes in partem, post deliberationem, quam inter se habuerunt super negotio huiusmodi diligentem, ad te tunc Precentorem ipsius ecclesie, in sacerdotio constitutum, vota sua concorditer direxerunt, dictusque Willelmus de Corri ex potestate sibi et dictis suis collegis tradita et(?) Capitulo supradictis, de mandato collegarum predictorum vice sua et eorumdem collegarum, nec non Capituli predictorum nomine te in Episcopum Glasguensem infra tempus predictum elegit, et electionem huiusmodi prefati Capitulum concorditer acceptantes, eam postmodum Clero et Populo solempniter publicarunt: et deinde tu electioni predicte ad instantiam Capituli predictorum consentiens, ad sedem apostolicam personaliter accessisti, et tam tu per te ipsum, quam prefati Capitulum per certum eorum procuratorem ydoneum, ad hoc ab eis ad dictam sedem specialiter destinatum, cum propter paucitatem canonicorum ipsius ecclesie inibi residentium aliquem de ipsis ad dictam sedem destinare commode nequivissent, a nobis confirmari huiusmodi electionem, illius nobis presentato decreto, instanter et humiliter postulastis, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nosque electionem ipsam, tueque persone merita per Venerabiles fratres Petrum Penestrinum et Matheum Sabinensem Episcopos tunc tituli sanctorum Iohannis et Pauli presbiterum, et dilectum filium nostrum Neapoleonem sancti Adriani diaconum Cardinalem examinari fecimus diligenter: et facta nobis ab eisdem Episcopis et Cardinali relatione plenaria et fideli, quia predictam electionem invenimus de te viro litterarum scientia predito, morum et vite honestate decoro, in spiritualibus provido, et in temporalibus circumspecto, aliarumque multiplicum virtutum meritis insignito canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus confirmandam, teque ipsi Glasguensi ecclesie in Epum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo: et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Anibaldum Episcopum Tusculanum apud sedem eandem tibi fecimus munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, dicta Glasguensis ecclesia per tue circumspectionis industriam etc. usque consequaris. Datum Avinione viii. Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

In e. m. Capitulo ecclesie Glasguensis, Clero et populo civitatis et diocesis Glasguensis, universis Vassallis ecclesie Glasguensis, et David Regi Scotie Illustri.

DXLIV.

Episcopo Aberdonensi, ut cum Philippo de Meldron et Maria de Eglinton super matrimonio dispenset. Reg. An. V. Com. fol. 161.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Aberdonensi, salutem etc. Oblate nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Philippi domini de Meldron, et dilecte in Christo filie Marie de Eglinton mulieris tue diocesis peticionis series continebat, quod ipsi olim ignorantes aliquod impedimentum existere inter eos, propter quod nequirent invicem matrimonialiter copulari, fide data, et bannis editis in facie ecclesie, sponsalia contraxerunt, ac insimul habitarunt, et carnali copula subsecuta prolem etiam genuerunt. Postmodum vero, cum vellent iuxta morem patrie in facie ecclesie matrimonium sollempnizare predictum, ad eorum deducto noticiam, quod dictus nobilis et quondam Macolmus Marescallus, laicus dicte diocesis, prior maritus eiusdem Marie in quarto consanguinitatis gradu se invicem contingebant, pro parte dictorum nobilis et Marie nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum ex huiusmodi matrimonii separacione, si fieret, gravia scandala, ac capitales inimicitie et dampna plurima inter parentes et amicos eorum timeantur verisimiliter suboriri, providere eis super hoc de oportune dispensationis gratia misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christifidelibus quietis et pacis commoda procuramus, huius scandalis, quantum cum deo possumus, obviare volentes, fraternitati tue, de cuius circumspectione fiduciam gerimus in domino pleniorem, per apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, cum prefatis Philippo et Maria, imposita eis condigna penitentia pro predictis, ut impedimento, quod ex affinitate huiusmodi provenit, ut prefertur, aliquatenus non obstante, in huiusmodi matrimonio sic contracto licite remanere valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam decernendo. Datum Avinione xi. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

DXLV.

Episcopo Dumblanensi, ut cum Mauritio de Moravia et Ioanna comitissa de Sarthen super matrimonio dispenset. Reg. An. V. Com. pag. 251.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Dumblanensi, salutem etc. Lecte nobis dilecti filii nobilis viri Mauritii de Moravia domini de Brunsergarthen, et dilecte in Christo filie Iohanne Comitisse de Sarthen tue diocesis petitionis series continebat, quod olim satore zizanie, pacis emulo ac incentore malorum omnium procurante, inter utriusque ipsorum progenitores, nec non communes consanguineos et amicos graves discordie et inimicitie fuerunt exorte, adeo quod etiam unus de principalibus ex progenie dicti Mauritii extitit interfectus, et aliarum personarum strages, ac mala et scandala plurima subsecuta fuere: quodque ad sedandum premissa, necnon pacem et concordiam inter eos, auctore domino, reformandam, et ad obviandum gravioribus scandalis et periculis, que in futurum sequi ex premissis verisimiliter timebantur, amicis omnibus mediantibus habitus est tractatus, quod ipsi Mauritius et Iohanna matrimonialiter copularentur: sed huiusmodi matrimonio contrahendo impedimentum affinitatis obstare dinoscitur pro eo, quod quodam Iohannes Comes Attholie, qui predictam Comitissam habuit antea in uxorem, dum viveret, in tertio consanguinitatis gradu attinebat Mauritio prelibato: propter quod idem Mauritius et Iohanna pro dispensationis oportune remedio apostolice sedis clementiam suppliciter implorantes, pro bono pacis et concordie, dictisque scandalis et periculis evitandis nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis in hac parte de dispensatione huiusmodi ex benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur inter cunctos Christifideles, et precipue nobiles pacis statum prosperum et etiam incrementum, ac concordiam voluntatum vigere ac firmiter perdurare summis desideriis affectantes, prefatorum Mauritii et Iohanne devotis supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum predictis Mauritio et Iohanna, quod matrimonium invicem libere contrahere, ac in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, prefato affinitatis impedimento, quod ex premissis provenit, non obstante, apostolica auctoritate dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione v. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

DXLVI.

Episcopo Glasguensi, ut cum Ioanne Stuard et Alitia More uxore eius de matrimonio dispenset. Reg. An. VI. Com. ep. 255.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Glasguensi, salutem etc. Petitio dilecti filii Iohannis Stuard laici, et dilecte in Christo filie Alitie More nate dilecti filii Reginaldi More laici tue diocesis nobis exhibita continebat, quod olim ipsi ignorantes aliquod impedimentum existere inter eos, propter quod nequirent matrimonialiter copulari, existentes ad tempus in Castro Gailardi Rothomagensis diocesis, non animo constituendi sibi domicilium, sed sicut familiares domestici cum Carmo in Christo filio nostro David Rege Scotie Illustri eorum domino in predicto Castro tunc morante, sponsalia insimul contraxerunt: quodque postmodum cum dilectus filius ... Decanus ecclesie beate Marie de Andeliato dicte Rothomagensis diocesis ex commissione per ... Archiepiscopum Rothomagensem, qui tunc erat, sibi facta, inquisitione per eum super hoc prehabita diligenti, non repererit aliquod impedimentum, quod matrimonium inter eos impedire valeret, existere, super editione bannorum super hoc edendorum cum eisdem Iohanne et Alitia ex commissione predicta sine fraude dispensavit, propter quod ipsi se matrimonialiter copularunt: ac deinde matrimonio in facie ecclesie solennizato, et carnali copula inter eos subsecuta, ad eorum pervenit notitiam, quod predictus Iohannes et quondam Guillelmus de Herch, prior ipsius Alitie maritus, dum viveret, erant adinvicem quarta consanguinitatis linea coniuncti, propter quod nequeunt in sic contracto matrimonio licite remanere, dispensatione super hoc a sede apostolica non obtenta: quare predicti Iohannes et Alitia nobis super hoc humiliter supplicarunt, quod cum ex eorum separatione, si fieret, cum sint nobiles, possent inter eorum parentes et amicos multa scandala et dampna irreparabilia evenire, providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem et pacem querimus singulorum, huiusmodi scandalis et dampnis, quantum cum deo possumus, obviare volentes, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si est ita, cum eisdem Iohanne et Alitia, ut impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, non obstante, in sic contracto matrimonio possint licite remanere, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione v. Idus Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

DXLVII.

Episcopo Dumblanensi, ut cum Ioanne de Kyndelocthe et eius uxore super matrimonio dispenset. Reg. An. VI. Com. ep. 390.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Dumblanensi, salut. etc. Petitio pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis de Kyndelocthe, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margarite Rusky tue diocesis nobis exhibita continebat, quod ipsi olim ignorantes, quod aliquo consanguinitatis gradu prohibito invicem se contingerent, propter quod non possent matrimonialiter copulari, ad manutenendum pacis federa inter eorum consanguineos et amicos matrimonium invicem in facie ecclesie, bannis editis, contraxerunt, et ex tunc ut coniuges insimul permanserunt, ac exinde prolem etiam procrearunt. Verum quia, prout eadem petitio subiungebat, ad eorumdem Iohannis et Margarite postmodum pervenit noticiam, quod ipsi quarto consanguinitatis gradu invicem se contingunt, propter quod ipsi in predicto matrimonio sic contracto remanere

nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta, et ex eorum separatione, si fieret, magna scandala et personarum pericula procul dubio orirentur: pro parte ipsorum Iohannis et Margarite nobis extitit humiliter supplicatum, ut in favorem prolis providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur volentes huiusmodi scandalis et periculis, quantum cum deo possumus, salubriter obviare, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam (obtinemus), per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si est ita, cum eisdem Iohanne et Margarita, ut ipsi impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, non obstante, in predicto sic contracto matrimonio licite remanere valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione III. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

DXLVIII.

Alanus renunciatur episcopus Cathanensis. Reg. An. VII. Com. fol. 193.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Alano Epō Cathanensi, salutem etc. Inter cetera etc. Olim siquidem ecclesia Cathanensi, dicte Romane ecclesie immediate subiecta, per obitum bone memorie David Episcopi Cathanensis, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, ac deliberantes in huiusmodi electionis negocio per formam procedere scrutinii, tribus de dictis Capitulo fidedignis, videlicet Adam dicto Heroch Cancellario, Gilberto Thesaurario, et Iohanni de Moravia Canonico ecclesie memorate, ut sua seorsum primo, ac deinde singulorum de dictis Capitulo secreto et singillatim vota diligentius scrutarentur, et illa in scriptis redacta publicarent illico in communi, potestatem unanimiter contulerunt: qui huiusmodi potestate recepta, secedentes in partem, sua primo seorsum, et deinde singulorum de dictis Capitulo vota diligentius perscrutati fuerunt, et eis in scriptis redactis, mox in communi vota huiusmodi publicarunt, et collatione super hiis habita inter eos, compertum extitit in te tunc Archidiaconum Aberdonensem, in diaconatus ordine constitutum, omnes et singulos de dictis Capitulo vota sua concorditer direxisse, ac subsequenter prefatus Gilbertus Thesaurarius vice sua et collegarum suorum, ac de ipsorum et ipsius Capituli mandato te in Episcopum elegit Cathanensem, ac electionem huiusmodi sic a dictis Capitulo concorditer celebratam clero et populo solempniter publicavit: tuque post consensum eidem electioni ad instantiam dictorum Capituli a te legitime prestitum ad sedem apostolicam personaliter accessisti, et tam tu per te ipsum, quam dicti Capitulum per certos eorum procuratores et nuncios ydoneos, ab eis propterea ad nos specialiter destinatos, confirmari per nos electionem prefatam, ipsius nobis presentato decreto, humiliter postulastis, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nos igitur electionem prefatam, tueque persone merita per Venerabilem fratrem Petrum Episcopum Penestrinum, et dilectos filios nostros Imbertum Basilice XII. Apostolorum presbiterum, ac Neapoleonem sancti Adriani diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter: et facta nobis ab eisdem Episcopo et Cardinalibus super hiis relatione plenaria et fideli, quia invenimus electionem eamdem de te persona ydonea, cui de litterarum scientia, honestate morum et vite, virtutum meritis fidedigna testimonia suffragantur, canonice celebratam, eam de fratrum nostorum consilio auctoritate apostolica confirmavimus, teque ipsi Cathanensi ecclesie preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Sabinensem, tibi interim in presbiterum rite promoto, fecimus munus consecrationis impendi, firma spe etc. Dat. Avinione XVII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Cathanensis, Clero et populo civitatis et diocesis Cathanensis, David Regi Scocie Illustri.

DXLIX.

Episcopo Rossensi, ut cum Ioanne de Berclay et Margareta de Graam super matrimonio dispenset. Reg. An. VII. Com. fol. 200.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Rossensi, salutem etc. Petitio pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis de Berclay, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margarete de Graam relicte quondam Hugonis Comitis Rossensis vidue, tue diocesis nobis exhibita continebat, quod ipsi Iohannes et et Margareta ad sedandum graves guerras et inimicitias capitales, que inter eorum parentes et consanguineos et amicos diutius, procurante pacis emulo, viguerunt hactenus, et adhuc vigere non cessant, ac pacem et concordiam inter eos, auctore dño, reformandam, habitus est tractatus (sic), quod ipsi Iohannes et Margareta matrimonialiter invicem copulentur. Sed quia dictus quondam Hugo Comes, dum viveret, ipsi Iohanni in tercia consanguinitatis linea attinebat, Iohannes et Margareta prefati in tercia affinitatis linea invicem se contingunt, propter quod nequeunt huiusmodi matrimonium contrahere, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: quare nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis super hiis de opportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos itaque, qui pacem et concordiam, quantum cum deo possumus, libenter Christifidelibus procuramus, huiusmodi (supplicationibus) inclinati fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Iohanne et Margareta, quod ipsi, impedimento affinitatis huiusmodi non obstante, inter se matrimonium invicem libere contrahere, et in sic

contracto licite remanere valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum Avinione Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo.

DL.

Willelmus ecclesiae Sancti Andreae praeficitur in episcopum. Reg. Com. An. VIII. epist. 52.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Willelmo Electo Sancti Andree, salutem etc. Romane ecclesie etc. Dudum siquidem ecclesia Sancti Andree eidem Romane ecclesie immediate subiecta, per obitum bone memorie Iacobi Episcopi Sancti Andree, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, pastorali solatio destituta, dilecti filii ... Prior et Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, pro futuri substitutione pastoris inibi celebranda, die ad hoc prefixa, ut moris est, convenientes in unum dilectum filium Willelmum Bell, Decanum ecclesie Dumkeldensis, per formam compromissi in eorum Episcopum concorditer elegerunt: dictusque Decanus post consensum huiusmodi electioni per eum ad instantiam ipsorum Prioris et Capituli prestitum, personaliter ad apostolicam sedem pro huiusmodi electionis negotio prosequendo accedens, nobis humiliter supplicavit, ut electionem eandem confirmare de benignitate apostolica dignaremur, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Postmodum vero dictus Decanus certis ex causis, non tamen persone sue vitio, omni iuri, quod sibi in electione prefata quomodolibet competebat, sua sponte in manibus nostris cessit. Nos itaque huiusmodi cessione admissa, ad provisionem ipsius ecclesie Sancti Andree, ne prolixe vacationis incurreret detrimenta, solicitis studiis intendentes, cum nullus preter nos hac vice de provisione ipsius se intromittere possit, pro eo quod nos diu ante cessionem huiusmodi omnes ecclesias Cathedrales, quarum electos electionibus suis cedere, ac cessiones eorum per nos seu auctoritate nostra admicti contingeret, ordinationi et dispositioni nostre specialiter duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie Sancti Andree personam utilem et etiam fructuosam, per quam dicta ecclesia Sancti Andree preservari valeret a noxiis et in prosperis feliciter adaugeri, cum fratribus nostri habuimus diligentem, demum ad te Rectorem ecclesie de Kinkel Aberdonensis diocesis, in sacerdocio constitutum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicum virtutum donis, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, insignitum, et quem etiam prefati Prior et Capitulum per eorum patentes litteras nobis postmodum super hiis multipliciter commendarunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus consideratione tuorum meritorum accepta, prefate Sancti Andree ecclesie de predictorum fratrum consilio autoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Sancti Andree tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in eo etc. Datum Avinione xii. Kal. Martii. Pontificatus nostri anno octavo.

In e. m. Capitulo ecclesie Sancti Andree, Clero et populo civitatis et diocesis Sancti Andree, universis Vassallis ecclesie Sancti Andree, et David Regi Scotie Illustri.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VI.

DLI.

Thomas de Fingast episcopus Cathanensis renunciatur. Reg. An. I. Com. lib. 1. fol. 63.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Thome de Fingast Electo Cathanensi, salutem etc. Ad universalis ecclesie regimen etc. usque proficiant incrementis. Olim siquidem ecclesia Cathanensi, eidem Romane ecclesie immediate subiecta, per obitum bone memorie Alani Episcopi Cathanensis, qui in partibus illis debitum naturale persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, pro futuri electione pastoris inibi celebranda, die ad hoc prefixa, ut moris est, convenientes in unum, te, ipsius ecclesie Canonicum, in eorum Episcopum per formam scrutinii concorditer elegerunt: tuque, electionis ipsius tibi presentato decreto, post consensum huiusmodi electioni per te ad instantiam dictorum Capituli prestitum ad apostolicam sedem personaliter accessisti, et tam tu quam iidem Capitulum per certos eorum procuratores et nuncios, ad eandem sedem propter hoc specialiter

destinatos, huiusmodi electionis de te facte negotio coram nobis in consistorio proposito, nobis humiliter supplicastis, ut electionem eandem confirmare de benignitate sedis apostolice dignaremur, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nos igitur electionem predictam, tueque persone merita per Venerabilem fratrem Bertrandum Episcopum Ostiensem, et dilectos filios nostros Imbertum Basilice XII. Apostolorum presbiterum, et Raymundum sancte Marie nove diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter: et tandem tu certis ex causis, non tamen persone tue vitio, omni iuri, quod tibi ex electione prefata quomodolibet competebat, sponte in manibus nostris cessisti. Nos itaque huiusmodi cessione admissa, ad provisionem ipsius Cathanensis ecclesie, ne prolixe vacationis incurreret detrimenta, solicitis studiis intendentes, cum nullus preter nos hac vice de provisione ipsius se intromittere possit, pro eo, quod nos ante cessionem huiusmodi omnes ecclesias Cathedrales, quarum electos electionibus suis cedere ac cessiones eorum per nos, seu auctoritate nostra admitti contingeret, ordinationi et dispositioni nostre specialiter duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie Cathanensii personam utilem ac etiam fructuosam, per quam dicta ecclesia Cathanensis preservari valeat a noxiis, et in prosperis feliciter adaugeri, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum prefate Cathanensis ecclesie, licentiatum in decretis, in sacerdotio constitutum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, etiam considerata predictorum te eligentium unanimi voluntate, de persona tua, nobis et eisdem fratribus consideratione premissorum tuorum meritorum accepta, prefate Cathanensi ecclesie de predictorum fratrum consilio autoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Cathanensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum III Kal. Decembris Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Cathanensis, Clero et populo civitatis et diocesis Cathanensis, et David Regi Scotie.

DLII.

Episcopo Cathanensi, ut cum Guillelmo comite Soyirlandiae et Margareta sorore regis Scotiae super matrimonio dispenset. Reg. An. I. lib. V. Com. fol. 293.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cathanensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Guillelmi Comitis Soyirlandie Cathanensis diocesis, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margarete, sororis germane Carissimi in Christo filii nostri David Regis Scotorum Illustris, petitio continebat, quod inter eosdem Comitem et Margaretam et eorum progenitores et amicos, hostis antiqui nequitia procurante, guerre, dissensiones atque scandala plurima sunt exorta, propter quod homicidia, incendia, depredationes, spolia, et alia mala sepius evenerunt, et continue evenire non cessant, atque ecclesie multe partium illarum fuerint passe non modica detrimenta, et maiora evenire sperantur!, nisi de oportuno remedio succurratur. Verum cum de consensu et voluntate ipsius Regis predicti Guillelmus et Margareta, qui in quarto consanguinitatis gradu ab eodem stipite hinc inde dependente invicem se contingunt, tot et tantis volentes periculis obviare, matrimonium desiderent simul contrahere, et propter hoc huiusmodi periculis verisimiliter obviare credatur et possit: prefati Rex, Guillelmus et Margareta nobis humiliter supplicarunt, ut pro bono pacis providere eisdem Guillelmo et Margareta in hac parte de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui Christifidelibus libenter pacis commoda procuramus, cupientes huiusmodi periculis, quantum cum Deo possumus, obviare, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum prefatis Guillelmo et Margareta, ut impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, non obstante, possint simul matrimonium licite contrahere, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione Kal. Decembris Pontificatus nostri anno primo.

DLIII.

Episcopo Glasguensi, ut cum Ioanne Senescalli et Fynghola de Insulis super matrimonio dispenset. Reg. An. I. Com. lib. IX. fol. 270.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Glasguensi, sal. etc. Petitio siquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis Senescalli laici, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Fynghole, nate dilecti filii nobilis viri Angusii de Insulis, tue Glasguensis et Sodorensis diocesum nobis exhibita continebat, quod olim satore zizanie, pacis emulo ac incentore malorum omnium procurante, inter (eos) tales inimicitie sunt exorte, et multarum personarum strages, ac mala et scandala plurima subsecuta, quodque ad sedandum premissa, nec non pacem et concordiam inter eos, auctore domino, reformandam, et ad obviandum maioribus scandalis atque periculis, que in futurum sequi ex premissis verisimiliter timebantur, amicis communibus mediantibus habitus est tractatus, quod ipsi Iohannes et Finghola matrimonialiter copulentur. Sed quia ipsi Iohannes et Fynghola quarto consanguinitatis, et quarto affinitatis gradibus invicem sunt coniuncti, matrimonium ipsum contrahere nequeunt dispensatione super hoc apostolica non obtenta: Quare pro parte ipsorum Iohannis et Fynghole nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos itaque qui salutem et pacem querimus singulorum, volentes quantum cum

deo possumus huiusmodi scandalis, malis atque periculis obviare, ipsorum Iohannis et Fynghole in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Iohanne et Finghola, ut impedimento, quod ex consanguinitate et affinitate huiusmodi provenit, non obstante, matrimonium inter se libere contrahere, ac in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum Avinione xviii. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

DLIV.

David regi Scotiae et Mauritio comiti Dessymoniae in Hibernia indulgetur, ut religiosi in domibus eorum hospites sub certis conditionibus carnibus vesci possint. Reg. An. I. Com. lib. IX. fol. 298 et 299.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio David Regi Scocie Illustri, sal. etc. Ob tuorum excellentiam meritorum, quibus regia tua sublimitas fore noscitur insignita, libenter illa tibi concedimus, que piis tuis desideriis congruere dinoscuntur. Cum itaque, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, frequenter contingat personas religiosas ad mensam tuam tuumque hospicium declinare, quibus secundum statuta et consuetudines suorum ordinum est esus carnium interdictus: Nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus, quem habes, vel te habere contigerit, possit eisdem personis auctoritate apostolica vescendi carnibus in hospicio tuo, illis diebus dumtaxat, quibus a sacris canonibus esus carnium communiter prohibitus non existit, dummodo persone ille iuramento seu voto ad id minime fuerint astricte, licentiam concedere, et cum eis etiam super hiis dispensare, cum hoc expedire viderit, super quo eius conscientiam oneramus, predictis statutis seu consuetudinibus ac privilegiis apostolicis quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus, devotioni tue tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

Clemens etc. Dilecto filio nobili viro Mauricio nato dilecti filii nobilis viri Thome Comitis Dessymonie in Hybernia, salutem etc. Cum itaque, sicut etc. frequenter contingat nonnullas religiosas personas ad mensam tuam etc. Dat. Av. iii. Nonas Maii, anno i.

DLV.

Cum David de Rupen et Amya comitissa Dessymoniae dispensatur super matrimonio. Reg. An. I. Com. lib. IX. fol. 292.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio nobili viro David de Rupen Capitaneo et domino de Rupen, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Amye, nate dilecti filii nobilis viri Mauricii filii Thome Comitis Dessymonie in Hibernia, salutem etc. Intenta salutis operibus apostolice sedis circumspecta benignitas indulta sibi desuper plenitudine potestatis utitur secundum diversitatem negociorum occurrentium, et exigentiam personarum, sicut utilius conspicit expedire. Sane petitio pro parte vestra nobis exhibita continebat, quod vos ad nutriendum et firmandum maiorum pacis et dilectionis vinculum inter Comitem Dessymonie et dominum de Rupen, inter quos guerre et dissentiones multe fuisse asseritis temporibus retroactis, desideratis invicem matrimonialiter copulari. Verum quia, sicut asseritur, estis quarto ab uno, et tertio ab alio lateribus consanguinitatis gradu coniuncti, et ob hoc matrimonium huiusmodi absque dispensatione apostolica contrahere non potestis: nobis humiliter supplicastis, ut vobis providere super hoc de oportune dispensationis beneficio de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui salutem et pacem querimus singulorum, huiusmodi guerris et dissentionibus, quantum cum deo possumus, obviare volentes, vestris supplicationibus inclinati, ut impedimento huiusmodi, quod ex dicta consanguinitate provenit, nequaquam obstante, invicem matrimonium libere contrahere, et postquam contractum fuerit, in eo remanere licite valeatis, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Nulli ergo etc. nostre dispensationis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione iiii. Nonas Maii, Pontificatus nostri anno primo.

DLVI.

Archiepiscopo Casellensi, ut cum quindecim personis dioecesis suae, dummodo Hibernae sint, super defectu natalium dispensare possit. Reg. An. II. Com. lib. VI. fol. 109.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepo Casellensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam ob tuorum exigentiam meritorum paterna benevolentia prosequentes, illam tibi libenter gratiam impendimus, per quam te possis aliis reddere generosum. Cum itaque, prout petitio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, persone de Hibernia patientes defectum natalium propter guerrarum discrimina, et inimicitias capitales, quas habent, ad sedem apostolicam pro dispensatione super defectu huiusmodi obtinenda commode venire non possint: Nos tuis supplicationibus inclinati, dispensandi auctoritate apostolica cum duodecim personis, alias habilibus, de terra Hibernie oriundis, patientibus defectum natalium, de soluto genitis et soluta, super defectu huiusmodi, quod eo non obstante quelibet ipsarum personarum possit ad omnes ordines promoveri, et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam habeat animarum, dummodo ipse consideratis circumstanciis universis, que circa ydoneitatem persone fuerint attendenda, paterne non sint incontinentie sectatores, sed bone conversationis et vite, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, aliaque merita suffragentur eisdem ad huiusmodi dispensationis gratiam obtinendam, prout secundum deum animarum suarum saluti videris expedire, plenam et liberam fraternitati tue auctoritate predicta tenore presentium concedimus facultatem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis ii. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

DLVII.

Epo Glasguensi, ut cum Willelmo de Moravia et Muriella de Cambell super matrimonio dispenset. Reg. An. II. Com. lib. II. fol. 107.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Glasguensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Willelmi de Moravia domicelli, et dilecte in Christo filie Murielle nate dilecte filii Duncani Cambell militis tue diocesis nobis exhibita continebat, quod olim, satore zizanie, pacis emulo ac incentore malorum omnium procurante, inter eorumdem Willelmum et Murielle progenitores, necnon communes consanguineos et amicos graves discordie et inimicitie exorte, ac multarum personarum strages et mala, et scandala plurima suscitata fuerint; quodque ad sedandum premissa, necnon pacem et concordiam inter eos, auctore domino, reformandam, et ad obviandum gravibus scandalis et periculis, que in futurum sequi ex premissis verisimiliter timebantur, amicis communibus mediantibus habitus est tractatus, quod ipsi Willelmus et Muriella invicem matrimonialiter copulentur: sed pro eo, quod quadam Margareta Foulcart, quam dictus Willelmus antea habuit in uxorem, in quarto gradu consanguinitatis predicte Murielle attinebat, predicti Willelmus et Muriella, obstante impedimento affinitatis huiusmodi, matrimonium ipsum contrahere sine apostolice sedis dispensatione non possunt: quare predicti Willelmus et Muriella nobis humiliter supplicarunt, ut pro bono pacis et concordie, ac predictis sopiendis et gravioribus scandalis evitandis providere eis in hac parte de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos itaque, qui Christifidelibus libenter pacis commoda procuramus, volentes premissis malis occurrere, Carissimi in Christo filii nostri David Scotie Regis Illustris, ac predictorum Willelmi et Murielle supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Willelmo et Muriella, quod matrimonium invicem libere contrahere valeant, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere, impedimento affinitatis huiusmodi non obstante, valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione viii. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

DLVIII.

Episcopo Lechlinensi licentia ad ecclesiam suam redeundi datur. Reg. An. II. Com. lib. VI. fol. 139.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Radulpho Episcopo Lechlinensi, salutem etc. Pridem ecclesia Lechlinensi solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Portuensem tibi fecimus munus consecrationis impendi: fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et sollicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fama laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benevolentie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xiiii. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

DLIX.

Richardus de Pilmor ecclesiae Dunkeldensi in episcopum praeficitur. Reg. An. III. Com. lib. I. fol. 42.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Richardo de Pilmor Electo Dunkeldensi, salutem etc. Militanti ecclesie etc. Dudum siquidem ecclesia Dunkeldensi, predicte ecclesie Romane immediate subiecta, per obitum bone memorie Willelmi Episcopi Dunkeldensis, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, due a dilectis filiis Capitulo ecclesie Dunkeldensis, una videlicet de te in presbiteratus ordine constituto, et altera de quondam Malcolmo de Incpeffren predicte ecclesie Dunkeldensis canonicis, per formam compromissi electiones fuerunt in discordia celebrate, et tam tu de te, quam dictus Malcolmus de se factis electionibus huiusmodi consensistis, et propter hoc ad sedem apostolicam personaliter accessistis. Huiusmodi namque electionum negotio tam pro tua, quam pro dicti Malcolmi partibus coram felicis recordationis Benedicto papa XII. predecessore nostro in consistorio proposito, ac dilecto filio Dunkano eiusdem ecclesie Precentore, electionibus huiusmodi se in dicto concistorio opponente, prefatus predecessor negotium electionum et oppositionis huiusmodi Venerabili fratri nostro Bertrando Episcopo Ostiensi in eodem consistorio audiendum commisit, et sibi postmodum referendum. Et deinde postquam coram eodem Bertrando Episcopo inter te, ac Dunkanum et Malcolmum predictos coram eo in iudicio comparentes in huiusmodi electionum et oppositionis negocio processum fuerat, Malcolmo apud dictam sedem primo, et deinde Benedicto predecessore prefatis, sicut Domino placuit, de hac luce subtractis, Nos divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, omnibus Cardinalibus eiusdem Romane ecclesie in consistorio commisimus et mandavimus, ut causas et negocia, que ex commissione dicti predecessoris audiebant, in statu in quo tempore obitus predicti predecessoris remanserant, resumerent et procederent in eisdem. Facta itaque postmodum nobis per eundem Bertrandum Episcopum, postquam in dicto negocio inter dictas partes aliquandiu processum fuerat coram eo, in consistorio super premissis omnibus relatione plenaria et fideli, Nos cum fratribus nostris super hiis deliberatione prehabita diligenti, electionem tuam huiusmodi

ex certis rationabilibus causis, non tamen persone tue vicio, de ipsorum fratrum consilio cassavimus, eamque decrevimus irritam et inanem. Et tandem ad provisionem ipsius ecclesie Dunkeldensis celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice disponere potest, pro eo quod nos diu ante cassationem huiusmodi omnes Cathedrales ecclesias, quarum electorum ad illas et eligendorum imposterum electiones per nos cassari contingeret, tunc vacantes, et in antea vacaturas dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam ad preficiendum eidem ecclesie Dunkeldensi personam utilem ac etiam fructuosam cum eisdem fratribus nostris habuimus diligentem, dudum ad te, cui de litterarum scientia, vite munditia, spiritualium et temporalium providentia, et aliis multiplicum virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, dicte Dunkeldensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Dunkeldensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione III. Nonas Iulii, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Dunkeldensis, Clero et populo civitatis et diocesis Dunkeldensis, universis Vassallis ecclesie Dunkeldensis, et David Regi Scocie.

DLX.

Eidem episcopo Dunkeldensi licentia conceditur mutuum contrahendi. Reg. Secret. An. III. fol. 39.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Riccardo Electo Dunkeldensi, salutem etc. Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis expensis necessariis, quam tue ecclesie Dunkeldensis negociis apud sedem apostolicam expediendis utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad trium milium florenorum auri summam mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi largiri licentiam dignaremur. Nos igitur de tua tam in hiis, quam in aliis circa eadem tua et ipsius ecclesie utiliter promovenda, et expedienda negocia circumspectione ac diligentia plenius in domino confidentes, nec volentes, quod propter expensarum ipsarum defectum indigentiam patiaris, vel quod eadem negocia inexpedita remanere contingat, tuis supplicationibus inclinati, discretioni tue contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam trium milium florenorum auri nomine tuo et ipsius ecclesie, ac te et successores tuos Episcopos, et ipsam ecclesiam Dunkeldenses, ac tua et eorumdem bona mobilia et immobilia presentia et futura usque ad summam predictam propterea dictis creditoribus, usuris omnino cessantibus, obligandi, et renunciandi de duabus dietis edite in Concilio generali, et felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etc. usque contingeret impetrari, necnon et omnibus aliis exceptionibus, per quas contra creditores eosdem tu dictique tui successores possetis imposterum vos tueri, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus insuper et concedimus, iuxta quod postulasti a nobis, quod tu et successores predicti creditoribus ipsis huiusmodi pecuniam de bonis dicte ecclesie solvere, ac dampna, expensas et interesse reficere teneamini, si in termino, qui ad hoc de tuo et ipsorum creditorum consensu fuerit constitutus, eadem pecunia non fuerit persoluta: quodque ipsis creditoribus pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis, aut cuiuscumque privilegii vel indulgentie sedis predicte, de quibus in nostris litteris plenam et expressam, ac de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem, et per que tu et successores prefati valeatis ulterius vos tueri, dictam pecuniam in iam dicte ecclesie utilitatem conversam fore probandi necessitas non incumbat, sed sola tui fatentis confessio in instrumentis conficiendis super mutuo huiusmodi quantitatis inserta sufficiens, plena et efficax probatio irrefragabiliter habeatur. Ceterum ne in hoc vorago locum sibi vindicet usurarum, nostre intentionis extitit et volumus, quod tu, iidem successores ac ecclesia tua, seu sua vel ipsius bona per has nostras litteras per cuiuspiam fraudis seu calliditatis astuciam, sub quovis pallio seu colore verborum, ad usuras aliquas obligare nullatenus valeatis, easdem litteras, concessiones, cautiones et recognitiones seu promissiones per eas, seu earum auctoritate vel occasione factas quoad obligationes usurarum huiusmodi decernentes irritas et inanes, et nullius penitus existere firmitatis, eis nichilominus quoad premissa omnia, que usurarum pravitatem non sapiant, in suo robore duraturis, nec usurarum pretextu maliciose aliquatenus impugnandis. Volumus insuper, quod dicta ecclesia ac bona ipsius pretextu nostre concessionis huiusmodi ultra quadriennium, ab obligationis huiusmodi tempore numerandum, nullatenus remaneant obligata, presentes litteras et eorum effectum quoad ipsam ecclesiam et bona eiusdem ex tunc omnino carere viribus decernentes. Datum Avinione II. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno tertio.

DLXI.

Nuntio apostolico in Anglia, ne contra archiepiscopum Armachanum de solvendo communi servitio ulterius procedat. Reg. An. III. Secret. fol. 58.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Raymundo Pelegrini Canonico Londoniensi, in partibus Anglie apostolice sedis nuntio, salutem etc. Nuper Venerabilis frater noster David Archiepiscopus Armachanus nobis fecit exponi, quod cum Archiepiscopus Armachanus, qui est pro tempore, visitare de triennio in triennium sedem apostolicam, et pro singulis visitationibus huiusmodi quinquaginta marchas sterlin-

gorum argenti solvere Camere Apostolice teneatur, et quatuordecim terminis pro preterito tempore fuisse dicatur ab huiusmodi solutione cessatum, tu auctoritate litterarum nostrorum tibi super hoc directarum septingentas marchas sterlingorum argenti, pro quatuordecim terminis solutionis huiusmodi iam elapsis, exigens nomine nostre Camere ab Archiepiscopo supradicto, processus contra eum fecisti aliquos certas penas et sententias continentes: propter quod idem Archiepus asserens tam pro solutione sui communis servicii nobis et ecclesie Romane debiti, quam aliis suis et ecclesie sue necessitatibus se ac ecclesiam suam Armachanam oppressos multipliciter, nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi et ecclesie sue predicte de oportuno remedio super hiis paterna diligentia curaremus. Nos igitur eisdem Archiepiscopo et ecclesie benigno in hac parte compatientes affectu, discretioni tue per apostolica sscripta mandamus, quatenus receptis nostro et Camere predicte nomine ab eodem Archiepiscopo obligationibus sufficientibus de solvendis eidem Camere dictis septingentis marchis pro dictis visitationibus, ut prefertur, debitis, postquam commune servicium solverit supradictum, vel solutionis ipsius termini elapsi fuerint, certis competentibus terminis per te sibi super solutione dictarum marcharum statuendis, seu prefigendis, penas et sententias a te adversus eum vel ecclesiam suam predictam promulgatas propterea studeas relaxare, ipsum Archiepiscopum, si eas vel aliquam ipsarum forsitan incurrerit, absolvendo iuxta formam ecclesie nichilominus ab eisdem. Volumus autem, quod super predictis omnibus oportunas cautelas fieri facias, de quibus prefatam Cameram efficere studeas, quantocius commode poteris, certiorem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Nonas Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

DLXII.

Guillelmus Aberdonensis episcopus renuntiatur. Reg. An. III. Com. lib. 1. fol. 47.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Guillelmo Electo Aberdonensi, sal. etc. Militanti ecclesie etc. Olim siquidem bo. mem. Alexandro Epo Aberdnensi Aberdonensis ecclesie, predicte ecclesie Romane immediate subiecte, regimini presidente, Nos cupientes eidem Aberdonensi ecclesie, cum eam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie Aberdonensis dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hoc per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta Aberdonensi ecclesia per obitum ipsius Alexandri Episcopi, qui nuper in illis partibus debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie Aberdonensis celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest, reservatione ac decreto supradictis obsistentibus, ne longe vacationis deploraret incommoda, paternis et solicitis studiis intendentes, cupientes quoque ipsi ecclesie Aberdonensi talem preesse personam, que sciat, velit et possit eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus, et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc Abbatem Monasterii sancte Marie de Kilwynyn ordinis sancti Benedicti Glasguensis diocesis, licentiatum in decretis, quem decorum elegantia morum, honestate vite nitidum, discretionis et consilii maturitate dotatum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicum virtutum donis ex claris fidedignis testimoniis accepimus insignitum, aciem direximus nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et dictis fratribus exigentia huiusmodi tuorum laudabilium meritorum accepta, eidem ecclesie Aberdonensi de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma spe etc. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis Id. Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Aberdonensis, Clero et populo civitatis et diocesis Aberdonensis, universis Vassallis ecclesie Aberdonensis, et Regi Scotie.

DLXIII.

Episcopo S. Andreae, ut cum Ioanne de Dulgas et Agnete de Grame super matrimonio dispenset. Reg. An. III. Com. lib. et par. 2. fol. 140.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Sancti Andree, salutem etc. Petitio pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis de Dulgas militis, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Agnetis de Grame tue diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod dudum Iohanne et Agnete predictis, ignorantibus aliquod impedimentum existere inter eos, quominus possent matrimonialiter copulari, dictus Iohannes ipsi Agneti promisit, quod si ipsum matrimonium contrahere contingeret, ipse cum dicta Agnete illud priusquam cum aliqua alia muliere contraheret, et eam preceteris haberet et reciperet in uxorem, et quod postmodum Iohannes et Agnes prefati per tres annos vel circa insimul habitarunt, et proles etiam habuerunt: quodque deinde ad ipsius Iohannis pervenit notitiam per assertionem dumtaxat cuiusdam mulieris, quam ipse Iohannes in remotis agens, priusquam ipsi Agneti fidem huiusmodi prestitisset, carnaliter cognoverat, quod dicta Agnes amita prefate extiterat mulieris, post que ipsi Iohannes et Agnes ut prius insimul habitarunt, ac prolem etiam susceperunt, ipsa Agnete tunc, et adhuc impedimentum huiusmodi ignorante, et quod nisi inter eos procederet matrimonium solenniter, possent inter communes ipsorum Iohannis et Agnetis consanguineos et amicos gravia odia et scandala suscitari. Verum cum, sicut eadem petitio subiungebat, huiusmodi matrimonio solenniter contrahendo nullus apparebat contradi-

ctor, nec ipsius impedimenti fama laboret, pro parte dictorum Iohannis et Agnetis nobis extitit humiliter supplicatum, ut animarum ipsorum saluti salubriter consulentes, eis favore prolis, ac pro huiusmodi scandalis evitandis providere super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, prefatis odiis et scandalis, quantum cum deo possumus, obviare volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, si est ita, et attentis omnibus circumstantiis, hoc videris expedire, super quo tuam conscientiam oneramus, dispensandi cum Iohanne et Agnete auctoritate apostolica, ut ipsi, impedimento, quod ex premissis provenit, non obstante, matrimonium inter se libere contrahere, ac in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, ac prolem per eos susceptam, et ex eodem matrimonio suscipiendam legitimam decernendi, vigore presentium plenam et liberam concedimus facultatem. Volumus autem, quod tu, si cum eisdem Iohanne et Agnete dispenses super hoc, ipsi Iohanni iniungas bonam penitentiam salutarem, et alia, que de iure fuerint iniungenda, et quod Iohannes prefatus duas perpetuas Capellanias fundare, ac eorum qualibet de decem marchis sterlingorum annui et perpetui redditus donare infra biennium teneatur, super quibus complendis recipias ab eodem Iohanne ante omnia sufficientem et ydoneam cautionem, quodque dictus Iohannes, si ipsum supervivere dicte Agnete contingat, innuptus debeat perpetuo remanere. Datum Avinione IIII. Idus Octobris, Pont. nostri anno tertio.

DLXIV.

Martinus ecclesiae Ergadiensi in episcopum praeficitur. Reg. An. III. Com. lib. 1. fol. 68.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Martino Episcopo Ergadiensi, salutem etc. Regimini universalis ecclesie etc. Dudum siquidem ecclesia Ergadiensi, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bone mem. Andree Epi Ergadiensis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, prout moris est, convenientes in unum, te ordinis fratrum Predicatorum professorem, in sacerdotio constitutum, quasi per inspirationem divinam in Ergadiensem Episcopum concorditer elegerunt: tuque huiusmodi electioni, tui superioris petita et obtenta licentia, tuum prestans assensum, ad sedem apostolicam personaliter accessisti, et demum tam tu, quam prefati Capitulum per eorum procuratores et nuntios ydoneos, ad dictam sedem propter hoc specialiter destinatos, huiusmodi electionis negotium coram felicis recordationis Benedicto pp. XII. predecessore nostro in consistorio proponi fecistis, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Ac deinde quondam Augusio de Congallis subdiacono coram eodem predecessore minus veraciter proponente, se a dilectis filiis Clero civitatis et diocesis Ergadiensis, ad quos de antiqua et approbata consuetudine ius eligendi Episcopum Ergadiensem una cum dictis Capitulo pertinere falso dicebat, canonice et concorditer fore in Episcopum Ergadiensem electum, idem predecessor huiusmodi electionum negotium Venerabili fratri nostro Bertrando Epo Ostiensi audiendum commisit, et sibi postmodum referendum: et tandem postquam ad aliquos actus in ipso negotio coram Episcopo Ostiensi processum extitit, eodem predecessore viam universe carnis ingresso, Nos ad apicem summi apostolatus assumpti, prefatum negotium eidem Epo Ostiensi resumendum in eo statu, in quo tempore obitus dicti predecessoris coram eo remanserat, commisimus, nobisque similiter referendum: coram quo te et eodem Augusio in iudicio comparentibus, demum post nonnullos actus inter te et dictum Augusium habitos coram ipso, dicto Augusio de hac luce subtracto, tu cupiens vitare incommoda, que solent ecclesiis ex diuturnis vacationibus provenire, omni iuri tibi competenti ex tua electione predicta in nostris manibus libere ac sponte cessisti. Nosque huiusmodi resignatione admissa, attendentes, quod nullus preter nos hac vice de ordinatione ipsius Ergadiensis ecclesie se intromittere potest, pro eo quod nos diu ante cessionem tuam huiusmodi, et obitum ipsius Augusii provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium, quarum tunc electos et inantea eligendos ad illas eorum electionibus apud dictam sedem renuntiare vel cedere, ac renuntiationes vel cessiones ipsorum per nos admitti contingeret, vel alio quocumque modo apud sedem ipsam vacantium, et vacaturarum inantea apud eam dispositioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attemptari, ac ad provisionem ipsius Ergadiensis ecclesie celerem et felicem, ne prolixioris vacationis detrimenta subiret, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam ydoneam, que sciret, vellet et posset ipsam preservare a noxiis et adversis, ac eam manutenere in suis iuribus, et etiam adaugere, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, litterarum scientia preditum, morum et vite honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicibus virtutum meritis, prout testimoniis fidedignis accepimus, insignitum, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus, ac etiam concordi eorumdem Capituli te eligentium voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua prefate Ergadiensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo: ac deinde per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Portuensem apud sedem apostolicam tibi fecimus munus consecrationis impendi,

in illo etc. Dat. Avinione XIII. Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Ergadiensis, Clero et populo civitatis et diocesis Ergadiensis, et David Regi Scotie.

DLXV.

Episcopo S. Andreae, ut de matrimonio inter Hugonem Giffard et Elisabeth More per verba de praesenti et adhuc impubes contracto, et postea nec rato nec consumato inquirat, et hoc dissolvat. Reg. An. IV. Com. lib. I. fol. 248.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Sancti Andree, salutem etc. Petitio pro parte dilecti filii Hugonis Giffard laici, et dilecte in Christo filie Elizabet More tue ac Glasguensis diocesum nobis nuper exhibita continebat, quod olim Hugo in nono vel circa, et Elizabet prefati in undecimo etatis eorum annis constituti, de voluntate et consensu amicorum utriusque partis matrimonium per verba de presenti invicem contraxerunt, ipsumque in facie ecclesie solemnizarunt; quodque postmodum Hugo et Elizabet prefati, antequam ad annos pubertatis pervenissent, et statim etiam cum ad pubertatem pervenerunt, contra huiusmodi matrimonium reclamarunt, ipsumque matrimonium gratum sive ratum non habuerunt, nec adhuc habent, ymmo expresse dissenserunt et adhuc dissentiunt matrimonio memorato; quodque inter eos non fuit aliqua carnalis copula subsecuta, nec in eis tempore dicti matrimonii malicia supplebat etatem. Quare pro parte ipsorum Hugonis et Elizabet nobis extitit humiliter supplicatum, ut ne aliquis eorum emulus impingere possit eis, quod matrimonium tenuerit inter eos, providere eis super hoc de oportuno remedio misericorditer dignaremur. Nos igitur de premissis noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si vocatis qui fuerint evocandi, premissa repereris vera esse, auctoritate apostolica declares et decernas matrimonium huiusmodi minime tenuisse, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Non obstante, si aliquibus etc. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis XIII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno quarto.

DLXVI.

Radulphus episcopus praeficitur ecclesiae Casellensi in archiepum. Reg. An. IV. Com. lib. III. fol. 33.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Radulpho Episcopo, in Archiepiscopum Cassellensem electo, salut. etc. Dum ad universas orbis ecclesias etc. Dudum siquidem Venerabili fratre nostro Meilerio Episcopo Lechglinensi regimini Lechglinensis ecclesie presidente, sicut adhuc presidet, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre cum interpositione decreti ea vice duximus specialiter reservandam. Postmodum vero ad nostri apostolatus auditum quorumdam relatione producto, quod prefata ecclesia per obitum dicti Mailerii, qui dicebatur in illlis partibus decessisse, pastoris erat solatio destituta, Nos demum ad te ordinis fratrum beate Marie de Monte Carmelo professorem, in sacerdotio constitutum, dirigentes oculos mentis nostre, de persona tua eidem Lechglinensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providimus, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committentes: tibique postea per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Portuensem apud sedem apostolicam munus fecimus consecrationis impendi. Sed cum prefatus Meilerius tempore provisionis huiusmodi de te facte in humanis ageret, dicteque ecclesie regimini presideret, ut prius, provisio ipsa caruit, prout caret effectu, tuque Episcopus sine ecclesia remansisti. Verum bone memorie Iohanne Archiepiscopo Cassellensi regimini Cassellensis ecclesie presidente, nos etiam intendentes eidem ecclesie, cum eam vacaret, per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie Cassellensis dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Deinde vero prefata Cassellensi ecclesia vacante per obitum eiusdem Iohannis, qui nuper extra Romanam curiam diem clausit extremum, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Cassellensis ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Cassellensis ecclesia longe vacationis subeat detrimenta, sollicite cogitantes, et cupientes eidem ecclesie talem presidere personam, que sciat, velit et possit eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis mantenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum eisdem fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te mentis nostre oculos dirigentes, et attenta meditatione pensatis grandium virtutum meritis, quibus te dominus insignivit, de persona tua eidem Cassellensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate providimus eadem, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administationem ipsius Cassellensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem Cassellensis ecclesia sub tuo felici regimine prospere dirigetur etc. usque merearis. Datum Avinione V. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno quarto.

In e. m. Capitulo ecclesie Cassellensis, Clero civitatis et diocesis Cassellensis, universis Suffraganeis ecclesie Cassellensis, et Eduardo Regi Anglie.

DLXVII.

Guillelmus Oduda renunciatur episcopus Aladensis. Reg. An. V. Com. lib. III. fol. 62.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Guillelmo Oduda Electo Aladensi, salut. etc. Inter sollicitudines etc. Dudum siquidem ecclesia Aladensi per obitum bone memorie Iohannis Episcopi Aladensis, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, certa pars dictorum Capituli eligit quondam Iacobum de Breminham in sacerdotii, et reliqua pars te tunc in acolitatus dumtaxat ordinibus constitutos, eiusdem ecclesie Canonicos, postulavit in Episcopum Aladensem. Dictus vero Iacobus ad illorum, qui ipsum elegerant, instantiam electioni de se facte prestans assensum, tuque postulationi de te facte non consentiens, nec dissentiens, sed nostro et apostolice sedis beneplacito te commictens, ac confidens de iure tuo et beneplacito supradicto, virisimiliterque dubitans, quod idem Iacobus de facto electionem eandem confirmari, et se in Episcopum consecrari iure metropolitico procuraret, ne dicta electio confirmaretur, et dictus Iacobus se confirmari faceret, ad sedem apostolicam appellasti, ac idem Iacobus post et contra appellationem huiusmodi a Venerabile fratre nostro Malachia Archiepiscopo Tuamensi iure metropolitico dictam electionem obtinuit, licet de facto, confirmari, ac se etiam in Episcopum consecrari. Postmodum autem huiusmodi electionis, postulationis, confirmationis et consecrationis ac appellationis negotio in consistorio proposito coram nobis, Nos Venerabili fratri nostro Bertrando Episcopo Ostiensi dictum negotium commisimus oraculo vive vocis audiendum, et per eum nobis postmodum referendum: eodemque negotio coram eodem Epo sic pendente, idem Iacobus apud eandem sedem viam fuit universe carnis ingressus, et facta nobis per eundem Episcopum super predictis omnibus relatione plenaria et fideli, tu in nostra presentia constitutus omni iuri, si quod ex postulatione predicta, vel alias tibi fuerat acquisitum, in nostris manibus sponte cessisti. Nos itaque huiusmodi cessione recepta, ad provisionem ipsius ecclesie, ne prolixe vacationis subiaceret incommodis, solicitis studiis intendentes, cum nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie se hac vice intromittere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud dictam sedem vacantium et vacaturarum imposterum apud eam, et quarum postulatos eorum postulationi cedere contingeret, ordinationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, interim ad diaconatus ordinem promotum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicum virtutum meritis, prout ex testimoniis fidedignis accipimus, laudabiliter insignitum, convertimus aciem nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus consideratione premissorum accepta, prefate Aladensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Aladensis tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo etc. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis vi. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

In e. m. Capitulo ecclesie Aladensis, Populo civitatis et diocesis et universis Vassallis ecclesie Aladensis, Archiepiscopo Tuamensi, et Edwardo Regi Anglie.

DLXVIII.

Nuntio apostolico in Anglia, ut cum praelatis aliisque personis Hiberniae circa residuum decimarum solvendum componat. Reg. An. V. Secret. fol. 231.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Raymundo Pelegrini Canonico Londoniensi, in partibus Anglie, Wallie, Ibernie ac Scotie apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum sicut intelleximus nonnulla residua decimarum per felicis recordationis Bonifacium VIII. et Clementem V. Romanos Pontifices, predecessores nostros, dudum impositarum restent in partibus Ibernie colligende, de quibus nequit haberi faciliter certitudo, et prelati ac persone partium earumdem ecclesiastice timeant excommunicationis, et aliis spiritualibus sententiis atque penis adversus non solventes ipsas decimas terminis prefixis super hoc promulgatis remansisse ligati: Nos animarum ipsorum periculis, quantum cum deo possumus, occurrere cupientes, et pie volentes cum ipsis agere in hac parte, discretioni tue, de qua fiduciam in domino gerimus specialem, componendi seu transigendi cum eisdem prelatis et personis ecclesiasticis partium Ibernie predictarum super residuis antedictis, sicut melius et utilius videris expedire, et summam seu summas pecuniarum, de quibus premissorum occasione composueris seu transegeris cum eisdem, petendi, exigendi et recipiendi, ac de hiis, que inde receperis, eosdem plenarie quitandi et liberandi, necnon prelatos et personas ecclesiasticas supradictos ab excommunicationis et aliis spiritualibus sententiis sive penis, quibus essent innodati propterea, postquam tecum super premissis debite composuerint, iuxta formam ecclesie absolvendi, ac dispensandi auctoritate nostra cum eisdem super irregularitate, quam ligati eisdem sententiis sive penis, celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, contraxissent, et inde iniungendi sibi, quod de iure videris iniungendum, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione xvii. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

DLXIX.

Richardus ecclesiae Armachanae in archiepiscopum praeficitur. Reg. Com. An. V. lib. I. par. 1. fol. 29.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Richardo Electo Armachano, salutem etc. Solicite considerationis indagine perscrutantes etc. Dudum siquidem bone memorie David Archiepiscopo Armachano Ibernie primate regimini Armachane ecclesie presidente, Nos intendentes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem David, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, ut accepimus, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi reservationis et decreti ignari, te Decanum ecclesie Lichefeldensis in Archiepiscopum Armachanum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque similiter reservationis et decreti predictorum inscius eidem electioni, quamvis de facto, tuum prestitisti assensum. Et demum huiusmodi electionis negotio pro parte tua proposito coram nobis, Nos electionem ipsam utpote post et contra reservationem et decretum huiusmodi attemptatam reputantes, prout erat, irritam et inanem, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto huiusmodi obstantibus, ne ipsa Armachana ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, et cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus, et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia preditum, morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, et aliis virtutum meritis, prout fidedignorum assertione percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, ac etiam eorumdem Capituli te concorditer, ut premittitur, eligentium voluntate diligenti meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie Armachane de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem Armachane ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem Armachana ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur etc. usque promereri. Datum Avinione II. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

In e. m. Capitulo ecclesie Armachane, Clero et populo civitatis et diocesis Armachane, Suffraganeis ecclesie Armachane, et Edwardo Regi Anglie.

DLXX.

Episcopus Ossoriensis absolvitur a sententiis excommunicationis etc. quibus ab archiepiscopo Dublinensi iniuste impetitus fuerat. Reg. An. V. Com. lib. 1. par. 2. fol. 364.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Richardo Episcopo Ossoriensi, salut. etc. Provenit ex tue devotionis affectu, quo nos ac Romanam ecclesiam revereris, ut petitionibus tuis, illis presertim, que conscientie tue pacem respiciunt, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane oblate nobis petitionis tue series continebat, quod cum venerabilis frater noster Alexander Archiepus Dublinensis Metropolitanus tuus te etiam ad loca tibi non tuta, ubi antea gentes eiusdem Archiepiscopi te ceperant, ac verisimiliter interfecissent, ut asseris, nisi per dilectum filium ... Iusticiarium terre illius ab earumdem gentium manibus fuisses ereptus, diversimode citari fecisset, tu tam propter hoc, quam propter alia multa gravamina tibi negotium fidei prosequenti per eundem Archiepiscopum in favorem hereticorum illata, ad sedem apostolicam pluries appellasses, ac pro parte tua appellationibus eidem Archiepiscopo intimatis, iter ad prosequendum appellationes huiusmodi arripuisses ad sedem eandem veniendi, dictus Archiepiscopus appellationibus eisdem non deferens, sed contra te post dictum iter arreptum, non ad alicuius petitionis instantiam, cum nulla esset, sed ex mero motu proprie malitie, sub officii sui colore procedens, teque reputans pro suo libito contumacem, in te pro huiusmodi contumacia excommunicationis sententiam promulgavit, teque fecit minus iuste excommunicatum publice nuntiari, in iuris iniuriam, contemptum manifestum dicte sedis, ac tuum preiudicium et dampnum non modicum et gravamen. Quare nobis humiliter supplicasti, ut te a predicta et aliis excommunicationum sententiis, si que fuerint pro causis, in quibus pro parte tua ab ipso Archiepiscopo extitit appellatum, in te post dictum iter arreptum de Hibernia per ipsum Archiepiscopum et eius Curiam, non ad alicuius petitionis instantiam, promulgatis, absolvere ad cautelam auctoritate apostolica dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, te a predictis sententiis auctoritate apostolica absolvimus ad cautelam. Nulli ergo etc. nostre absolutionis infringere etc. Datum Avinione v. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto.

DLXXI.

Iudicibus, ut de iniquis archiepi Dublinensis in episcopum Ossoriensem actis inquirant et referant. Reg. An. V. Com. lib. et par. 2. fol. 212.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Cassellensi, et dilecto filio Ricardo Electo Armachano, salutem etc. Quanto ecclesiarum prelati debent irreprehensibilius vivere, et velut lucerna super candelabrum posita operatione virtutum et exemplo laudabilium actionum lucere aliis, suisque subditis salutis semitam verbis et operibus demonstrare: tanto profecto molestius nobis est, cum ipsi prelati licentie laxantes habenas reprehensibilibus actibus se involvunt, et ea committere non verentur, per que

divina maiestas offenditur, fame ipsorum detrahitur, et saluti ac fidei catholice non sine gravi scandalo fidelium derogatur. Dudum siquidem pro parte Venerabilis fratris nostri Ricardi Episcopi Ossoriensis proposito in Consistorio coram nobis, quod Alexander Archiepiscopus Dublinensis Metropolitanus suus hereticorum fautor notorius existebat, et quod cum dictus Episcopus contra Robertum de Contono subditum suum de heresibus vehementer suspectum in forma iuris procederet, idem Archiepiscopus ad defensionem ipsius Roberti manifeste ac notorie se opponens, prefato Episcopo inhibuerat, ne ulterius contra Robertum procederet memoratum, quodque cum idem Ep̄us dictum Robertum post inhibitionem huiusmodi suis pravis heresibus exigentibus capi et carceri mancipari fecisset, idem Archiep̄us tam Ep̄o predicto, quam dilecto filio... Seneschallo Ossorie mandavit, ut ipsum hereticum a carcere liberarent; et quod familiares ipsius Archiep̄i in eundem Ricardum Episcopum etiam in Dublinensi ecclesia existentem manus iniecerant, dei timore postposito, temere violentas, et alias eum ibidem ignominiose oppresserant, ac idem Archiep̄us in favorem eiusdem heretici eundem Episcopum ad civitatem Dublinensem, locum etiam ipsi Episcopo notorie non tutum, citari fecerat, responsurum coram eo super fautoria heretice pravitatis: quodque licet idem Episcopus ab huiusmodi loco non tuto, et ipso Archiepiscopo tanquam capitali inimico sui ad sedem apostolicam appellasset, idem tamen Archiepiscopus post et contra appellationem huiusmodi eundem Episcopum iterato citari fecerat, ut ipse personaliter uno et eodem die in diversis locis civitatis eiusdem compareret, machinatis, ut fertur, insidiis contra eum, ut si compareret, gentes dicti Archiep̄i subderent eum morti, propter quod idem Episcopo iterato ad sedem appellarat eandem: quodque dictus Archiepiscopus hiis non contentus, cum idem Episcopus se parasset pro prosecutione appellationum suarum huiusmodi ad dictam Curiam veniendum, ad omnes portus marinos et eorum custodes Insule Ibernie suas litteras una cum litteris domini temporalis dicte Insule, que postmodum per dominum temporalem fuerunt reprobate, tamquam ille, que de sua conscientia minime emanarant, destinaverat, ut dictum Episcopum caperent, et eum in carceribus eiusdem Archiepiscopi traderent indilate; et quod intellecto, quod prefatus Ep̄us de dicta Insula in Angliam transfretarat, ipsum Episcopum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus spoliari mandarat et fecerat, ac eiusdem Episcopi maneria et bona occuparat et detinuerat, prout tunc detinere dicebatur occupata, ut eum ex necessariorum defectu in prosecutione negotiorum fidei et iuris sui huiusmodi intenderet: quodque ipse Archiepiscopus a tempore, quo prefectus extiterat in Archiepiscopum ecclesie prefate, missas non celebrarat, nec ordines, nec alia, que sunt ordinis, exercuerat, aut que spectant ad officium pastorale, sed usuris et negotiationibus ac questionibus illicitis se per idem tempus immiscuerat, et etiam immiscebat; et quod in gravamen ipsius Ep̄i absque aliqua causa rationabili civitatem et diocesim Ossoriensem annis singulis visitans, ab eiusdem Episcopi subditis et locis eorum procurationes duplices extorserat et etiam extorquebat, et alias dictos subditos gravaverat multipliciter et indebite et gravabat: quodque a viginti annis citra auctoritatem sedis apostolice in sua Dublinensi et aliis circumvicinis provinciis excommunicatus, suspensus et interdictus publice nunciatus fuerat, nec curaverat, nec curabat ab ipsis sententiis se facere absolvi: super predictis et aliis criminibus ac excessibus enormibus, necnon fautoria et defensione hereticorum, ac de heresi suspectus, a quindecim annis citra continue fuerat, et erat tunc in dictis provinciis et aliis locis partium Ibernie et Anglie, ac etiam in Romana Curia publice diffamatus. Nos, qui in bona fama prelatorum potius, quam in infamia delectamur, nolentes huiusmodi contra eundem Alexandrum Archiepiscopum propositis fidem credulam faciliter adhibere, dilecto filio nostro Bernardo tituli sancti Ciriaci in Termis presbitero Cardinali in eodem consistorio commisimus oraculo vive vocis, ut super infamia premissorum, etiam ex officio nostro se apud dictam sedem diligentius informaret, quecumque super hiis inveniret, nobis fideliter relaturus: et quia per relationem ipsius Cardinalis post receptam informationem huiusmodi fideliter nobis factam, eundem Archiepiscopum invenimus super premissis publice diffamatum, Nos eum per alias nostras litteras citari fecimus, ut infra certum peremptorium terminum iam elapsum, quem ei duximus prefigendum, apostolico se conspectui presentaret personaliter, super premissis omnibus et singulis, ac aliis etiam, si qua proponi vel obici contingeret contra eum, mandatis et beneplacitis apostolicis pariturus, ac facturus et recepturus, quod iustitia suaderet. Cum autem prefatus Archiep̄us in huiusmodi termino, et post ipsum coram nobis non curaverit comparere, Nos nolentes premissa omnia, si veritate nitantur, relinquere incorrecta, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus per vos, vel alium seu alios de premissis omnibus et ea tangentibus contra dictum Archiepiscopum inquiratis diligentius veritatem, et quicquid per inquisitionem huiusmodi repereritis, nobis per litteras vestras, seu publicum instrumentum tenorem presentium continentem fideliter intimare curetis, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus etc. Dat. Avinione III. Idus Aprilis, Pont. nostri anno quinto.

DLXXII.

Archiepiscopo Armachano, ut cum Ioanne Napton et Isabella Iordan super matrimonio dispenset. Reg. An. VI. lib. IV. par. 2. fol. 190.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Armachano, salut. etc. Petitio pro parte dilecti filii Iohannis Napton, et dilecte in Christo filie Ysabelle Iordan Armachane diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod ipsi dudum ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent

matrimonialiter ad invicem copulari, bannis in facie ecclesie editis, ut est moris, matrimonium per verba de presenti invicem contraxerunt, prolemque ex huiusmodi matrimonio procrearunt. Verum quia postmodum ad eorum pervenit notitiam, quod idem Iohannes quandam mulierem dicte Ysabelle tertio consanguinitatis gradu ex utroque latere attinentem actu fornicario carnaliter ante huiusmodi contractum matrimonium cognoverat, ipsi Iohannes et Ysabella in huiusmodi matrimonio licite remanere nequeunt, dispensatione apostolica super hoc non obtenta. Quare pro parte ipsorum Iohannis et Ysabelle fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur ipsorum Iohannis et Ysabelle supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis fiduciam in domino gerimus specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Iohanne et Ysabella, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, in dicto matrimonio licite remanere valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione IIII. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno sexto.

DLXXIII.

Ardekadensi et Clonensi episcopis, ut electo Armachano pallium tradant. Reg. An. VI. Com. lib. IV. par. 2. fol. 80.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Ardekadensi et ... Clonensi Episcopis, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis offitii, ex parte dilecti filii Ricardi Electi Armachani, Ibernie Primatis, per dilectum filium Rogerium Sampford Canonicum Armachanum, nuntium suum, fuerit a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum: nos ipsius precibus annuentes, palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum, per vos vel vestrum alterum assignandum eidem secundum formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, per prefatum Rogerium duximus destinandum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum palleum ipsum iuxta premissam formam sibi assignare curetis, et ab ipso nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite solitum recipere iuramentum: formam autem iuramenti, quod dictus Electus prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare curetis. Datum Avinione IIII. Kal. Septembris, Pont. n. anno sexto.

In e. m. Dilecto filio Ricardo Electo Armachano Ibernie Primati etc. Datum ut supra.

DLXXIV.

Archiepiscopo Armachano, ut cessionem abbatis monasterii s. Thomae martyris Dublin. recipiat. Reg. An. VI. Com. lib. IV. par. 2. fol. 165.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Cum, sicut accepimus, dilectus filius Nicolaus Abbas Monasterii sancti Thome martiris iuxta Dubliniam ordinis sancti Augustini in Ibernia propter debilitatem sui corporis, et graves labores alios, quibus subiacere se asserit, nequeat administrationi ac regimini eiusdem Monasterii intendere, ut deceret, cupiatque eisdem administrationi, regimini ac oneri ipsius Monasterii et Abbatie eiusdem sua sponte cedere et libere resignare, et se absolvi etiam ab eisdem: Nos de premissis notitiam non habentes, ac gerentes de tue circumspectionis industria fiduciam in domino specialem, eiusdem Nicolai Abbatis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue recipiendi hac vice auctoritate apostolica ab eodem Nicolao puram et liberam cessionem, ac resignationem oneris regiminis et administrationis Abbatie et Monasterii eorumdem, ac etiam resignationem ipsam admittendi, et etiam assignandi eidem Nicolao de fructibus, redditibus et proventibus ipsius Monasterii certam et congruam provisionem annuam, ex qua iuxta status ipsius Nicolai decentiam, quamdiu vixerit, decenter valeat sustentari etc. Non obstantibus etc. Datum Avinione III. Kal. Octobris, Pont. nostri anno sexto.

DLXXV.

Duncanus praeficitur ecclesiae Dunkeldensi in episcopum. Reg. An. VI. Com. lib. I. par. 1. fol. 17.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Duncano Electo Dunkeldensi, sal. etc. Militanti ecclesie etc. Olim siquidem bone memorie Richardo Epo Dunkeldensi Dunkeldensis ecclesie, predicte Romane ecclesie immediate subiecte, regimini presidente, Nos cupientes ipsi ecclesie Dunkeldensi, cum eam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam preesse personam, provisionem eiusdem Dunkeldensis ecclesie dispositioni nostre ac dicte sedis ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hoc per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta Dunkeldensi ecclesia per obitum ipsius Richardi, qui nuper in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Dunkeldensis ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis deploraret incommoda, paternis et sollicitis studiis intendentes, cupientes quoque ipsi ecclesie Dunkeldensi talem preesse personam, qui sciat, velit et possit eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus, ac etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te precentorem ecclesie Moraviensis, quem litterarum scientia preditum, honestate morum et vite nitidum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicum virtutum meritis fidedignis testimoniis accepimus insignitum, aciem direximus nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem

fratribus accepta, eidem Dunkeldensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque ipsi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione Id. Octobris, Pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. Capitulo ecclesie Dunkeldensis, Clero et populo civitatis et diocesis Dunkeldensis, universis Vassallis ecclesie Dunkeldensis, et David Regi Scotie.

DLXXVI.

Willelmus renunciatur episcopus Dumblanensis. Reg. An. VI. lib. III. par. 1. fol. 36.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo Episcopo Dumblanensi, salutem etc. Regimini universalis ecclesie etc. Dudum siquidem Mauricio Epo Dumblanensi regimini Dumblanensis ecclesie, prefate Romane ecclesie immediate subiecte, presidente, Nos cupientes eidem Dumblanensi ecclesie, cum ea vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ea vice ordinationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel igneranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia Dumblanensi per obitum eiusdem Mauricii, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii ... Decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi reservationis et decreti ignari, te ipsius ecclesie Canonicum, in sacerdotio constitutum, in Episcopum Dumblanensem, quamvis de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum, ut asseris, ignarus, electioni eidem de te facte consentiens, pro confirmatione illius obtinenda ad sedem apostolicam accessisti. Subsequenter vero huiusmodi electionis negotio proposito in consistorio coram nobis, Nos eandem electionem, et quidquid ex ea secutum est, utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptata, prout sunt, irrita et inania reputantes, et ad provisionem ipsius Dumblanensis (ecclesie), de qua nullus preter nos se hac vice intromittere poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, ac cupientes talem eidem ecclesie Dumblanensi preesse personam, que sciret, vellet et posset eam in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum consideratis huiusmodi concorde predictorum te eligentium voluntate, ad te, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalicus circumspectum, ac aliis virtutum donis, prout ex fidedignorum testimonio percepimus, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte ecclesie Dumblanensi, quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, de persona tua eidem Dumblanensi ecclesie de fratrum predictorum consilio auctoritate apostolica providimus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: ac subsequenter tibi per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Portuensem apud sedem predictam fecimus munus consecrationis impendi etc. Datum Avinione x. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. Capitulo ecclesie Dumblanensis, Clero et populo civitatis et diocesis Dumblanensis, et Comiti de Strathern.

DLXXVII.

Episcopo Glasguensi, ut cum Roberto de Stratgrif et Elisabeth Mox super matrimonio dispenset. Reg. An. VI. lib. IV. par. 2. fol. 185.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Glasguensi, sal. etc. Oblata nobis pro parte dilecti filii Nobilis viri Roberti domini de Stratgrif militis, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Elizabeth Mox tue diocesis petitio continebat, quod dudum ipsis Roberto et Elizabeth ignorantibus, quod dicta Elizabeth et dilecta in Christo filia nobilis mulier Yzabella Boutellier, domicella eiusdem diocesis, in tertio et quarto, ac Elizabeth et Robertus prefati in quarto consanguinitatis gradibus sibi invicem attinerent, idem R. dictam Ysabellam primo et postmodum predictam Elizabeth carnaliter cognovit, et quod ipsi Robertus et Elizabeth diu cohabitantes prolis utriusque sexus multitudinem procrearunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, proles huiusmodi sic sit in universorum aspectibus gratiosa, quod ex ea Carissimo in Christo filio nostro David Regi Scotie Illustri, cuius dictus Robertus nepos existit, et ipsius Regis Regno Scotie subsidia non modicum sperantur verisimiliter profutura, nobis pro parte ipsorum Roberti et Elizabeth extitit humiliter supplicatum, ut cum idem Robertus et Elizabeth desiderant invicem matrimonialiter copulari, et huiusmodi desiderium nequeant absque dispensatione apostolica adimplere, providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ex hiis et aliis certis causis nobis expositis, tuis ac Carissimi in Christo filii nostri Philippi Francie Illustris, ac dicti Scotie Regum, necnon Roberti et Elizabeth predictorum supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Roberto et Elizabeth, quod ipsi, impedimentis, que ex consanguinitatibus huiusmodi proveniunt, nequaquam obstantibus, matrimonium in facie ecclesie invicem contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem susceptam predictam et suscipiendam legitimam nuntiando. Volumus tamen, quod dictus Robertus aliquas vel aliquam Capellanias seu Capellaniam ordinare, fundare, ac dotare de ipsius Roberti bonis iuxta tuum arbitrium teneatur,

super quo ab eodem Roberto ydoneam recipias cautionem. Datum Avinione x. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno sexto.

DLXXVIII.

Ioannes de Valle ecclesiae Artfertensi in episcopum praeficitur, reiecto Thoma Makearwil. Reg. An. VII. Com. lib. IV. par. 1. fol. 71.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Valle Electo Artfertensi, salutem etc. Regimini universalis ecclesie etc. Dudum siquidem bone memorie Alano Episcopo Artfertensi ecclesie Artfertensis regimini presidente, nos intendentes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum ipsius Alani, qui in partibus illis viam fuit universe carnis ingressus, pastoris regimine destituta, dilecti filii Capitulum predicte ecclesie huiusmodi reservationis et decreti, ut dicitur, ignari, duas, unam videlicet de te, et alteram de dilecto filio Thoma Makearwil, eiusdem ecclesie Canonicis, quamvis de facto, electiones in discordia celebrarunt: tuque eorumdem reservationis et decreti similiter, ut asseris, inscius, presentate tibi electioni huiusmodi de te facte tuum assensum prestitisti de facto. Subsequenter autem huiusmodi electionum negotio ad nostram deducto notitiam, nos electiones easdem, et quecumque inde secuta, utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptata, reputantes, prout erant, irrita et inania, et ad provisionem ipsius ecclesie, ne prolixioris vacationis incommodis exposita remaneret, paternis et sollicitis studiis intendentes, cupientes quoque talem eidem ecclesie presidere personam, que vellet, sciret et posset eam in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, ipsamque preservare a noxiis et adversis, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, in sacerdotio constitutum, quem litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicum virtutum meritis laudabiliter insignitum, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, convertimus aciem nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus consideratione premissorum accepta, prefate Artfertensi ecclesie de fratrum ipsorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Artfertensis tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo etc. usque consequi merearis. Datum Avinione xi. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Artfertensis, Archiepiscopo Cassellensi, et Edwardo Regi Anglie.

DLXXIX.

Episcopo Moraviensi, ut cum Ioanne de Moravia et Margareta de Grame super matrimonio dispenset. Reg. An. VII. lib. V. par. 2. fol. 78.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Moraviensi, salutem etc. Petitio pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis de Moravia domicelli, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margarete de Grame, nate dilecti filii nobilis viri Iohannis de Grame Comitis de Meneteth, domicelle tue et Dumblanensis diocesum nobis nuper exhibita continebat, quod ipsi Iohannes de Moravia et Margareta desiderant invicem matrimonialiter copulari: sed quia quarto consanguinitatis gradu descendentes ab eodem stipite se contingunt, matrimonium huiusmodi contrahere nequeunt dispensatione super hoc apostolica non obtenta: quare pro parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de oportuno dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur Carissime in Christo filie nostre ... Regine Scocie Illustris nobis super hoc humiliter supplicantis, et Iohannis de Moravia et Margarete predictorum supplicationibus inclinati, et ex certis causis nobis expositis fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Iohanne de Moravia et Margareta, ut impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, nequaquam obstante, matrimonium invicem contrahere libere, et postquam contractum fuerit, in eo remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex eodem matrimonio legitimam nunciando. Datum Avinione xi. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno septimo.

DLXXX.

Thomas de Brakenbergh Lechlinensis renuntiatur episcopus. Reg. Com. An. VII. lib. IV. par. 1. fol. 102.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Thome de Brakenbergh Electo Leghlinensi, salutem etc. Inter cetera etc. Nuper siquidem ecclesia Leghlinensi per obitum bo. me. Guillelmi Epi Leghlinensis, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos attendentes, quod nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie se hac vice intromittere potest, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum tunc apud dictam sedem vacantium, et vacaturarum imposterum apud eam ordinationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, et ad provisionem ipsius ecclesie, ne longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem, ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum meritis apud nos laudabilia per-

hibentur testimonia, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione XIII. Kal. Aprilis, Pont. nostri anno septimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Leghlinensis, Clero et populo civitatis et diocesis Leghlinensis, universis Vassallis ecclesie Leghlinensis, Archiepiscopo Dublinensi, et Edwardo Regi Anglie.

DLXXXI.

Symon ecclesiae Cluanensi in episcopum praeficitur. Reg. An. VII. Com. lib. IV. par. 1. Com. fol. 127.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Symoni Electo Cluanensi, salutem etc. Pastoralis officii debitum etc. Dudum siquidem bone memorie Henrico Episcopo Cluanensi regimini Cluanensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem Cluanensi ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, operationis nostre ministerio ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie, cum vacaret, ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Henrici, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Priorem fratrum ordinis Predicatorum de Rossoman Elfinensis diocesis, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite ac morum honestate, et aliis virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua ipsi Cluanensi ecclesie de predictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi committendo etc. Datum Avinione v. Idus Maii, Pont. nostri anno septimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Cluanensis, Populo civitatis et dioc. Cluanensis, et Edwardo Regi Anglie.

DLXXXII.

Iohannes de S. Paulo praeficitur ecclesiae Dublinensi in archiepiscopum, eique quaedam conceduntur gratiae. Reg. An. VIII. Com. lib. 1. par. 1. fol. 41. et lib. IV. par. 2. fol. 152. et 164.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Sancto Paulo Electo Dublinensi, salutem etc. Pastoralis officii debitum etc. Dudum siquidem bone memorie Alexandro Archiepiscopo Dublinensi regimini Dublinensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, operationis nostre ministerio ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie, cum vacaret, ordinationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandum, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata Dublinensi ecclesia per obitum eiusdem Alexandri, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione ipsius ecclesie fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum predicte Dublinensis ecclesie, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium et temporalium providentia, et aliis tuarum virtutum meritis laudabilia testimonia perhibentur, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua ipsi Dublinensi ecclesie de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione II. Nonas Septembris, Pontificatus nostri anno octavo.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Dublinensis, Clero et populo civitatis et diocesis Dublinensis, et Edwardo Regi Anglie.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Wintoniensi et ... Wigorniensi Episcopis, salutem etc. Ut Electo Dublinensi palleum sibi per Iohannem Gate thesaurarium ecclesie Dublinensis missum tradant. Dat. Avinione III. Idus Aprilis, an. VIII.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Dublinensi, salutem etc. Eidem conceduntur quaedam gratiae, nempe ut possit cum viginti personis etatis defectum patientibus, et cum decem aliis super defectu natalium dispensare: ut possit dispensare cum personis religiosis ad hospitium suum declinantibus super esu carnium diebus tamen ad hoc non prohibitis: ut a personis ecclesiasticis non exemptis sue civitatis et diocesis possit recipere caritativum moderatum subsidium. Datum Avinione VIII. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno octavo.

DLXXXIII.

Willelmus praeficitur ecclesiae Midensi in episcopum. Reg. An. VIII. Com. lib. III. par. 1. fol. 48.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Willelmo Electo Midensi, salutem etc. Prudentia Regis eter-

ni etc. Nuper siquidem bone memorie Willelmo Episcopo Midensi regimini Midensis ecclesie presidente, Nos cupientes ipsi ecclesie, cum eam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Willelmi, qui nuper extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis deploraret incommoda, paternis et sollicitis studiis intendentes, cupientes quoque ipsi Midensi ecclesie talem preesse personam, que sciat, velit et possit eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus, et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hoc cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te Archidiaconum dicte ecclesie, in diaconatus ordine constitutum, quem litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicum virtutum meritis laudabiliter insignitum, prout ex fidedignis testimoniis accepimus, convertimus aciem nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus premissorum consideratione accepta, predicte Midensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione III. Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno octavo.

In e. m. Clero et populo civitatis et diocesis Midensis, universis Vassallis ecclesie Midensis, Archiepiscopo Armachano, et Edwardo Regi Anglie.

DLXXXIV.

Symon ex ordine Praedicatorum renuntiatur episcopus Darensis. Reg. An. VIII. Com. lib. III. part. 1. fol. 57.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Symoni Episcopo Darensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem ad audientiam apostolatus nostri relatione minus vera perlato, quod ecclesia Cluanensis per obitum Venerabilis fratris nostri Henrici Episcopi Cluanensis, qui in partibus illis decessisse dicebatur, vacabat: Nos credentes relationem huiusmodi verum esse, de te ordinis fratrum Predicatorum professore eidem ecclesie duximus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem: et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Talayrandum Episcopum Albanensem tibi apud sedem apostolicam fecimus munus consecrationis impendi. Cum autem, sicut postea vera relatio ad nos perduxit, prefatus Henricus tempore provisionis huiusmodi ageret, sicut agere dignoscitur, in humanis, tu nullius ecclesie Episcopus remansisti. Postmodum vero ecclesia Darensi per obitum bone memorie Mauricii Episcopi Darensis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi dicte ecclesie Darensis fidedignis relatibus intellecta, attendentes quod nullus preter nos hac vice de provisione ipsius ecclesie Darensis se intromittere poterat, neque potest, pro eo quod nos olim, predicto Mauricio regimini prefate Darensis ecclesie presidente, cupientes eidem Darensi ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius Darensis ecclesie ordinationi nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, et ad provisionem ipsius Darensis ecclesie celerem et felicem, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, cupientes quoque talem eidem Darensi ecclesie preesse personam, que sciret, vellet et posset eam in suis manutenere iuribus, ac etiam adaugere, ipsamque preservare a noxiis et adversis, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam dominus insignivit, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua eidem Darensi ecclesie de fratrum nostrorum predictorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque ipsi preficimus in Ep̄um et pastorem, curam et administrationem eiusdem Darensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione xv. Kalend. Ianuarii, Pontificatus nostri anno octavo.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Darensis, Clero et populo civitati et diocesis Darensis, Archiepiscopo Armachano, et Eduardo Regi Anglie.

DLXXXV.

Philippus ecclesiae Brechinensi in episcopum praeficitur. Reg. An. VIII. Com. lib. III. p. 1. fol. 58.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Philippo Electo Brechinensi, salutem etc. Divina disponente clementia etc. Olim siquidem bone memorie Adam Episcopo Brechinensi ecclesie Brechinensis, prefate ecclesie Romane immediate subiecte, regimini presidente, Nos cupientes ipsi ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Ade, qui nuper in illis partibus debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta,

dilecti fili Capitulum eiusdem ecclesie huiusmodi reservationis et decreti, ut dicitur, ignari, te Decanum ipsius ecclesie, in sacerdotio constitutum, in Brechinensem episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, assensum electioni huiusmodi prestitisti, ac deinde reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, ad sedem apostolicam accessisti, et ipsius electionis negotio pro parte tua exposito in Consistorio coram nobis. Nos attendentes electionem eandem utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptatam fore de facto, eamque reputantes, prout erat, irritam et inanem, et ad provisionem ipsius ecclesie, ne prolixe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam, per quam dicta ecclesia preservari valeat a noxiis, et in prosperis feliciter adaugeri, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, prudentia spiritualium et temporalium providentia, aliisque grandium virtutum meritis, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, ac etiam concordi eorumdem Capituli te eligentium voluntate diligenti meditatione pensatis, de persona tua, nobis et dictis fratribus consideratione premissorum accepta, prefate Brechinensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Brechinensis ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione XIII. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno octavo.

In e. m Capitulo ecclesie Brechinensis, Clero et populo civitatis et diocesis Brechinensis, et David Regi Scotie Illustri.

DLXXXVI.

Rogerius de Cradok renuntiatur epus Waterfordensis. Ibidem fol. 64.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Rogerio de Cradok Electo Waterfordensi, salutem etc. Quam sit onusta periculis etc. Dudum siquidem bone memorie Richardo Episcopo Waterfordensi regimini Waterfordensis ecclesie presidente, Nos volentes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie Waterfordensis ea vice dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Richardi, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, ne ipsa Waterfordensis ecclesia longe vacationis exponetur incommodis, (paternis) et sollicitis studiis intendentes, ac cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, et in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia preditum, religionis zelo conspicuum, vite ac morum honestate decorum, ac in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout eciam fidedignis testimoniis accepimus, (insignitum,) convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie Waterfordensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie Waterfordensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione V. Nonas Martii, Pontificatus nostri anno octavo.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Waterfordensis, Clero et populo civitatis et diocesis Waterfordensis, Archiepiscopo Cassellensi, et Eduardo Regi Anglie.

DLXXXVII.

Willelmus ecclesie Fernensi in episcopum preficitur. Reg. An. VIII. Com. lib. 1. par. 1. fol. 89.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo Episcopo Fernensi, salutem etc. Pastoralis officii debitum etc. Dudum siquidem bo. me. Galfrido Episcopo Fernensi regimini Fernensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, operationis nostre ministerio ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ea vice ordinationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata Fernensi ecclesia per obitum eiusdem Galfridi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione ipsius ecclesie (fidedignis relatibus intellecta), ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos ac hac vice intromittere poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ord. fratrum Predicatorum professorem, penitentiarium nostrum, in sacra Theologia magistrum, cui de religionis zelo, vite ac morum honestate, spiritualium et temporalium providentia, aliisque virtutum meritis laudabilia testimonia perhibentur, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua ipsi Fernensi ecclesie de predictorum fratrum nostrorum

consilio auctoritate apostolica duximus providendum, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo: et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Bernardum Episcopum Portuensem tibi fecimus apud sedem apostolicam munus consecrationis impendi etc. Datum Avinione XIII. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno octavo.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Fernensis, Clero et populo civitatis et diocesis Fernensis, Archiepiscopo Dublinensi, et Edwardo Regi Anglie.

DLXXXVIII.

Episcopo Sancti Andreae, ut cum Ioanne de Insulis et Margareta nata Seneschalli Scotiae super matrimonio dispenset. Reg. An. IX. Com. lib. II. par. 2. fol. 21.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Sancti Andree in Scotia, salutem etc. Petitio pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis de Insulis dñi Insularum Scotie, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margarete, nate dilecti filii nobilis viri Roberti dicti Seneschalli militis, Glasguensis diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod dudum inter ipsos Robertum et Iohannem ac eorum progenitores, hostis antiqui nequicia procurante, guerre, dissensiones, ac scandala plurima sunt exorta, et timeretur imposterum exoriri, quodque huiusmodi guerris, dissensionibus et scandalis posset verisimiliter obviari, si Iohannes et Margareta predicti, prout affectant, matrimonialiter copulentur. Verum quia, sicut eadem petitio subiungebat, ipsi Iohannes et Margareta ex uno tertio, et ex alio lateribus quarto affinitatis gradibus invicem se contingunt, huiusmodi matrimonium, prout desiderant, nequeunt inter se contrahere licite, dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Quare nobis pro parte ipsorum Iohannis et Margarete fuit humiliter supplicatum, ut eis super hoc de oportune dispensationis beneficio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi guerris, dissensionibus et scandalis, quantum cum deo possumus, obviare volentes, ipsorum Iohannis et Margarete supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Iohanne et Margareta, ut ipsi, impedimentis, que ex dictis affinitatibus proveniunt, nequaquam ostantibus, invicem matrimonium contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, auctoritate apostolica dispenses, prolem suscipiendam de dicto matrimonio legitimam nunciando. Dat. Avinione XVIII. Kal. Iulii, Pont. n. anno nono.

DLXXXIX.

Alexander ecclesiae Rossensi in episcopum praeficitur. Reg. An. IX. Com. lib. IV. par. 1. fol. 47.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Alexandro Electo Rossensi, salutem etc. Romane ecclesie etc. Nuper siquidem ecclesia Rossensi, prefate Romane ecclesie immediate subiecta, ex eo vacante, quod Venerabilis frater noster Rogerius Episcopus olim Rossensis rationalibus causis regimini ipsius ecclesie, cui tunc preerat, in manibus dilecti filii nostri Ademari tituli sancte Anastasie presbiteri Cardinalis per dilectos filios Thomam de Vichard precentorem Chatenensis Rossensis diocesis, et Galterum de Conventre legum doctorum, ac Guillelmum de Clapam dicte Rossensis ecclesiarum Canonicos, prefati Rogerii Episcopi procuratores, ab eo ad hoc speciale mandatum habentes, apud sedem apostolicam sponte cessit, dictusque Cardinalis de mandato nostro, facto sibi super hoc oraculo vive vocis, huiusmodi cessionem apud sedem eandem admisit. Nos ad provisionem ipsius ecclesie Rossensis, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud dictam sedem quocumque modo vacantium, et inantea vacaturarum apud eam dispositioni nostre specialitere reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ne prolixe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie Rossensi personam utilem et etiam fructuosam, que sciret, vellet et posset eam in suis mantenere iuribus et etiam adaugere, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ipsius Rossensis ecclesie Archidiaconum, licentiatum in decretis, in sacerdotio constitutum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, ac aliis virtutum meritis, prout ex fidedignis testimoniis accepimus, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione discussis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus huiusmodi tuorum exigentia meritorum accepta, prefate ecclesie Rossensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius Rossensis ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione III. Nonas Novembris, Pont. nostri anno nono.

In e. m. ... Decano et Capitulo ecclesie Rossensis, Clero et populo civitatis et diocesis Rossensis, et David Regi Scotie.

DXC.

Ioannes Aberdonensis eṗus renunciatur. Reg. An. IX. Com. lib. I. fol. 11.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Aberdonensi, salutem et apostolicam benedictionem. Divina disponente clementia etc. Olim siquidem bone mem. Guillelmo Episcopo Aberdonensi ecclesie Aberdonensis, eidem Romane ecclesie immediate subiecte, regimini presidente, Nos cupientes ipsi Aberdonensi ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam preesse personam, provisionem

eiusdem Aberdonensis ecclesie dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hoc per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia Aberdonensi per obitum ipsius Guillelmi, qui nuper in illis partibus diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, attendentes, quod nullus preter nos de ordinatione ipsius ecclesie se hac vice intromittere potest, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, ac de ipsius provisione celeri et felici paternis et sollicitis studiis cogitantes, post deliberationem, quam de preficiendo ecclesie prefate virum talem, per quem possit circumspecte regi ac dirigi, et etiam defensari, cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te ipsius Aberdonensis ecclesie Archidiaconum, sacre Theologie Magistrum, in sacerdotio constitutum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium et grandium virtutum meritis laudabiliter redimitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus nostris consideratione premissorum accepta, prefate Aberdonensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione xiii. Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno nono.

In e. m. Capitulo ecclesie Aberdonensis, Clero et populo civitatis et diocesis Aberdonensis, universis Vassallis ecclesie Aberdonensis, et David Regi Scotie Illustri.

DXCI.

Archiepiscopo Armachano, ut licentia ordinariorum quatuor ecclesias curatas in Hibernia suae mensae incorporare possit. Reg. An. IX. Com. lib. III. par. 2. fol. 194.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Ricardo Archiepiscopo Armachano Hibernie Primati, salutem etc. Dum tue devotionis, quam ad nos et Romanam geris ecclesiam, consideramus affectum, favorem et gratiam tibi libenter impendimus, et petitiones tuas, illas presertim, que tuam et ecclesie tue Armachane commoditatem respiciunt, quantum cum deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum itaque, sicut ex tenore tue nobis nuper oblate petitionis accepimus, fructus, redditus et proventus mense tue Archiepiscopalis Armachane adeo tenues et exiles existunt, quod in redditibus annuis usque ad summam quadringentarum librarum sterlingorum non se extendunt: Nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, uniendi et incorporandi auctoritate apostolica perpetuo mense predicte quatuor curatas ecclesias, quorum omnium fructus, redditus et proventus centum marcharum dicte monete secundum taxationem decime valorem annuum non excedunt, infra terras Hibernie consistentes, postquam in illis tu vel successores tui Archiepi Armachani Hibernie Primates, qui erunt pro tempore, ius patronatus legitime acquisiveritis, cum omnibus iuribus et pertinentiis, ita quod cedentibus vel decedentibus earumdem ecclesiarum Rectoribus, vel ecclesias ipsas dimittentibus, liceat tibi et eisdem successoribus per vos, vel procuratores vestros post uniones huiusmodi corporalem possessionem ecclesiarum ipsarum, iuriumque et pertinentiarum earumdem possitis propria auctoritate apprehendere et habere, cuiuscumque licentia minime requisita, reservatis tamen prius arbitrio ordinariorum locorum, in quibus huiusmodi ecclesie fuerint, de cuiuslibet ecclesiarum ipsarum fructibus, redditibus et proventibus pro singulis perpetuis Vicariis in dictis ecclesiis canonice instituendis, singulis congruis portionibus, ex quibus dicti Vicarii possint commode sustentari, Episcopalia iura solvere, et alia incumbentia eis onera supportare. Non obstante etc. Dat. Avinione iii. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno nono.

DXCII.

Iudicibus, ut archiepo Armachano licentiam dent permutandi quasdam terras easque suae mensae uniendi. Ibidem fol. 196.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati Monasterii beate Marie de Dynelek, et .... Priori beate Leonarde de Dundalke Midensis et Armachane diocesum, ac Archidiacono ecclesie Armachane, salutem etc. Exhibita nobis pro parte Venerabilis fratris nostri Richardi Archiepiscopi Armachani Hibernie Primatis petitio continebat, quod ipse quedam terras, redditus, et bona alia immobilia, videlicet duas carucatas terre in territorio ecclesie ac civitatis Armachane, et unam carucatam terre vocatam Le Nerny, nec non terras de Lenobyr, de Lek, et de Kyllmon, ac terras de Ynesken cum terris sibi adiacentibus, terras de Turlacha, de Slanpatrik et Kilmudimy, Killibenoyn, de Kellakyr, de Kellegaweyl, de Enghbride, de Killibyn cum omnibus suis iuribus et pertinentiis, et aliis terris adiacentibus terris predictis, ac etiam quatordecim fere marcharum apud Truyn, et quadraginta solidorum sterlingorum in Westundia annuos redditus Armachane, Midensis, Cloghorensis, Tuamensis, Elphinensis, Enachdunensis et Clonfertensis diocesum ad mensam suam Archiepiscopalem spectantia, que minus utilia eidem mense existunt, quod (cum) aliis terris et redditibus, ac bonis aliis immobilibus prefate mense magis utilibus desiderat permutare. Quare dictus Archiepus nobis humiliter supplicavit, ut faciendi permutationem huiusmodi sibi licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, qui eiusdem mense iura et emolumenta cupimus adaugeri, attendentes, quod iusta postulantibus non est denegandus assensus, ipsius Archiepi in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si vocatis dilectis filiis Capitulo Armachane ecclesie, de ipsorum iudicio permutationem huiusmodi eidem mense utilem fore inveneritis, et ad id eorumdem

Capituli consensus intervenerit, dicto Archiepiscopo licentia huiusmodi faciendi permutationem auctoritate apostolica concedatur: proviso, ne quod in favorem eiusdem mense concedimus, in eius lesionem redundet. Datum Avinione III. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno nono.

DXCIII.

Alexandro episcopo Rossensi, ut M. flor. mutuum contrahere possit. Reg An. IX. Com. lib. II. par. 2. fol. 159.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Alexandro Episcopo Rossensi, salutem etc. Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis, quam ecclesie tue Rossensis negotiis apud sedem apostolicam promovendis et expediendis utiliter te subire oportuerit, et adhuc oporteat magna honera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut ad summam mille florenorum auri mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi largiri licentiam dignaremur. Nos igitur de tua tam in hiis, quam in aliis circa eadem tua et ipsius ecclesie promovenda et expedienda negotia circumspectione, ac diligentia plenius in domino confidentes, nec volentes, quod propter expensarum ipsarum defectum indigentiam patiaris, vel quod eadem negotia inexpedita remanere contingat, tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue contrahendi mutuum propter hoc, usque ad summam dumtaxat mille florenorum auri, nomine tuo et ipsius ecclesie Rossensis, ac te ipsum et successores tuos Episcopos Rossenses et predictam ecclesiam, ac tua et eorumdem successorum et ecclesie bona mobilia et immobilia, presentia et futura, usque ad predictam summam, propterea dictis creditoribus, usuris omnino cessantibus, obligandi etc. ut in forma. Datum Avinione VII. Idus Martii, Pont. nostri anno nono.

DXCIV.

Decano ecclesiae s. Patritii Dublinensis, ut retentis beneficiis ecclesiasticis per quinquennium iuri civili in quodam studio generali incumbere possit. Reg. An. X. Com. lib. III. par. 2. fol. 11.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Briane Decano ecclesie sancti Patritii Dublinensis, salutem etc. Desiderantium inbui scientia litterarum, eo benignius est desideriis annuendum, quo maior ex eorum virtutibus speratur utilitas sprovenire. Cum itaque, sicut accepimus, amore scientiarum allectus, iuris civilis studio, ut equum ab iniquo, et licitum ab illicito discernere, tibique et aliis, auxiliante domino, proficere, et in ecclesia dei fructum oportunum afferre veleas, desideres immorari: Nos huiusmodi tuo desidero benigno condescendentes affectu, tibi, qui Decanatum ecclesie sancti Patritii, cui cura imminet animarum, et ad quem consuevit quis per electionem assumi, et qui maior post Episcopalem in eadem ecclesia dignitas reputatur, ac parrochialem ecclesiam de Hatfelden Lincolniensis diocesis ex concessione ac dispensatione apostolica obtines, ut per quinquennium audire et legere iura civilia, et studere in illis, et quoslibet actus scolasticos exercere in loco, ubi studium vigeat generale, felicis recordationis Honorii pape III. predecessoris nostri, et quibuslibet aliis constitutionibus in contrarium editis nequaquam obstantibus, auctoritate tibi presentium indulgemus: proviso, quod Decanatus et parrochialis ecclesia predicta debitis interim obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Kalendis Iunii, Pontificatus nostri anno decimo.

DXCV.

Robertus epus olim canonicus Waterfordensis ecclesiae Aladensi praeficitur in episcopum. Reg. An. X. Com. lib. II. fol. 35.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Roberto Episcopo Aladensi, salut. etc. Ecclesiarum omnium, licet immeriti etc. Dudum siquidem bone memorie Ricardo Episcopo Waterfordensi regimini Waterfordensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam ydoneam precsse personam, provisionem ipsius ecclesie dispositioni et ordinationi nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero Waterfordensi ecclesia predicta per obitum dicti Ricardi, qui extra Romanam curiam decessit, pastoris regimine destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie Waterfordensis, reservationem et decretum predicta, ut asserunt, ignorantes, te tunc ipsius ecclesie Canonicum, in sacerdotio constitutum, licet de facto, in Waterfordensem Episcopum concorditer elegerunt: tuque electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, reservationis et decreti predictorum etiam inscius, consensisti, et a Venerabile fratre nostro Radulpho Archiepiscopo Cassellensi, ipsius ecclesie Waterfordensis Metropolitano, obtinuisti electionem tuam huiusmodi confirmari, et ab eodem Archiepiscopo, reservationem et decretum predicta etiam ignorante, munus consecrationis impendi, teque per unum annum vel circa administrationi ipsius ecclesie Waterfordensis in spiritualibus et temporalibus immiscuisti. Et tandem huiusmodi electionis et confirmationis negotio ad nostram deducto notitiam, Nos electionem et confirmationem huiusmodi, utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptata, reputantes, prout erant, irritas et inanes, et ad provisionem ipsius ecclesie Waterfordensis, de qua nullus pretor nos ea vice disponere potuit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, sollicite cogitantes, de persona Venerabilis fratris nostri Rogerii Episcopi Waterfordensis de fratrum nostrorum consilio prefate Waterfordensi ecclesie, auctoritate apostolica, duximus providendum, preficiendo eum illi in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: tuque propterea, predictam Waterfordensem ecclesiam libere dimittendo, Epus nullius ecclesie regimini presidens remansisti, et ad sedem ad hoc personaliter acces-

sisti predictam. Cum autem postmodum ecclesia Aladensis per obitum bone memorie Willelmi Episcopi Aladensis, qui in partibus illis decessit, vacaverit, prout vacabat ad presens: Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, de provisione ipsius ecclesie Aladensis, de qua nullus preter nos hac vice disponere potuit, neque potest, pro eo quod nos diu ante vacationem ipsius ecclesie Aladensis, dicto Willelmo eiusdem ecclesie Aladensis regimini presidente, provisionem eiusdem ecclesie Aladensis, cum illam vacare contingeret, ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, et ne dicta Aladensis ecclesia longe vacationis subiaceret incommodis, solicitis studiis cogitantes, et volentes etiam statui tuo, cui de multiplicum virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, salubriter providere, post deliberationem, quam super hiis habuimus cum fratribus nostris diligentem, de persona tua eidem Aladensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Aladensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: et nichilominus consecrationis munus tibi, ut predicitur, impensum, et que per te circa administrationem ipsius Waterfordensis ecclesie alias rite acta sunt, auctoritate apostolica approbamus etc. Datum Avinione vi. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Aladensis, Clero et populo civitatis et diocesis, universis Vassallis ecclesie Aladensis, Archiepiscopo Tuamensi, et Edwardo Regi Anglie.

DXCVI.

Ioannes Whytekot praeficitur ecclesiae Clonensi in epum. Reg. An. X. Com. lib. I. fol. 29.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Whytekot Electo Clonensi, salutem etc. Pastoralis officii debitum etc. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Clonensi regimini Clonensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, operationis nostre ministerio ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero, sicut accepimus, prefata ecclesia Clonensi per obitum dicti Iohannis pastoris solatio destituta, tres fuerunt per dilectos filios Capitulum dicte ecclesie, reservationis et decreti predictorum ignaros, una videlicet de te Canonico eiusdem ecclesie, et relique due de dilectis filiis Willelmo de Bromeleye et Gerardo de Barry, ipsius etiam ecclesie Clonensis Cononicis, in discordia celebrate: subsequenter huiusmodi vacationis et electionum negotio proposito in consistorio coram nobis, Nos electiones ipsas, utpote post et contra reservationem et decretum attemptata predicta, reputantes, prout erant, irritas et inanes, et ad provisionem ipsius ecclesie Clonensis, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium et temporalium providentia, aliisque virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Clonensi ecclesie, de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione vi. Id. Iunii, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Clonensis, Clero et populo civitatis et diocesis Clonensis, Archiepiscopo Cassellensi, et Edwardo Regi Anglie.

DXCVII.

Ioannes de Straunglet monasterio s. Margaritae de Dunfermelin praeficitur in abbatem. Reg. An. X. Com. lib. II. fol. 54.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Straunglet Abbati Monasterii sancte Margarite de Dunfermelin ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis, salutem etc. Suscepti cura regiminis etc. Dudum siquidem, videlicet viii. Kalend. Septembris Pontificatus nostri anno octavo, omnia Monasteria ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcumque ad Urbem, anno a Nativitate domini millesimo trecentesimo quinquagesimo, causa remissionem plenam suorum obtinendi peccatorum proficiscentium peregre, si eos ad Urbem accedendo eandem, seu moram trahendo in ea, vel redeundo ab ipsa rebus eximi contingat ab humanis, ordinationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum quondam Alexander Abbas Monasterii sancte Margarite de Dunfermelin ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis, qui predicto anno a Nativitate ad Urbem eandem causa remissionem obtinendi predictam accesserat, ab Urbe recedendo prefata viam fuerit extra Romanam Curiam universe carnis ingressus, et propterea dictum Monasterium vacaverit et vacare dinoscitur ad presens, dilecti filii Conventus prefati Monasterii dilectum filium Iohannem Blayk, Monachum eiusdem Monasterii, reservationis et decreti predictorum ignari, in eorum et dicti Monasterii Abbatem elegerunt: ipseque Iohannes Blayk etiam dicte reservationis (et decreti) ignarus, electioni huiusmodi de facto consentiens, eam obtinuit a diocesano suo, licet de facto, confirmari, et ab eo munus benedictionis recepit, et ex

tunc administrationi spiritualium et temporalium ipsius Monasterii de facto se ingessit et ingerit. Subsequenter autem huiusmodi vacationis, electonis, confirmationis et administrationis negotio ad nostram deducto notitiam, Nos electionem, confirmationem et administrationem huiusmodi utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptata, prout erant, irritas et inanes reputantes, et ad provisionem ipsius Monasterii, de quo nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne prolixe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Monasterio personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Monachum eiusdem Monasterii, ordinem ipsum expresse professum, et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite munditia, ac aliis virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Monasterio de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione x. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Conventui Monasterii sancte Margarite de Dunfermelin ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis, et Episcopo Sancti Andree.

DXCVIII.

Episcopus Ossoriensis archiepo Dublinensi, constitutione exemptionis revocata, de novo subiicitur. Reg. An. X. Com. lib. IV. par. 2. fol. 250.

Clemens episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Ea, que dubietatis aut ecclesiis et personis ecclesiasicis materiam litigiorum pro tempore possent inferre, libenter, prout ex debito pastoralis tenemur officii nobisque possibile reddimur(sic), summovemus. Dudum pro parte Venerabilis fratris nostri Ricardi Episcopi Ossoriensis nobis exposito, quod ipse olim contra quosdam hereticos, per eum in diocesi Ossoriensi repertos, consulta prius per eum super hoc sede apostolica, iuxta sacrorum instituta canonum processisset, dicti heretici ipsum personaliter ceperant, et per decem et septem dies continuos ignominose ipsorum detinuerant carceribus mancipatum; et quod postmodum, cum ipse ab huiusmodi carceribus liberatus, a bone memorie Alexandro Archiepiscopo Dublinensi Metropolitano suo, qui eisdem hereticis publice notorieque foverat, ipsique Ricardo ac ecclesie Ossoriensi, necnon Clero et aliis subditis suis, ipsi Episcopo in negocio fidei Catholice assistentibus, multa et iniuriosa gravamina intulerat, in favorem eiusdem fidei appellasset, seque parasset ad arripiendum iter ad sedem apostolicam veniendi pro appellatione huiusmodi prosequenda, prefatus Archiepiscopus ad omnes portus maris et alia loca Ibernie, per que ipsum Episcopum veniendo ad dictam sedem transitum facere oportebat, suas et alias litteras destinarat, procurans et satagens, quantum in eo erat, facere dictum Episcopum personaliter capi et carceri mancipari: quodque preterea dicto Episcopo metu mortis et carceris exulare coacto, ac in huiusmodi exilio per novem annos commorante, omnibusque bonis suis mobilibus et immobilibus spoliato, idem Archiepus ecclesiam ac subditos eiusdem Episcopi clericos et laicos, qui sibi in negotio eiusdem fidei contra predictos hereticos, ut premittitur, astiterunt, diversis vexationibus et extorsionibus oppressit et opprimebat, variis fraudibus et coloribus ad paliandam suam in hac parte malitiam exquisitis. Idemque Episcopus timebat, quod dictus Archiepiscopus pro eo, quod predictorum et nonnullorum aliorum criminum propositorum contra eum pro parte ipsius Episcopi in consistorio coram nobis, per informationem apud sedem predictam, de mandato nostro habitam, probata infamia, nos ipsum per litteras nostras citari mandaverimus, ut in certo termino, quem ei duxeramus peremptorie prefigendum, apostolico se conspectui personaliter presentaret, super premissis et aliis, si qua proponi et obici contingeret contra eum, mandatis et beneplacitis apostolicis pariturus, ac facturus et recepturus, quod iustitia suaderet; contra ipsum Episcopum ac subditos suos Clerum et populum supradictos provocaretur gravius solito, ac ipsi et illis inferret gravamina duriora, et quod idem Episcopus proinde circa curam et regimen ipsius ecclesie intendere non potuerat nec poterat, ut dicebat. Nos volentes Episcopum, Clerum et populum supradictos ab huiusmodi oppressionibus et gravaminibus relevare, ipsius Episcopi supplicationibus inclinati, Episcopum et ecclesiam, necnon civitatem et diocesim Ossoriensem, ac personas earum, necnon familiares ipsius Episcopi, clericos et laicos, quamdiu ecclesie memorate preesset, et prosecutio duraret negotii antedicti, ab omni iurisdictione, dominio, potestate et superioritate dicti Archiepiscopi et eius Curie auctoritate apostolica prorsus eximimus, ipsumque Episcopum et illas volumus immediate iurisdictioni sedis apostolice subiacere, universas excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, necnon quoscumque alios processus contra huiusmodi exemptionis nostre tenorem proferri vel haberi contingeret, decernentes irritas et inanes, prout in diversis nostris litteris inde confectis plenius continetur. Cum postmodum prefatus Alexander Archiepiscopus viam fuerit universe carnis ingressus, Nosque Dublinensi ecclesie, per ipsius Archiepiscopi obitum tunc vacanti, de persona venerabilis fratris nostri Iohannis Archiepi Dublinensis duximus providendum, preficientes eum ipsi Dublinensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, pro parte ipsius Iohannis Archiepiscopi nobis extitit humiliter supplicatum, ut ne occasione huiusmodi exemptionis, que per ipsius Alexandri obitum est sublata, inter Iohannem Archiepiscopum et Ricardum Epum aliosque predictos questionis materia oriatur, providere de oportune declarationis beneficio dignaremur.

Cum causa eiusdem exemptionis per ipsius Alexandri obitum iam cessarit: Nos volentes huiusmodi litigiorum anfractibus obviare, ipsius Iohannis Archiepi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presentium declaramus, exemptionem, immediatam subiectionem et decretum huiusmodi, et quecumque in ipsa exemptione contenta per ipsius Alexandri obitum penitus expirasse, et nullius ex tunc fuisse roboris vel momenti. Nulli ergo etc. declarationis infringere etc. Datum Avinione x. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno decimo.

DXCIX.

Archiepiscopo Dublinensi, ut processus contra haereticos in Ossoriensi et sua dioecesibus inchoatos resumat et finiat. Reg. An. X. lib. III. par. 2. fol. 96.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Constans tue fidei et devotionis integritas, quam ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, promeretur, ut in hiis, que tui officii debitum sapiunt, votis tuis favorabiliter annuamus. Dudum siquidem pro parte Venerabilis fratris nostri Ricardi Episcopi Ossoriensis nobis exposito, quod licet ipse ad extirpandos de sua diocesi Ossoriensi nonnullos hereticos, quos repererat in eadem, prout ex debito sui tenebatur offitii, processisset, iustitia suadente, et ad hoc dedisset operam pro viribus efficacem: quia tamen ipsi heretici dicte Ossoriensis diocesis fines egressi, ad tuam Dublinensem diocesim, ubi tam in vita, quam in morte per quondam Alexandrum Archiepiscopum Dublinensem in ipsius fidei grave dispendium, divine maiestatis offensam, animarum periculum et scandalum plurimorum fovebantur auxiliis et favoribus iuvabantur, ut dicebatur, confugerant, huiusmodi prefati Episcopi processus nullum vel modicum effectum habuerunt. Nos Venerabilibus fratribus nostris Cassellensi, eius proprio nomine non expresso, et Richardo Archiepiscopis tunc electo Armachano per nostras litteras dedimus in mandatis, ut ipsi vel alter eorum de premissis diligenter inquirent veritatem, et huiusmodi et alios, si quos in civitate vel diocesi Dublinensi reperirent heresis labe respersos, seu suspectos, capi facere solicite procurent, ipsos omnes iuxta sacrorum instituta canonum animadversione debita percellendo, invocato ad hoc, si opus foret, auxilio brachii secularis, necnon contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Qui quidem Archiepiscopi auctoritate directarum litterarum ad nonnullos actus super eodem negotio processisse dicuntur. De tue igitur circumspectionis industria gerentes in hiis et aliis fiduciam in domino specialem, ac sperantes, quod processus predicti per prefatos Archiepiscopos habiti, si adhuc terminati non sunt, per te celerius, cum dicti heretici in tua diocesi mansisse dicantur, valeant expediri, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus processum seu processus huiusmodi per dictos Archiepiscopos vel eorum alterum super hiis habitos, si, ut prefertur, functi non sunt, recipias ab eis, et in statu, in quo illos inveneris, auctoritate nostra resumas, eosque iuxta instituta dictorum canonum, et dictarum continentiam litterarum studeas fideliter terminare, in hiis te taliter habiturus, quod inde de negligentia reprehendi non valeas, sed nostram et apostolice sedis gratiam uberius consequi merearis. Contradictores etc. Non obstante etc. Testes autem etc. Datum Avinione II. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno decimo.

DC.

Patritius de Locrys praeficitur ecclesiae Brechinensi in episcopum. Reg. An. X. Com. lib. II. fol. 53.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Patritio de Locrys Electo Brechinensi, salutem etc. Licet continuata supervenientium negotiorum etc. Olim siquidem bone memorie Philippo Episcopo Brechinensi ecclesie Brechinensis, eidem Romane ecclesie immediate subiecte, regimini presidente, Nos cupientes ipsi Brechinensi ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie Brechinensis dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta Brechinensi ecclesia per obitum ipsius Philippi Episcopi, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius Brechinensis ecclesie huiusmodi reservationis et decreti, ut fertur, ignari, te Canonicum ecclesie Sancti Andree ordinis sancti Augustini, in sacerdotio constitutum, in eorum et ipsius Brechinensis ecclesie Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, de tui Superioris licentia assensum electioni huiusmodi prestitisti, ac deinde reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, ad sedem apostolicam accessisti, et ipsius electionis negotio proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos attendentes electionem eandem utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptata fore de facto, eamque reputantes, prout erat, irritam et inanem, et ad provisionem ipsius Brechinensis ecclesie, ne prolixe vacationis subiaceret incomodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie Brechinensi personam utilem ac etiam fructuosam, per quam preservari valeret a noxiis, ac in prosperis feliciter adaugeri, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, prudentia spiritualium et temporalium providentia, aliisque virtutum grandium meritis, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus ac etiam concordi dictorum Capituli te eligentium voluntate diligenti meditatione pensatis, de persona tua nobis et dictis fratribus consideratione premissorum

accepta, prefate Brechinensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione xv. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Brechinensis, et David Regi Scotie Illustri.

DCI.

Cum Thoma comite de Marre et Margareta de Moravia dispensatur super matrimonio. Reg. An. XI. Com. lib. 1. fol. 311.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Thome Comiti de Marre, et dilecte in Christo filie Margarete, relicte quondam Iohannis de Moravia vidue, Aberdonensis diocesis, salutem etc. Sedis apostolice providentia circumspecta nonnunquam rigorem iustitie mansuetudine temperans, quod sacrorum canonum prohibent instituta, de gratia benignitatis indulget, prout personarum et temporum qualitate pensata, id in deo (utiliter viderit expedire. Exposita siquidem nobis vestra petitio continebat), quod tu, fili Comes, in toto regno Scotie, unde oriundus existis, aliquam mulierem, nisi te, filia Margerita, cum qua secundum tui status decentiam matrimonialiter copulari valeas, comode invenire non potes, et quod vos perinde matrimonialiter coniungi invicém affectatis: sed quia tertio et quarto affinitatis gradu vobis mutuo attinetis, huiusmodi vestrum desiderium adimplere comode (licite, dispensatione super hoc apostolica non obtenta,) non potestis: quare nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis gratia dignaremur. Nos igitur ex hiis et aliis certis causis nobis expositis huiusmodi supplicationibus inclinati, vobiscum, ut impedimento, quod ex huiusmodi affinitate provenit, non obstante, matrimonium invicem contrahere libere et in eo, postquam contractum fuerint, remanere licite valeatis, auctoritate apostolica de speciali dono gratie tenore presentium dispensamus, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciantes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Avinione xviii. Kal. Septembris Pontificatus nostri anno undecimo.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VI.

DCII.

Willelmus de Grenlau constituitur nuntius apostolicus in Scotia. Reg. An. I. Secret. fol. 243.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Willelmo de Grenlau Decano ecclesie Glasguensis, apostolice sedis nuntio, salutem etc. Attendentes circumspectionis, industrie ac fidelitatis merita, super quibus apud nos fidedigna multorum testimonia te commendant, inducimur, ut de te in nostris et ecclesie Romane negotiis confidamus. Hinc est, quod nos te nostrum et apostolice sedis nuntium in Regno Scotie, usque ad ipsius sedis beneplacitum, auctoritate apostolica tenore presentium facimus, deputamus, statuimus, et etiam ordinamus, tibi per te vel alium seu alios tot, quot, quotiens, et quando volueris deputandi, omnes et singulas pecuniarum et rerum quarumlibet aliarum quantitates debitas nobis et eidem ecclesie, sive census, sive aliis quibuscumque de causis et rationibus pro preterito tempore a quibuslibet ecclesiarum et Monasteriorum, ac aliorum locorum ecclesiasticorum, prelatis et clericis ecclesiasticisque personis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis ordinum quorumcumque, Capitulis quoque, Collegiis et Conventibus ecclesiarum et Monasteriorum ipsorum, aut aliis quibuscumque, et debendas inantea pro futuro, ac legata quelibet facta iam, et facienda imposterum ecclesie Romane in subsidium terre sancte petendi, exigendi, et recipiendi, et de hiis, que receperis, finem, absolutionem, quitationem et remissionem plenariam faciendi, ac insuper omnibus et singulis litteris apostolicis quibuscumque predecessoribus et processoribus tuis nuntiis dicte sedis in dicto Regno hactenus constitutis, et in quibuscumque ceptis et non ceptis negotiis, quatenus Cameram nostram et dictam ecclesiam directe et indirecte contingunt, non obstantibus constitutionibus quibuscumque contrariis, utendi, et eas libere exequendi, Contradictores quoque ac rebelles, cuiuscumque status et conditionis existant, etiam si pontificali, aut quavis alia prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, ac alia omnia et singula faciendi, gerendi, et libere exercendi, que ad huiusmodi nuntiationis officium pertinent, potestatem ac facultatem plenam et liberam concedentes. Sic igitur in premissis te sollicite ac fideliter habeas, quod exinde commendari merito valeas, et ad maiora provehi merearis. Datum Avinione iii. Kal. Ianuarii, Pontificatus notri anno primo.

DCIII.

Thomas ecclesiae Darensis episcopus confirmatur. Reg. An. I. Com. lib. I. par. 1. fol. 56.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Darensi, salutem etc. Decens reputamus etc. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa VI. predecessor noster intendens Darensi ecclesie, cuius tunc regimini bo. me. Ricardus Darensis Episcopus presidebat, cum illam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam de ydonea et utili providere persona, provisionem ipsius ecclesie dispositioni sue ea vice specialiter reservavit, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Ricardi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, huiusmodi reservacionis et decreti ignari, te tunc Cancellarium ipsius ecclesie, in presbiteratus ordine constitutum, in eorum et dicte ecclesie Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, electioni huiusmodi tuum prebuisti assensum, et tandem reservacione et decerto huiusmodi ad tuam deductis noticiam, ad sedem apostolicam personaliter accedens, huiusmodi electionis negocium coram dicto predecessore in consistorio proponi fecistis. Idemque predecessor electionem eandem utpote post et contra reservacionem et decretum predicta, ut premittitur, attemptatam, prout erat, irritam reputans et inanem, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter ipsum predecessorem ea vice se intromittere potuerat, neque poterat, reservacione et decreto obstantibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis intendens studiis, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, cum fratribus suis sancte Romane ecclesie Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, habuit diligentem, demum ad te, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, et aliis virtutum meritis, prout fidedignorum assertione perceperat, multipliciter insignitum, convertit oculos sue mentis: quibus omnibus, ac eorumdem Capituli concordi te eligentium voluntate debita meditacione pensatis, idem predecessor de persona tua eidem Darensi ecclesie de dictorum fratrum consilio, xi. Kal. Decembris, Pontificatus sui anno undecimo, apostolica auctoritate providit, teque illi prefecit in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Verum quia postmodum dictus predecessor, litteris super hiis apostolicis non confectis, debitum nature persolvit, Nos postmodum ad apicem apostolice dignitatis, licet immeriti, divina dispositione assumpti, quod super premissis a dicto predecessore actum extitit, volentes, ut plenum sortiretur effectum, tibi fecimus per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Epum Nemausenum, apud dictam sedem munus consecrationis impendi etc. Datum Avinione ii. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Darensis, Clero et populo civitatis et diocesis Darensis, Archiepiscopo Dublinensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCIV.

Hugo Pelegrini nuntius apostolicus in Anglia, Hibernia etc. confirmatur. Reg. An. 1. Secret. fol 15.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Hugoni Pelogrini Canonico Lincolniensi, in partibus Anglie, Ibernie et Wallie apostolice sedis Nuncio, sal. etc. Cum, sicut fidedigna relatione percepimus, in nuntiationis officio commisso tibi per fel. record. Clementem papam VI. predecessorem nostrum in partibus Anglie, Ibernie et Wallie sic te fideliter ac laudabiliter gesseris, quod potes inde merito commendari: Nos sperantes, quod tu, qui te in huiusmodi officio laudabiliter habuisti, in eo laudabilius te habere debeas in futurum, te in eisdem partibus apostolice sedis nuntium auctoritate apostolica deputamus, tibique concedimus, quod quibuscumque litteris apostolicis et gentium Camere apostolice tibi, et quibuscumque predecessoribus et precessoribus tuis nuntiis prefate sedis in partibus predictis destinatis, quatenus negocia Camere memorate contingunt, in quibuscumque ceptis et non ceptis negotiis libere uti, et eas exequi valeas, constitutionibus apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Avinione Nonis Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo.

DCV.

Ioannes ecclesiae Imelacensi in episcopum praeficitur. Reg. An. 1. Com. lib. 1. par. 1. fol. 59 et 84. et Tom. XII. cod. chart. fol. 37.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Imelacensi, salutem etc. Dum ad universas etc. Dudum siquidem felicis recordacionis Clemens pp. VI., predecessor noster, cupiens ecclesie Fernensi, cuius regimini bo. me. Galfridus Episcopus Fernensis tunc temporis presidebat, cum illam quovis modo vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni sue ea vice specialiter reservavit, ac decrevit ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum dicti Galfridi Episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, vacante, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, reservacionis et decreti predictorum, ut dicitur, ignari, te tunc Archidiaconum eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, in suum et ipsius ecclesie Epum, quamvis de facto, concorditer elegerunt: tuque electioni huiusmodi consentiens, eam obtinuisti a dilecto filio

Symone Canonico ecclesie Dublinensis, Vicario dilectorum filiorum Capituli eiusdem ecclesie, loci metropolitani, tunc pastore carentis, reservacionis et decreti ipsorum, ut asseritur, inscio confirmari de facto, teque in Fernensem Episcopum, rite tamen alias, a Venerabili fratre nostro Thoma Archiepiscopo Tuamensi de licentia dicti Vicarii consecrari, ac pretextu electionis, confirmacionis et consecracionis huiusmodi te administracioni spiritualium et temporalium ipsius ecclesie ingessisti, et illa administrasti per annum et ultra, ignorans reservacionem aliquam de provisione ipsius ecclesie per sedem apostolicam esse factam. Idemque predecessor eidem ecclesie de Venerabili fratre nostro Guillelmo Episcopo Fernensi providit, et eum prefecit in eadem ecclesia in Episcopum et pastorem: tuque deinde quamprimum huiusmodi provisio dicti predecessoris ad tuam noticiam pervenit, eamdem ecclesiam libere dimisisti, et sic Episcopus nullius ecclesie remansisti. Postmodum vero dicto predecessore, sicut domino placuit, de hac luce subtracto, nobisque quamquam insufficientibus meritis, eodem dño disponente, ad apicem summi apostolatus assumptis, ad nostram deducto noticiam, quod ecclesia Imelacensis, cui regimini bo. mem. Richardus Episcopus Imelacensis presidebat, dum adhuc idem Richardus Imelacensis Epus ageret in humanis, quam dictus predecessor noster sue dispositioni specialiter reservaverat cum simili interposicione decreti, per obitum predicti Richardi Episcopi Imelacensis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacabat, de qua idem predecessor, dum vixit, minime ordinavit: Nos vacatione huiusmodi ipsius ecclesie Imelacensis fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdem Imelacensis ecclesie, ne ipsa ecclesia Imelacensis longe vacationis incommoda pateretur, paternis et sollicitis studiis intendentes, et cupientes talem eidem ecclesie preesse personam, que sciret, vellet et posset eam in suis manutenere iuribus, et etiam adaugere, post deliberacionem, quam super hiis cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam Altissimus insignivit, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attente discussis, de persona tua, nobis et dictis fratribus consideracione premissorum accepta, prefate Imelacensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Imelacensis ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes etc. Datum Avinione III. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Imelacensis, Clero et populo civitatis et diocesis Imelacensis, universis Vassallis ecclesie Imelacensis, Archiepo Cassellensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

Idem Episcopus de novo XIII. Kalend. Augusti eiusdem anni confirmatur, ac munus consecrationis sibi impensum approbatur.

Idem Episcopus novis litteris confirmatur. Datum Avinione II. Kalend. Marcii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCVI.

Ioannes Walshe praeficitur monasterio s. Thomae martyris Dublinensi in abbatem. Reg. An. I. cod. chart. Tom. II. fol. 27.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Walshe Abbati Monasterii s. Thome martiris ordinis sancti Augustini Dublinensis diocesis, salutem etc. Inter varias sollicitudines etc. Nuper siquidem Monasterio sancti Thome martiris ordinis s. Augustini Dublinensis diocesis, ex eo Abbatis regimine destituto, quod nos de persona dilecti filii Nicolai Electi Midensis, tunc eiusdem Monasterii Abbatis, apud sedem apostolicam constituti, Midensi ecclesie tunc vacanti de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo eum eidem ecclesie in Episcopum et pastorem: Nos ad dicti Monasterii provisionem celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice disponere potuit, neque potest, pro eo quod nos ante vacationem huiusmodi eiusdem Monasterii provisiones omnium Monasteriorum tunc apud sedem predictam vacantium, et imposterum vacaturorum dispositioni nostre duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ne Monasterium predictum longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Monasterio personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te eiusdem Monasterii Priorem claustralem, in sacerdocio constitutum, cui de Religionis zelo, litterarum scientia, vite ac morum honestate, aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditacione pensatis, de persona tua prefato Monasterio de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione XVIIII. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Conventui Monasterii sancti Thome martiris ord. sancti Augustini Dublinensis diocesis, Archiepiscopo Dublinensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCVII.

Gregorius praeficitur ecclesiae Dunensi in episcopum. Reg. Tom. II. cod. chart. fol. 37.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Gregorio Epo Dunensi, salutem etc. Inter curas multiplices etc. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens pape VI. predecessor noster cupiens ecclesie Dunensi, cuius regimini bone mem. Radulphus Episcopus Dunensis tunc temporis presidebat, cum illam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam

utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinacioni et disposicioni sue ea vice specialiter reservavit, ac decrevit ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum dicti Radulphi, qui in partibus illis, dicto predecessore vivente, debitum nature persolvit, pastoris regimine destituta, et deinde eodem predecessore, per ipsum dicte ecclesie non proviso, sicut domino placuit, de hac luce subtracto, nos licet immeriti, eodem domino disponente, ad apicem summi apostolatus assumpti, ad provisionem ipsius ecclesie Dunensis, ne longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Dunensi ecclesie personam utilem, ac etiam fructuosam habuimus cum fratribus nostris diligentem, demum ad te Prepositum ecclesie Aladensis, in sacerdocio constitutum, cui de litterarum scientia, spiritualium providencia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis apud nos fide digna perhibentur testimonia, direximus aciem nostre mentis: quibus omnibus attenta meditacione pensatis, de persona tua prefate Dunensi ecclesie de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administracionem (tibi) tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo: ac deinde per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrinum apud sedem predictam tibi fecimus munus consecracionis impendi, firma spe fiduciaque receptis, quod eadem ecclesia Dunensis, auctore domino, per tue circumspectionis industriam preservabitur ab noxiis et adversis, ac spirituali et temporali proficiet incrementis etc. Datum Avinione IIII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Dunensis, Clero et populo civitatis et diocesis Dunensis, Archiepiscopo Armachano, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCVIII.

Nicolaus abbas s. Thomae renuntiatur episcopus Midensis. Reg. An. I. Com. lib. I. par. I. fol. 52.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicholao Electo Midensi, salutem etc. Summi dispositione rectoris etc. Dudum siquidem fel. recordationis Clemens papa VI. predecessor noster cupiens ecclesie Midensi, cuius tunc regimini bone mem. Willelmus Midensis Episcopus presidebat, cum eam quovis modo vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie dispositioni sue ea vice duxit specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Willelmi Epi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii Clerus diocesis Midensis, ad quos de antiqua et approbata consuetudine electio Epi Midensis, cum dicta ecclesia Capitulo et civitate careat, pertinere dignoscitur, reservationis et decreti predictorum ignari, te, Abbatem Monasterii sancti Thome martiris iuxta Dubliniam ordinis sancti Augustini, in Midensem Episcopum de facto concorditer elegerunt: tuque reservacionis et decreti predictorum etiam inscius, electioni huiusmodi consensisti, licet de facto, ac demum reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, eiusdem electionis negocium in consistorio coram eodem predecessore proponi fecisti. Ac deinde dicto predecessore, sicut domino placuit, de hac luce sublato, Nos, licet immeriti, eodem domino permittente, ad apicem summi apostolatus assumpti, electionem predictam, et quecumque inde secuta utpote post et contra reservacionem et decretum prefata, ut premittitur, attemptata, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, ne dicta ecclesia prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providencia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, ac dictorum te eligentium voluntate concordi debita meditacione pensatis, de persona tua ipsi Midensi ecclesie de predictorum fratrum consilio, auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administracionem ipsius Midensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione v. Idus Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Clero et populo civitatis et diocesis Midensis, Archiepiscopo Armachano, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCIX.

Nuntiis apostolicis in Anglia, Hibernia et Scotia, ut pecuniam in istis regnis pro camera apostolica collectam certis mercatoribus Astensibus assignent. Reg. An. I. Secret. fol. 66.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Hugoni Pelegrini Thesaurario ecclesie Lichefeldensi, apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes et singulas pecuniarum et quarumlibet aliarum rerum quantitates ad nostram Cameram pertinentes, per te receptas et collectas, et inantea recipiendas et colligendas, dilectis filiis Antonio et Guidoni Malabaile civibus et mercatoribus Astensibus, aut alteri eorum, sive ipsorum, vel alterius ipsorum procuratori seu procuratoribus pro eisdem tradere et assignare procures, certificaturus Cameram ipsam statim de hiis, que ipsis Antonio et Guidoni, aut eorum procuratoribus, ut premittitur, assignaveris, successive per litteras tuas particulariter et distincte. Nos enim Antonio et Guidoni, ac procuratori seu procuratoribus eorum predictis absolvendi et quitandi te de hiis, que

ipsis tradideris et assignaveris, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione xvii. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Willelmo de Grenlaw Decano ecclesie Glasguensis, apostolice sedis Nuntio.

DCX.

Episcopo Sancti Andreae, ut cum Thoma seneschallo Scotiae et Margareta de Sancto Claro super matrimonio dispenset. Reg. An. 1. Com. lib. IV. par. 2. fol. 405.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Sancti Andree in Scotia, sal. etc. Petitio pro parte dilecti filii Nobilis viri Thome Senescalli Comitis Angusie, et dilecte in Christo filie Nobilis mulieris Margarete de Sancto Claro tue diocesis nuper nobis exhibita continebat, quod ipsis ex certis causis desiderant invicem matrimonialiter copulari: sed quia iidem Thomas et Margareta quarto sunt consanguinitatis gradu coniuncti, matrimonium inter se contrahere licite nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ex huiusmodi matrimonio, si fieret, inter eorum consanguineos et amicos posset fortius affectionis et dilectionis vinculum verisimiliter solidari, et alia bona tam ipsis et eorum subditis, quam incolis eis convicinis provenire sperentur: pro parte ipsorum Thome et Margarete nobis extitit humiliter supplicatum, ut eis super hoc de oportune dispensationis beneficio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque Carissimi in Christo filii nostri Iohannis Regis Francorum Illustris, ipsum Thomam suum fidelem amicum asserentis, nobis super hoc humiliter supplicantis, ac eorum Thome et Margarete in hac parte supplicationibus inclinati fraternitati tue, de qua in domino fiduciam obtinemus, causis nobis expositis, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Thoma et Margareta, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, matrimonium invicem libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, auctoritate apostolica dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis iii. Nonas Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

DCXI.

Willelmus electus ecclesiae Conerensi in episcopum praeficitur. Reg. An. I. Com. lib. I. par. 1. fol. 82. et Tom. V. cod. chart. fol. 444.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Willelmo Electo Conerensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Nuper siquidem bone memorie Iacobo Epo Conerensi regimini Conerensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem Conerensi ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum dicti Iacobi, qui nuper extra Romanam Curiam decessit, vacante, dilecti filii Clerus civitatis et diocesis Conerensis, ad quos de antiqua et approbata, et hactenus pacifice observata consuetudine electio Episcopi Conerensis, qui est pro tempore, cum ecclesia ipsa Capitulo careat, pertinere dinoscitur, huiusmodi reservacionis et decreti ignari, te tunc Archidiaconum ecclesie Dunensis, in diaconatus ordine constitutum, in eorum et dicte ecclesie Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, huiusmodi electioni tuum prestitisti assensum, et tandem reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, ad sedem apostolicam personaliter accessisti, et huiusmodi electionis (negotium) proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem ipsam utpote post et contra reservacionem et decretum predicta de facto, ut premittitur, attemptatam, et quecumque inde secuta, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem ipsius Conerensis ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice disponere potuit, neque potest, reservacione et decreto obstantibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus et eciam adaugere, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum testimonio percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus ac eciam concordi dictorum te eligentium voluntate debita meditacione pensatis, de persona tua prefate ecclesie Conerensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis viii. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Clero et populo civitatis et diocesis Conerensis, Archiepiscopo Armachano, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Electo Conerensi, salutem etc. Ut a quocumque malueris Antistite presbyteratus ordinem statutis a iure temporibus, et deinde ut ab eodem vel alio Antistite etc. munus consecrationis recipere valeat etc. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis ii. Idus Augusti, Pont. nostri anno primo.

DCXII.

Regi et episcopis Scotiae, ut nuntium apostolicum habeant commendatum eique assistant. Reg. An. I. Secret. fol. 184.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio David Regi Scotie Illustri, salutem etc. Merita

probitatis et dona virtutum, super quibus dilectus filius Guillermus de Grenlau Decanus ecclesie Glasguensis, apostolice sedis nuntius, lator presentium apud nos fidedigno testimonio commendatur, debita consideratione pensantes, eum in Regno tuo Scotie apostolice sedis nuntium auctoritate apostolica usque ad apostolice sedis beneplacitum ducimus deputandum, ipseque de mandato nostro ad idem Regnum pro negociorum executione nostrorum ducit se presentialiter conferendum. Ideoque Serenitatem tuam attente rogamus, quatenus eundem nuntium habens pro nostra et apostolice sedis reverentia commendatum, sibi huiusmodi negocia prosequenti faveas opportunis auxiliis, ipsumque efficacibus favoribus prosequaris. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Idibus Septembris, Pont. nostri anno primo.

In e. m. mutatis mutandis ... Sancti Andree, ... Glasguensi, ... Moraviensi, ... Aberdonensi Episcopis, et Consiliariis David Regis Scotie.

DCXIII.

Cum David de Grame et Helena Chene super matrimonio dispensatur. Reg. An. I. Com. lib. IV. par. 2. fol. 448.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro David de Grame militi, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Helene, relicte quondam Reginaldi Chene militis vidue, Brechinensis et Sancti Andree in Scotia diocesum, salutem etc. Sedis apostolice circumspecta benignitas nonnunquam illa clementer indulget, rigorem iuris interdum mansuetudine temperando, que sacri canones interdicunt, presertim cum locorum, personarum et temporum qualitate pensatis, id in deo conspicit salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitionis series continebat, quod vos, considerantes raritatem et defectum nobilium tam virorum, quam mulierum in illis partibus existentium, et fecundissimam prolis propagationem, que inter utriusque partis vestrum amicos et consanguineos dilatata est ab antiquo, vix potestis reperire vobis pares, cum quibus possetis matrimonialiter copulari, quin sint vobis in aliquo ad id prohibito gradu consanguinitatis coniuncti, desideratis invicem matrimonialiter copulari: sed quia quarto consanguinitatis gradu invicem vos contingetis, id facere non potestis, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: quare nobis pro parte vestra fuit humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur premissis, et aliis certis ex causis pro parte vestra nobis expositis, Carmi in Christo filii nostri Iohannis Regis Francorum Illustris pro vobis super hoc humiliter supplicantis, ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobiscum, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, matrimonium huiusmodi invicem libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeatis, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nuntiantes. Nulli etc. Dat. Avinione VII. Idus Octobris, P. n. anno primo.

DCXIV.

Richardus episcopus Dunensis renuntiatur. Reg. An. I. Com. Tom. II. cod. chartac. fol. 73.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Ricardo Electo Dunensi, salutem etc. Regimini universalis ecclesie etc. Dudum siquidem bone memorie Rodulpho Episcopo Dunensi regimini Dunensis ecclesie presidente, Nos cupientes ipsi ecclesie, cum eam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem dicte ecclesie dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum prefati Rodulphi Episcopi, qui in illis partibus debitum nature persolvit, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi reservacionis et decreti, ut asserunt, ignari, te Priorem dicte ecclesie ordinis sancti Benedicti, in sacerdocio constitutum, in Dunensem Epum, quamvis de facto, concorditer elegerunt: tuque reservacionis et decreti predictorum etiam inscius, electioni huiusmodi consensisti, et demum reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, electionis ipsius negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos itaque eandem electionem, et quidquid secutum est ex ea, utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptata, prout sunt, irrita et inania reputantes, et ad provisionem ipsius ecclesie, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obstantibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, religionis zelo conspicuum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, ac aliis virtutum donis, prout ex fidedignorum testimonio percepimus, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus et dictorum te eligentium voluntate debita meditacione pensatis, de persona tua eidem ecclesie de fratrum predictorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione II. Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Dunensis, Clero et populo civitatis et diocesis Dunensis, Archiepiscopo Armachano, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCXV.

Eidem episcopo Dunensi licentia datur ad suam ecclesiam redeundi. Reg. An. I. Com. lib. IV. par. 2. fol. 467.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Richardo Episcopo Dunensi, sal. etc. Pridem Dunensi ecclesia pastoris solatio destitute, nos ad personam

tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Bottentonensem tibi fecerimus apud sedem apostolicam munus consecrationis impendi: fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te (in) administratione ipsius diligenter et sollicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter eterno retributionis premium nostre benevolentie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Dat. Avinione x. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo.

DCXVI.

Stephanus ecclesiae Limiricensi in episcopum praeficitur. Reg. An. II. Com. lib. III. fol. 7.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Stephano Electo Lymiricensi, sal. etc. Inter cetera etc. Nuper siquidem bone memorie Mauritio Episcopo Lymiricensi regimini Lymiricensis ecclesie presidente, Nos intendentes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia Lymiricensi per eiusdem Mauritii obitum, qui extra Romamanam Curiam decessit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie reservationem et decretum predicta ignorantes, prout asseritur, te Cancellarium dicte ecclesie, in presbiteratus ordine constitutum, in Lymiricensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum etiam inscius electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, de facto etiam consensisti, et deinde tu dubitans de reservatione predicta, ad sedem eandem personaliter accessisti, et huiusmodi electionis tue negotium in consistorio proponi fecisti coram nobis. Nos itaque electionem predictam reputantes irritam et inanem, et ad provisionem ipsius Lymiricensis ecclesie, de qua nullus preter nos hac vice disponere poterat, neque potest, reservatione et decreto obstantibus supradictis, ne ipsa Lymiricensis ecclesia longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hiis habuimus cum fratribus nostris diligentem, demum ad te, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicum virtutum donis, prout fidedignorum (testimonio) accepimus, laudabiliter insignitum, considerantes etiam ipsorum Capituli te eligentium voluntatem concordem, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate Lymiricensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione xi. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Capitulo ecclesie Lymiricensis, Clero et populo civitatis et diocesis Lymiriciensis, Archiepiscopo Cassellensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCXVII.

Episcopo Glasguensi, ut cum Thoma de Somirvile et Maria de Waus super matrimonio dispenset. Reg. An. II. Com. lib. II. fol. 224.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Glasguensi, salutem etc. Petitio dilecti filii nobilis viri Thome de Somirvile domini Castri de Carneswyth militis, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Marie de Waus domicelle tue diocesis nobis exhibita continebat, quod olim ipsi ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent matrimonialiter copulari, matrimonium per verba de presenti invicem publice contraxerunt: quodque postmodum ad eorum pervenit notitiam, quod ipsi Thoma et Maria quarto consanguinitatis gradu erant coniuncti, propter quod ad solennizationem huiusmodi matrimonii procedere nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, si divortium fieret inter eos, gravia possent exinde scandala et pericula verisimiliter exoriri, nobis humiliter supplicarunt, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi scandalis et periculis, quantum cum deo possumus, obviare volentes, ipsorum supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Thoma et Maria, ut in sic contracto matrimonio licite remanere, ac illud in facie ecclesie solennizare valeant, impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, non obstante, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nuntiando. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

DCXVIII.

Episcopo Brechinensi, ut cum Ioanne de Mongombry et Helena More super matrimonio dispenset. Reg. An. II Tom. VI. cod. chart. fol. 508.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Brechinensis, salut. etc. Petitio pro parte dilecti filii Iohannis de Mongombry laici, et dilecte in Christo filie Elene More mulieris tue diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod ipsi olim igno-

rantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus licite possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium per verba de presenti in facie ecclesie, nemine se opponente, invicem publice contraxerint, illudque carnali copula consumantes, et prolem exinde etiam procreantes. Cum autem postmodum, sicut eadem petitio subiungebat, ad ipsorum Iohannis et Elene noticiam sit deductum, quod ipsi in quarto sunt consanguinitatis gradu coniuncti, propter quod in sic contracto matrimonio licite remanere non possint, dispensatione apostolica super hoc non obtenta, nobis pro parte ipsorum Iohannis et Elene fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos itaque huiusmodi eorum supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, ex certis causis pro parte ipsorum Iohannis et Elene nobis expositis, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Iohanne et Elena, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, in dicto matrimonio licite remanere valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex dicto matrimonio auctoritate eadem legitimam decernendo. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

DCXIX.

Epo Waterfordensi et Lismorensi constitutio Ioannis PP. XXII. de unione utriusque ecclesie facta innovatur, inserto eiusdem constitutionis tenore. Reg. An. IX. cod. chart. fol. 436.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Rogerio Episcopo Waterfordensi et Lismorensi, sal. etc. Provisionis nostre debet provenire subsidio, ut ius suum cuilibet conservetur. Hinc est, quod nos tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, in Regestro ipsius predecessoris repertum, pro eo quod, sicut petitio tua nobis nuper exhibita continebat, predicte originales littere casu fortuito sunt amisse, de Regestro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad tue supplicationis instantiam presentibus annotari fecimus: qui talis est. Iohannes Episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romana ecclesia etc. ut supra Nr. 470. pag. 238. Dat. Avinione II. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno undecimo. Ceterum ut earumdem litterarum tenor predictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales littere supradicte, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque et ubicumque, sive in iudicio, vel alibi ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmitas in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense. Per hoc autem nullum ius de novo alicui acquiri volumus, sed antiquum, si quod habet, tantummodo confirmari. Nulli ergo etc. nostre annotationis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione v. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

Eadem Constitutio denuo innovatur et confirmatur, inserto eiusdem tenore. Dat. Avinione III. Kal. Iulii, Pont. nostri anno decimo. Reg. Tom. XXVIII. cod. chartac. fol. 533.

DCXX.

Episcopo Glasguensi, ut cum Roberto Stuardi et Eufemia comitissa Moraviae super matrimonio dispenset. Reg. Tom. IX. cod. chart. fol. 455.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Glasguensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Nobilis viri Roberti Stiuardi Senescalli Scotie, ac dilecte in Christo filie nobilis mulieris Eufemie Comitisse Moravie, relicte quondam Iohannis Comitis Moravie vidue, Glasguensis et Moraviensis diocesum petitionis series continebat, quod ipsi propter sedandas guerras, discordias et inimicitias inter ipsum Robertum, et dilectum filium nobilem virum Willelmum Comitem Rossie Rossensis diocesis, dicte Eufemie fratrem, et alios ipsius Eufemie consanguineos ex interfectione cuiusdam nobilis et aliis de causis exortas, tractatum habuerunt super matrimonio inter se invicem contrahendo. Verum quia ipsi Robertus et Eufemia quarta consanguinitatis, etiam ex eo tertio affinitatis gradibus invicem se contingant, quod dicti Robertus et Iohannes dum vivebat, erant tertio consanguinitatis gradu coniuncti, matrimonium huiusmodi contrahere nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta, pro Roberti, qui, ut asserit, Carissimi in Christo filii nostri David Scotie Regis Illustris locumtenens existit, quique propter fecundissimam consanguineorum suorum propagationem in Regno Scotie invenire vix valeat mulierem aliquam nobilem sibi parem, que aliquo consanguinitatis vel affinitatis gradu eidem non attineat, cum qua ipse Robertus possit matrimonium contrahere, et Eufemie predictorum parte nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui libenter Christifidelibus quietis et pacis commoda procuramus, fraternitati tue, de qua specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Roberto et Eufemia, ut impedimentis, que ex huiusmodi consanguinitate et affinitate ipsorum proveniunt, nequaquam obstantibus, matrimonium inter se libere contrahere valeant, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum Avinione VI. Nonas Maii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCXXI.

Ioannes praecentor praeficitur ecclesiae Dunkeldensi in episcopum. Reg. An. III. Com. lib. I. par. 1. fol. 24.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Dunkeldensi, salutem etc. Summi dispositione Rectoris etc. Dudum siquidem bone memorie Dun-

cano Episcopo Dunkeldensi regimini Dunkeldensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, operationis nostre ministerio utilem presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decerdendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia Dunkeldensi, ad dictam Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum eiusdem Duncani, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius Dunkeldensis ecclesie, reservationis et decreti, sicut asseritur, predictorum ignari, te Precentorem ipsius ecclesie, in sacerdotio constitutum, in Dunkeldensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque huiusmodi reservationis et decreti etiam ignarus, eidem electioni prestitisti assensum, et demum pro obtinenda confirmatione electionis eiusdem ad apostolicam sedem accedens, proponi fecisti huiusmodi electionis negotium in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem ipsam, utpote post et contra reservationem et decretum attemptatam predicta, reputantes, prout erat, irritam et inanem, et ad provisionem ipsius Dunkeldensis ecclesie (celerem et felicem), de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Dunkeldensi ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de litteram scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, necnon predictorum te eligentium unanimi voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Dunkeldensi ecclesie de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione xv. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Dunkeldensis, Universis Vassallis ecclesie Dunkeldensis, et David Regi Scotie Illustri.

DCXXII.

Thomas archidiaconus renuntiatur episcopus Laoniensis. Ibidem fol. 25.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Thome Electo Laoniensi, salutem etc. Inter cetera etc. Dudum siquidem bone memorie Thoma Episcopo Laoniensi regimini Laoniensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Thome Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie reservationem et decretum huiusmodi, ut affirmant, ignorantes, te Archidiaconum Laoniensem, in diaconatus ordine constitutum, cum quo alias super defectu natalium, quem pateris de diacono genitus et soluta, ut ad omnes ordines promoveri, et quod unum primo, et deinde quod duo alia beneficia ecclesiastica, etiam si eorum alterum dignitas, vel personatus, aut officium curatum, et in ecclesiis cathedralibus existerent, libere recipere, et licite retinere valeres, fuit auctoritate apostolica dispensatum, concorditer postularunt, licet de facto: tuque reservationis et decreti predictorum, ut asseritur, ignarus postulationi huiusmodi non dissentiens, statum tuum circa hoc divine et apostolice sedis dispositioni committere curavisti, et propter hoc ad dictam sedem personaliter accessisti, et huiusmodi postulationis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur attendentes postulationem predictam [utpote] post et contra reservationem et decretum huiusmodi attemptatam fore, ipsam, prout erat, irritam reputavimus et inanem, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice disponere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa ecclesia longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum fratribus nostris diligentem, demum ad te, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicum virtutum meritis, prout fidedignorum eccepimus testimonio, laudabiliter insignitum, considerata etiam concordi postulatione huiusmodi, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, predicto defectu natalium et quacumque constitutione contraria non obstantibus, super quo quidem defectu natalium tecum auctoritate apostolica dispensamus, prefate ecclesie Laoniensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione vii. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Laoniensis, universis Vassallis ecclesie Laoniensis, Archiepiscopo Casellensi, et Eduardo Regi Anglie Illustri.

DCXXIII.

Dunkeldensi ac Laoniensi episcopis licentia datur ad eorum ecclesias redeundi. Reg. An. III. Tom. X. cod. chart. fol. 471.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Dunkeldensi, salutem etc. Pridem Dunkeldensi ecclesia solatio destituta pastoris, Nos

ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie Dunkeldensi in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrinum tibi fecerimus munus consecrationis apud apostolicam sedem impendi: fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dicte sedis beneplacitis te conformans, et ad predictam Dunkeldensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benevolentie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione III. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno tertio.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Laoniensi, salutem etc. Pridem Laoniensi ecclesia solatio destituta pastoris, Nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie Laoniensi in Episcopum prefecimus etc. ut in proxima superiori usque ad predictam Laoniensem ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter etc. ut supra usque in finem. Datum Avinione III. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCXXIV.

Iudicibus, ut in molestatores prioris conventus beatae Mariae de Instiok Ossoriensis dioec. censuris ecclesiasticis animadvertant, eundemque priorem dignitate sua spoliatum restituant. Reg. Tom. IX. cod. chart. fol. 476.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Waterfordensi et ... Fernensi Episcopis, ac dilecto filio ... Abbati Monasterii de Voto Fernensis diocesis, salutem etc. Gravem dilecti filii Stephani de Kerkyon, prioris prioratus Conventualis beate Marie Virginis et sancti Columbe confessoris de Instiok in Hybernia ordinis sancti Augustini Ossoriensis diocesis, querelam accepimus continentem, quod olim eo prioratum ipsum pacifice tenente et possidente, Robertus Dobine, Thomas Engloud, Henricus Gillis, Willelmus Gillis, Robertus Pflan, Willelmus filius Thome, Iohannes Haumude, Henricus Dobyn, Philippus Prodonie, Galfridus Roche Debyn et Iohannes Arnald[us] laici dicte Ossoriensis diocesis, cum nonnullis eorum in hac parte complicibus, eundem Stephanum et Canonicos dicti prioratus manu armata hostiliter invadentes, eundem Stephanum graviter vulnerare, et unum inhumaniter interficere, et uni alii ex Canonicis supradictis plagis ei impositis oculos eruere, et linguam abscindere ausu sacrilego temere presumpserunt, et nichilominus tam ipsi, quam venerabilis frater noster Ricardus Episcopus Ossoriensis eundem Stephanum prefato prioratus in manibus dicti Episcopi renuntiare compulerunt per vim et metum, qui cadere poterat in constantem, in suarum animarum periculum, et dicti Stephani enorme preiudicium et gravamen, super quo predictus Stephanus apostolice sedis remedium imploravit. Quia igitur ea, que vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis: discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios, si de huiusmodi invasione, vulneratione, interfectione, plagarum impositione, oculorum erutione, et lingue abscissione vobis constiterit, prefatos sacrilegos tandiu appellatione remota excommunicatos publice nuntietis, et faciatis ab aliis nuntiari, et ab omnibus artius evitari, donec super premissis satisfecerint competenter, et cum vestrarum testimonio litterarum ad sedem venerint apostolicam absolvendi. Super aliis vero, si vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, reperitis illa veritate fulciri, prefatum Stephanum ad predictum prioratum et eius possessionem pacificam, amoto exinde quolibet detentore, in eo per dictum Episcopum vel aliam instituto, plene et integre restituatis. Non obstante etc. Contradictores etc. Datum Avinione X. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

.DCXXV.

Alexander praeficitur ecclesiae Aberdonensi in episcopum. Reg. Tom. IX. cod. chartac. fol. 99.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Alexandro Electo Aberdonensi, salutem et apost. benedictionem. Summi dispositione Rectoris etc. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Aberdonensi regimini Aberdonensis ecclesie, eidem Romane ecclesie immediate subiecte, presidente, nos cupientes eidem Aberdonensi ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, operationis nostre ministerio utilem presidere personam, provisionem ipsius Aberdonensis ecclesie, cum vacaret, ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata Aberdonensi ecclesia per obitum eiusdem Iohannis, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius Aberdonensis ecclesie, reservationis et decreti predictorum forsan ignari, te Archidiaconum eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, per viam strutinii in Aberdonensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius eidem electioni prestitisti assensum, et demum ad apostolicam sedem accedens, proponi fecisti huiusmodi electionis negotium coram nobis. Nos igitur electionem ipsam, utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptatam, reputantes irritam et inanem, et ad provisionem ipsius Aberdonensis ecclesie, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potuit, neque potest, reserva-

tione et decreto obsistentibus supradictis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Aberdonensi ecclesie personam utilem, et etiam fructuosam cum fratribus nostri habuimus diligentem, demum ad te, cui de litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providentia, et temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, necnon predictorum te eligentium unanimi voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Aberdonensi ecclesie de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius etc. committendo etc. Dat. Avinione II. Nonas Decembris, P. n. anno III.

In e. m. Capitolo ecclesie Aberdonensis, Clero et populo civitatis et diocesis Aberdonensis, et Carissimo in Christo filio David Regi Scotie.

DCXXVI.

Episcopo Dunkeldensi, ut cum Roberto et Ioanna de Ramosay super matrimonio dispenset. Reg. Tom. X. cod. chartac. fol. 491.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Dunkeldensi, salutem etc. Oblata nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Roberti de Ramosay domicelli, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Iohanne, nate quondam Macolmi de Ramosay militis, domicelle tue et Sancti Andree diocesum peticio continebat, quod ipsi ad sedandum et submovendum rancores et odia, que inter eorum consanguineos et amicos fuerunt exorta, et timentur etiam graviora verisimliter exoriri, desiderant invicem matrimonialiter copulari. Verum quia, sicut eadem petitio subiungebat, iidem Robertus et Iohanna quarto sunt consanguinitatis gradu coniunti, huiusmodi matrimonium contrahere nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: quare pro parte ipsorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui libenter inter cunctos Christi fideles, et presertim generis nobilitate pollentes, pacis commoda procuramus, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum prefatis Roberto et Iohanna, ut impedimento, quod ex consanguinitate huiusmodi provenit, nequaquam obstante, matrimonium inter se libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum Avinione Idibus Decembris Pontificatus nostri anno tertio.

DCXXVII.

Proceribus ecclesiasticis et saecularibus Scotiae, ut magistrum David de Mar procuratorem magistri hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani commendatum habeant. Reg. An. IV. Secret. fol. 62.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Roberto Stywart Senescallo Scotie, Locumtenenti Carissimi in Christo filii nostri David Regi Illustris, salutem etc. Nuper dilecti filii ... Francie et Alvernie Priores hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, locumtenentes dilecti filii ... Magistri dicti hospitalis, nomine magistri et hospitalis predictorum dilectum filium magistrum David de Mar Thesaurarium Moraviensem, Cappellanum nostrum, procuratorem magistri et hospitalis ipsorum fecerunt et constituerunt ad gerendum, tractandum et exequendum negotia hospitalis ipsius in Regno Scotie, prout in constitutionis huiusmodi litteris videbis plenius contineri, dictusque magister David ad huiusmodi procurationis officium exercendum ad partes ipsas ducit se personaliter conferendum. Cum autem nos negotia hospitalis ipsius pro reverentia Dei, cuius servitiis magister idem ac fratres hospitalis eiusdem indesinenter insistunt, dirigi prospere, et expediri feliciter cupiamus: Nobilitatem tuam attente requirimus et rogamus, quatenus eundem magistrum David pro nostra et apostolice sedis reverentia suscipias favorabiliter commendatum, sibique in promovendis et dirigendis utiliter commissis ei negotiis assistas auxiliis et favoribus oportunis. Datum Avinione VI. Idus Maii, Pontificatus nostri anno quarto.

In e. m. Willelmo Episcopo Sancti Andree, Patricio de Dunbar Comiti Marchie, Thome Comiti de Marr, Thome Stywart Comiti de Anegus, Willelmo Domino de Duglas, Thome de Moravia Domino de Bothwile.

DCXXVIII.

Gregorius episcopus ecclesiae Elfinensi in episcopum praeficitur. Reg. Tom. XVII. cod. chart. fol. 217.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Gregorio Episcopo Elfinensi, salutem etc. Dum ad universas etc. Dudum siquidem ad audientiam nostram quorumdam relatione deducto, quod ecclesia Dunensis pastoris erat solatio destituta: Nos cupientes eidem ecclesie de ydoneo providere pastore, et ad te tunc Prepositum ecclesie Aladensis, in presbiteratus ordine constitutum, dirigentes oculos nostre mentis, te de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, predicte Dunensi ecclesie preficimus in Episcopum et pastorem: ac deinde per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrinum apud sedem apostolicam fecimus tibi munus consecrationis impendi. Verum quia postmodum compertum fuit, prefatum Dunensem ecclesiam tempore prefectionis huiusmodi non vacare, nec, prout asserunt, vacat, tu nullius ecclesie Episcopus remansisti. Olim etiam bone memorie Iohanne Epo Elfinensi regimini Elfinensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem Elfinensi ecclesie, cum illam vacare contingeret, per dicte sedis providentiam ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie Elfinensis ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Subsequenter vero dicta Elfinensi ecclesia per ipsius Iohannis Episcopi

obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante: Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem dicte Elfinensis ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice disponere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Elfinensis ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Elfinensi ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam, prout fidedignorum percepimus testimonio, altissimus insignivit, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate Elfinensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate predicta providemus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administrationem ipsius Elfinensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione III. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

In e. m. Capitulo ecclesie Elfinensis, Clero et populo civitatis et diocesis Elfinensis, universis Vassalis ecclesie Elfinensis, Archiepiscopo Tuamensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCXXIX.

Cum archidiacono Sancti Andree collectori in Scotia dispensatur super pluralitate beneficiorum. Reg. An. V. Secret. fol. 94.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Willermo de Grenlaw Archidiacono ecclesie Sancti Andree in Scocia, Magistro in artibus, salutem etc. Litterarum sciencia, vite ac morum honestas, et alia dona virtutum, super quibus apud nos fidedignorum testimonio commendaris, exposcunt, ut te specialis favore gracie prosequamur. Dudum siquidem volentes tibi graciam facere specialem, Archidiaconatum ecclesie Sancti Andree in Scocia, tunc vacantem, apostolica tibi auctoritate contulimus et de illo duximus providendam, volentes inter cetera, quod tu, quam primum vigore huius gracie Archidiaconatum predictum esses pacifice assecutus, Decanatum Glasguensis, quem tunc temporis obtinebas, prout obtines, ac Archidiaconatum Brechinensis ecclesiarum, de quo tunc vacante tibi provisum fuisse dicebas, et cuius possessionem nondum fueras, prout nec es etiam assecutus, si eundem Archidiaconatum ipsius ecclesie Brechinensis assequeris, interim omnino dimittere, alioquin iuri tibi in dicto Archidiaconatu quomodolibet competenti cedere tenereris, prout in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Volentes igitur tibi graciam facere ampliorem, tecum, ut eosdem Archidiaconatum Sancti Andree et Decanatum Glasguensis ecclesiarum predictarum, quos nondum, ut asseris, assecutus es, cum eos fueris assecutus, invicem et una cum canonicatu et prebenda ecclesie Moraviensis, quos obtines, licite retinere valeas, voluntate huiusmodi, et generalis concilio ac aliis constitutionibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum ipsarum contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, auctoritate apostolica dispensamus: proviso, quod Archidiaconatus et Decanatus predicti debitis obsequiis non fraudentur. Nulli ergo etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCXXX.

Lismorensis ecclesia antea sedi Waterfordensi unita in pristinum statum reponitur, eique Thomas in episcopum preficitur. Reg. An. VI. cod. chart. Tom. XVIII. fol. 308.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Lismorensi, salutem etc. Attenta meditatione pensantes etc. Dudum siquidem felicis recordationis Iohannes papa XXII. predecessor noster Lysmorensem et Waterfordensem Cathedrales ecclesias ex certis causis rationabilibus de fratrum suorum consilio, et apostolice potestatis plenitudine auctoritate apostolica invicem univit, ac statuit, ut statu presulum, qui tunc eisdem preerant ecclesiis, sine immutatione aliqua integre remanente, demum quovis ipsorum presulum cedente, seu etiam decedente, sic una foret earumdem ecclesiarum Episcpalis dignitas, quod superstes foret Episcopus utriusque Lysmorensis et Waterfordensis Episcopus nominandus, prout in eiusdem predecessoris nostri super hoc confectis litteris plenius continetur. Postmodum vero bone memorie Nicolao Waterfordensi Epo, qui tempore dicte unionis eidem Waterfordensi ecclesie preerat, vita functo, bone memorie Iohanne Lysmorensi Episcopo, qui etiam Lysmoriensi ecclesie dicte unionis tempore presidebat, superstite remanente, dilecti filii Capitulum ipsius Waterfordensis ecclesie bone memorie Ricardum, pro Waterfordensi Episcopo se gerentem, in Waterfordensem Episcopum elegerunt de facto, ipseque Ricardus a bone mem. Iohanne Casellensi Archiepiscopo, loci Metropolitano, electionem huiusmodi obtinuit de facto auctoritate ordinaria confirmari, sibique ab eodem Archiepiscopo eadem auctoritate munus consecrationis impendi: et deinde ipso Ricardo viam universe carnis ingresso, felicis recordationis Clemens papa VI., immediatus predecessor noster et dicti Iohannis successor, de persona Venerabilis fratris nostri Rogeri, qui pro Episcopo Waterfordensi se gerit, ipsi Waterfordensi ecclesie apostolica auctoritate providit, nulla etiam eidem Clementi facta de unione huiusmodi mentione. Subsequenter vero dicto Clemente, sicut domino placuit, vita functo, Nos ad apicem summi apostolatus assumpti, cupientes eidem Lysmorensi ecclesie, cuius tunc regimini prefatus Iohannes Lysmorensis Episcopus etiam presidebat, cum illam vacare contingeret, per apostolice sedis provisionem utilem et fructuosam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie Lysmorensis ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia Lysmorensi per

obitum ipsius Iohannis Episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie Lysmorensis celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Lismorensis ecclesia longe vacationis deploraret incommoda, paternis et sollicitis studiis intendentes, ac cupientes ipsi ecclesie Lysmorensi talem preesse personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, et in suis manutenere iuribus, et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, eiusdem Lysmorensis ecclesie Canonicum, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout ex fidedignorum testimoniis percepimus, laudabiliter insignitum, pro quo etiam dilecti filii Capitulum ipsius Lysmorensis ecclesie nobis super hoc humiliter supplicarunt, direximus aciem nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua prefate Lysmorensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Lysmorensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: ac deinde per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Ostiensem tibi fecimus apud sedem predictam munus consecrationis impendi etc. Datum Avinione II. Idus Maii, Pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. Capitulo ecclesie Lysmorensis, Clero et populo civitatis et diocesis Lysmorensis, universis Vassallis ecclesie Lismorensis, Archiepiscopo Cassellensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCXXXI.

Pontifex regi Scotiae se eius votis non posse obsecundare in approbandis obligationibus, quas episcopi clerusque saecularis et regularis una cum nobilibus et mercatoribus pro ipsius liberatione ex captivitate regis Anglorum inierant, scribit. Reg. Tom. XIX. cod. chart. fol. 628.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio David Regi Scotorum Illustri, salutem etc. Exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, quod dudum in tractatu et concordia inter Carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Anglie illustrum, qui te captum detinebat, et te pro liberatione tua habito, et ordinato pro parte tua eidem Regi Anglie Centummilia marcharum sterlingorum certis terminis persolvenda promissa, et pro premissis observandis et adimplendis certi obsides dati, et etiam alii dari promissi, cum certis obligationibus, penis et summisionibus extiterunt, et quod Venerabiles fratres nostri universi Episcopi, nec non dilecti filii Abbates, Priores, et alii ecclesiarum et monasteriorum Prelati et Rectores Regni tui, ipsorumque ecclesiarum et monasteriorum Capitula et Conventus se una cum nobilibus et mercatoribus dicti Regni recognoverint, se in premissis principales debitores fore, super hoc etiam interpositis iuramentis, quodque pro parte tua promissum extitit, idque etiam iuramento firmatum, quod infra festum sancti Iohannis Baptiste tunc proxime venturum dicti Episcopi, Prelati et Rectores, Capitula et Conventus se et eorum ecclesias et monasteria supradicta pro premissis obligare possent, licentia necnon confirmatio, approbatio et ratificatio obligationum, iuramentorum, summissionum et aliarum securitatum quarumcumque super hiis per dictos Episcopos, Prelatos, Rectores, Capitula et Conventus factarum a nobis pro eadem parte tua impetrarentur, prout in patentibus litteris inde confectis eiusdem Regis Anglie et tuo sigillis munitis plenius continetur. Quare pro parte tua nobis fuit sepius et instanter, et cum magna diligentia ante festum predictum humiliter supplicatum, ut licentiam concedere, et obligationes et iuramenta huiusmodi confirmare, ratificare et approbare de benignitate apostolica dignaremur. Licet autem, fili Carissime, illa, que excellentie Regie statum prosperum et incrementum respiciunt, intentis desideriis affectemus, quia tamen huiusmodi obligationes, summissiones et iuramenta in Episcoporum, Prelatorum, Rectorum, Capitulorum, Conventuum, ecclesiarum et monasteriorum predictorum manifestum et irreparabile dispendium redundarent, si huiusmodi licentiam (concederemus, eam) non concedimus, prout etiam salva conscientia concedere non possumus, tua serenitas non miretur. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis XI. Kal. Iulii, Pont. nostri anno sexto.

DCXXXII.

Episcopo Brechinensi, ut cum David de Berclay et Elisabet comitissa de Fif super matrimonio dispenset. Reg. Tom. XIX. cod. chart. fol. 628.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Brechinensi, salutem etc. Apostolice sedis circumspecta benignitas etc. Sane peticio pro parte dilecti filii nobilis viri David de Berclay domicelli, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Helizabet, nate dilecti filii nobilis viri Wilhelmi Comitis de Fif, tue diocesis nobis exhibita continebat, quod Wilhelmus et David predicti pro sedandis gravibus discordiis, que propter nonnullas occisiones et vulnera inter ipsos, ac eorum consanguineos et amicos, faciente pacis emulo, hactenus pullularunt, inter se habuerunt tractatum de matrimonio inter eosdem David et Helizabet invicem contrahendo: sed quia iidem David et Helizabet quarto invicem sunt consanguinitatis gradu coniuncti, id efficere nequeunt, dispensatione apostolica super hoc non obtenta: quare pro parte ipsorum David et Helizabet fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur volentes huiusmodi sedandis discordiis occurrere, eorum in hoc parte supplicationibus inclinati fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem David et Helizabet, ut impedimento, quod

ex consanguinitate huiusmodi provenit, non obstante, matrimonium invicem libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno sexto.

DCXXXIII.

Ioanni Ogradae, ut non obstante defectu natalium ad omnes dignitates ecclesiasticas assumi possit. Reg. An. VI. Tom. XIX. cod. chart. fol. 723.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Ograde Clerico Laoniensis diocesis, in iure Civili Bacallario, salutem etc. Apostolice sedis benignitas illos nonnunquam gratiose prosequitur, circa eos iuris mitigando rigorem, quibus litterarum scientia, vite ac morum honestas, et alia virtutum merita laudabiliter suffragantur. Exhibita siquidem nobis pro parte tua petitio continebat, quod olim tecum super defectu natalium, quem pateris de subdiacono genitus et soluta, quod eo non obstante posses ad omnes ordines promoveri, et ecclasiasticum beneficium obtinere, etiam si curam animarum haberet, fuit auctoritate apostolica dispensatum. Nos itaque volentes personam tuam, pro qua nobis Venerabiles fratres nostri Radulphus Archiepiscopus Cassellensis, et Thomas Laoniensis diocesanus loci, et nonnulli alii Episcopi provincie Cassellensis asserentes partes Hibernie, de quibus oriundus existis, carere ut plurimum hominibus litteratis, ac propterea Cathedrales et etiam alias inferiores ecclesias partium earumdem, que ad ipsarum ecclesiarum gubernationem copia indigent peritorum, verisimiliter personarum capacium et habilium passuras defectum, teque litterarum scientia, vite ac morum honestate, et aliis multiplicium virtutum meritis laudabiliter insignitum, premissorum intuitu favoribus prosequi gratiosis, ipsorum Archiepiscopi et Episcoporum, tuisque supplicationibus inclinati, tecum, ut dignitates, etiam si ad illas consueverit quis per electionem assumi, et etiam si Episcopales existant, si te ad illas eligi vel assumi alias canonice contigerit, libere recipere, ac illas successive licite valeas retinere, defectu huiusmodi, ac generalis concilii, et quibuscumque apostolicis et aliis consuetudinibus et statutis, et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus fuerint dignitates, ad quas te eligi vel assumi seu prefici contigerit, contrariis, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, auctoritate predicta de uberioris dono gratie dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xvi. Kal. Augusti, P. n. anno sexto.

DCXXXIV.

Archiepiscopis et episcopis Angliae, ne fratres ordinum Praedicatorum, Minorum, s. Augustini et Carmelitarum in Hibernia in praedicatione verbi Dei etc. impediant. Reg. An. VI. Tom. XIX. cod. chart. fol. 600.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Universis Archiepiscopis et Episcopis in Regno Anglie consistentibus, salutem etc. Gravem dilectorum filiorum ... Predicatorum, Minorum, Heremitarum sancti Augustini et Carmelitarum ordinum fratrum querelam accepimus continentem, quod ipsi tam pretextu quarumdam predicationum in Regno Anglie per nonnullos contra statum dictorum fratrum, illum de facto depravantium et condemnpantium, et non esse in statu salutis falso asserentium, olim factarum, quam questionis, que inter Venerabilem fratrem nostrum Ricardum Archiepum Armachanum ex parte una, et fratres predictos ex altera super nonnullis articulis, per partes ipsas hinc inde propositis coram quibusdam ex Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus ex commissione nostra apud sedem apostolicam, perinde dinoscitur in confessionibus Christi fidelibus audiendis, predicationibus verbi dei et libera sepultura, necnon et elemosinis eis fieri ab eisdem fidelibus consuetis, quam eis facere asserunt mendaciter esse peccatum, contra iusticiam impediuntur, et etiam perturbantur in ipsorum fratrum preiudicium et maximam lesionem. Quare pro ipsorum parte fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur equum et congruum reputantes, quod huiusmodi lite pendente nichil per alterutram partium in ipsarum partium et litis preiudicium debeat innovari, Universitatem vestram monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus fratres ipsos in predictis confessionibus, predicationibus et sepulturis, ac helemosinis non impediatis, nec per vestros subditos impediri etiam permittatis. Per predicta autem non intendimus liti predicte aliquod preiudicium generari, nec ea pendente quicquam, ut premittitur, volumus innovari. Datum Avinione Kalendis Octobris, Pont. nostri anno sexto.

DCXXXV.

Ecclesia Duacensis antea sedi Tuamensi unita in pristinum statum restituitur, eique Nicolaus in episcopum praeficitur. Reg. Tom. XVIII. cod. chart. fol. 151.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Electo Duacensi, salutem etc. Inter sollicitudines varias etc. Dudum siquidem felicis recordationis Iohannes pp. XXII. predecessor noster ex certis causis ecclesiam Duacensem, suffraganeam Tuamensis ecclesie, eidem ecclesie Tuamensi auctoritate apostolica, et de apostolice plenitudine potestatis univit, statuens, ut statu presulis, qui eidem ecclesie Duacensi tunc preerat, sine immutatione aliqua integro remanente, et tandem eo cedente vel decedente, Archiepiscopus Tuamensis, qui esset pro tempore, ipsius ecclesie Duacensis curam et administrationem et gubernationem in temporalibus et spiritualibus susciperet, ac gereret et exerceret sicut proprius presul Duacensis ecclesie supradicte, quod dicta Duacensis ecclesia Cathedralis existeret, et in ea sedes Episcopalis remaneret, dictusque Archiepiscopus in dicta ecclesia ea, que forent Episcopalis iurisdictionis et ordinis exerceret, prout in eiusdem ipsius predecessoris litteris inde confectis plenius continetur. Post-

modum vero bone memorie Iohanne Epo Duacensi, qui eidem Duacensi ecclesie tempore huiusmodi unionis presidebat, extra Romanam Curiam viam universe carnis ingresso, et deinde pro parte Venerabilis fratris nostri Thome Archiepi, ac dilectorum filiorum Capituli Tuamensis proposito in consistorio coram nobis, quod huiusmodi unio eidem Tuamensi ecclesie plus onerosa quam proficua videbatur: Nos ex premissis et nonnullis aliis rationabilibus causis, que ad id nostrum animum induxerunt, volentes, ut hac vice prefata Duacensis ecclesia pastore gaudeat sicut prius, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Decanum eiusdem ecclesie Duacensis, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, et aliis multiplicum virtutum meritis, prout ex fidedignorum testimonio percepimus, insignitum, pro quo etiam Archiepiscopus et Tuamenses predicti, ac dilecti filii ipsius ecclesie Duacensis Capitula nobis super hoc per eorum patentes litteras humiliter supplicarunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Duacensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Duacensis ecclesie tibi committendo etc. Datum Avinione xvi. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. Capitulo ecclesie Duacensis, Clero et populo civitatis et diocesis Duacensis, Thome Archiepiscopo Tuamensi, et Edwardo Regi Anglie.

DCXXXVI.

Regi Scotiae Guillelmus de Grenlau nuntius et collector generalis in Scotia commendatur. Reg. An. VII. Secret. fol. 152.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio David Regi Scotie Illustri, salutem etc. Considerantes attentius magne devotionis affectum, et apostolicorum exhibitionem obsequiorum diutius utiliter nobis notam, que dilectus filius Guillelmus de Grenlaw, Decanus ecclesie Glasguensis, apostolice sedis nuncius, erga Romanam gessit ecclesiam, et gerere non desistit etiam in tue subiectis partibus ditioni, dignum duximus, et rationi consonum arbitramur, ut ipsum sinceris velut bene meritum affectibus contemplantes, eundem et suos salubriter prosequamur. Cum igitur nuncius prelibatus non modica fuerit prosecutus, et existat in partibus memoratis negotia nos et apostolicam sedem concernentia prosequendus: Serenitatem Regiam rogandam duximus et hortandam, quatinus pro nostra et sedis prefate reverentia nuncium antefatum Regie benignitatis affectu prosequens gratiose, ipsum et succollectores ac familiares suos, et Camere prefate negocia incumbenda habeas propensius commendata, tui solii celsitudine condignis favoribus protegendo, sic quod nuncius antedictus regii suffultus presidiis sub tranquillitatis munimine tueatur, nosque devotionem tuam dignis exinde in domino laudibus attollamus. Datum Avinione vii. Idus Novembris, Pont. nostri anno vii.

DCXXXVII.

Comiti de Douglas et senescallo Scotiae idem nuntius apostolicus et collector in Scotia commendatur. Reg. An. VII. Secret. fol. 167.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Willelmo Comiti de Douglas, salutem etc. Protectionis securitatem et manutentionis affectum, quos dilecto filio Willelmo de Grenlaw, Decano ecclesie Glasguensis, apostolice sedis nuntio, in prosecutione iurium Camere apostolice eidem creditorum liberaliter impendisti, in domino commendantes, Nobilitatem tuam rogamus attentius et hortamur, quatinus huiusmodi inchoata ob nostram et apostolice sedis reverentiam feliciter continuans, ad effectum tuis et tuorum presidiis taliter attrahas et perducas, quod ab inde finis accommodius subsequatur, et preter retributionis eterne premium laudis titulum assequaris. Datum Avinione iii. Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. Dilecto filio nobili viro Roberto Senescallo Comiti de Strathern.

DCXXXVIII.

Thomas ecclesiae Candidaecasae in episcopum praeficitur. Reg. An. VIII. cod. chart. Tom. XXII. fol. 35.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Candidecase, salutem etc. Pastoralis officii etc. Dudum siquidem bone memorie Michaele Episcopo Candidecase regimini ecclesie Candidecase presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, operationis nostre ministerio utilem presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Michaelis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa ecclesia prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, Rectorem parrochialis ecclesie de Kyrteum Candidecase diocesis, cui de litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi ecclesie Candidecase de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: et demum tibi per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Ostiensem

facimus apud sedem apostolicam munus consecrationis impendi etc. Datum Avinione II. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno octavo.

In e. m. Capitulo ecclesie Candidecase, Clero et populo civitatis et diocesis Candidecase, Archiepiscopo Eboracensi, et David Regi Scotie Illustri.

DCXXXIX.

Iudicibus, ut in causa praetensae unionis ecclesiae Enagdunensis sedi Tuamensi factae archiepiscopum et capitulum Tuamenses ad curiam Romanam citent. Reg. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 576.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Duacensi, et (dilectis filiis) ... de Sammaria ac .... de Portupatrum Rapotensis et Enagdunensis diocesum Monasteriorum Abbatibus, sal. etc. Nuper pro parte dilectorum filiorum Capituli ecclesie Enagdunensis proposito in consistorio coram nobis, quod dicta ecclesia per obitum bone memorie Thome Epi Enagdunensis, qui apud sedem apostolicam decesserat, vacaverat et vacabat, et quod iidem Capitulum ignorantes provisionem dicte ecclesie fore donationi apostolice reservatam, dilectum filium Dyonisium, Abbatem Monasterii de Buellio ordinis Cisterciensis Elfinensis diocesis, in eorum et dicte ecclesie Episcopum concorditer elegerant, ac humiliter supplicato, ut cum ipsi dubitarent, provisionem huiusmodi fore donationi apostolice ea vice reservatam, electionem ipsam confirmare, vel de persona dicti Dyonisii eidem ecclesie providere dignaremur. Ac tandem per dilectum filium nostrum Iohannem sancti Georgii ad velum aureum diaconum Cardinalem, cui commiseramus, ut negotium ipsum examinare, et deinde relationem nobis facere procuraret, super hiis nobis relatione facta, pro parte Venerabilis fratris nostri Thome Archiepiscopi Thuamensis loci Metropolitani fuit propositum in eodem Consistorio coram nobis, quod ecclesie sue Tuamensi loci Metropolitane dicta ecclesia Enagdunensis canonice unita existebat, et iamdudum fuerat, propter quod ad providendum eidem ecclesie Enagdunensi de persona aliqua non debebat procedi. Nos igitur volentes tam eidem Archiepiscopo et ecclesie Tuamensi super hiis, quam prefate ecclesie Enagdunensi, ne premissorum occasione eius provisio nimium differatur, paterna sollicitudine providere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios eundem Archiepiscopum, necnon dilectos filios Capitulum dicte ecclesie Tuamensis ex parte nostra citare curetis, ut ipsi per se vel procuratores ydoneos ad hoc ab eis specialiter constitutos infra unum annum a tempore citationis huiusmodi computandum, quem eis ad id pro peremptorio termino tenore presentium prefigimus et etiam assignamus, coram nobis vel deputando super hoc per nos comparere, de unione huiusmodi et iure, si quod in dicta ecclesia Enagdunensi se habere pretendunt, docere procurent, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita etc. Non obstantibus etc., aperte precipientes eisdem Archiepiscopo et Capitulo Tuamensi, quod sive infra dictum terminum id fecerint, sive non, in eodem negotio, prout iustum fuerit, procedemus, eorum absentia seu contumacia non obstante. Diem vero citationis huiusmodi et formam, et quidquid super hiis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter nuntiare curetis. Datum Avinione x. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno octavo.

DCXL.

Episcopo Dumblanensi, ut cum Ioanne de Drumondo et Margarita comitissa de Menoteht super matrimonio dispensare possit. Reg. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 508.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Dumblanensi, salutem etc. Exhibite nobis pro parte nobilis viri Iohannis de Drumondo domicelli, et nobilis mulieris Margarete Comitisse de Meneteht tue diocesis petitionis series continebat, quod olim ipsi graves guerras et inimicitias, que inter ipsum Iohannem et ipsius Margarete consanguineos et amicos aliquamdiu vigerunt, instigante humani generis inimico, ex quibus incendia, homicidia et alia multa mala secuta fuerunt, sedare et sopire, ac gravioribus periculis et malis, que exinde verisimiliter evenire timebantur, obviare, et pacis inter ipsos vinculum procurare, dante domino, cupientes, ac scientes se esse quarto consanguinitatis gradu coniunctos, matrimonium in facie ecclesie insimul contraxerunt et prolem exinde procrearunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ex divortio, si fieret inter eos, magna scandala, dissensiones, guerre, inimicitie, homicidia et alia mala quam plurima ipsis et eorum consanguineis et amicis, et quasi toti regno Scocie valde dampnosa verisimiliter imminere possent, pro parte ipsorum nobis extitit humiliter supplicatum, ut eos ab excomunicationis sententia lata a canone, quam occasione huiusmodi incurrerunt, absolvere, eisque super hiis de oportune dispensationis beneficio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui libenter Christi fidelibus salutis et pacis commoda procuramus, huiusmodi scandalis, dissensionibus, guerris, inimicitiis, homicidiis et malis aliis obviare, et ipsorum animarum saluti consulere, quantum cum deo possumus, intendentes, dictorum Iohannis et Margarete supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua specialem in domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, Iohannem et Margaretam predictos ab eadem excommunicationis sententia iuxta formam ecclesie absolvas, eisque iuxta tue discretionis arbitrium ad tempus, de quo tibi videbitur, separatis, ac iniunctis eis sub virtute iuramenti prestandi per eos, quod similia de cetero non committant, nec ea committentibus prebeant consilium, auxilium vel favorem, et quod infra biennium, si per te cum eis super hiis vigore presentium dispensari contigerit, construi faciant, vel de constructis in tua ecclesia Dumblanensi eligant unum altare, et ipsum de bonis propriis dotent de valore decem marcharum argenti

annui et perpetui redditus, ac libris, paramentis, domo et aliis necessariis ad obsequia altaris predicti, et nichilominus duas pauperes mulieres puellas maritent, et earum cuilibet donent pro dote valorem quinque marcharum argenti infra terminum supradictum, et aliis, que de iure fuerint iniungenda, si tibi videatur expediens, quod huiusmodi dispensatio concedatur, super quo tuam conscientiam oneramus, cum Iohanne et Margareta predictis, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, matrimonium invicem libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Volumus autem, quod prefatum altare sive beneficium conferri non possit nisi sacerdoti, qui debeat interesse in dicta ecclesia divinis officiis et horis canonicis, et in dicto altari divinum officium celebrare: cuius quidem altaris sive beneficii ius patronatus ad ipsos nobiles et eorum heredes, visitatio vero ad te et successores tuos episcopos Dumblanenses, qui erunt pro tempore, perpetuo debeant pertinere. Datum Avinione IIII. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno octavo.

DCXLI.

Episcopo Cathayensi, ut post consecrationis munus susceptum ad ecclesiam Cathayensem se conferat. Reg. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 256.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Cathayensi, salutem etc. Pridem Cathayensi ecclesia solatio destituta pastoris, Nos ad personam tuam, claris virtutum titulis insignitam, nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrum nostrum Petrum Episcopum Penestrinum tibi fecerimus munus consecrationis impendi: fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benevolentie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Idus Maii, Pontificatus nostri anno octavo.

DCXLII.

Stephanus decanus ecclesiae Limiricensi in episcopum praeficitur. Reg. Tom. XXII. cod. chart. fol. 59.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Stephano Electo Limericensi, salutem etc. Ad salubrem statum etc. Dudum siquidem bone memorie Stephano Episcopo Limericensi ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam ydoneam ac utilem presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Stephani Episcopi, qui nuper extra Romanam Curiam decessit, vacante, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt voluerunt ac potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, insimul convenerunt, et tandem votis eorum in diversis diversa, duplo, maior videlicet et sanior te tunc Decanum ipsius ecclesie, in utroque iure peritum, in presbiteratus, tunc in subdiaconatus ordine constitutum, ac patientem in etate defectum, utpote in vicesimo nono etatis tue anno existentem, postularunt, reliqua vero partes dicti Capituli huiusmodi reservationis et decreti, ut asseritur, ignare, dilectum filium Henricum dictum Album Canonicum ipsius ecclesie elegerunt in Limiricensem Episcopum, licet de facto: tuque postulationi huiusmodi non consentiens, neque dissentiens, te super hoc beneplacito sedis apostolice commisisti, ac demum reservatione et decreto predictis ad tuam et dicti Henrici deductis notitiam, huiusmodi postulationis et electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nosque venerabili fratri nostro Talayrando Episcopo Albanensi commisimus oraculo vive vocis, ut se de premissis informaret, et que super illis inveniret, nobis postmodum referre curaret. Et tandem per eundem Episcopum nobis super hiis facta relatione plenaria et fideli, Nos postulationem et electionem predictas utpote post et contra reservationem et decretum predicto de facto, ut premittitur, attemptatas, irritas, prout erant, reputavimus et inanes, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, ac cupientes eidem ecclesie talem presidere personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus, et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicum virtutum meritis, prout ex fidedignorum testimonio percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob premissorum tuorum exigentiam meritorum accepta, dicto non obstante defectu, super quo tecum auctoritate apostolica dispensamus, eidem ecclesie Limericensi de dictorum fratrum consilio eadem auctoritate providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiri-

tualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione viii. Idus Novembris, Pontificatus nostri anno octavo.

DCXLIII.

Episcopo Sancti Andreae, ut cum Roberto de Lewngston et Elizabeth de Gordon super matrimonio dispenset. Reg. An. IX. Tom. XXVI. par. 2. cod. chart. fol. 563.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Sancti Andree, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Roberti de Lewngston militis, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Elizabet, relicte quondam Iohannis de Gordon vidue, tue diocesis (petitio) continebat, quod olim inter consanguineos et amicos dictorum Roberti et Elizabeth ad sedandum discordias et inimicitias inter eos vigentes tractatum et ordinatum extitit, quod iidem Robertus et Elizabet invicem matrimonialiter coniungantur: sed quia ipsi sunt quarto affinitatis gradu coniuncti, id facere nequeunt, dispensatione apostolica super hoc non obtenta: Quare nobis humiliter supplicarunt, ut providere eis super hoc de oportuno dispensationis beneficio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui salutem et pacem querimus singulorum, huiusmodi discordiis finem imponere cupientes, ipsorum Roberti et Elizabet in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Roberto et Elizabeth, ut impedimento, quod ex affinitate huiusmodi provenit, non obstante, huiusmodi matrimonium invicem contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum Avinione x. Kal. Marcii, Pont. nostri anno nono.

DCXLIV.

Walterus decanus Aberdonensis preficitur ecclesiae Dumblanensi in episcopum. Reg. An. IX. Tom. XXVI. par. 2. cod. chart. fol. 45.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Waltero Electo Dumblanensi, sal. etc. Pastoralis officii etc. Dudum siquidem bone memorie Willelmo Episcopo Dumblanensi regimini Dumblanensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, operationis nostre ministerio utilem presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Willelmi, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie reservationis et decreti predictorum forsan ignari, te Decanum ecclesie Aberdonensis, in sacerdotio constitutum, in eorum et dicte Dumblanensis ecclesie Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, predictorum etiam reservationis et decreti, sicut asseris, ignarus, etiam de facto consensisti, et demum reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, ad sedem apostolicam personaliter accessisti, dicteque electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem predictam, et omnia inde secuta, utpote post et contra reservationem et decretum predicta, ut premittitur, attemptata, irrita, prout erant, et inania reputantes, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providentia, et temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, nec non dictorum te eligentium voluntate concordi debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Dumblanensi ecclesie de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione xiii. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno nono.

In e. m. Capitulo ecclesie Dumblanensis, Clero et populo civitatis et diocesis Dumblanensis, universis Vassallis ecclesie Dumblanensis, Roberto Comiti de Stratherne, et David Regi Scotie.

DCXLV.

Episcopo Dumblanensi, ut cum Roberto de Stratherne et Margarita comitissa de Menthelt super matrimonio dispenset. Reg. Tom. XXVI. par. 2. cod. chart. fol. 575.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Dumblanensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Roberti, nati dilecti filii nobilis viri Roberti Comitis de Stratherne, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margarite Comitisse de Menthelt tue Dumblanensis diocesis petitio continebat, quod nuper inter parentes eorum pro communi utilitate et tuitione totius Regni Scocie, in quo Civitas et diocesis Dumblanensis consistunt, de matrimonio contrahendo inter Robertum natum et Comitissam predictos habitus est tractatus: sed quia Robertus natus et Comitissa predicta quarto consanguinitatis gradu invicem se contingunt, et insuper quia idem Robertus natus quondam Iohanni de Moravia primo, et quondam Thome Comiti de Marre dicte Comitisse viris quarto consanguinitatis gradu, Iohanni videlicet ex utroque, et Thome Comiti predictis ex uno dumtaxat lateribus attinebat, tractatus huiusmodi adimpleri non potest, dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, nisi tractatus huiusmodi compleatur, de Comitatuum de Stratherne et Memmithet dicte tue diocesis tam in clero, quam in populo omnimoda pe-

ricliatione verisimiliter dubitaretur: fuit nobis pro parte ipsorum Roberti nati et Comitisse humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de oportune dispensationis gratia misericorditer dignaremur. Nos itaque, qui in cunctis fidelium locis quietem et pacem ferventer appetimus, ac malis et periculis, quantum cum deo possumus, precavemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Roberto nato et Comitissa, ut impedimento, quod ex predictis consanguinitate et affinitate provenit, non obstante, matrimonium insimul contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando: proviso, quod Robertus natus et Comitissa predicti infra unum annum a tempore, quo cum eis dispensaveris, computandum, ad honorem dei de bonis suis fundent et construi faciant in civitate seu diocesi Dumblanensi unam Capellam, eamque decenter dotent de annuo redditu duodecim marcharum argenti pro uno perpetuo Capellano ibidem domino servituro. Datum Avinione v. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno nono.

DCXLVI.

Archiepiscopo Cassellensi, ut de statu ecclesiae Cathayensis, an cathedralis unquam fuerit, et episcopos habuerit, se informet et referat. Reg. Tom. XXIX. par. 2. cod. chart. fol. 613.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Georgio Archiepō Cassellensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte Venerabilis fratris nostri Thome Epī Cathayensis petitio continebat, quod licet dudum ecclesie Cathayensi, tunc pastore carenti, de persona ipsius Thome per sedem apostolicam canonice provisum fuisset, tamen Venerabiles fratres nostri Thomas Laoniensis, Stephanus Limericensis, Iohannes Artfertensis et ... Clonensis Episcopi communiter et divisim minus veraciter pretendentes, predictam ecclesiam Cathayensem non Cathedralem, sed parrochialem existere, eundem Thomam Ep. Cathayensem impediverunt et impediunt, quominus ipse Thomas ecclesiam ipsam et eius Episcopatum pacifice regere et gubernare possit, eiusque fructus, redditus et proventus, iurisdictiones et iura invaserunt et occuparunt, et occupata detinuerunt, prout detinent, eundemque Thomam Episcopum Cathayensem super multis criminibus et illicitis, que sibi falso imposuerunt, apud bonos et graves multipliciter diffamarunt, propter que dictus Thomas gravia dampna sustinuit et expensas, in ipsius etiam ecclesie maximam lesionem, super quibus idem Thomas Episcopus Cathayensis ad apostolice sedis remedium duxit humiliter recurrendum. Nos itaque, quia de premissis apud apostolicam sedem nobis plene liquere non potest, cupientes super hiis cum debita maturitate procedere, et dictarum partium, quantum possumus, parcere laboribus et expensis, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis dictis Episcopis et aliis, qui fuerint evocandi, de et super premissis omnibus et singulis, et eorum circumstantiis universis, et presertim si dicta ecclesia Cathayensis Cathedralis existat, et a quanto tempore Cathedralis fuit, et si habuit et habet civitatem et diocesim distinctas, ac si alias Episcopos habuit, et qui fuerunt, et de quibuscumque aliis huiusmodi negotium seu negotia concernentibus quoquomodo summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii diligentius te informes, et quecumque per informationem huiusmodi repereris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes, tuoque sigillo signatas fideliter quantocius intimare procures, ut super hiis procedere consultius valeamus. Testes autem etc. Non obstantibus etc. Datum Avinione viii. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno decimo,

DCXLVII.

Cum Archibaldo de Douglas et Ioanna de Moravia super matrimonio dispensatur. Reg. An. X. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 586.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Archibaldo de Douglas militi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Iohanne de Moravia, relicte quondam Thome de Moravia militis vidue, S. Andree et Glasguensis diocesum, salut. etc. Sedis apostolice prudentia circumspecta etc. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod vos desideratis insimul matrimonialiter copulari: sed quia quarto consanguinitatis et affinitatis gradu invicem attinetis, huiusmodi vestrum desiderium adimplere non potestis, dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut vobis super hoc de oportune dispensationis gratia providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ex certis causis nobis pro parte vestra expositis huiusmodi supplicationibus inclinati, vobiscum, ut impedimento, quod ex dictis consanguinitate et affinitate perveniunt, nequaquam obstantibus, matrimonium invicem libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeatis, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciantes. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Datum Avinione x. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno decimo.

DXLVIII.

Episcopo Ossoriensi licentia datur ad suam ecclesiam redeundi. Reg. An. X. Tom. XXVIII. cod. chart. fol. 481.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Ossoriensi, salutem etc. Pridem Ossoriensi ecclesia pastoris solatio destituta, Nos ad personam tuam, claris virtutum meritis insignitam, nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Raymundum Episcopum

Fenestrinum tibi fecerimus munus consecrationis impendi: fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et sollicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actis latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benevolentie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione v. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno decimo.

DCXLIX.

Willelmus archidiaconus Lechliensis episcopus renuntiatur. Reg. An. X. Tom. XXVIII. cod. chart. fol. 85.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Willelmo Electo Legliniensi, sal. etc. Romani Pontificis etc. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud sedem apostolicam vacantium, et imposterum vacaturarum dispositioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Legliniensi per obitum bo. me. Iohannis Episcopi Legliniensis, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, apud eandem sedem vacante, dilecti filii ... Decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi reservationis et decreti, ut asseritur, ignari, te Archidiaconum eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, in Legliniensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti etiam de facto, et deinde huiusmodi reservatione et decreto ad tuam deductis notitiam, huiusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem predictam et alia inde secuta, utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptata, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem, ac etiam fructuosam habuimus cum fratribus nostris diligentem, demum ad te, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicum virtutum meritis, prout fidedignorum testimonio accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: (quibus omnibus, necnon ipsorum Capituli) te eligentium concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione xviii. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Leghliniensis, Clero et populo civitatis et diocesis Leghliniensis, universis Vassallis ecclesie Leghliniensis, Archiepiscopo Dublinensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCL.

Episcopo Lismorensi, ut cum Colino Cambel et Catharina Loom super matrimonio dispenset. Reg. An. X. Tom. XXVIII. cod. chart. fol. 536.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Lismorensi, salutem etc. Romani Pontificis etc. Sane petitio dilecti filii nobilis viri Colini Cambel domicelli, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Katerine de Loom domicelle tue diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod ipsi ad obviandum malis et periculis, que ex inimicitiis et dissentionibus atrocissimis inter utriusque ipsorum consanguineos, et amicos nobiles et potentes provenerunt, et etiam cotidie proveniunt, et etiam causa reformande pacis et concordie inter ipsos amicos desiderant invicem matrimonialiter copulari: sed quia quarto consanguinitatis gradu ex utroque latere sunt coniuncti, et prefatus Colinus quandam mulierem dicte Katerine etiam consanguinitatis gradu quarto coniunctam actu fornicario carnaliter cognovit, matrimonium nequeunt invicem contrahere, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: quare pro parte ipsorum Colini et Katerine nobis extitit humiliter supplicatum, ut ipsis super hoc de oportune dispensationis gratia providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem et quietem appetimus singulorum, volentes huiusmodi malis et periculis obviare, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis in dño gerimus fiduciam specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, cum dictis Colino et Katerina, ut impedimentis, que ex consanguinitate et affinitate predictis proveniunt, nequaquam obstantibus, matrimonium invicem contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, auctoritate nostra de gratia speciali dispenses, prolem ex huiusmodi matrimonio suscipiendam legitimam nunciando. Datum Avinione xii. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno decimo.

DCLI.

Georgius archiepiscopus Casellensis renuntiatur. Reg. Tom. XXVIII. cod. chart. fol. 182.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Georgio Electo Cassellensi, salutem etc. In supreme dignitatis etc. Dudum siquidem bone memorie Radulpho Archiepiscopo Cassellensi regimini Cassellensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie dispositioni et ordinationi nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et

inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum dicti Radulphi, qui extra Roman. Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum dicte ecclesie, reservationem et decretum huiusmodi forsan ignorantes, te Canonicum ipsius ecclesie, in subdiaconatus ordine constitutum, in Archiepiscopum Cassellensem, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, huiusmodi electioni, illius tibi presentato decreto, consensisti etiam de facto, ac deinde huiusmodi reservatione et decreto ad tuam deductis notitiam, eiusdem electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem ipsam, utpote post et contra reservationem et decretum huiusmodi de facto, ut premittitur, attemptatam, et alia inde secuta, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, ac cupientes eidem ecclesie talem presidere personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, et in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de litterarum scientia, vite ac morum honestate et aliis multiplicium virtutum meritis [quibus] apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus necnon concordi eorumdem Capituli te eligentium voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie Cassellensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione xv. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Cassellensis, Clero et populo civitatis et diocesis Cassellensis, universis Vassallis et Suffraganeis ecclesie Cassellensis, et Edwardo Regi Anglie.

DCLII.

David canonicus ecclesiae Imelacensi in epum praeficitur. Reg. An. X. cod. chart. Tom. XXVIII. fol. 124.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio David Electo Imelacensi, sal. etc. Romani pontificis etc. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Imelacensi regimini Imelacensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie dispositioni et ordinationi nostre duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Iohannis Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, reservationem et decretum predicta forsitan ignorantes, te Canonicum eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, in Imelacensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque electioni huiusmodi de te facte, illius tibi presentato decreto, consensisti etiam de facto, et subsequenter reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, huiusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem predictam et omnia inde secuta, utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptata, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem, ac etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum testimonio accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, nec non ipsorum Capituli te eligentium concordi voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie Imelacensi de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione iii. Nonas Iulii, Pontificatus nostri anno decimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Imelacensis, Clero et populo civitatis et diocesis Imelacensis, universis Vassallis ecclesie Imelacensis, Archiepo Cassellensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

EPISTOLAE URBANI PP. V.

DCLIII.

Alexander archidiaconus episcopus Moraviensis renuntiatur. Reg. An. I. Tom. VI. cod. chart. fol. 23.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Alexandro Electo Moraviensi, salutem etc. Solicite considerationis indagine etc. Nuper siquidem intellecto, quod ecclesia Moraviensis, eidem Romane ecclesie immediate subiecta, per obitum bone memorie Iohannis Episcopi Moraviensis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacabat, Nos cupientes eidem ecclesie Moraviensi per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: et deinde ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice post reservationem et decretum nostra predicta se intromittere potuit, neque potest, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te Archidiaconum eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, decretorum doctorem, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fidedignorum accepimus testimonio, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus dictorum tuorum exigentia meritorum accepta, eidem Moraviensi ecclesie de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione x. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Moraviensis, Clero et populo civitatis et diocesis Moraviensis, universis Vassallis ecclesie Moraviensis, et David Regi Scotie.

DCLIV.

Thomas canonicus ecclesiae Dublinensi in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. I. Tom. VI. cod. chart. fol. 40.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Thome Electo Dublinensi, salutem etc. Summi dispositione etc. Dudum siquidem bone mem. Iohanne Archiepiscopo Dublinensi regimini Dublinensis ecclesie presidente, felicis recordationis Innocentius papa VI. predecessor noster cupiens eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem dicte ecclesie ordinationi et dispositioni sue ea vice specialiter reservavit, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: et deinde prefata ecclesia per ipsius Iohannis Archiepiscopi obitum, qui extra Romanam Curiam, dicto predecessore vivente, diem clausit extremum, vacante, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, reservationem et decretum huiusmodi, ut asseritur, ignorantes, te Canonicum dicte ecclesie, in sacerdotio constitutum, in Dublinensem Archiepiscopum, dicto predecessore sublato de medio, elegerunt, licet de facto, tuque reservationis et decreti predictorum, ut asseritur, etiam inscius electioni predicte, illius tibi presentato decreto, consensisti. Postmodum vero nobis divina disponente clementia ad apicem summi apostolatus assumptis, ac reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, huiusmodi electionis negotium proponi fecisti in Consistorio coram nobis. Nos igitur electionem predictam et omnia inde secuta, irrita, prout erant, et inania reputantes, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter Romanum Pontificem hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum assertione percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, necnon concordi dictorum Capituli te eligentium voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Dublinensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione xiii. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Dublinensis, Clero et populo civitatis et diocesis Dublinensis, universis Vassallis et Suffraganeis ecclesie Dublinensis, et Edwardo Regi Anglie Illustri, quatenus eundem Electum et prefatam Dublinensem ecclesiam sue cure commissam habeas propensius commendatos etc.

DCLV.

Thomas archidiaconus episcopus Fernensis renuntiatur. Reg. An. I. cod. chart. Tom. VI. fol. 36.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Thome Electo Fernensi, sal. etc. Inter sollicitudines varias etc. Dudum siquidem fel. record. Innocentius papa VI. predecessor noster cupiens ecclesie Fernensi, cuius tunc regimini bone memorie Willelmus Episcopus Fernensis presidebat, cum ipsam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam (utilem et) ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni sue ea vice specialiter reservavit, decernens ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Willelmi Episcopi, qui extra Rom. Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, huiusmodi reservationis et decreti ignari, te Archidiaconum eiusdem ecclesie, in diaconatus ordine constitutum, reservationem et decretum prefata similiter ignorantem, adhuc eodem predecessore nostro vivente, in Fernensem Epum concorditer elegerunt, licet de facto: tuque electioni huiusmodi de te facte, illus tibi presentato decreto, consensisti, etiam de facto, et deinde dicto predecessore, per eum dicte ecclesie non proviso, de hac luce subtracto, ac reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, huiusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem predictam utpote post et contra reservationem et decretum prefata de facto, ut premittitur, attemptatam, et alia inde secuta, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter Romanum Pontificem se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Fernensis ecclesia ulterioris vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Fernensi ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te, cui de litterarum scientia, vite ac morum honestate, et aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus necnon dictorum Capituli te eligentium concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie Fernensi de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et in temporalibus plenarie committendo, firma spe fiducia conceptis, quod prefata ecclesia etc. salubria suscipiet incrementa etc. Datum Avinione x. Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Fernensis, Clero et populo civitatis et diocesis Fernensis, universis Vasallis ecclesie Fernensis, Archiepiscopo Dublinensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCLVI.

Episcopo Aberdonensi confirmantur certae decimae a rege Scotiae sibi concessae, inserto regio diplomate. Reg. An. I. Com. fol. 159.

Urbanus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que pro utilitate ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum provide facta sunt, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Alexandri Episcopi Aberdonensis nobis exhibita petitio continebat, quod Carissimus in Christo filius noster David Rex Scotorum Illustris attendens, quod olim clare memorie Alexander Rex Scotorum zelo pie devotionis accensus decimam partem, que secunde decime vulgariter nuncupantur, omnium reddituum et emolumentorum in Vicecomitatibus de Abirden et de Bauff, tam infra quam extra Burgos, videlicet infra duas aquas de Dee et de Spee nuncupatas, Aberdonensis diocesis consistentium, ad ipsum Regem pertinentium, bone memorie Edwardo tunc Episcopo Aberdonensi, et eidem ecclesie Aberdonensi imperpetuum concesserat liberaliter et donaverat, et quod postmodum nonnulli alii Reges Scotorum dicti Alexandri Regis successores concessionem et donationem huiusmodi successive confirmarunt, et exinde pie considerans, huiusmodi decimam partem ad Epum, qui est pro tempore, et ecclesiam Aberdonensem vigore concessionis, donationis et confirmationis huiusmodi pertinere, et tam eundem Alexandrum Epum, quam predecessores suos Episcopos Aberdonenses et Capitulum predictos decimam partem huiusmodi tanto tempore pacifice possedisse et possidere, quod de contrario memoria hominum non existebat, pluries super hiis tam in suo parlamento Regio, quam alibi cum suo consilio deliberatione et tractatu diligenti prehabitis, declaravit decimam partem predictam eidem Alexandro Episcopo eiusque successoribus perpetuo fore debitam, et de ea satisfieri, ipsamque eisdem Episcopo et successoribus persolvi sine contradictione ac difficultate qualibet terminis consuetis districte precepit et mandavit, prout in patentibus ipsius David Regis litteris inde confectis, suoque sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte ipsorum Episcopi, Decani et Capituli fuit nobis humilter supplicatum, ut declarationem huiusmodi per eundem David Regem, ut premittitur, factam cum suppletione defectus, si quis forsan intervenisset in eadem, apostolico roborare munimine dignaremur. Nos igitur qui utilitatem et prosperitatem ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum ferventer appetimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, declarationem et alia predicta per ipsum Regem David, ut premittitur, facta rata et grata habentes, illa ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis forsan intervenerit in premissis. Tenor autem litterarum dictarum talis est.

David dei gratia Rex Scotorum omnibus probis hominibus terre sue salutem. Sciatis, quod tam per exhibitionem et inspectionem quarumdam litterarum

apostolicarum, Adriani videlicet pape IIII., ac litterarum recolende memorie predecessorum nostrorum Alexandri et Alexandri (sic), necnon et domini progenitoris nostri Regum Scotie, quam etiam nonnullarum inquisitionum et declarationum tam temporis eiusdem nostri progenitoris, quam de mandato temporibus nostris factarum, que omnia nobis frequenter exhibuit tam in originalibus, quam in transumptis Venerabilis pater Alexander Episcopus Aberdonensis, habitisque frequenter super illis nonnullis tractatibus tam in parlamento nostro, quam alibi cum nostro consilio, ac quibuscumque declarationibus subsecutis nobis clare et evidenter innotuit, quod Episcopi Aberdonenses predecessores ipsius Episcopi Aberdonensis, qui nunc est, qui pro tempore fuerant, ex pia largitione eorundem predecessorum nostrorum Regum Scotie fuerunt continue in possessione percipiendi, et perceperunt a tempore et per tempus, de cuius contraria memoria hominum non existit, secundas decimas de omnibus et singulis firmis, redditibus et estactis (sic) nobis qualitercumque debitis, sive ad nos quomodolibet pertinentibus infra Vicecomitatus de Abirdon et de Bauff, tam infra Burgos quam extra, et tam de exitibus Curiarum Iust...... Camerarum et Vic......, quam aliarum quarumcumque curiarum nostrarum, prout per dictas evidentias plenius poterit apparere. Quare Iustitiario nostro ex parte Boicali maris Scotie, Vicecomitibus de Abirdon et de Bauff, ac Burgorum Prepositis et eorum Ballivis, necnon et omnibus aliis et singulis, quorum interest vel interesse poterit, districte precipimus et mandamus, quatenus dicto Episcopo Aberdonensi et ipsius successoribus imperpetuum de predictis secundis decimis predictarum firmarum nostrarum, et estactarum dictorum Vicecomitatuum et Burgorum, quas eidem Epo Aberdonensi et suis successoribus pro nobis et nostris heredibus deberi perpetuo declaramus, sine contradictione aut difficultate qualicumque satisfaciant, et ipsas ipsi Episcopo et successoribus suis consuetis terminis sine contradictione qualibet persolvant, quas sibi in corporis suis animis, visis ipsius Episcopi litteris, de recepto faciemus plenius allocari. In cuius rei testimonium has litteras nostras nobis ostendendas, penesque predictum Episcopum perpetuo remansuras sibi fieri fecimus patentes. Apud Perth in pleno consilio nostro ibidem tento, duodecimo die Aprilis, Anni regni nostri tricesimo.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis et suppletionis infringere etc. Datum Avinione v. Nonas Marcii, Pontificatus nostri anno primo.

DCLVII.

Archiepiscopo Dublinensi, ut de administratione hospitalis pauperum iuxta Dubliniam inquirat, eiusque priorem, si culpabilis sit, amoveat, et alium elegi faciat et confirmet. Reg. An. 1. de Curia fol. 31.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Ad ecclesiarum et Monasteriorum omnium, necnon Hospitalium aliorumque priorum locorum, et presertim eorum, que ad Romanam ecclesiam nullo pertinent mediante, statum salubriter dirigendum, iuxta pastoralis officii debitum paternis affectibus intendentes, ad reformationem eorum, que deformata sentimus, partes libenter apostolice sollicitudinis adhibemus. Nuper siquidem ad audientiam nostram pervenit, quod tam dilectus filius Willelmus Prior Hospitalis sancti Iohannis Baptiste iuxta Dubliniam, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, quam predecessores sui predicti Hospitalis Priores, qui fuerunt pro tempore, redditus, terras, vineas, possessiones, iura, iurisdictiones et alia bona mobilia et immobilia dicti Hospitalis sic alienarunt, dilapidarunt, consumpserunt, et eciam distraxerunt hactenus, prout eciam dictus Willelmus adhuc alienare, distrahere, consumare, dilapidare non cessat, quod Hospitale predictum, quod consuevit abolim in redditibus et bonis aliis habundare, et in quo multi fratres, ac donati et mulieres sub regula dicti beati Augustini viventes existere, ac pauperes et infermi sustentari, pupilli et orphani educari consueverint, maximis subiacens detrimentis, quasi ad exterminium est deductum adeo, quod in eo dicte pietatis opera ibidem fieri solita minime fiunt, nec debita hospitalitas observatur, ac fratres, donati et mulieres predicti in eo degentes in suis necessitatibus defectum et indigentiam magnam patiuntur. Cum itaque premissa et alia, que de dicto Willelmo taliter referuntur, si veritate nitantur, limam apostolice correctionis exposcant: Nos nolentes ea, prout eciam non possumus, sub dissimulatione transire, et ad reformacionem dicti Hospitalis, quantum cum deo possumus, intendere, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad Hospitale ipsum personaliter accedens, et habens pre oculis solum deum, auctoritate apostolica hac vice visites, et inquiras ibidem tam in capite, quam in membris super premissis et aliis, quecumque visitationis et inquisitionis officio noveris indigere, et que ibidem reformanda fuerint, studeas reformare, ac ea, que de bonis Hospitalis eiusdem per alienationes huiusmodi, aut alias alienata inveneris illicite vel distracta, ad ius et proprietatem ipsius Hospitalis, non obstantibus quibuscumque litteris ac instrumentis inde confectis, aut penis vel renunciationibus in eis appositis, legitime revocare procures: et insuper si per inquisitionem predictam eundem Willelmum inveneris culpabilem in premissis, ipsum a regimine dicti Hospitalis, prout iustum fuerit, eadem auctoritate amoveas, et alium ad ipsius Hospitalis regimen eligi facias, iuxta morem et consuetudinem ibidem abolim observatam, ac electionem ipsam cum canonice facta fuerit, eadem auctoritate confirmes etc. Datum Avinione Kal. Aprilis, P. n. anno I.

DCLVIII.

Archiepiscopo Dublinensi de novo provisio de se facta confirmatur, non obstante errore datae, qui in priores litteras irrepserat. Reg. An. I. Com. fol. 133.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Thome Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Dudum eo-

clesia Dublinensi per obitum bone memorie Iohannis Archiepiscopi Dublinensis, qui extra Romanam Curiam decessit, vacante, nos de persona tua eidem ecclesie sic vacanti, videlicet XIII. Kal. Aprilis proxime preteriti, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo te dicte ecclesie in Archiepiscopum et pastorem. Cum autem in litteris apostolicis super huiusmodi provisione confectis tam tibi, quam dilectis filiis Capitulo ipsius ecclesie, et nonnullis, ut moris est, directis per inadvertentiam et occupationem Cancellarie nostre scriptum et positum fuerit in earum data, videlicet Marcii, ubi scribi et poni debebat Aprilis: Nos, ne propterea dicte littere valeant impugnari, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod omnes predicte littere, et quecumque inde secuta, perinde a dicta die, videlicet XIII. Kal. Aprilis valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, ac si in singulis eisdem litteris non Marcii, sed Aprilis dictio predicta scripta et posita extitisset, quodque per hoc dicte littere viciose vel suspecte non possint, nec debeant aliquatenus reputari. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione IIII. Idus Marcii, Pontificatus nostri anno primo.

DCLIX.

Thomas ecclesiarum Lismorensis et Waterfordensis invicem unitarum episcopus declaratur. Reg. An. I. Tom. VI. cod. chart. fol. 87.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Lismorensi et Waterfordensi, salutem etc. Decens reputamus etc. Dudum siquidem felicis recordationis Iohannes papa XXII. predecessor noster Lismorensem et Waterfordensem Cathedrales ecclesias ex causis rationabilibus de fratrum suorum consilio, et apostolice potestatis plenitudine apostolica auctoritate invicem univit, ac statuit, ut statu presulum, qui tunc eisdem preerant ecclesiis, sine mutatione aliqua integre remanente, demum quovis ipsorum presulum cedente, seu etiam decedente, sic una foret earumdem ecclesiarum Ep̄alis dignitas, quod superstes foret utriusque ecclesie Lismorensis et Waterfordensis Ep̄us nominandus, et ex tunc ecclesie ipse uno eodem antistite simili, quinymo potius eadem intitulatione usure perpetuis debentur temporibus gubernari, prout in eisdem eiusdem predecessoris super hoc confectis litteris plenius continetur. Postmodum vero bone memorie Nicolao Episcopo Waterfordensi, qui tempore dicte unionis eidem Waterfordensi ecclesie preerat, vita functo, ac bone mem. Iohanne Lismorensi Episcopo, qui etiam tunc Limericensi ecclesie presidebat, superstite remanente, bone memorie Richardus, qui pro Episcopo Waterfordensi se gessit, per dilectos filios Capitulum eiusdem Waterfordensis ecclesie in Waterfordensem Ep̄um electus, et eius electio auctoritate ordinaria confirmata fuit de facto. Et deinde ipso Richardo de hac luce subtracto, felicis recordationis Clemens papa VI. predecessor noster Venerabilem fratrem nostrum Rogerium Landavensem, tunc pro Waterfordensi Ep̄o se gerentem, nulla facta de unione huiusmodi mentione, in Waterfordensem Episcopum prefecit et pastorem. Ac subsequenter dicto Iohanne Ep̄o Lismorensi viam universe carnis ingresso, pie memorie Innocentius papa VI. predecessor noster, de premissis omnibus habita mentione, de persona tua eidem Lismorensi ecclesie duxit auctoritate apostolica providendum, preficiendo te ipsi Lismorensi ecclesie in Ep̄um et pastorem, tibique fecit per bone memorie Petrum Episcopum Ostiensem apud apostolicam sedem munus consecrationis impendi: per hoc tamen nullum voluit unioni predicte preiudicium generari. Ac demum prefatum Rogerium de dicta Waterfordensi ecclesia ad Landavensem ecclesiam tunc vacantem auctoritate transtulit antedicta, ac deinde tu et predicti Waterfordensis et dilecti filii Lismorensis ecclesiarum predictarum Capitula premissa omnia proponi fecistis in consistorio coram Innocentio predicto, ei humiliter supplicando, ut unionem predictam de benignitate apostolica debitum faceret sortiri effectum. Postmodum vero dicto predecessore sublato de medio, nos super hiis cum fratribus nostris deliberatione prehabita diligenti, de ipsorum fratrum consilio unionem predictam, electione, confirmatione, provisione, presentationibus et aliis supradictis nequaquam obstantibus, firmam et validam, et in suo robore perpetuo permansuram, teque vigore unionis eiusdem tam Waterfordensem quam Lismorensem Ep̄um fore decernimus et etiam declaramus, curam, administrationem et regimen ipsius Waterfordensis ecclesie cum predicta Lismorensi ecclesia etiam tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes. Datum Avinione XVI. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Waterfordensis, Clero et populo civitatis et diocesis Waterfordensis, universis Vassallis ecclesie Waterfordensis, Archiepiscopo Cassellensi, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCLX.

Eidem episcopo Lismorensi, ut super statu et conditione ecclesiae Cathayensis se informet et referat. Reg. An. I. Com. fol. 185.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Lismorensi, salutem etc. Racioni congruit et convenit honestati, ut ea, que de providentia Romani Pontificis processerunt, suum consequantur effectum. Olim siquidem pro parte Venerabilis fratris nostri Thome Cathayensis Episcopi felicis recordationis Innocentio pape VI. predecessori nostro exposito, quod licet dudum ecclesie Cathayensi tunc pastore carenti de persona dicti Thome per sedem apostolicam canonice provisum fuisset, tamen venerabiles fratres nostri Thomas Laoniensis, Stephanus Limiricensis et Iohannes Artfertensis Episcopi communiter et divisim minus veraciter pretendentes, dictam ecclesiam Cathayensem non Cathedralem, sed parrochialem existere, eundem Thomam Ep̄um Cathayensem impediverunt et impediebant, quominus ipse ecclesiam ipsam et eius Episcopatum pacifice regere et gubernare posset, eiusque fructus, redditus et proventus, iurisdictiones et iura invaserant et occupaverant, et detinuerant, prout detinebant indebite occu-

pata, eundemque Thomam Episcopum Cathayensem super multis criminibus et illicitis, que sibi falso imposuerant, apud bonos et graves multipliciter diffamaverant, propter quod dictus Thomas gravia dampna sustinuerat et expensas, in ipsius etiam ecclesie maximam lesionem. Idem predecessor, quia sibi de premissis apud dictam sedem plene liquere non poterat, bone memorie Georgio Archiepiscopo Cassellensi suis dedit litteris in mandatis, quatenus vocatis dictis Episcopis, et aliis, qui forent evocandis, de et super premissis omnibus et singulis, et eorum circumstantiis universis, et presertim si dicta ecclesia Cathayensis Cathedralis existeret, et a quanto tempore Cathedralis fuerat, et si habuerat et habeat civitatem et diocesim distinctas, aut si alias Episcopos habuerat, et qui fuerant, et quibuscumque aliis circumstantiis huiusmodi negotium seu negotia concernentibus quoquomodo (se) summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii diligentius informaret, et quecumque per informationem huiusmodi reperiret, per suas litteras seriem dictarum litterarum ipsius predecessoris continentes, suoque sigillo signatas eidem predecessori fideliter quantocius intimare procuraret, prout in ipsius predecessoris litteris continetur. Cum autem postmodum, sicut idem Thomas Episcopus Cathayensis asserit, antequam in huiusmodi negotio processum fuisset, tam predecessor, quam Georgius Archiepiscopus predicti, sicut domino placuit, viam fuerunt universe carnis ingressi: Nos volentes, quod huiusmodi mandatum dicti predecessoris sertiatur effectum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis dictis Episcopis et aliis, qui fuerint evocandi, de et super premissis omnibus et singulis, et eorum circumstantiis universis, et presertim si dicta ecclesia Cathayensis Cathedralis extitit, et quanto tempore Cathedralis fuit, et si habuit, vel habet civitatem et diocesim distinctas, ac si alias Episcopos habuit, et qui fuerint et de quibuscumque aliis negotium seu negotia concernentibus quoquomodo summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii diligentius te informes, et quecumque per informationem huiusmodi repereris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes, tuoque sigillo signatas fideliter quantocius intimare procures, ut super hiis procedere consultius valeamus. Testes autem etc. Non obstantibus etc. Datum Avinione viii. Kal. Iulii, Pont. nostri anno primo.

DCLXI.

Regi Scotorum, ut thesaurarius ecclesiae Moraviensis debitum praeceptoriae hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani in Scotia proventum magistro eiusdem ordinis persolvat, efficiat. Reg. An. I. Secret. fol. 247.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio David Regi Scocie Illustri, salutem etc. Pro parte dilectorum filiorum ... Magistri et Conventus maioris ultramarini Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani nobis fuit expositum cum querela, quod David Demar Thesaurarius ecclesie Moraviensis, qui olim Preceptoriam et bona dicti Hospitalis consistentia in Regno tuo Scotie pro centum marchis sterlingorum annuatim ipsis Magistro et Conventui, vel eorum procuratori in Romana Curia persolvendis recepit ad firmam dictam Preceptoriam, et bona tenens et possidens, et fructus percipiens ex eisdem, dictam quantitatem iam septem annis elapsis eisdem Magistro et Conventui, seu eorum procuratori solvere non curavit, propter quod sententia excommunicationis innodatus existit, et excommunicatus in dicta Curia fuit publice nunciatus, ac penas alias etiam noscitur incurrisse, dictique Magister et Conventus, se ipsos et sua pro defensione catholice fidei et impugnatione Infidelium Orientalium partium exponentes, magnum dispendium patiuntur. Nos igitur intendentes, prout iustum est, quod dictis Magistro et Conventui per eundem David de pecunia huiusmodi, in cuius solutione se reddidit nimium negligentem, penitus satisfiat, sibi per alias nostras litteras districte precipiendo mandamus, quod pecuniam ipsam persone seu personis ad hoc per dictos Magistrum et Conventum deputatis solvere ulterius non postponat: alioquin contra eum taliter procedemus, quod merito dolere debebit predictam negligentiam commisisse. Quocirca serenitatem tuam rogamus attente, quatenus provide considerans, quod dictis Magistro et Conventui emolumenta bonorum Hospitalis predicti, ex quibus substentantur, in servicio Salvatoris nostri et prelibate fidei subtrahantur, persistere diu non poterunt, quod absit, in servicio memorato, pro solutione dicte decime per eundem Thesaurarium facienda celeriter, et alias dicto Hospitali super defensione suorum bonorum, que sunt Dei servicio deputata, pro reverentia Dei et nostrorum adiectione precaminum velis favorem Regium liberaliter et efficaciter impertiri. Datum Avinione Nonis Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

DCLXII.

David de Mar thesaurario ecclesiae Moraviensis super eodem argumento. Reg. An. I. Secret. fol. 247.

Urbanus episcopus etc. David Demar Thesaurario ecclesie Moraviensis, spiritum consilii sanioris. Pro parte dilectorum filiorum ... Magistri et Conventus maioris ultramarini Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani nobis fuit expositum cum querela, quod tu, qui olim Preceptoriam et bona dicti Hospitalis consistentia in Regno Scotie pro certis marchis sterlingorum annuatis ipsis Magistro et Conventui, seu eorum procuratori in Romana Curia persolvendis recepisti ad firmam, dictam Preceptoriam et bona tenens et possidens, ac fructus percipiens ex eisdem, dictam quantitatem iam septem annis elapsis vel circa solvere non curasti, propter quod sententia excommunicationis innodatus existis, et excommunicatus in dicta Curia fuisti publice nunciatus, et penas alias etiam incurristi, dictique Magister et Conventus, se ipsos et sua pro defensione catholice fidei et impugnatione Infidelium Orientalium partium exponentes, magnum dispendium patiuntur. Nos igitur intendentes, prout iustum est, quod per te dictis Magistro et Conventui de pecunia huiusmodi, in cu-

ius solutione te reddidisti nimium negligentem, penitus satisfiat, tibi districte precipiendo mandamus, quatenus pecuniam ipsam persone seu personis, ad hoc per dictos Magistrum et Conventum deputatis, solvere ulterius non postponas: alioquin contra te taliter procedemus, quod merito dolere debebis predictam negligentiam commisisse. Datum Avinione Nonis Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

DCLXIII.

Richardus monasterio de Albotractu Corkagensis diocesis in abbatem preficitur. Reg. An. I. Tom. VI. cod. chart. fol. 115.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Ricardo Abbati Monasterii de Albotractu Cisterciensis ordinis Corkagensis diocesis, salutem etc. Circa statum ecclesiarum et Monasteriorum omnium considerationis intuitum etc. Dudum siquidem quondam Thoma Abbate Monasterii de Albocrattu Cisterciensis ordinis Corkagensis diocesis regimini eiusdem monasterii presidente, Nos cupientes ipsi monasterio, cum illud vacare contingeret, utilem et ydoneam per apostolice sedis providentiam preesse personam, provisionem dicti monasterii dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefato monasterio per obitum dicti Thome Abbatis, qui in partibus illis diem clausit extremum, Abbatis regimine destituto, dilecti filii Conventus ipsius monasterii, reservationis et decreti predictorum forsan ignari, te Monachum ipsius monasterii ordinem ipsum expresse professum, in sacerdotio constitutum, in eorum et dicti Monasterii Abbatem, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque huiusmodi reservationis et decreti similiter inscius, eidem electioni, ipsius tibi presentato decreto, licet etiam de facto, consensisti, et deinde reservatione et decreto predictis ad tuam deductis (notitiam), huiusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem huiusmodi, et alia inde secuta, utpote post et contra reservationem et decretum predicta, ut premittitur, attemptata, prout erant, irrita reputantes et inania, et ad provisionem dicti monasterii celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsum monasterium longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite ac morum honestate, aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus necnon dictorum Conventus te eligentium voluntate concordi attenta meditatione pensatis, de persona tua prefato monasterio de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione vi. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Conventui Monasterii de Albotractu, et Abbati Monasterii de Alblanda.

DCLXIV.

Iudicibus, ut moneant, adhibitis etiam censuris ecclesiasticis, monachos de Dunfermelin ord. s. Benedicti S. Andreae dioec., ne a clericis pro pedagio portus regii plus exigant quam a saecularibus. Reg. An. II. Com. fol. 134.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus .. Glasguensi et ... Aberdonensi ac ... Rossensi Episcopis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Cleri Regni Scotie petitio continebat, quod dilecti filii ... Abbas et Conventus monasterii de Dunfermeling ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis in Scotia in quodam portu, in dicta diocesi consistente, qui portus Regius vulgariter nuncupatur, ad ipsos Abbatem et Conventum ex donatione Regia pertinente legitime ex quadam antiqua consuetudine, que dicenda est potius corruptela, a Clericis et ecclesiasticis personis, etiam in pontificali aut aliis dignitatibus contitutis, etiam si nuncii apostolice sedis existant, per dictum portum transeuntibus pro pedagio ratione transitus duplum, vel plus quam a laicis nobilibus extorquere seu exigere non verentur. Quare pro parte dictorum Cleri fuit nobis humiliter supplicatum, ut super hiis, que in preiudicium seu opprobrium Cleri, et perniciosum exemplum cedere dignoscuntur, de oportuno remedio providere dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios predictos Abbatem et Conventum, si est ita, ut ab ipsis Clericis et personis ecclesiasticis apud dictum portum occasione seu pretextu pedagii ratione dicti transitus plus, quam a quibuscumque nobilibus vel servitoribus nobilium per se vel alios directe vel indirecte, publice vel occulte, sub quocumque colore non exigant, neque petant aut recipiant, et ab aliis dictum portum ab eis tenentibus peti, exigi aut recipi non permittant, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellatis, Non obstante si eisdem Abbati et Conventui vel quibuscumque aliis etc. Datum Avinione vii. Idus. Iulii Pontificatus nostri anno secundo.

DCLXV.

Episcopo et capitulo ecclesiae Aberdonensis confirmatur certa donatio eis a rege Scotiae facta, inserto regio diplomate. Reg. de Curia fol. 144.

Urbanus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que ad Dei laudem, gloriam et honorem, ac divini cultus augmentum, et tam vivorum quam defunctorum salutem ecclesiis et aliis piis locis pia dispositione fidelium donantur, ut donationes ipse perpetua stabilitate subsistant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio Venerabilis fratris nostri ... Episcopi Aberdonensis, et dile-

ctorum filiorum Capituli ecclesie Aberdonensis nobis nuper exhibita continebat, quod olim Carissimus in Christo filius noster David Rex Scotie Illustris, pietatis zelo et devotione ductus, totam terram suam parti de Galthull cum pertinenciis suis, infra Vicecomitatum de Bauff consistentem, Aberdonensis diocesis pro augmentatione sustentationis unius Capellani perpetui in dicta Aberdonensi ecclesia, secundum ordinationem Episcopi et Capituli predictorum divina perpetuo celebraturi, donavit et concessit, prout in patentibus litteris inde confectis, ipsius Regis sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictorum Episcopi et Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationi et concessioni huiusmodi robur confirmationis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ipsorum Episcopi et Capituli in hac parte supplicationibus inclinati, donationem et concessionem huiusmodi ratas et gratas habentes, illas auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem dictarum litterarum talis est.

David dei gratia Rex Scotorum, omnibus probis hominibus totius terre sue clericis et laicis, Salutem. Sciatis nos pro salute anime nostre, antecessorum et successorum nostrorum Regum Scotie dedisse, concessisse et hac presenti carta nostra confirmasse deo et beate Marie Virgini de Abirdon, necnon Venerabili patri in Christo Alexandro gratia supradicta nunc Episcopo Aberdonensi, et Capitulo eiusdem ecclesie totam terram nostram parti de Galthull cum pertinenciis infra Vicecomitatum de Bauf tenendam, et habendam eisdem Episcopo et Capitulo in puram et perpetuam elemosinam, in augmentationem sustentationis unius Capellani, ad ordinationem et dispositionem predictorum Episcopi et Capituli perpetuo celebraturi in ecclesia Cathedrali Aberdonensi, pro salute anime nostre, et animarum antecessorum et successorum nostrorum Regum Scotie, ac omnium fidelium defunctorum, adeo libere, quiete plenarie et honorifice cum omnibus libertatibus, commoditatibus et aysiamentis, ac suis iustis pertinenciis universis in omnibus et per omnia, sicut aliqua terra infra Regnum nostrum Scotie in puram et perpetuam elemosinam liberius, quietius, plenius et honorificentius a predecessoribus nostris Regibus Scotie tenetur seu possidetur, salvis tamen nobis et successoribus nostris Regibus Scotie orationum suffragiis devotarum. In cuius rei testimonium presenti carte nostre nostrum sigillum apponi fecimus. Apud Abirdon xiiii. die mensis Septembris, Anno Regni nostri tricesimo tercio. Testibus Venerabilibus in Christo (patribus) Willelmo et Patricio Cancellario nostro Sancti Andree et Brechinensi Episcopis, Iohanne et Willelmo de Dunfermeline et de Abbrothoth Abbatibus, Willelmo de Keth Marescallo nostro, Roberto de Erskyne, Archebaldo de Dauglas, Iohanne de Hayris et Waltero Maygue militibus, ac multis aliis.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Datum Avinione ii. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

DCLXVI.

Iudicibus, ut causam matrimonii, quae inter Walterum Cusak et Ioannam de Tuyt Midensis dioecesis vertitur, examinent et canonice decidant. Reg. An. II Com. fol. 144.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cluanensi, et dilectis filiis ... Decano et ... Archidiacono ecclesie Cluanensis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Henrici Defferers militis, et dilecte in Christo filie Iohanne de Tuyt mulieris Midensis diocesis petitio continebat, quod cum olim dilectus filius nobilis vir Walterus Cusak domicellus eiusdem diocesis, qui quandam mulierem prefate Iohanne tertio gradu consanguinitatis coniunctam carnaliter cognoverat, post huiusmodi carnalem cognitionem cum eadem Iohanna de facto matrimonium contraxisset per verba de presenti, predicta Iohanna de hoc certificata, eundem Walterum super hoc petendo ferri sententiam divorcii inter eos, sibique dari licentiam cum alio viro matrimonium contrahendi coram Thoma Pers in Civitate Midensi commorante, cui Venerabilis frater noster Episcopus Midensis causam huiusmodi non ex delegatione apostolica audiendam commiserat, et fine debito terminandam, huius commissionis vigore traxit in causam. Idemque Thomas, cognitis huiusmodi cause meritis et iuris ordine observato, pro dicta Iohanna diffinitivam sententiam promulgavit: et licet ab huiusmodi sententia per dictum Walterum appellatum non fuisset, prefatusque Henricus cum eadem Iohanna post multos annos matrimonium contraxisset per verba legitime de presenti, huiusmodi matrimonium in facie ecclesie solempnizatum fuisset, ac ipsi Henricus et Iohanna in matrimonio ipso per nonnulla tempora perstitissent: tamen postmodum prefato Waltero, falso suggerente Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Armachano, loci metropolitano, prefatam Midensem diocesim iure metropolitico visitanti, predictum matrimonium inter ipsum et eandem Iohannam contractum, ut prefertur, fore validum. Idem Archiepiscopus ad falsam suggestionem huiusmodi ex abrupto et de facto, dictisque Henrico et Iohanna non vocatis, sed absentibus non per contumaciam, per suam diffinitivam sententiam ex officio, ut dicebat, pronunciavit, decrevit et declaravit matrimonium inter dictos Walterum et Iohannam contractum fuisse et esse validum, ipsamque compellendam fore, et compelli adherere dicto Waltero et ipsam coniugali affectione tractare: a qua quidem sententia eiusdem Archiepiscopi pro parte dictorum Henrici et Iohanne, quamprimum ad eorum notitiam pervenit, fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter obser-

vari, Non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, qua cavetur etc. Quod si non omnes etc. Datum Avinione II. Idus Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

DCLXVII.

Thomas monasterio s. Thomae mart. prope Dubliniam ord. s. Augustini in abbatem praeficitur. Reg. An. III. Tom. XI. cod. chart. fol. 64.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Thome Abbati Monasterii sancti Thome martiris prope Dubliniam ordinis sancti Augustini, salut. etc. Apostolice sollicitudinis studium etc. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum et Monasteriorum omnium, tunc apud sedem apostolicam vacantium, et vacaturorum imposterum apud eam dispositioni et ordinationi nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero Monasterio sancti Thome martiris prope Dubliniam ord. sancti Augustini per obitum quondam Iohannis Abbatis dicti Monasterii, qui nuper apud sedem predictam diem clausit extremum, apud sedem ipsam vacante, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad ipsius Monasterii provisionem celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne Monasterium predictum longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Monasterio personam utilem ac etiam fructuosam, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, Priorem prioratus sancti Petri Noveville prope Trym dicti ordinis Midensis diocesis, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, litterarum scientia, vite munditia et aliarum multiplicium virtutum merita, prout ex fidedignis testimoniis accepimus, laudabiliter suffragantur, direximus intuitum nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Monasterio, de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius Monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione Idibus Novembris, Pont. nostri anno tertio.

In e. m. Conventui et universis Vassallis Monasterii s. Thome martiris prope Dubliniam ordinis sancti Augustini, Archiepo Dublinensi, ac Edwardo Regi Anglie.

DLXVIII.

Ioanni electo Tuamensi, ut electionem Mauritii Magneill ad abbatiam de Cluantuaigrit ordinis s. Augustini Elfinensis dioecesis, si canonice factam invenerit, confirmet. Reg. An. III. Tom. XI. cod. char. fol. 72.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Tuamensi, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio etc. Olim siquidem Monasterio s. Augustini de Cluantuaigrit Nayanaa ordinis eiusdem sancti Elphinensis diocesis, per obitum quondam Magonii eiusdem Monasterii Prioris per Priorem soliti gubernari, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituto, dilecti filii Conventus eiusdem Monasterii pro celebranda electione futuri pastoris ipsius Monasterii, vocatis omnibus, qui electioni huiusmodi debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, dilectum filium Mauritium Magneill Canonicum eiusdem Monasterii, ordinem ipsum expresse professum, et in sacerdotio constitutum, qui defectum natalium patiebatur de presbitero genitus et soluta, et cum quo, ut huiusmodi non obstante defectu ad omnes sacros ordines promoveri, et beneficium ecclesiasticum curatum obtinere possit, fuerat per sedem apostolicam dispensatum, in Priorem dicti Monasterii humiliter postularunt: idemque Mauritius huiusmodi postulationi non consentiens, nec dissentiens, se gratie sedis apostolice duxit humiliter submittendum, et deinde tam iidem Conventus, quam prefatus Mauritius huiusmodi postulationis negotium exponi fecerunt coram nobis. Nos igitur, cupientes eidem Monasterio de persona ydonea celeriter et utiliter provideri, ac de meritis ipsius Mauritii, pro quo prefati Conventus, asserentes eum virum discretum et litteratum, ac in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, nobis super hoc humiliter supplicantes, certam notitiam non habentes, discretioni tue, de cuius circumspectionis industria in hiis et aliis specialem in dño fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de persona dicti Mauritii, si eum utilem et ydoneum ad ipsius Monasterii regimini, ac ipsam postulationem canonice celebratam esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, eidem Monasterio auctoritate nostra provideas, ipsumque eidem Monasterio preficias in Priorem, curam et administrationem ipsius Monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione II. Nonas Ianuarii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCLXIX.

Electo Tuamensi, ut electionem Donati Macscarrayg in abbatem monasterii s. Augustini Elfinensis dioecesis, si eandem canonice factam reperierit, confirmet. Reg. An. III. Tom. XI. cod. chart. fol. 72.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Tuamensi, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio etc. Olim siquidem Monasterio sancti Augustini de Rosscoman ordinis eiusdem sancti Elphinensis diocesis, per obitum quondam Thome eiusdem Monasterii Prioris per Priorem soliti gubernari, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Conventus dicti Monasterii pro celebranda electione futuri pastoris, vocatis omnibus, qui electioni huiusmodi debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, dilectum filium Donatum Macscarrayg Canonicum eiusdem Monasterii, ordinem ipsum expresse professum, et in sacerdotio constitutum, qui defectum

natalium patiebatur de presbitero religioso genitus et soluta, in Priorem dicti Monasterii per viam compromissi humiliter postularunt: idemque Donatus huiusmodi postulationi non consentiens, neque dissentiens, se gratie sedis apostolice duxit humiliter submittendum, et deinde tam iidem Conventus, quam predictus Donatus huiusmodi postulationis negotium exponi fecerunt coram nobis. Nos igitur cupientes eidem Monasterio de persona ydonea celeriter et utiliter providere, ac de meriti sipsius Donati, pro quo prefati Conventus asserentes eum virum discretum et litteratum, ac in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, nobis super hoc per suas patentes litteras humiliter supplicarunt, certam notitiam non habentes, discretioni tue, (de) cuius circumspectionis industria in hiis et aliis specialem in dño fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de persona dicti Donati, si eum utilem et ydoneum ad ipsius Monasterii regimen, ac ipsam postulationem canonice celebratam esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, eidem Monasterio auctoritate nostra provideas, ipsumque eidem Monasterio preficias in Priorem,, curam et administrationem ipsius Monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, sibique faciendo a suis subditis obedientiam et reverentiam debitas exhiberi. Contradictores auctoritate nostra etc. Datum Avinione Nonis Ianuarii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCLXX.

Thomae electo Cassellensi pallium mittitur. Reg. An. III. Com. fol. 30.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Thome olim Archiepiscopo Tuamensi in Archiepum Cassellensem Electo, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet pontificalis plenitudinis officii, ex parte tua fuisset a nobis per dilectum filium Mauritium Okachil Canonicum Cassellensem, nuntium tuum, cum ea qua decuit instantia postulatum: Nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum, per Venerabiles fratres nostros Lismorensem et Laoniensem Episcopos assignandum, per dictum Mauritium duximus destinandum, ut iidem Episcopi, vel eorum alter tibi illud assignent sub forma, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite solitum recipiant iuramentum. Tu autem illo infra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, discretionem tuam monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iustitiam, dante domino, qui dat premia et munera elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Cassellensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, auctore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Avinione viii. Idus Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCLXXI.

Regi Angliae, ut censum annuum pro regnis suis Angliae et Hiberniae Romanae ecclesiae debitum, ab anno 1333. propter bellorum expensas non amplius solutum, pace tandem instaurata, persolvat. Reg. An. III. Secret. fol. 112.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Edwardo Regi Anglie Illustri, salutem etc. Si discretionem eximiam et benignam patientiam sancte Romane ecclesie matris tue, quas retroactis temporibus, dum implicatus propter bella, que gerebas, expensarum oneribus gravabaris, erga tuam Celsitudinem supportatione materne pietatis adhibuit, te in solutione census mille marcharum sterlingorum, in quo pro tuis Regnis Anglie et Hibernie ipsi teneris ecclesie, quamquam ipsa foret in indigentia constituta multiplici expectando, in libra Regie considerationis appendas: Nos et fratres nostri eiusdem ecclesie Cardinales certa reddimur opinione securi, quod tu, sicut Princeps prudens, iustus et gratus atque magnificus, liberalitatem ipsius ecclesie prudenter agnosces, et debita gratitudine recognosces. Nosti siquidem, fili carissime, quod censum huiusmodi ab anno nativitatis dominice Millesimo trecentesimo trigesimotertio, die septima mensis Iulii, citra prefate ecclesie non solvisti, et quod ipsa ecclesia, sentiens tuam magnitudinem in actibus bellicis involutam, cessationem solutionis eiusdem census cum multa patientia supportavit, expectans tempus, quo ipsum posses commode solvere, ut teneris. Et quia tempus tue tranquillitatis ac prosperitatis advenit, quo per dei gratiam regnas feliciter, et habes habundaciam facultatum, Celsitudinem tuam requirimus et rogamus attente, quatenus ea, in quibus pro dicto censu prefate ecclesie teneris, velis benigne solvere, prout Serenitatem tuam decet, solutionem continuaturus huiusmodi temporibus successuris, quibus auctor pacis et elargitor felicitatis optatam quietem et prosperitatis augmentum Regie dignetur Celsitudini elargiri, super quo et nonnullis urgentibus et magnis necessitatibus, quibus ecclesia predicta presentialiter premitur, eidem Serenitati vive vocis oraculo latius exponendis dilectum filium Iohannem, Abbatem Monasterii s. Bavonis Gandensis ordinis s. Benedicti Tornacensis diocesis, apostolice sedis nuncium, latorem presentium ad tuam presentiam destinamus, cui super hiis velis fidem credulam adhibere. Datum Avinione viii. Idus Iunii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCLXXII.

Archiepiscopo Cassellensi, ut monasterio s. Fimbrarii de Astro ordinis s. Augustini Elfinensis dioec. personam idoneam in abbatem praeficiat. Reg. An. III. Tom. X. cod. chartac. fol. 109.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Cassellensi, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio etc. Dudum siquidem dilecto filio Mauricio Canonico, olim Abbate Monasterii de Antro sancti Fimbrarii ord. s. Augustini Corkagensis diocesis, regimini ipsius Monasterii presidente, Nos cupientes eidem Monasterio, cum vacaret, per apo-

stolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius Monasterii ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum autem postmodum, sicut accepimus, dictum Monasterium ex eo vacavit, et vacare noscitur ad presens, quod dictus Mauricius regimen eiusdem Monasterii, cui tunc preerat, ex certis rationabilibus causis in manibus Venerabilis fratris nostri Geraldi Epi Corkagensis extra Rom. Curiam, de consensu dilectorum filiorum Conventus ipsius Monasterii, sponte cessit, idemque Episcopus cessionem huiusmodi extra eandem Curiam auctoritate ordinaria admisit: Nos volentes eidem Monasterio, de cuius provisione nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, de persona huiusmodi provideri, ac de meritis et ydoneitate personarum Monasterii predicti plenam notitiam non habentes, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si dictum Monasterium per huiusmodi cessionem vacare constiterit, de aliqua persona eiusdem Monasterii, si ad regimen dicti Monasterii utilis et ydenea ibidem reperiatur, alioquin de aliqua persona ydonea dicti ordinis, super quibus tuam conscientiam oneramus, dicto Monasterio hac vice auctoritate nostra provideas, ac personam huiusmodi, de qua huiusmodi Monasterio providebis, ut prefertur, eidem Monasterio preficias in Abbatem, curam et administrationem ipsius Monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus committendo etc. Datum Avinione viii. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

DCLXXIII.

Episcopo Sancti Andreae, ut cum Thoma de Erskin et Maria de Douglas super matrimonio dispenset. Reg. An. IV. Com. fol. 9.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Sancti Andree, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Thome de Erskin domicelli, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Marie de Duglas domicelle tue diocesis petitio continebat, quod ipsi ob maiorem amicitiam inter ipsorum parentes et amicos nutriendam et conservandam, eisdem parentibus et amicis tractantibus et consentientibus, desiderant inter se matrimonialiter copulari: set quia dicti Thomas et Maria quarto consanguinitatis et affinitatis gradu invicem sunt coniuncti, huiusmodi matrimonium contrahere non possunt, dispensatione apostolica super hoc non obtenta: quare pro parte ipsorum Thome et Marie fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis gratia dignaremur. Nos igitur ex certis causis nobis expositis, carissimorum in Christo filiorum nostrorum Caroli Francorum et David Scotorum Regum Illustrium, ac ipsius Thome et Marie supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, et ad id dictorum Thome et Marie parentum et consanguineorum citra tertium gradum, vel maioris partis eorum accedat assensus, dictaque Maria propter hoc rapta non fuerit, cum ipsis Thoma et Maria, ut impedimento, quod ex consanguinitate et affinitate huiusmodi provenit, non obstante, matrimonium invicem libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, auctoritate apostolica dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nuntiando. Datum Avinione iii. Kal. Decembris, Pont. nostri anno quarto.

DCLXXIV.

Dionysius praeficitur monasterio de Buellio Elfinensis dioec. in abbatem. Reg. Tom. XV. cod. chart. fol. 38.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Dionisio Abbati Monasterii de Buellio Cisterciensis ordinis Elfinensis diocesis, sal. etc. Suscepti cura regiminis etc. Nuper siquidem te Abbate Monasterii de Buellio Cisterciensis ordinis Elfinensis diocesis regimini dicti Monasterii presidente, Nos cupientes eidem Monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius Monasterii ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandum, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero predicto Monasterio ex eo vacante, quod tu regimini ipsius Monasterii, cui tunc preeras, in manibus dilecti filii Iohannis de Stratis Monachi Monasterii Clarevallis dicti ordinis Lingonensis diocesis extra Romanam Curiam sponte cessisti, idemque Iohannes habens ad hoc a dilecto filio Iohanne Abbate Clarevallis Patreabbate de Buellio, cum ad Abbatem Clarevallensem pro tempore exisentem Abbatis de Buellio Monasteriorum predictorum cessionis receptio, et admissio tam ex institutis dicti ordinis per sedem apostolicam approbatis, quam etiam de antiqua et approbata ac hactenus pacifice observata consuetudine pertineat, specialem potestatem, cessionem huiusmodi extra eandem Curiam admisit: dilecti filii Conventus dicti Monasterii de Buellio, reservationis et decreti huiusmodi forsan ignari, te Monachum Monasterii domus beate Marie iuxta Dubliniam dicti ordinis, ad quod canonice translatus fueras, in eorum et dicti Monasterii de Buellio Abbatem, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, de tui superiorum licentia electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti, et deinde huiusmodi reservatione et decreto ad tuam deductis notitiam, eiusdem electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem ipsam, utpote post et contra reservationem et decretum huiusmodi de facto, ut premittitur, attemptatam, et alia inde secuta, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem eiusdem Mo-

nasterii de Buellio celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dictum Monaterium de Buellio longe vacationis expeneretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite munditia, et aliis multiplicium virtutum tuarum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus, ac etiam concordi dictorum Conventus te eligentium voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua eidem Monasterio de Buellio de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione v. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno quinto.

In e. m. Conventui Monasterii de Buellio Cisterciensis ordinis Elfinensis diocesis.

DCLXXV.

Walterus canonicus praeficitur ecclesiae Glasguensi in episcopum. Reg. Tom. XV. cod. chart. fol. 94.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Waltero Electo Glasguensi, sal. etc. Apostolice sollicitudinis etc. Dudum siquidem bone memorie Willelmo Episcopo Glasguensi regimini Glasguensis ecclesie, eidem Romane ecclesie immediate subiecte, presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie dispositioni et ordinationi nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Willelmi Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, reservationis et decreti huiusmodi forsan ignari, te Canonicum dicte ecclesie, Magistrum in Theologia, in sacerdotio constitutum, in Episcopum Glasguensem, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, electioni huiusmodi de te facte, illius tibi presentato decreto, consensisti etiam de facto, et demum reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, huiusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem huiusmodi, utpote post et contra reservationem et decretum huiusmodi de facto, ut premittitur, attemptatam, et alia inde secuta, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam, que sciret, vallet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus, ac etiam adaugere, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum, ad te, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis virtutum meritis, prout ex fidedignorum assertione percepimus, multipliciter insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, ac etiam dictorum Capituli te eligentium concordi voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie Glasguensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione xviii. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno quinto.

In e. m. Capitulo ecclesie Glasguensis, Clero et populo civitatis et diocesis Glasguensis, universis Vassallis ecclesie Glasguensis, et Carissimo in Christo filio David Regi Scotie Illustri.

DCLXXVI.

Episcopo Sodorensi, ut priori provinciali fratrum Minorum in Hibernia licentiam concedat conventum Minorum in parochia s. Columbae in insula Moraviae fundandi. Reg. Tom. XIX. cod. chart. fol. 365.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Sodorensi, salutem etc. Intenta salutis operibus etc. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Prioris provincialis et fratrum ordinis Minorum provincie Ybernie secundum morem dicti ordinis, ac dilecti filii nobilis viri Guillelmi de Monteacuto Comitis Saresbiriensis petitio continebat, quod in diocesi Sodorensi nullus locus dicti ordinis Minorum fore dinoscitur, quodque idem Comes de salute propria cogitans, et cupiens terrena in celestia, et transitoria in eterna felici commercio commutare, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac pro sue et aliorum Christifidelium animarum salute unum locum ad opus et usum dictorum fratrum in parrochia sancte Columbe in Insula Mannie dicte diocesis, cuius idem Comes dominus existit, consistente assignare proponit. Quare pro parte dictorum Prioris et fratrum ac conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsis Priori et fratribus recipiendi locum huiusmodi, et in eo construendi seu edificandi ecclesiam seu oratorium cum campanile, campana, cimiterio, domibus et aliis necessariis officinis licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eisdem Priori et fratribus recipiendi locum huiusmodi, si sit congruus et honestus, et ibidem edificandi, seu construendi ecclesiam seu oratorium cum campanile, campana, cimiterio, domibus et aliis necessariis officinis predictis, dummodo duodecim fratres dicti ordinis in loco ipso degentes pro tempore ibidem congrue et honeste sustentari valeant, iure tamen parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, constitutione felicis record. Bonifacii

pape VIII. predecessoris nostri prohibente, ne religiosi ordinum Mendicantium loca de novo recipiant absque licentia sedis apostolice speciali, faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, nequaquam obstante, auctoritate apostolica licentiam largimur. Datum Rome apud S. Petrum VII. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno sexto.

DCLXXVII.

Archidiacono Manniae, ut causam, quae inter vicarium parochialis ecclesiae s. Lupi in Mannia et monachos de Russyn ordinis Cisterciensis Sodorensis dioecesis de congrua portione vertitur, examinet et decidat. Reg. An. VII. Tom. XX. cod. char. fol. 432.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Archidiacono Mannie in ecclesia Sodorensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Iohannis Hugonis perpetui Vicarii parrochialis ecclesie sancti Lupi in Mannia Sodorensis diocesis petitio continebat, quod fructus dicte ecclesie, quam dilecti filii Abbas et Conventus monasterii de Russyn Cisterciensis ordinis dicte diocesis in proprios usus detinent, quadraginta librarum sterlingorum et ultra secundum communem extimationem valent, et valere consueverunt annuatim, et quod porcio pro perpetuo Vicario dicte ecclesie assignata sex marchas dicte monete annuatim non excedit, quodque dudum, dum dicta porcio extitit primitus assignata, Vicarius dicte ecclesie, qui tunc erat, pro sex marchis dicte monete melius vivere poterat, quam dictus Iohannes Vicarius nunc possit pro viginti. Quare pro parte dicti Vicarii nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum cura dicte ecclesie propter novos habitatores inter eius parrochiam venientes quamplurimum creverit, dictusque Vicarius ex porcione predicta non possit congrue sustentari, et ei incumbentia onera supportare, et propterea eidem ecclesie non possit, sicut deberet, in divinis servire, ac parrocchianis ipsius ecclesie sacramenta ecclesiastica ministrare, ac Abbas et Conventus predicti, licet super hoc per dictum Vicarium fuerint requisiti, porcionem huiusmodi augumentare recusent, Venerabilisque frater noster Episcopus Sodorensis, ad quem Vicarius predictus super hiis recursum habuit, de hoc se intromittere non curaverit, providere ipsi Vicario super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem etc. Non obstante etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum XI. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCLXXVIII.

Petrus Curiath ecclesiae Limiricensi in episcopum praeficitur. Reg. An. VII. Tom. XX. cod. chart. fol. 145.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Petro Curiath Electo Limericensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Sane ecclesia Limericensi ex eo pastoris solatio destituta, quod nos hodie Venerabilem fratrem nostrum Stephanum Midensem, tunc Limericensem Episcopum, licet absentem a vinculo, quo ipsi Limericensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, eundem Stephanum Episcopum ad ecclesiam Midensem tunc vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, preficiendo eum eidem Midensi ecclesie in Episcopum et pastorem: Nos ad provisionem ipsius ecclesie Limericensis celerem et felicem, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Limericensi ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad te Canonicum Fernensem, in Theologia Licentiatum, in presbiteratus ordine constitutum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Limericensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Limericensis ecclesie tibi in spiritualibus et in temporalibus plenarie committendo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum XI. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Limericensis, Clero et Populo Civitatis et diocesis Limericensis, universis Vassallis ecclesie Limericensis, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCLXXIX.

Richardus prior ecclesiae Dunensi in e͞pum praeficitur. Reg. Tom. XXI. cod. chart. fol. 148.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Ricardo Electo Dunensi, salutem etc. Romani Pontificis etc. Dudum siquidem bone memorie Willelmo Episcopo Dunensi regimini Dunensis ecclesie ordinis sancti Benedicti presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Willelmi Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari, te Priorem claustralem eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, in Episcopum Dunensem, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti etiam de facto. Nos igitur electionem hu-

iusmodi, utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptatam, prout erat, reputantes irritam et inanem, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite munditia, aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos perhibentur fidedigna testimonia, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, necnon dictorum Capituli eiusdem ecclesie te eligentium concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua eidem Dunensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum XI. Kal. Marcii, Pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Dunensis, Clero et Populo civitatis et diocesis Dunensis, universis Vassallis ecclesie Dunensis, Archiepiscopo Armachano, et Edwardo Regi Anglie.

DCLXXX.

Stephanus de Limiricensi ad Midensem ecclesiam transfertur. Reg. Tom. XX. cod. chart. fol. 151.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Episcopo Midensi, salutem etc. Quam sit onusta dispendiis etc. Dudum siquidem bone memorie Nicolao Episcopo Midensi regimini Midensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem dicte ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice specialiter reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Nicolai Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus, ac etiam adaugere, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, Episcopum Limericensem, consideratis grandium virtutum meritis, et muneribus gratiarum, quibus personam tuam Altissimus insignivit, et quod Limericensi ecclesie hactenus laudabiliter prefuisti, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam eidem Midensi ecclesie, quam eius gregi dominico salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris eidem ecclesie Limiricensi, cui tunc preeras, de predictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam Midensem ecclesiam auctoritate apostolica transferimus, teque dicte Midensi ecclesie preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Midensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum XI. Kalendas Marcii, Pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Midensis, Clero et Populo civitatis et diocesis Midensis, universis Vassallis ecclesie Midensis, Archiepiscopo Armachano, et Edwardo Regi Anglie Illustri.

DCLXXXI.

Malcolmus canonicus Cathanensis episcopus renuntiatur. Reg. An. VII. Tom. XXI. cod. chart. fol. 151.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Malcolmo Electo Cathanensi, salutem etc. Inter cetera etc. Dudum siquidem bone memorie Thoma Episcopo Cathanensi regimini ecclesie Cathanensis, ad eandem Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Thome Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi reservationi et decreti, ut asserunt, ignari, te eiusdem ecclesie Canonicum, in sacerdotio constitutum in Episcopum Cathanensem, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, licet de facto, consensisti, et deinde reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, huiusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem predictam, utpote post et contra reservationem et decretum predicta, ut premittitur, attemptatam, et quecumque inde secuta, irrita, prout erant, et inania reputantes, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, et aliis multi-

plicium virtutum meritis apud nos fidedigno testimonio commendatum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, necnon dictorum Capituli te eligentium concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum viii. Kal. Marcii, Pontificatus nostri anno septimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Cathanensi, populo civitatis et diocesis Cathanensis, et Davidi Regi Scocie Illustri.

DCLXXXII.

Archiepiscopo Armachano, ut prioribus de Parva Malvervia Wigorniensis et prioratui s. Birgitae Dublinensis dioecesum bona violenter ablata restitui curet. Reg An. VII. Tom. XX. cod. chart. fol. 445.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Armachano, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Prioris et Conventus Prioratus de Parva Malvervia ordinis sancti Benedicti Wigorniensis diocesis petitio continebat, quod Prioratus sancte Brigide in Ibernia dicti ordinis Dublinensis diocesis, qui a prefato Prioratu de Parva Malvervia dependet, propter guerras, et varias alienationes et distractionem possessionum, maneriorum, et aliorum bonorum ipsius Prioratus sancte Brigide graviter est collapsus, nonnullique etiam bona dicti Prioratus Parve Malvervie occupare indebite non verentur: quare pro parte dictorum Prioris et Conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere (eis) super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ea, que de bonis ipsorum Prioratuum inveneris alienata illicite vel distracta, ad ius et proprietatem eorumdem Prioratuum legitime revocare procures. Contradictores etc. Testes autem etc. Non obstante etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum xvii. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo.

DCLXXXIII.

Conventui de Cambuskyneth ord. s. Augustini Sancti Andreae dioecesis quaedam donatio ipsi a rege Scotiae facta, inserto regio diplomate, confirmatur. Reg. An. VII. Tom. XX. cod. chart. fol. 536.

Urbanus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que pietatem sapiunt, ac utilitatem ecclesiasticarum personarum, presertim religiosarum vacantium studio pie vite conspiciunt, ut illibata permaneant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum ... Abbatis et Conventus Monasterii Cambuskenet ordinis sancti Augustini sancti Andree diocesis petitio continebat, quod dudum Carissimus in Christo filius noster David Rex Scotie Illustris de propria salute cogitans, ac cupiens illi aliquid dare de suis, qui sibi contulit universa, pro sue ac Carissime in Christo filie nostre Margarite Regine Scotie Illustris sue uxoris, necnon progenitorum, heredum et successorum suorum animarum salute ipsis Abbati et Conventui, et ipsius Monasterii ecclesie, que sub vocabulo beate Marie constructa est, annuum redditum decem librarum argenti, eidem Regi de terris De la Plane infra Vicecomitatum de Striveline dicte diocesis debitum, dedit et etiam concessit, prout in autenticis litteris inde confectis, dicti Regis sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictorum Abbatis et Conventus fuit nobis humiliter supplicatum, ut premissis robur confirmationis adicere, ac omnem defectum, si quis forsan in eis intervenerit, supplere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, donationem et concessionem huiusmodi, et alia inde secuta, rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis intervenerit in eisdem. Tenor autem dictarum litterarum talis est.

David dei gratia Rex Scotorum, omnibus probis hominibus totius terre sue clericis et laycis, Salutem. Sciatis nos divine pietatis intuitu, ac pro salute anime nostre, et anime Margarete Regine Scotie socie nostre, et animarum progenitorum, heredum et successorum nostrorum dedisse, concessisse, et hac presenti carta nostra confirmasse deo et ecclesie sancte Marie de Cambuskyneth, et Canonicis ibidem deo servientibus, et in perpetuum servituris, annuum redditum nostrum decem librarum argenti, nobis de terris De la Plane infra Vicecomitatum de Strevelyne annuatim debitarum, tenendum et habendum dictis religiosis et eorum successoribus de nobis, heredibus et successoribus nostris Regibus Scotie, qui pro tempore fuerint, in liberam, puram et perpetuam elemosinam libere, quiete, plenarie, integre et honorifice, sine contradictione seu diminutione quacumque, ex quacumque causa vel casu proveniente, ad cuiuscumque vel quorumcumque manus dicte terre De la Plane infra Vicecomitatum de Strevelyne, ut premittitur, integre vel particulariter deveniant imposterum. Volumus itaque, et pro nobis, heredibus et successoribus nostris perpetuo concedimus, quod predicti Conventus et successores supradictis decem libris argenti pacifice gaudeant, annuatim habeant, et integre in perpetuum possideant, et si contingat, quod absit, quod dñi seu tenentes dictarum terrarum De la Plane dictas decem libras argenti ultra terminos usuales detinuerint, dictis religiosis tempore debito solvere recusantes, mandamus firmiter et precipimus Vicegerenti nostro et Ballivis suis de Strevelyne, qui pro tempore fuerint, quod dictos dominos seu tenentes earumdem terrarum, et omnia bona sua mobilia et immobilia ubicumque inventa, quanto strictius poterunt, compellant et distringant, quod prefatis Religiosis, ut premissum est, de termino in terminum integre per-

solvant, et plene satisfaciant super nostram plenam forisfacturam (sic). In cuius rei testimonium presenti carte nostre sigillum nostrum precepimus apponi. Testibus Venerabilibus in Christo patribus Willelmo Episcopo Sancti Andree, et Patricio Episcopo Brechinensi Cancellario nostro, Roberto Senescallo Scotie, Comite de Stratherne, nepote nostro, Willelmo Comite de Douglas, Roberto de Erkyne, David de Grahame, et Waltero de Halyburton militibus. Apud Perth vicesimo quinto die mensis Augusti, Anno Regni nostri tricesimo sexto.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis et constitutionis infringere etc. Datum apud Montemflasconem XVI. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCLXXXIV.

Excerpta ex libro computus decimarum etc. Hugonis Pelegrini et Ioannis de Cabrespino, earundem decimarum etc. in Hibernia sub Clemente VI., Innocentio VI. et Urbano V. collectorum. Ex originali.

E Rationibus domini Hugonis Pelegrini Collectoris Anglie per ipsum Camere apostolice redditis de pecuniis, et aliis quibuscunque rebus per ipsum nomine dicte Camere apostolice receptis, ac etiam solutis, assignatis et expensis, ac eciam de restanciis dicte Camere debitis, videlicet a die prima mensis Augusti anno domini M.CCC.XLIX. usque ad diem primam mensis Iunii anno domini M.CCC.LVIII.

Fol. 1. (22.) Hic est computus Hugonis Pelegrini sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii divina providentia pape sexti, ac sedis apostolice in partibus Anglie, Wallie et Hibernie nuncii deputati, de omnibus et singulis per eum, alium seu alios nomine dicte sedis receptis, liberatis, assignatis et expensis de quibuscumque obventionibus ad ecclesiam Romanam in dictis partibus qualitercumque spectantibus, a prima die Augusti anno domini M.CCC.XLIX. usque primum diem Iunii anno eiusdem domini M.CCC.LVIII.

Fol. 1–16. (22–37.) inclusive de Anglia.

Fol. 17. (38.) Sequuntur recepte beneficiorum, de quibus est scriptum michi Hugoni de Curia tempore predicto, collatis tam per dominos Clementem papam quam Innocentium.

Fol. 17–24. (38–45.) inclusive Angliam solum attingentia.

Fol. 25. (46.) (Collata) per Innocentium.

Hybernia. Dublinensis (dioc.). De Decanatu in ecclesia Dublinensi, de quo per mortem Mathei de Brusele fuit provisum Iohanni Bresan, in parte solutionis 21. libr. Item de decanatu Dublinensi, de quo per resignationem Iohannis Bryan ex causa permutationis fuit provisum Willelmo de Bromeleye, 41. libr. Item de dicto decanatu, de quo fuit provisum Matheo de Bruseley, in parte solutionis 26. libr. 13. sol. 4. den. Item de prebenda alterius portionis de Buse in ecclesia Dublinensi, de qua per resignationem Willelmi de Bromeley ex causa permutacionis fuit provisum Iohanni Bryan, 26. libr. 13. sol. 4. d. Item de Cancellaria Dublinensi, de qua collatio facta Iohanni de Troye fuit eidem confirmata, in parte solutionis 6. libr. 13. sol. 4. den.

Mydensis. De Archidiaconatu Midensi, vacante per resignationem Electi Midensis, 40. libr.

Fol. 26 (47)–28 (44). incl. de Anglia.

Fol. 29 (50). Sequuntur arreragia dimissa per dictum Hugonem debita Camere apostolice in Anglia prima die Iunii anno domini M.CCC.LVIII.

Fol. 49 (64) verso. Dublinensis. De Decanatu ecclesie Dublinensis, de quo fuit provisum Matheo de Ursele, debentur pro resta 14. libr. 6. sol. 8. d. Item de Thesauraria ecclesie s. Patricii Dublinensis, et prebende de Dalimore in eadem, de quibus collatio facta Iohanni Attegate fuit, sibi confirmata VIII. Idus Maii anno Clementis octavo, debentur fructus. Item de decanatu ecclesie Dublinensis, de quo per obitum Mathei de Bruseley fuit provisum Iohanni Bryan, debentur pro resta 20. libr. Item de prebenda de Hunte in ecclesia Dublinensi, de qua per consecrationem Stephani Episcopi Lymiricensis fuit provisum Willelmo de Kelsey VIII. Idus Aprilis anno dñi Innocentii secundo, debentur fructus. Item de Cancellaria ecclesie s. Patricii Dublinensis, de qua collatio facta Iohanni de Troye fuit eidem confirmata IIII. Kalendas Iunii anno supradicto, debentur pro resta 33. libr. 6. sol. 8. den.

Fernensis. De prebenda de Taghmon in ecclesia Fernensi, de qua per obitum Iohannis de Suttone, et ecclesia de Colstonfero, de qua per obitum Thome Michel fuit provisum dño Iohanni Stronde in Episcopum Fernensem Electum, ne in opprobrium Episcopi debeat mendicare, VI. Kal. Augusti pontificatus Clementis anno undecimo, debentur fructus. Item de prebenda de Holon in ecclesia Fernensi, de qua per ingressum religionis, aut mortem vel aliquovis modo Hugonis de Burghe fuit provisum Ricardo Radulphi Idus Augusti anno predicto, debentur fructus. Item de ecclesia de Veteri Rosse, de qua per resignationem Nicholai Isardi ex causa permutationis fuit provisum Iohanni de Wellekyke XVI. Kalendas Augusti anno dñi Innocentii octavo, debentur fructus.

¶ E rationibus Hugonis Pelegrini etc. etc.
1358–1363.

Fol. 1 (86). Hic est computus Hugonis Pelegrini, nuper apostolice sedis in partibus Anglie, Wallie et Hibernie nuncii deputati, de omnibus et singulis per eum seu alios nomine dicte sedis receptis, liberatis, assignatis et expensis de quibuscumque obventionibus ad ecclesiam Romanam in dictis partibus qualitercunque spectantibus, a primo die Iunii anno domini M.CCC.LVIII., quo die de receptis, assignatis et expensis cum Camera computavit, usque ad primum diem mensis Septembris anno domini M.CCC.LXIII.

Fol. 1 (86). Sequitur recepta arreragiorum denarii beati Petri per supradictum Hugonem dimissa primo die Iunii anno domini M.CCC.LVIII., quo die cum Camera apostolica computavit.

Fol. 1 (86)–25 (110). incl. de Anglia.

Fol. 25 (111). Hibernia. De prebenda de Holy in ecclesia Fernensi, taxata 3. libr. 6. sol. 8. den., de qua per ingressum religionis Hugonis de Burghe fuit provisum Richardo Radulphi per Innocentium, Idus Augusti anno sexto, 3. libr. 6. sol. 8. den.

De Thesauraria ecclesie Dublinensis, taxata 20. libr., de qua per resignationem Iohannis Gate fuit provisum Hugoni Tesdale per Innocentium II. Idus Februarii anno septimo, in partem 7. libr. De Cancellaria Dublinensi, taxata 40. libr. ad antiquam taxam, cuius collatio facta Iohanni de Troy fuit eidem confirmata IIII. Kal. Iunii anno secundo, in partem reste de 33. libr. 6. sol. 8. denar. 6. libr. 13. sol. 4. denar.

Fol. 29 (115). Sequuntur arreragia debita Camere apostolice in Anglia, dimissa per supradictum Hugonem I. die Septembris anno domini M.CCC.LXIII.

Fol. 29–50 (115–136) inclusive de Anglia.

Fol. 51–54 (137–140).

Hibernia. Dublinensis. De Decanatu Ecclesie Dublinensis, taxato 41. libr., de quo fuit provisum Matheo de Bryssaleye per Clementem, antequam dictus Hugo esset nuncius, pro resta dimissa 14. libr. 13. sol. 4. den. De Thesauraria ecclesie Dublinensis, et prebenda de Balimo, collatio facta Iohanni de Gate fuit eidem confirmata per Clementem VIII. Idus Maii anno octavo, taxata 20. librar., debentur 20. libr. De decanatu ecclesie Dublinensis, taxato 41. libr., de quo per obitum Mathey de Brysseley fuit provisum Iohanni Bryon, pro resta dimissa 20. libr. De Cancellaria ecclesie Dublinensis, taxata 40. libr., collatio facta Iohanni de Troy fuit eidem confirmata per Innocentium IIII. Kalend. Iunii anno secundo, pro resta dimissa 26. libr. 13. sol. 4. den. De prebenda ecclesie Dublinensis, de qua per consecrationem Iohannis Electi Dublinensis fuit provisum Willelmo Roberti per Clementem IX. Kalendas Ianuarii anno octavo, debentur fructus. De prebenda ecclesie Dublinensis, de qua per consecrationem Epi Lymiricensis fuit provisum Ricardo Drax per Innocentium XVI. Kalendas Maii anno secundo, debentur fructus. De prebenda ecclesie Dublinensis, taxata 23. libr. 6. sol. 8. den., de qua per obitum Willelmi de Kelsey fuit provisum Iohanni de Luddeley per Innocentium IIII. Kal. Maii anno sexto, 13. lib. 6. sol. 8. den.

Carkagensis. De Canonicatu ecclesie Carkagensis, de quo, per provisionem factam Geraldo de Bury ad Episcopatum Carkagensem, fuit provisum Georgio de Ruppe, Canonico Carkagensi, per Innocentium II. Nonas Februarii anno septimo.

Cassellensis. De Archidiaconatu ecclesie Cassellensis collatio auctoritate ordinaria facta Iohanni Careda, fuit eidem confirmata per Innocentium VI. Idus Iunii anno octavo.

Colnensis. De Archidiaconatu Colnensi collatio facta per Epum Rogero de Braybroke, fuit sibi confirmata per Innocentium, Idus Aug. anno septimo.

Waterfordensis. De Decanatu ecclesie Waterfordensis, Ellectio (sic) facta de Waltero Rene ad dictum decanatum fuit eidem confirmata per Innocentium IIII. Kal. Iunii anno nono.

Dublinensis. De Thesauraria ecclesie Dublinensis, taxata 20. librarum ad antiquam taxam, quia novam ignoro, de qua per resignationem Iohannis Lymberdi, procuratoris Iohannis Gate, dicte ecclesie Thesaurarii, fuit provisum Hugoni de Thesdale Eboracensis diocesis per Innocentium II. Idus Februarii anno octavo, pro resta 13. libr.

Duacensis. De Decanatu ecclesie Duacensis, de quo per munus consecrationis impensum Nic. Episcopo Duacensi fuit provisum Iohanni Megillekeaby, qui se obtulit per actum thesaurario eiusdem ecclesie dum decetera per Innocentium II. Nonas Aprilis anno septimo.

Dublinensis. De prebenda de Honthe in ecclesia Dublinensi, taxata 23. libr. 6. sol. 8. denar. collatio facta auctoritate apostolica Waltero Moryn fuit eidem confirmata per Innocentium II. Idus Octobris anno octavo. (Sed in proximo providetur alteri et ibi habet effectum.) De prebenda de Honth in ecclesia Dublinensi, cuius taxa et provisio supra in recepta, secundum antiquam taxam 10. libr. De eadem prebenda, de qua eadem causa fuit provisum Thome Giyk, ideo non habet effectum. De prebenda ecclesie Dubliensis, de qua per obitum Walteri Moryn fuit provisum Ade Pobelyn per Innocentium Kal. Ianuarii anno nono, debentur fructus.

Fernensis. De prebenda de Taghomon in ecclesia Fernensi, de qua per obitum Iohannis de Suttone fuit provisum Iohanni Gate Galteryn per Clementem III. Idus Iulii anno undecimo. De prebenda de Taghomon in ecclesia Fernensi, per obitum Iohannis Suttone, et parochiali ecclesia de Colstonfero dicta per obitum Thome Michel fuit provisum dño I. Estruorde in Epum Fernensem Electum, ne habeat in obprobrium Episcopi mendicare, per Clementem XVII. Kal. Augusti anno undecimo. De ecclesia de Veteri Rosse, de qua ex causa permutationis cum Nicholao Dystoret fuit provisum Iohanni de Welwek per Innocentium XVI. Kalendas Augusti anno secundo. De prebenda de Taghomon in ecclesia Fernensi, de qua per obitum Iohannis Suttone fuit provisum Iohanni Galtryn per Innocentium II. Idus Martii anno sexto. De prebenda de Taghomon in ecclesia Fernensi, in qua et ad omne ius, quod competebat Iohanni Castri, fuit subrogatus Walterus de Dodendale per Innocentium IIII. Idus Septembris anno septimo.

Osoriensis. De prebenda de Wylmodowake in ecclesia Osoriensi, de qua per consecrationem Thome Archiepiscopi Tuamensis fuit provisum Ricardo Radulphy per Clementem II. Idus Augusti anno undecimo. De Decanatu ecclesie Ossoriensis, electio facta de Thoma de Wynctone, fuit eidem confirmata per Innocentium VI. Kalendas Februarii anno secundo, taxa non reperitur in libro, debentur fructus.

Limiricensis. De prebenda ecclesie Lymiricensis, de qua per obitum Thome de Corkebay fuit

provisum Iohanni Gate per Innocentium xi. Kalend. Ianuarii anno secundo. De prebenda de Diserte in ecclesia Lymiricensi, de qua per provisionem factam Stephano de Walle de Archidiaconatu dicte ecclesie fuit provisum David Banconte vi. Idus Maii anno sexto. De Decanatu ecclesie Lymiricensis, de quo per obitum Thome de Workele fuit provisum Stephano de Walle per Innocentium ii. Idus Decembris anno quinto. De Thesauraria ecclesie Lymiricensis, de qua per obitum Ade Hunte fuit provisum Galtero Godheyn per Innocentium vi. Idus Martii anno sexto. De precentoria ecclesie Lymiricensis, de qua eo, quod Adam Craddoke ipsam cum ecclesia de Nouctone per tres annos detinuit, fuit provisum Philippo Brayboroke per Innocentium v. Idus Martii anno sexto. De decanatu Lymiricensi, de quo per munus consecrationis impensum dño Stephano Electo Lymiricensi fuit provisum Henrico Albo sive Wythe canonico dicte ecclesie per Innocentium xviii. Kal. Iunii anno octavo. De decanatu ecclesie Lymiricensis vacante per obitum Henrici Wythe fuit provisum Ade Withe per Innocentium iii. Idus Augusti anno nono. De Cancellaria ecclesie Lymiricensis, de qua per consecrationem domini Stephani Lowele Episcopi Lymiricensis fuit provisum Bartholomeo Dullart per Innocentium xiii. Kal. Ianuar. anno nono.

Dunensis. De Prioratu ecclesie Dunensis, cum vacabit per consecrationem Ricardi Electi Dunensis, fuit mandatum provideri Nicholao Langtone per Innocentium v. Idus Decembris anno primo. Taxa non reperitur in libro taxarum.

Lismorensis. De ecclesia de Dunggryan, de qua, ex causa permutationis cum decanatu rurali de Lynne Norwycensis diocesis cum Iohanne Adam Thebante, fuit provisum Henrico de Wynttryngtone per Innocentium viii. Kalendas Novembris anno octavo. De prebenda Lismorensi, de qua per obitum Iohannis de Balstote fuit provisum Thome Lovestok per Innocentium anno quinto, debentur fructus.

Adhuc de Hibernia. De prebenda de Coleneay in ecclesia Clonensi, de qua ex causa permutationis cum Iohanne de Welwiche fuit provisum Nicholao Disert per Innocentium xvi. Kal. Augusti anno secundo. De prebenda in ecclesia Cassellensi, quam obtinebat Thomas Macormaghtam, fuit provisum Willelmo Vyclete per Innocentium ii. Nonas Novembris anno quinto. De Vicaria perpetua in Thahendefynge Ardakensis diocesis, de qua per obitum Augustini Osyn fuit provisum Thome Margooyde per Innocentium ii. Idus Septembris anno octavo. De prebenda de Diserte in ecclesia Lymiricensi, de qua per obitum Stephani Germone fuit provisum Iohanni de Meradam per Innocentium xi. Kal. Februarii anno decimo. De prebenda de Cullomem in ecclesia Clonfertensi, de qua per obitum Thome Episcopi Lismorensis fuit provisum Ricardo Gate per Innocentium iiii. Nonas Iunii anno sexto. De Prioratu Monasterii sancte Katerine Waterfordensis diocesis, de quo per obitum fratris Philippi Prioris eiusdem et reservationem fuit provisum fratri David, Canonico eiusdem Monasterii, iiii. Nonas Iulii anno sexto per Innocentium. Ellectio facta de Waltero Reno ad decanatum Waterfordensem in Ybernia vacantem per mortem Ade Lok, fuit confirmata per Innocentium iiii. Kal. Iunii anno sexto.

¶ Fol. 145. Infrascripta beneficia extracta sunt de Regestris beneficiorum collatorum in Anglia et Ybernia tam per sancte memorie Clementem papam sextum, quam Innocentium a prima die mensis Augusti anno m.ccc.xlii., quo tempore Hugo Pelegrini in illis partibus nunciationis officium suscepit, usque ad primam diem mensis Septembris anno domini m.ccc.lxiii., quo tempore dictus Hugo prefatum officium dimisit, de quibus in aliquibus rationibus suis nullam fecit penitus mentionem.

Dublinensis. De Canonicatu et prebenda ecclesie Dublinensis, vacantibus per consecrationem domini Iohannis Electi Dublinensis, fuit provisum Willelmo Rotberti ix. Kal. Ianuarii pontificatus dñi Clementis anno supradicto.

(Fol. 146.) Rossensis, Ybernia. Item de Sanctio de Kilwod ad decanatum ecclesie Rossensis quinto Idus Septembris, pontificatus domini Clementis anno nono. Item Iohanni Albroisot de Cancellaria una cum Canonicatu et prebenda ecclesie Rossensis, per assequtionem decanatus ipsius ecclesie factam per Alexandrum quinto Idus Septembris, pontificatus domini Clementis anno nono.

(Fol. 147.) Rossensis Ybernie. Item Iohanni Senescali de subdecanatu ecclesie Rossensis per Clementem ix. Kal. Decembris anno decimo.

Archadensis in Hibernia. De Canonicatu et prebenda Archadensi vacante per obitum Altherii fuit provisum Andree Pantaleonis viii. Kal. Augusti anno primo Innocentii pape sexti.

De Prioratu ecclesie Dunensis, cum vacabit per consecrationem Ricardi Electi Dunensis, fuit provisum Nicholao Langtone v. Idus Decembris anno predicto.

Dublinensis. De Canonicatu et prebenda ecclesie sancti Patricii Dublinensis, vacantibus per consecrationem Episcopi Limericensis, fuit provisum Ricardo de Draxe xvi. Kal. Maii pontificatus Innocentii anno secundo.

(Fol. 144.) Clonensis et Fernensis. De Canonicatu et prebenda de Colenevy in ecclesia Clonensi per resignationem Iohannis de Wellewyl fuit provisum Nicholao Disoardi, et dicto Iohanni fuit provisum de ecclesia de Veteri Rosse Fernensis diocesis xvi. Kal. Augusti anno predicto.

Osoriensis. Electio facta de Thoma de Wantone ad decanatum ecclesie Osoriensis fuit eidem confirmata vi. Kalendas Februarii, pontificatus Innocentii anno tertio.

Fernensis in Ybernia. Provisio facta auctoritate ordinaria de decanatu ecclesie Waterfordensis Nicholao Disaordi fuit confirmata ii. Kal. Iulii pont. eiusdem anno quarto.

Dublinensis. Dispensatum fuit cum Iohanne de Suesham, quod possit canonice retinere canoni-

catum et prebendam de Tamothin in ecclesia sancti Patricii Dublinensis II. Kal. Iulii anno predicto. De Canonicatu et prebenda ecclesie sancti Patricii Dublinensis in Ybernia, vacantibus per obitum Iohannis de Balstote, fuit provisum Ricardo Gate II. Idus Septembris anno predicto.

Lismorensis. In eodem iure, quod competebat, dum vivebat, Egidio Longus in parrochiali ecclesia de Dungarnan, et Capellania eidem annexa Lismorensis diocesis, fuit subrogatus Adam Thebant IX. Kal. Decembris anno predicto.

Cassellensis. De Canonicatu et prebenda Cassellensibus in Ybernia Willelmo Violet II. Nonas Novembris pontificatus Innocentii anno quinto.

(Fol. 156.) Limiricensis. Electio facta per Capitulum ecclesie Limiricensis de Magistro Philippo Lenffaunt, Canonico dicte ecclesie, ad decanatum ipsius ecclesie, vacantem per promotionem et consecrationem Stephani Episcopi Limiricensis, fuit auctoritate apostolica confirmata, et sibi provisum de novo anno decimo Innocentii.

Leghlinensis, Ybernia. Electio facta per Precentorem et Capitulum ecclesie Leghlinensis in Ybernia de Thoma Mastaffy ad decanatum ipsius ecclesie, vacantem per consecrationem Willelmi Episcopi Leghlinensis, fuit auctoritate apostolica confirmata, et sibi provisum de novo Kal. Iunii anno predicto.

Imelacensis, Ybernia. De Archidiaconatu ecclesie Imelacensis, vacante per obitum Henrici Albi in Romana Curia defuncti, fuit provisum Henrico Ricardi Imelacensis diocesis V. Kalendas Iulii anno predicto.

Corkagensis. De Decanatu ecclesie Corkagensis, vacante per consecrationem Georgii Episcopi Cassellensis, fuit provisum Thome Eliote.

¶ Ex libro rationum Iohannis de Cabrespino, doctoris decretorum, canonici Narbonensis, in partibus Anglie et Ybernie apostolice sedis nuncii, de receptis et levatis etc. per eum et expensis, traditis etc. a prima die Septembris 1363. usque ad ultimam diem Martii 1364.

Dublinensis diocesis. De Decanatu ecclesie Dublinensis, taxat. 41. lib., de quo fuit provisum Matheo de Bruseleye per Clementem, antequam dominus Hugo Pelegrini esset collector, pro resta 14. libr. 13. sol. 4. den. De Thesauraria ecclesie Dublinensis et prebenda de Baluno, collatio facta Iohanni de Grace, fuit eidem confirmata per Clementem VIII. Idus Maii anno octavo, pro taxa 20. libr. De Decanatu ecclesie Dublinensis, taxa 41. lib., de quo per obitum Mathei de Buseley fuit provisum Iohanni Brian, pro resta 20. libr. De Cancellaria ecclesie Dublinensis, taxata 40. libr. collatio facta Iohanni de Troy, fuit eidem confirmata per Innocentium IIII. Kal. Iunii anno secundo, pro resta 26. lib. 13. sol. 4. denar. De prebenda ecclesie Dublinensis, de qua per consecrationem dñi Iohannis Electi Dublinensis fuit provisum Willelmo Roberti per Clementem IX. Kal. Ianuarii anno octavo, debentur fructus. De prebenda ecclesie Dublinensis, de qua per consecrationem Epi Lincolnensis fuit provisum Ricardo Draxe per Innocentium XVI. Kal. Maii anno secundo, fructus. De prebenda ecclesie Dublinensis, taxata 23. libr. 6. sol. 8. den., de qua per obitum Willelmi de Kelseye fuit provisum Iohanni de Luddeleye per Innocentium XIII. Kal. Maii anno sexto, pro taxa 23. libr. 6. sol. 8. denar.

Corkagensis. De Decanatu ecclesie Korkagensis, de quo pro provisione facta Geraldo de Buri ad Episcopatum Korkagensem fuit provisum Georgio de Rupe, canonico Corkagensi, per Innocentium II. Nonas Februarii anno octavo.

Cassellensis. De Archidiaconatu ecclesie Cassellensis, collatio auctoritate ordinaria facta Iohanni Carada fuit eidem confirmata per Innocentium VII. Idus Iunii anno septimo.

Clonensis. De Archidiaconatu Clonensi, collatio facta per Episcopum Rogero de Braybroke, fuit sibi confirmata per Innocentium, Idus Augusti anno septimo.

Waterfordensis. De Decanatu ecclesie Waterfordensis, electio facta de Waltero Reve ad dictum decanatum, fuit eidem confirmata per Innocentium IIII. Kal. Iunii anno nono.

Dublinensis. De Thesauraria ecclesie Dublinensis, taxata 20. libr. ad antiquam taxam, de qua per resignationem Iohannis Lymberdi, procuratoris Iohannis Gate dicte ecclesie Thesaurarii, fuit provisum Hugoni de Thesdale Eboracensis diocesis per Innocentium II. Idus Februarii anno septimo, pro resta 13. libr.

Duacensis. De Decanatu ecclesie Duacensis, de quo per munus consecrationis impensum N. Episcopo Duacensi, fuit provisum Iohanni Megillekeaby, qui se obtulit per actum Thesaurarii eiusdem ecclesie Duacensis, per Innocentium II. Non. Aprilis anno sexto.

Dublinensis. De prebenda de Honthe in ecclesia Dublinensi, tax. 23. lib. 6. sol. 8. den., collatio facta auctoritate apostolica Waltero Moryn, fuit eidem confirmata per Innocentium II. Idus Octobris anno septimo. De prebenda de Honthe in ecclesia Dublinensi, tax. 23. libr. 6. sol. 8. den., de qua per consecrationem Stephani Lowelle Episcopi Lymicensis fuit provisum Willelmo de Kelesey per Innocentium VII. Idus Aprilis anno secundo, debetur pro resta 10. libr.

Fernensis diocesis. De prebenda de Taghomon in ecclesia Fernensi, de qua per obitum Iohannis de Suttone fuit provisum Iohanni Goto Galteryn per Clementem III. Idus Iulii anno undecimo. De prebenda de Taghomon in ecclesia Fernensi, de qua per obitum Iohannis de Suttone, et parrochiali ecclesia de Colstonfrensi (Colstonfero?) dicta per obitum Thome Michiel fuit (provisum) dño I. de Estruardi in Episcopum Fernensem Electo, ne habeat in approbrium Episcopi mendicare, per Clementem XVII. Kal. Augusti anno undecimo. De ecclesia de Veteri Rose, de qua ex causa permutationis cum Nicholao Discart fuit provisum Iohanni de Welweke per Innocentium

xvi. Kal. Aug. anno secundo. De prebenda de Taghomon in ecclesia Fernensi, de qua per obitum I. Suttone fuit provisum Iohanni Galtryn per Innocentium vi. Idus Martii anno sexto. De prebenda de Taghomon in ecclesia Fernensi, in qua et ad omne ius, quod competebat Iohanni Castri, fuit subrogatus Walterus de Dodondale per Innocentium iiii. Idus Septembris anno octavo.

Osoriensis diocesis. De prebenda de Wilmodewake in ecclesia Osoriensi, de qua per consecrationem Thome Archiepiscopi Tuamensis fuit provisum Ricardo Radulphi per Clementem ii. Id. Aug. anno undecimo. De Decanatu ecclesie Osoriensis, electio facta de Thoma de Wyntone, fuit eidem confirmata per Innocentium vii. Kal. Februarii anno secundo, fructus. De Canonicatu et prebenda ecclesie Ossoriensis, cum vacabunt per consecrationem Thome Electi Dublinensis, fuit provisum Nicolao de Chedelington per dominum Urbanum v. Kal. Aprilis.

Dublinensis. De portione de castro Canok in ecclesia Dublinensi, collatio et provisio facte auctoritate ordinaria per obitum Iohannis Dene condam Ade de Kyngestone, quam per xxiii. annos vel circiter possedit, et adhuc possidet, fuerunt eidem auctoritate apostolica confirmate vel provisum de nono, non obstante, quod tempore collationis huiusmodi ordinarius esset excommunicatus, per Urbanum v. Non. Martii anno quinto.

Lymiricensis. De prebenda eccl. Lymiricensis, de qua per obitum Thome de Corkbay fuit provisum Iohanni Gate per Innocentium xi. Kal. Ian. anno secundo. De prebenda de Diserte in ecclesia predicta, de qua per provisionem factam Stephano de Valle de Archidiaconatu dicte ecclesie, fuit provisum David Bancontre vi. Idus Martii anno sexto. De Decanatu ecclesie Lymiricensis predicte, de quo per obitum Thome de Berkele, fuit provisum Stephano de Valle per Innocentium ii. Id. Decemb. anno quinto. De Thesauraria ecclesia Limiricensis, de qua per obitum Ade Hunte fuit provisum Gilberto Godheyn per Innocentium vi. Id. Martii anno sexto. De Precentoria ecclesia Limiricensis, de qua ex eo, quod Adam Craddok ipsam cum ecclesia de Nouctone per tres annos detinuit, fuit provisum Iohanni Braybrok per Innocentium v. Id. Martii anno sexto. De Decanatu Limiricensi, de quo per munus consecrationis impensum dño Stephano Electo Limiricensi fuit provisum Henrico Albo sive Withe, Canonico dicte ecclesie, per Innocentium xviii. Kal. Iunii anno octavo. De Decanatu ecclesie Limiricensis vacante per obitum Henrici Withe, fuit provisum Ade Withe per Innocentium iii. Id. Aug. anno nono. De Cancellaria ecclesie Limiricensis, de qua per consecrationem domini Stephani Loweles Episcopi Limiricensis fuit provisum Bartholomeo Dullard per Innocentium xiii. Kal. Ianuarii anno nono.

Dunensis diocesis. De Prioratu ecclesie Dunensis, cum vacabit per consecrationem Ricardi Electi Dunensis, fuit mandatum providere Nicholao Langton per Innocentium v. Idus Dec. anno primo.

Lismorensis diocesis. De ecclesia de Dunggran, de qua ex causa permutationis cum Decanatu rurali de Lynne Norwicensis diocesis cum Adam Thebaund fuit provisum Henrico de Wyntryngtone per Innocentium viii. Kal. Novembris anno octavo. De prebenda Lismorensi, de qua per obitum Iohannis de Balstoke fuit provisum Thome Lonestoke per Innocentium anno quinto, debentur fructus.

De Subdecanatu Eboracensi, et prebendis de Grantham in ecclesia Sarisburiensi, de Rithcuelle in ecclesia Dublinensi, de Clipstone in ecclesia Lincolniensi, de Cheswike in ecclesia Londoniensi, de Romptone in ecclesia collegiata Suthwelle Eborac. diocesis fuit provisum seu confirmatio facta Willelmo de Radfforde per Innocentium vii. Kal. Decembris anne octavo, pro resta 39. libr.

¶ Beneficia data Iohanni de Cabrespino in arrayragio nomine Hugonis Pelegrini in computis suis ultimis redditis anno 1363.

Dublinensis. De prebenda ecclesie Dublinenneusis, de qua per obitum Walteri Moryn fuit provisum Ade Robelyn per Innocentium Kal. Ianuarii anno nono, non habuit effectum, quia de eadem prebenda ex eadem causa fuit provisum Thome Grik.

¶ Ex computo brevi reddito per Iohannem de Cabrespino de receptis etc. a 1. die Augusti 1363. ad 2. diem Aprilis 1364.

Sequuntur Episcopatus Hibernie, in quibus non fuit ausus ire, nec habuit tempus, videlicet: Fernensis, Ossoriensis, Limiricensis, Dunensis, Lismorensis.

Sequuntur arrayragia beneficiorum collatorum et missorum in Angliam per sanctissimum patrem dñum Urbanum papam quintum a iii. Kal. Maii pontificatus sui anno primo citra.

Corkagensis, Ybernia. De Canonicatu ecclesie Corkagensis, vacante per consecrationem Georgii Electi Cassellensis, fuit provisum Willelmo Bulla clerico Laoniensis diocesis in Ybernia v. Idus Iunii.

Ymlacensis, Ybernia. De Rectoria curata de Typerarus Ymlacensis diocesis, vacante per consecrationem David Peulyn Electi Ymlacensis, fuit provisum Oddoni Ohogan clerico Cassellensis diocesis. De Archidiaconatu ecclesie Imelacensis vacante in Romana Curia per consecrationem Willelmi Epi Imelacensis, fuit provisum Iohanni Sanctoni clerico Imelacensis diocesis.

Lymiricensis. Collatio facta auctoritate ordinaria Gerardo Loweles presbitero Lymiricensis diocesis de Thesauraria ecclesia Lymiricensis, vacante per obitum Ade Hunte in illis partibus defuncti, fuit auctoritate apostolica confirmata vel provisum de novo vii. Idus Iulii.

Elfinensis in Ybernia. De Prioratu de Innocentia iuxta Athelnayn ordinis Cluniacensis Elfinensis dioc. in Ybernia, vacante per obitum Mathei ultimi Prioris eiusdem, fuit provisum fratri Willelmo Otomoltens Monacho ac Cancellario dicti Prioratus vi. Idus Augusti.

Limiricensis. De Vicaria perpetua ecclesie parrochialis de Kylkyde Limiricensis dioc., vacante

per obitum Thome ultimi Vicarii eiusdem extra Romanam Curiam defuncti, qui tanto tempore vacavit, quod eius collatio est ad sedem apostolicam legitime devoluta, fuit provisum Thome de Burge presbitero Imelacensis diocesis. Callatio et provisio facte Philippo de Walle clerico Limiricensis diocesis de Archidiaconatu ecclesie Artfertensis, que dignitas curata in eadem ecclesia existit, vacante per obitum Bernardi Ycochim extra curiam defuncti, fuit confirmata vel provisum de novo.

¶ Secuntur beneficia collata in Anglia etc. anno secundo.

Waterfordensis. Electio facta per Canonicos, Capitulum seu Conventum Prioratus beate Katerine iuxta Waterfordiam Waterfordensis diocesis ordinis s. Augustini de fratre David Boffher in Priorem dicti Prioratus, vacantis per obitum fratris Andree Eduard ultimi Prioris eiusdem extra Romanam curiam defuncti, fuit confirmata vel provisum de novo vi. Idus Novembris.

Laonensis in Ybernia. De Archidiaconatu Laonensis diocesis in Ybernia, vacante per consecrationem domini Thome Episcopi Laoniensis, seu alias quovismodo fuit provisum Mauritio Okahil presbitero Fynaborensis diocesis, et dimittet Archidiaconatum Duacensem.

Corkagensis in Ybernia. De canonicatu et prebenda ecclesia Corkagensis de Kyllapowlre Molane in eadem Corkagensi ecclesia, vacantibus per mortem Willelmi Espewarth extra Romanam Curiam defuncti, qui tanto tempore vacaverunt, quod eorum collatio est ad sedem apostolicam legitime devoluta, fuit provisum David Gower presbitero Limiricensis diocesis.

Item Ricardo de Valle clerico Corkagensis diocesis de Thesauraria ecclesie Limiricensis, vacante per mortem Roberti Godyn in Romana Curia defuncti.

Imlacensis in Ybernia. Item Edmundo Prayneger, clerico Imlacensis diocesis, de canonicatu et prebenda de Dysurt Lamon in eccl. Cathedrali Imlacensis diocesis, vacantibus per consecrationem domini David de Foynlyn Electi Imlacensis pridie Idus Novembris.

Midensis in Ybernia. Collatio et provisio auctoritate ordinaria facte Philippo White Midensis diocesis de Archidiaconatu Lysmorensis in Ybernia, vacante per obitum Magistri Thome Walthe alias Leynaffe, ultimi Archidiaconi eiusdem extra Romanam Curiam defuncti, fuerunt confirmate vel provisum de novo iiii. Kal. Iunii.

Rossensis in Ybernia. De Archidiaconatu Rossensi per resignationem Willelmi Reed fuit provisum Willelmo Wenlohe, et dimittet ecclesiam parrochialem de Hortone Rossensis dioc. et prebendas Capelle beate Marie Magdalene de Briggenorthe, et Capella de Wicleforbrigge, Nonis Iunii.

¶ Beneficia collata per dñum Urbanum papam V. anno tertio.

Dublinensis in Ybernia. De hospitali divi Iohannis Baptiste extra portam civitatis Dublinensis in Ybernia, quod illicite detinet Guillelmus Gerardi frater dicti hospitalis, fuit provisum Henrico Randolfe presbitero dicti hospitalis.

Elfinensis. Postulatio facta per viam compromissi de fratre Mauritio Magneville, canonico Monasterii sancti Augustini de Cluamcuarsgat Nasynam Aroacensis ordinis Elfinensis dioc. in Priorem dicti Monasterii, fuit confirmata vel provisum de novo pridie Nonas Ianuarii.

Postulatio facta per viam compromissi de fratre Donato Macseyrad, canonico professo Monasterii Canonicorum regularium sancti Augustini de Roscoman Aroacensis ord. Elphinensis diocesis, de presbitero religioso et soluta genito, ad Monasterium predictum vacans per obitum fratris Thome eiusdem Monasterii Prioris conventualis, fuit confirmata vel provisum de novo Nonis Ianuarii.

Midensis. De Prioratu conventuali s. Petri iuxta Noveville Trym Midensis diocesis ordinis s. Augustini, cum vacabit per assecutionem pacifici possessionis Monasterii b. Thome mart. prope civitatem Dublinensem faciendam per Abbatem dicti Monasterii, fuit provisum fratri Thome Bertram canonico dicti Monasterii viii. Idus Ianuarii.

Elphinensis in Ybernia. Electio canonice facta et confirmatio per Ep̄um subsequta de Thoma Mamurgoassa, canonico ecclesie Elphinensis, ad Decanatum dicte ecclesie vacantem per obitum Nicholai ultimi Decani eiusdem, fuit confirmata vel provisum de novo Nonis Februarii.

Corkagensis. Collatio et provisio facte auctoritate ordinaria Nicolao Barre de Archidiaconatu Corkagensi, quem per annos et dies possedit pacifice, etiam si tanto tempore vacavit, quod eius collatio fuerit ad sedem apostolicam legitime devoluta, fuerunt confirmate et provisum de novo xii. Kal. Martii.

Elphinensis in Ybernia. Confirmatio facta per Karolum Episcopum Elphinensem de Thoma Mamurgossa, electo ad Decanatum Elphinensem, fuit confirmata (supra in principio pagine, ponitur iterato), xvi. Kal. Aprilis.

EPISTOLAE GREGORII PP. XI.

DCLXXXV.

Regi Scotie pontifex significat, se oratores suos omni benevolentia recepisse, attestatur ipsi se omnem favorem regno et rebus suis impendere, et commendat negotia reginae Scotiae. Reg. An. I. Secret. fol. 304.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Roberto Regi Scotie Illustri, salutem etc. Magnitudinis tue litteras, quas Venerabilis frater noster Walterus Episcopus Glasguensis, et dilectus filius Adam de Thiningham Decanus ecclesie Aberdonensis, nuncii tui, nobis noviter detulerunt, recepimus gratiose, et tam ea, que prefate littere continebant, quam ea, que dicti nuncii nobis pro parte tua discrete oretenus retulerunt, intelleximus diligenter: ad que te scire volumus, quod nos personam tuam Regnumque tuum sincero corde diligimus, ac gerimus in visceribus caritatis, et quantum cum Deo poterimus, intendimus favorabiliter prosequi vota tua, prout ab eisdem nunciis, quibus super hiis aperuimus latius mentem nostram, audies plenius viva voce. Ceterum cum Carissima in Christo filia nostra Margareta Regina Scotie Illustris pro recuperatione terre sue, iuriumque suorum multos labores sustinuerit et expensas tam apud sedem apostolicam, quam per alias diversas mundi partes discurrendo, et se ipsam diversis periculis exponendo, prout credimus tuam celsitudinem non latere, nec deceat honorem Regium, maxime propter fragilitatem sexus, et quia tibi est tanta sanguinis proximitate coniuncta, sic eam per patriam permittere evagari. Nos eidem Regine paterno compatientes affectu, serenitatem tuam instanter et affectuose rogamus, quatenus pro nostra et sedis apostolice reverentia, et nostre intercessionis obtentu, tuique honoris eciam intuitu prefatam Reginam habens propensius ac favorabiliter commendatam, sic te illi in restitutione terre iuriumque suorum vel alias exhibeas gratiosum, quod ipsa possit et debeat merito contentari, Nosque tibi proinde teneamur ad merita gratiarum. Datum Avinione III. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

DCLXXXVI.

Alexander canonicus ecclesiae Ossoriensi in episcopum praeficitur. Reg. Tom. III. cod. chart. fol. 25.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Alexandro Electo Ossoriensi, salutem etc. Romani Pontificis etc. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus papa V. predecessor noster, cupiens ecclesie Ossoriensi, cuius tunc regimini bone memorie Iohannes Episcopus Ossoriensis presidebat, cum ipsam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni sue ea vice specialiter reservavit, decernens ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Iohannis, qui dicto predecessore vivente extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari, te Canonicum eiusdem ecclesie, in presbiteratus ordine constitutum, in Ossoriensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum forsitan inscius, electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, eodem predecessore vivente, consensisti, licet de facto, et subsequenter dicto predecessore, per eum dicte ecclesie non proviso, sicut Domino placuit, viam universe carnis ingresso, ac reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, nobisque postmodum divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumptis, huiusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem ipsam et omnia inde secuta, utpote post et contra reservationem et decretum predicta, ut premittitur, attemptata, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter Romanum Pontificem hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, de litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providentia, ac temporalium circumspectione, et aliis virtutum meritis fidedignorum testimonio apud nos commendatum, direximus aciem nostre mentis: quibus omnibus necnon dictorum Capituli te eligentium concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiducia conceptis, quod prefata ecclesia per tuam industriam etc. usque uberius consequi merearis etc. Datum Avinione IIII. Idus Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Ossoriensis, Clero et Populo civitatis et diocesis Ossoriensis, universis Vassallis ecclesie Ossoriensis, Archiepiscopo Dublinensi, et Edwardo Regi Anglie.

DCLXXXVII.

Philippus Petri episcopus Leghlinensis renuntiatur. Reg. Tom. III. cod. chart. fol. 32.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Philippo Petri Electo Leghlinensi, salutem etc. Suscepti cura regiminis etc. Dudum siquidem in nostri apostolatus primordiis intellecto, quod ecclesia Leghlinensis per obitum bone memorie Iohannis Episcopi Leghlinensis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacabat, Nos cupientes eidem ecclesie per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: ac deinde ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos post et contra reservationem huiusmodi se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Predicatorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religonis zelo, litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, ipsi Leghlinensi ecclesie de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione v. Nonas Marcii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Leghlinensis, Clero et Populo civitatis et diocesis Leghlinensis, universis Vassallis ecclesie Leghlinensis, Archiepiscopo Dublinensi, et Edwardo Regi Anglie.

DCLXXXVIII.

Priori de Coval Darensis diocesis, ut Ioannem Frauthon priorem s. Petri Villaenovae Midensis diocesis a quibusdam censuris absolvat. Reg Tom. I. cod. chart. fol. 465.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio... Priori de Coval Darensis diocesis, salutem etc. Sedes apostolica pia mater cunctorum Christifidelium animarum saluti cupit, quantum cum Deo potest, salubriter providere. Sane petitio pro parte Iohannis Frauthon, Prioris Prioratus sancti Petri Villenove iuxta Treym ordinis sancti Augustini Midensis diocesis, nobis nuper exhibita continebat, quod olim in ipsum Priorem ad instantiam dilecti filii Willelmi Porssewyk, laici dicte diocesis, auctoritate apostolica excommunicationum sententie promulgate, et fructus dicti Prioratus sequestrati fuerunt, quodque per Thomam Abbatem Monasterii (beati) Thome martiris iuxta Dubliniam dicti ordinis nomine dicti Prioris super eo, pro quo excommunicatus extitit, et dicti fructus sunt sequestrati, ut prefertur, satisfactum est ad plenum, et quod idem Willelmus consensit, quod idem Prior ab huiusmodi excommunicationum sententiis absolvatur, et sequestrum relaxetur predictum. Quare pro parte dicti Prioris nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apoctolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, eundem Priorem, postquam tamen eidem Abbati de hoc, quod pro ipso in Romana Curia solvit, integre satisfecerit, si ipse Prior hec humiliter postulaverit, et prefati Abbas et Willelmi ad hoc consenserint, ab huiusmodi excommunicationum sententiis, quibus ad instantiam dicti Willelmi, ut premittitur, ligatus existit, iuxta formam ecclesie, prout iustum fuerit, auctoritate nostra absolvas, iniuncta ei pro modo culpe penitentia salutari, et aliis, que de iure fuerint iniungenda, ipsumque absolutum in iis, de quibus tibi videbitur, ubi et quando tibi videris expedire, eadem auctoritate nuncies, et nichilominus sequestrum relaxes predictum. Contradictores etc. Datum Avinione II. Idus Marcii, Pontificatus nostri anno primo.

DCLXXXIX.

Alexander canonicus praeficitur ecclesiae Rossensi in epum. Reg. cod. chart. Tom. III. fol. 35.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Alexandro Electo Rossensi, salutem etc. Romani Pontificis etc. Dudum siquidem bone memorie Alexandro Episcopo Rossensi regimini Rossensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presse personam, provisionem ipsius ecclesie dispositioni et ordinationi nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque (quavis) auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Alexandri Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi reservationis et decreti ignari, ut asseritur, te Canonicum eiusdem ecclesie, licentiatum in decretis, in presbiteratus ordine constitutum, in Episcopum Rossensem, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, etiam de facto consensisti, et deinde huiusmodi reservatione et decreto, ad tuam deductis notitiam, huiusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem predictam et quecumque inde secuta, utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptata, irrita et inania, prout erant, reputan-

tes, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum fratribus nostris diligentem, demum ad te, vite ac morum honestate decorum, spiritualium providentia, et temporalium circumspectione, et aliis virtutum meritis, prout fidedignorum testimoniis accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, necnon dictorum Capituli eiusdem ecclesie te eligentium concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione VII. Idus. Maii, Pontificatus nostri anno primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Rossensis, Clero et populo civitatis et diocesis Rossensis, et Roberto Regi Scotie Illustri.

DCXC.

Archiepiscopo Tuamensi, ut se informet et referat de oratorio quodam a Carthusiensibus fratribus ord. Minorum in Kevelechin Elfin. dioec. consignando. Reg. Tom. I. cod. chart. fol. 416.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Tuamensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum fratrum ordinis Minorum Ibernie secundum morem dicti ordinis petitio continebat, quod in Ibernia in quodam loco dicto Kevelechin Clonfertensis diocesis, fratres ordinis Cartusiensis quoddam oratorium exile cum paucis cellis olim habuerunt, quod iam per triginta annos est desertum, quodque iidem fratres Cartusienses prefatum oratorium sic, ut prefertur, derelictum et desolatum in manibus loci ordinarii dimiserunt, et etiam resignarunt. Quare pro parte dictorum fratrum ordinis Minorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis huiusmodi oratorium cum cellis predictis, et ut ibidem Guardianum et fratres cum campanili, campana, oratorio, dormitorio et aliis necessariis officinis ordinare, instituere, et ibidem inhabitare valeant, maxime cum ad hoc loci diocesani, ac patroni dicti oratorii, clerique et populi illarum partium accedat assensus, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Quia igitur de premissis certam notitiam non habemus, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis, et eorum circumstantiis universis, et presertim an predicti fratres Cartusienses huiusmodi oratorium dimiserint, ut prefertur, et an duodecim fratres dicti ordinis Minorum ibidem congrue sustentari valeant, et utrum diocesanus, patronus, clerus et populus in hiis, ut premittitur, consentiant, diligentius te informes, et que per informationem huiusmodi repereris, nobis per tuas litteras in publicam formam redactas, tuoque sigillo sigillatas quantocius referre non postpones, ut tua super hiis informatione instructi, in premissis consultius agere valeamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

DCXCI.

Episcopo Sancti Andreae, ut cum Iacobo comite de Douglas et Margareta nata regis Scotorum super matrimonio dispenset. Reg. Tom. II. cod. chartac. fol. 337.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Sancti Andree, salutem etc. Providentia sedis apostolice etc. Oblate siquidem nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Iacobi, nati dilecti filii nobilis viri Willelmi Comitis de Douglas, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margarete, Carissimi in Christo filii nostri Roberti Regis Scotie Illustris nate, petitionis series continebat, quod ipsi certis ex causis desiderant invicem matrimonialiter copulari: sed quia quarto consanguinitatis gradu ex utroque parente invicem se contingunt, eorum desiderium in hac parte adimplere nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: quare pro parte ipsorum Iacobi et Margarete nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis gratia de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur consideratione etiam Carissimi in Christo filii nostri Caroli Francorum Illustris, et dicti Scotie Regum nobis super hoc humiliter supplicantium, huiusmodi ipsorum Regum, ac Iacobi et Margarete predictorum supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, dictaque Margareta propter hoc rapta non fuerit, cum ipsis Margareta et Iacobo, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, huiusmodi matrimonium insimul libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, auctoritate apostolica dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

DCXCII.

Confirmatur monasterio de Deer in Buchania Cisterciensis ord. Aberdonensis dioecesis unita parochialis ecclesia de Foverne, ipsi ab episcopo Aberdonensi concessa, inserto donationis instrumento. Reg. Tom. I. cod. chart. fol. 532.

Gregorius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que in sustentationem sub sacre religionis habitu domino famulantium pie ac favorabiliter facta sunt, ut illibata consistant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio dilectorum filiorum Abbatis et Conventus monasterii de Deer in Buchania Cisterciensis ordinis, Aberdonensis diocesis, nobis nuper exhibita continebat, quod

olim clare memorie Robertus Rex Scotie Illustris pie ac provide considerans, quod dictum monasterium propter depredationes varias, et alia quamplurima oppressionum genera occasione guerrarum, que in illis partibus ingruerant, erat multipliciter desolatum, et in suis facultatibus diminutum, parrochialem ecclesiam de Foverne dicte diocesis, in qua ius habebat patronatus, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis in relevationem oppressionum et desolationum predictorum eisdem Abbati et Conventui, et eorum successoribus imperpetuum donavit et concessit, et deinde bene memorie Henricus Episcopus Aberdonensis similibus considerationibus motus, ac etiam attente prospiciens, quod dicti Abbas et Conventus ex huiusmodi donatione ius habebant patronatus in parrochiali ecclesia supradicta, habito super hiis cum dilectis filiis Capitulo ecclesie Aberdonensis diligenti et solempni tractatu, eandem parrochialem ecclesiam cum omnibus iuribus et pertinenciis eiusdem Abbati et Conventui, et eorum successoribus predictis auctoritate ordinaria imperpetuum univit et incorporavit, reservata pro perpetuo Vicario in eadem parrochiali ecclesia instituendo congrua porcione, ac eciam creando, et per eundem Episcopum ordinato, quod Abbas et Conventus predicti de fructibus eiusdem parrochialis ecclesie superessentibus annis singulis cuidam Capellano in dicta Aberdonensi ecclesia deservienti sex marchas usualis monete dare tenerentur, ita quod cedente vel decedente Rectore ecclesie predicte, qui tunc erat, vel alias ecclesiam ipsam quomodolibet dimittente, liceret eisdem Abbati et Conventui, et successoribus suis corporalem possessionem eiusdem parrochialis ecclesie propria auctoritate apprehendere et etiam retinere, cuiuspiam licentia minime requisita, prout in patentibus litteris inde confectis, dictorum Episcopi et Capituli sigillis munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur: dictique Abbas et Conventus prefatam parrochialem ecclesiam postmodum vigore unionis huiusmodi assecuti, porcioneque huiusmodi assignata, ecclesiam ipsam ex tunc per quadraginta annos possederunt, prout adhuc possident pacifice et quiete, fructus percipientes ex eadem. Quare pro parte dictorum Abbatis et Conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis omnibus per dictum Episcopum factis robur confirmationis adicere, ac omnem defectum, si quis in eis intervenerit, supplere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eorumdem Abbatis et Conventus supplicationibus inclinati annexionem, unionem et incorporationem predictas, et alia per dictum Episcopum, ut premittitur, facta, rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presenti scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis forsan intervenerit in eisdem. Volumus autem, quod si congrua porcio pro Vicario perpetuo in dicta parrochiali ecclesia instituendo assignata non est, assignetur, ex qua idem Vicarius possit congrue sustentari, Episcopalia iura solvere, et alia ei incumbentia onera supportare. Tenor vero dictarum litterarum talis est.

Universis sancte matris ecclesie filiis, ad quos presentes littere pervenerint, Henricus miseratione divina Aberdonensis ecclesie minister humilis, eternam in domino salutem. Noverit universitas vestra, nos cum consensu, assensu et voluntate Capituli nostri, habito super hoc diligenti et sollempni tractatu, considerata precipue utilitate ecclesie nostre Cathedralis, caritatis intuitu ob favorem religionis et cultus divini augmentum dedisse, concessisse, et hac presenti carta nostra confirmasse pro nobis et successoribus nostris, viris religiosis et deo devotis, Abbati et Conventui monasterii de Deer Cisterciensis ordinis nostre diocesis, et successoribus suis ecclesiam de Foverne in Buchania in diocesi nostra situatam, cum omnibus terris, libertatibus, iuribus, obventionibus, et aliis aisiamentis ad ipsam ecclesiam quoquomodo pertinentibus, vel pertinere valentibus, in proprios usus perpetualiter convertendis, compatientes paterna pietate dictorum religiosorum paupertati, et in confectione presentium nimie eorumdem exinanicioni per depredaciones, spoliaciones, et alia multa oppressionum genera eis illata, salvo iure rationis nunc exute, donec cedat vel decedat, dictum Abbatem, qui tunc dicto monasterio prefuit, nomine suo et fratrum suorum in corporalem possessionem dicte ecclesie fecimus induci. Cuius quidem ecclesie advocationem, sive ius patronatus bone memorie dominus Robertus dei gratia Rex Scotorum Illustris libere in dictum monasterium de Deer transtulit et donavit, concedendo etiam dictis religiosis ad communem utilitatem suam liberam et irrefragabilem omnibus futuris temporibus disponendi facultatem super dicta ecclesia, et omnibus fructibus et obventionibus suis, ut predictum est: predicti vero monasterii Abbas, qui pro tempore fuerit, nobis et successoribus nostris tam pro ordinariis, quam pro extraordinariis dictam ecclesiam contingentibus respondebit, et unum Capellanum ydoneum, qui tanquam Vicarius ad dictam ecclesiam residebit, et animarum curam gerens, eidem deserviet, quocitius opus fuerit, nobis et successoribus nostris successive presentabit, et eidem decem marchas usualis monete de fructibus dicte ecclesie singulis annis libere assignabit, ad duos anni terminos solvendi, videlicet medietatem ad festum beati Iohannis Baptiste, et aliam medietatem ad festum purificationis beate Marie, una cum domo competenti et duabus acris terre. Dabit etiam singulis annis cuidam Capellano in ecclesia Cathedrali de Abberdon deservienti sex marchas usualis monete, una cum habitu honesto, quo utatur in choro, quociens rationabiliter opus habuerit, cuius Capellani ordinatio et electio ad Decanum et Capitulum spectabit. Ut autem hec nostra donatio, concessio et confimatio robur perpetue firmitatis obtineat, eam presenti pagine testimonio et sigilli nostri appositione una cum communi sigillo Capituli nostri fecimus roborari, teste Capitulo nostro. Apud Abberdon.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis, communitionis, suppletionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione xvii. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

DCXCIII.

Eidem monasterio unio ecclesiae parochialis de Kynnedor, ipsi ab eodem epo concessa, confirmatur, inserto donationis instrumento. Reg. Tom. I. cod. chart. fol. 563.

Gregorius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que in sustentationem etc. Sane petitio dilectorum filiorum Abbatis et Conventus Monasterii de Deer Cisterciensis ordinis Aberdonensis diocesis nobis exhibita continebat, quod dudum bone memorie Henricus Episcopus Aberdonensis parrochialem ecclesiam de Kynnedor dicte diocesis, que olim de patronatu Comitis Buchanie, qui pro tempore erat, fuit, et cuius ius patronatus quoudam Iohannes Comyn Buchanie in dictum monasterium transtulerat, ac ipsum ius patronatus Abbati et Conventui dicti monasterii donaverat ex certis rationabilibus causis, premisso etiam tractatu solenni cum dilectis filiis Capitulo ecclesie Aberdonensis, et deliberatione infra se habita diligenti, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis predictis Abbati et Conventui, ac eorum monasterio et mense auctoritate ordinaria pro eorum necessitatibus relevandis et supportandis annexuit, univit imperpetuum et incorporavit, ipsique Abbas et Conventus, cum quondam Duncanus Cumyn, tunc ipsius ecclesie Rector, ecclesiam ipsam in manibus dicti Episcopi extra Romanam Curiam resignasset, ac idem Episcopus resignationem ipsam extra dictam Curiam admisisset auctoritate supradicta, ipsius ecclesie possessionem sunt pacifice assecuti, reservata prius de dictis fructibus portione centum solidorum sterlingorum pro perpetuo Vicario, qui animarum curam parrochianorum dicte ecclesie gereret, et in dicta ecclesia deserviret, et in ea tanquam Vicarius resideret, et etiam pro perpetuo Capellano in ecclesia Aberdonensi deserviente quinque marchis sterlingorum annuatim reservatis, prout in patentibus litteris inde confectis dictorum Episcopi et Capituli sigilli munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur: dictique Abbas et Conventus huiusmodi unionis vigore predictam parrochialem ecclesiam, ut asserunt, per quadraginta annos possederunt, ac fructus, redditus et proventus ex ea perceperunt, et in usus proprios converterunt, et adhuc percipiunt pacifice et quiete. Quare pro parte dictorum Abbatis et Conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis omnibus per dictum Episcopum factis robur confirmationis adicere, ac omnem defectum, si quis in eis intervenerit, supplere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eorumdem Abbatis et Conventus supplicationibus inclinati, huiusmodi annexionem, unionem et incorporationem, et alia per dictum Episcopum, ut premittitur, facta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis forsan intervenerit in eisdem. Volumus autem, quod si congrua portio pro perpetuo Vicario in dicta parrochiali ecclesia instituendo assignata non est, assignetur, ex qua idem Vicarius posset congrue sustentari, Episcopalia iura persolvere, et alia ei incumbentia onera supportare. Tenor vero dictarum litterarum talis est.

Universis sancte matris etc. Henricus etc. ut in precedenti usque et successoribus suis ecclesiam de Kynnedor in Buchania in diocesi nostra situatam cum omnibus terris, libertatibus, iuribus, obventionibus et aliis aysiamentis ad ipsam ecclesiam quoquo modo pertinentibus, vel pertinere valentibus in proprios usus perpetualiter convertendis, compatientes paterna pietate dictorum religiosorum paupertati, et in confectione presentium nimie eorumdem exinanitioni per depredationes, spoliationes et alia multa oppressionum genera eis illata: ita quod domino Conducano (sic) Cumyn dicte ecclesie tunc Rectore illam ecclesiam per litteras suas in manibus nostris resignante, dictum Abbatem, qui tunc dicto Monasterio prefuit, nomine et fratrum suorum in corporalem possessionem dicte ecclesie fecimus induci, cuius quidem ecclesie advocationem sive ius patronatus bone memorie dominus Iohannes Cumyn quondam Comes Buchanie libere in dictum Monasterium de Deer transtulit etc. usque nobis et successoribus nostris successive presentabit, et eidem centum solidos usualis monete de fructibus dicte ecclesie singulis annis libere assignabit ad duos terminos persolvendos, videlicet medietatem ad festum sancti Iohannis Baptiste, et aliam medietatem ad festum Purificationis beate Marie, una cum domo competente et acro decenti. Dabit etiam singulis annis cuidam Capellano in ecclesia Cathedrali de Abberdon deservienti quinque marchas usualis monete, una cum habitu honesto, quo utatur in choro, quotiens rationabiliter opus fuerit, cuius Capellani ordinatio et electio ad Decanum et Capitulum spectabit. Prefati vero Monasterii Abbas unam domum pro mansione primo Capellano sic intranti faciet construi, quam ille Capellanus, qui pro tempore fuerit, sumptibus suis sustentabit. Ut autem hec nostra donacio, concessio et confirmacio robur perpetue firmitatis obtineat, eam presentis pagine testimonio et sigilli nostri appositione una cum communi sigillo Capituli nostri, et subscriptionibus Canonicorum fecimus roborari. Ego frater Eskinus de Chon Decanus Aberdonensis subscribo. Ego Walterus Scor prebendarius de Walheldezy subscribo. Ego Rogerus pr. nr. Cancellarius subscribo. Ego Philippus prebendarius de Clach subscribo. Ego Reginaldus de Coyneriis prebendarius de Olkeris subscribo. Ego Iacobus Wenn prebendarius de Crudave subscribo. Ego Alanus de Moravia prebendarius de Deer subscribo.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis, communitionis, suppletionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione xv. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

DCXCIV.

Episcopis Scotiae quaedam confirmatur concessio circa eorum bona a rege Scotiae facta. Reg. Tom. II. cod. chartac. fol. 440.

Gregorius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, per que ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum, et presertim pontificali dignitate preditarum utilitati consulitur, ut illibata consistant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio pro parte Venerabilium fratrum nostrorum universorum Episcoporum Regni Scotie nobis nuper exhibita continebat, quod olim clare memorie David Rex Scotie, asserens ex consuetudine ab antiquis introducta temporibus, et usque tunc continuata per eum et predecessores suos tamquam pro privilegio speciali servatum fuisse, quod bona quecumque mobilia Episcoporum Regni predicti tempore mortis ipsorum Episcoporum Regiis sic erant applicata usibus, quod ab ipsis Episcopis in suis condendis testamentis super bonis disponendis huiusmodi omnino erat adempta facultas, ob reverentiam divini nominis, ac de consensu et assensu Carissimi in Christo filii nostri Roberti Regis, tunc Senescalli Scotie ac Comitis de Stratherne, nepotis ipsius David Regis, et liberorum ipsius Roberti, nec non aliorum Baronum et Procerum, ac trium Communitatum dicti Regni, in pleno parlamento pro se, et suis heredibus ac successoribus omne ius, quod sibi in premissis bonis dictorum Episcoporum tempore obitus eorum quomodolibet competebat, ipsis Episcopis de gratia speciali concessit, prout in litteris autenticis inde confectis, dicti David Regis sigillo munitis, plenius continetur. Quare pro parte dictorum Episcoporum nobis fuit humiliter supplicatum, ut huiusmodi concessioni per dictum Regem David facte robur confirmationis adicere, cum suppletione defectuum, si qui forsan in ea intervenerint, de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem ipsam per dictum David Regem de huiusmodi iure, si quod sibi in dictis bonis eorumdem Episcopum competebat, factam ratam habentes et gratam, eam auctoritate apostolica ex certa scientia tenore presentium confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis forsan intervenerit in eadem. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, communitionis et suppletionis infringere etc. Datum Avinione Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Sancti Andree et ... Glasguensi ac ... Aberdonensi Episcopis, sal. etc. Innovatur Scotie episcopis eadem confirmatio concessionis eiusdem David Regis Scotie. Datum Avinione VIII. Idus Ianuarii, Pont. n. anno secundo. Reg. Tom. XV. cod. chartac. fol. 292.

DCXCV.

Ecclesiam s. Ioannis Baptistae extra Dubliniam visitantibus eique manus adiutrices porrigentibus quaedam indulgentiae conceduntur. Reg. Tom. XIII. cod. chartac. fol. 539.

Gregorius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus multo maiora retribuit, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes Domino reddere populum acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, videlicet indulgentiis et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti Iohannis Baptiste extra Novamportam Dublinensem, in qua, sicut accepimus, in divinis Altissimo laudabiliter deservitur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles causa devotionis eo libentius confluant ad eandem, et ad eius reparationem manus porrigant adiutrices, quo uberius ibidem dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, et Corporis domini nostri Ihesu Christi, et Penthecostes, ac in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis, ac in Nativitatis beati Iohannis Baptiste, et dictorum Apostolorum festivitatibus, ac in celebritate omnium Sanctorum, et in dedicatione ipsius ecclesie, et per dictarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini nostri, ac Nativitatis et Assumptionis beate Marie, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste et Apostolorum predictorum festivitatum octavas, et per sex dies dictum festum Penthecostes immediate sequentes dictam ecclesiam devote visitaverint, et ad ipsius reparationes manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum, celebritatis et dedicationis unum annum et quadraginta dies, octavarum vero, et sex dierum predictorum diebus, quibus dictam ecclesiam devote visitaverint, et ad eius reparationem manus adiutrices porrexerint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam, et manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus alique indulgentie imperpetuum, vel ad certum tempus non elapsum durature auctoritate apostolica fuerint concesse, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis II. Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno secundo.

DCXCVI.

Henricus decanus Leonlensis renuntiatur Finaborensis episcopus. Reg. Tom. XI. cod. chart. fol. 51.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Henrico Electo Finaborensi, sal. etc. Romani Pontificis etc. Dudum siquidem bone memorie Dionisio Episcopo Finaborensi regimini Finaborensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam

de persona ydonea provideri, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Dionisii Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii Capitulum dicte ecclesie, huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari, te Decanum ecclesie Laoniensis, in sacerdotio constitutum, in Episcopum Finaborensem, licet de facto, concorditer elegerunt: tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti etiam de facto, et deinde reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, huiusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem ipsam, et quecumque inde secuta, post reservationem et decretum predicta attemptata, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, spiritualium providentia, et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum testimonio accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, nec non dictorum Capituli eiusdem ecclesie te eligentium concordi voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Non. Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Capitulo ecclesie Finaborensis, Clero et populo civitatis et diocesis Finaborensis, universis Vassallis ecclesie Finaborensis, Archiepiscopo Cassellensi, et Edwardo Regi Anglie.

DCXCVII.

Cornelius Ocyghernygh preficitur ecclesiae Artfertensi in episcopum. Reg. Tom. XI. cod. chart. fol. 61.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Cornelio Ocyghernygh Electo Artfertensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bone mem. Iohanne Episcopo Artfertensi regimini Artfertensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsum vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero predicta ecclesia per obitum ipsius Iohannis Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad ipsius ecclesie provisionem celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam huiusmodi cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, religionis zelo conspicuum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fidedignis testimoniis percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Artfertensi ecclesie de ipsorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione XI. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Capitulo ecclesie Artfertensis, Clero et populo civitatis et diocesis Artfertensis, universis Vassallis ecclesie Artfertensis, Archiepiscopo Cassellensi, et Edwardo Regi Anglie.

DCXCVIII.

Monasterio de Kilwenyne ordinis s. Benedicti Glasguensis dioecesis confirmatur donatio iurispatronatus in quibusdam ecclesiis a nonnullis nobilibus ipsi facta. Reg. Tom. XV. cod. chart. fol. 361.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis... Abbati et Conventui Monasterii de Kilwenyne ordinis sancti Benedicti Glasguensis diocesis, salutem etc. Devotionis vestre sinceritas, quam ad nos et Romanam geritis ecclesiam, vestreque religionis honestas, sub qua in humilitatis spiritu devotum deo exhibetis obsequium, promeretur, ut vos et Monasterium vestrum favore benivolo prosequentes, petitiones vestras, quantum cum deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod olim dilecti filii nobiles viri Iohannes de Menthet dominus loci de Aran sancte Marie et sancte Brigide Insule de Aran, et Iohannes Maxwelle dominus loci de Maxwelle de Liberton ecclesiarum Sodorensis et Glasguensis diocesum, veri patroni existentes in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi Rectores ad dictas ecclesias, ius patronatus ipsarum ecclesiarum ad ipsos divisim pertinentes, ad omnipotentis dei laudem et gloriam, et pro suarum et predecessorum et successorum suorum animarum remedio et salute vobis in perpetuum de-

derunt et concesserunt, ac in vos penitus transtulerunt, prout in quibusdam patentibus litteris inde confectis, dictorum nobilium sigillis munitis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut premissis apostolice confirmationis robur adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, donationem et concessionem, ac translationem predictas ratas et gratas habentes, illas auctoritate apostolica de speciali gratia tenore presentium confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis forsan intervenerit in eisdem, de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Datum Avinione vii. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

DCXCIX.

Nuntio apostolico in Scotia, ut non solventes decimas ad id censuris ecclesiasticis compellat. Bull. Cameral. Tom. III. fol. 65.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Willelmo de Grenlaw Archidiacono Sancti Andree in Scotia, apostolice sedis nuntio, salutem etc. Pro parte tua fuit nobis nuper expositum, quod nonnulli Patriarche, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates et alii ecclesiarum et Monasteriorum Prelati, ecclesiasticeque persone seculares et regulares, exempti et non exempti, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones et alii seculares tibi, et tuis subcollectoribus et familiaribus in rebus et bonis vestris, et alias sepius inferunt dampna, iacturas et molestias varias et diversas, et Iura ad Cameram apostolicam pertinentia substrahere non verentur in preiudicium Camere memorate, et tui ac tuorum familiarium non modicum dispendium et gravamen, super quibus instanter requisiti per nos tibi de opportuno remedio providere. Nos igitur tibi et Camere antefate volentes super hiis debite providere, discretioni tue, de qua fiduciam in domino gerimus specialem, super premissis summarie, et de plano, absque strepitu et figura iudicii, vocatis, si quos vocandos noveris infra vel extra tue nuntiationis terminos, te diligentius informandi, ac omnes et singulos Patriarchas, Archiepos, Episcopos et alios ecclesiarum et monasteriorum Prelatos, ecclesiasticasque personas, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones et alios quoslibet seculares predictos, quos in premissis seu aliquo premissorum inveneris culpabiles vel rebelles, ad satisfactionem vel emendam ac solutionem condignas tibi, et dampna passis ac Camere memorate plenarie faciendas auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, previa ratione compellendi, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, illosque ex eis, de quibus pertinaciam tantam videris esse, quod coram nolint iuri et iustitie plene parere, semel et pluries personaliter citandi, ut certo competenti termino, per te ipsis perhemptorie prefingendo, conspectui apostolico se presentent super premissis de iustitia responsuri, et alias facturi et recepturi, quod postulaverit ordo iuris, Cameram nostram certificaturus de citationibus huiusmodi ante tempus, non obstantibus, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari vel interdici nequeant, aut suspendi, seu ultra vel extra certa loca ad iudicium trahi per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, eorumque ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi valeat impediri quomodolibet vel differri, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione xvii. Kal. Aprilis, Pont. nostri anno tertio.

DCC.

Episcopo Ergadiensi, ut cum Duncano Aulani et Helena Cambel super matrimonio dispenset. Reg. An. III. Tom. XVI. cod. char. fol. 300.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Ergadiensi, salutem et apost. ben. Petitio nobilis viri Duncani nati dilecti filii nobilis viri Walteri Aulani domicelli, et nobilis mulieris Elene, nate dilecti filii nobilis viri Gillespot Cambel domicelli, Glasguensis et Ergadiensis diocesum nobis nuper exhibita continebat, quod licet ipsi Duncanus et Elena non ignorarent eundem Duncanum, et quondam Iohannem de Insulis primum maritum ipsius Elene, dum viveret, tertio et quarto affinitatis gradibus fore invicem coniuncti, tamen ad sedandas graves inimicitias, que inter eorum communes consanguineos et amicos diutius viguerunt, et adhuc vigent, ex quibus magna strages et homicidia, domorumque incendia, et alia pericula et scandala pervenerunt, cunctorum consanguineorum predictorum precedente tractatu, sponsalia per verba de futuro invicem contraxerunt, carnali copula subsecuta, et prolem exinde procrearunt, propter quod iidem Duncanus et Elena excommunicationis sententiam in tales a canone generaliter promulgatam incurrisse noscuntur. Quare pro parte dictorum Duncani et Elene fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipsi in huiusmodi sic contracto matrimonio remanere nequeant, dispensatione super hoc apostolica non obtenta, et ex eorum separatione perpetua, si fieret, timeatur verisimiliter huiusmodi inimicitias mala et scandala adaugeri, providere ipsis Duncano et Elene de absolutionis beneficio a predicta excommunicationis sententia, ac de oportune dispensationis gratia misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christifidelibus quietis et pacis commoda procuramus, volentes eorumdem Duncani et Elene super premissis animarum providere saluti, ac huiusmodi inimicitias, pericula, scandala atque mala, quantum cum deo possumus, sopire, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, et tibi expediens videatur, quod huiusmodi concedatur dispensatio, super quo tuam conscientiam oneramus, eisdem Duncano et Elena

separatis ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, ipsos ab huiusmodi excommunicationis sententia absolvas hac vice auctoritate nostra in forma ecclesie consueta, iniungens eis inter alia sub virtute iuramenti prestandi per eos, quod similia de cetero non committant, nec facientibus prebeant auxilium, consilium vel favorem, ac bona penitencia salutari, et aliis, que de iure fuerint iniungenda. Et demum cum prefatis Duncano et Elena, dummodo ipsa Elena propter hoc rapta non fuerit, ut ipsi impedimento, quod ex huiusmodi affinitate provenit, non obstante, matrimonium de novo contrahere libere, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, auctoritate apostolica dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo Dat. Avinione III. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

DCCI.

Ioannes epus Clochorensis renuntiatur. Reg. An. III. de Curia fol. 78.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Ocortran Electo Clochorensi, salutem etc. Romani Pontificis etc. Dudum siquidem bone mem. Odone Episcopo Clochorensi regimini Clochorensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum dicti Odonis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Monachum Monasterii sancti Iacobi extra muros Herbipolenses ordinis sancti Benedicti, Bacallarium in decretis, ordinem ipsum expresse professum', et in sacerdotio constitutum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum testimonio accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob meritorum tuorum exigentiam accepta, eidem Clochorensi ecclesie de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione VIII. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Clochorensi, Clero et populo civitatis et diocesis Clochorensis, universis Vassallis ecclesie Clochorensis, et Archiepiscopo Armachano.

DCCII.

Nuntio apostolico et collectori Scotiae, ut pecuniam decimarum collectam quibusdam mercatoribus Florentinis Brugis assignet. Bull. Cameral. Tom. II. fol. 111.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Guillelmo de Grenlaw Archidiacono Sancti Andree, apostolice sedis nuntio, salutem etc. Discretioni tue tenore presentium mandamus, quatenus omnes et singulas pecuniarum summas Camere nostre apostolice per te et subcollectores a te deputatos recollectas, et usque ad unum annum a data presentium computando recolligendas, dilectis filiis Nicholao Luce et Luce Aldebrandini dilectorum filiorum nobilis viri Nicholai condam Iacobi militis, necnon Raynero Dominici, Bartholo Iohannis, Matheo Iohannis, Bernardo Nicholai, Talento Andree et Petro Marci Benedicti Nerocii de Albertis antiquis, et eorum sociorum factoribus et procuratoribus, mercatoribus Florentinis, quas quidem pecunias dilecti filii Iacobus Vannis Nicholai quondam Iacobi, ac Thomas Monis Benedicti et eius sociorum predictorum factores et procuratores mercatores Florentinis Romanam Curiam sequentes, hic in eadem Romana Curia gentibus dicte Camere nostre, postquam illas assignaveris, infra duos menses dare et assignare promiserint, et ad id se et dictos Nicholaum quondam Iacobi et Benedictum, eorumque socios efficaciter obligarunt, in loco de Brugis Tornacensis diocesis tradas realiter et assignes, et de hiis, que assignaveris, duo consimilia confici facias publica instrumenta, quorum uno penes te retento, aliud gentibus predicte Camere quantocius destinare procures. Nos enim eisdem Nicholao Luce et Luce Aldebrandini, Raynerio, Bartholo, Matheo Bernardo, Talento et Petro, ac eorum cuilibet quittandi te de huiusmodi pecuniis per alias nostras litteras plenam et liberam concedimus potestatem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII. Nonas Septembris, Pont. nostri anno secundo.

DCCIII.

Philippus Tarinton praeficitur ecclesiae Cassellensi in archiepiscopum. Reg. de Curia An. III. fol. 65.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Philippo Tarinton Electo Cassellensi, salutem etc. Romani pontificis etc. Dudum siquidem b. m. Thoma Archiepo Cassellensi regimini Cassellensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Thome Archiepiscopi, qui extra Romanam Cu-

riam diem clausit extremum, vacante, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam huiusmodi cum fratribus nostri habuimus diligentem, demum ad te, ordinis fratrum Minorum professorem, in Theologia magistrum, in sacerditio constitutum, cui de de religionis zelo, vite ac morum honestate, aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eidem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eisdem Cassellensi ecclesie de eorumdem fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Nonis Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.

In e m. Capitulo ecclesie Cassellensis, Clero et populo civitatis et diocesis Cassellensis, universis Vassallis ecclesie Cassellesis, et Edwardo Regi Anglie.

DCCIV.

Willelmus Andree ex ord. Praedic. renuntiatur episcopus Achadensis. Reg. de Curia An. III. fol. 133.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Willelmo Andree Electo Achadensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bone memorie Nicolao Episcopo Achadensi regimini Achadensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Nicolai Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, ordinis fratrum Predicatorum professorem, in Theologia magistrum, et in presbiteratus ordine constitutum, religionis zelo conspicuum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum testimonio percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua prefate Achadensi ecclesie de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione XVI. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Achadensis, Clero et populo civitatis et diocesis Achadensis, Archiepiscopo Tuamensi, et Edwardo Regi Anglie.

DCCV.

Monasterio de Cambuskeneth ordinis s. Augustini Sancti Andreae dioecesis confirmatur quaedam donatio, inserto eiusdem instrumento. Reg. Tom. XXI. cod. chart. fol. 336.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis... Abbati et Conventui Monasterii de Cambuskeneth ordinis sancti Augustini Sancti Andree diocesis, salutem etc. Ea, que pro divini cultus augmento et animarum salute provide facta sunt, ut illibata consistant, libenter apostolico munimine roboramus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod olim dilectus filius nobilis vir Robertus de Erskyne miles, et dilecta in Christo filia nobilis mulier Cristina eius uxor Glasguensis diocesis pro sua, et progenitorum suorum et aliorum fidelium defuntorum animarum salute, et ut pro animabus ipsis missas et alia divina celebraretis officia, certam terram eorum in loco de Kyntholanch dicte diocesis consistentem, et ad dictos coniuges iusto titulo pertinentem, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis vobis et monasterio vestro in perpetuum dederunt, et etiam concesserunt, prout in quibusdam patentibus litteris inde confectis ipsorum sigillis sigillatis, quarum tenorem presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte vestra et dictorum coniugum fuit nobis humiliter supplicatum, ut donationi huiusmodi confirmationis apostolice robur adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi laudabile opus in Domino commendantes, ac volentes illud apostolicis favoribus confovere, huiusmodi supplicationibus inclinati, donationem huiusmodi, et omnia alia et singula in dictis contenta litteris rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem dictarum litterarum talis est.

Universis tam posteris quam presentibus presentem cartam visuris vel audituris, Robertus de Erskyne dominus eiusdem, et Cristina de Keth sponsa sua, Salutem in domino sempiternam. Noverit Universitas vestra nos pro salubritate status nostri nostrorumque heredum et successorum, dum vixerimus, ac pro salute animarum nostrarum ac eorumdem, cum erepti fuerimus ab hac luce, necnon pro salute animarum patrum, matrum, omniumque pa-

rentum et antecessorum nostrorum, atque omnium fidelium defunctorum caritative dedisse, concessisse et hac presenti carta confirmasse monasterio de Cambuskeneth et Canonicis ibidem Deo servientibus et beate Marie semper virgini, ac inperpetuum servituris, totam terram nostram de Kyntolanch cum pertinenciis in Comitatu de Stratherne infra vicum de Perth tenendam et habendam, totam prefatam terram de Kyntolanch cum pertinenciis prefato monasterio et religiosis eiusdem prenominatis in liberam, puram et perpetuam elemosinam in boscis et planis, moris et maresiis, molendinis et multuris, pratis, pascuis et pasturis, novacionibus, aucupacionibus et piscaturis, necnon cum wardis et releviis, maritagiis, escaetis et servitiis libertenentum totius terre de Kyntolanch, ac cum omnibus et singulis aliis libertatibus, commoditatibus, aysiamentis et iustis pertinenciis quibuscumque, tam sub terra, quam supra terram, tam non nominatis, quam nominatis in hac carta ad dictam terram de Kyntolanch cum pertinenciis spectantibus, seu quoque iure spectare valentibus in futurum, ab eo libere, plene, integre et honorifice in omnibus et per omnia, sicut aliqua terra infra Regnum Scotie in puram et perpetuam elemosinam alicui monasterio dari potest ab aliquo seu concedi, faciendo inde dicti religiosi tam posteri, quam presentes divina servitia in missis et aliis suffragiis pro nobis et pro omnibus prenominatis singulis diebus inperpetuum, in quibus et quemadmodum nobis sunt tam litteratorie sub sigillo autentico dicti monasterii sui, quam in bona conscientia obligati fideliter. In cuius rei testimonium presenti carte nostre sigilla nostra sunt appensa. Datum apud Strivelyn octavo die Septembris Anno gratie Millesimo trecentesimo sexagesimo primo.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Datum Avinione v. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCVI.

Ioannes ex ord. Praedic. ecclesiae Ardakadensi in episcopum praeficitur. Reg. An. IV. de Curia fol. 104.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Ardakadensi, salutem etc. Divina disponente clementia etc. Dudum siquidem bone memorie Willelmo Episcopo Ardakadensi regimini ecclesie Ardakadensis presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum dicti Willelmi Episcopi, qui extra Romanam Curiam decessit, vacante, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, reservationis et decreti predictorum forsan ignari, te ordinis fratrum Predicatorum professorem, in sacerdotio constitutum, in Episcopum Ardakadensem elegerunt, licet de facto: tuque electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, de tui superioris licentia de facto consentiens, eam obtinuisti a Venerabili fratre nostro Milone Archiepiscopo Armachano, loci Metropolitano, reservationem et decretum huiusmodi, ut asseritur, ignorante, auctoritate ordinaria confirmari etiam de facto, tibique munus consecrationis impendi: et demum reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam, omnia premissa proponi fecisti in Consistorio coram nobis. Nos igitur electionem et confirmationem easdem, utpote post et contra reservationem et decretum predicta de facto, ut premittitur, attemptata, reputantes, prout erant, irritas et inanes, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa ulterioris vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum apud Villanovam Avinionensis diocesis III. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno quarto.

In e. m. Capitulo ecclesie Ardekadensis, Clero et Populo civitatis et diocesis Ardekadensis, universis Vassallis ecclesie Ardekadensis, Miloni Archiepiscopo Armachano, et Edwardo Regi Anglie.

DCCVII.

Paulus episcopus Conerensis renuntiatur. Reg. Tom. XXI. cod. chart. fol. 95.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Paulo Electo Conerensi, salutem etc. Suscepti cura regiminis etc. Dudum siquidem bone memorie Willelmo Episcopo Conerensi regimini Conerensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per operationis nostre ministerium utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Willelmi Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, ne-

que potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, Rectorem parrochialis ecclesie sancti Colmaneli de Athokill Conerensis diocesis, in presbiteratus ordine constitutum, cui de litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, pro quo etiam dilecti filii Clerus civitatis et diocesis Conerensis per suas patentes litteras nobis super hoc humiliter supplicarunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, ipsi Conerensi ecclesie de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum Avinione III. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

In e. m. Capitulo ecclesie Conerensis, Clero et Populo Civitatis et diocesis Conerensis, universis Vassallis ecclesie Conerensis, Archiepiscopo Armachano, et Edwardo Regi Anglie.

DCCVIII.

Roberto Mercer confirmatur concessio redditunm etc. domus hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani in Scotia ad decennium sub annua pensione cccc. flor. auri sibi a magistro ipsius ordinis facta, inserto gallico donationis instrumento. Reg. Tom. XXIII. cod. chart. fol. 316.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Roberto Mercer domino loci de Jiurpery Sancti Andree diocesis, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, Nos inducunt, ut personam tuam condignis favoribus et graciis prosequamur. Sane petitio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod dudum dilectus filius Robertus Magister, tunc Prior Francie, ac Electus in Magistrum hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, de consilio et assensu dilectorum filiorum fratrum dicti hospitalis pro utilitate hospitalis eiusdem domos, obventiones, redditus et proventus, ac iurisdictiones et bona omnia, que Magister et hospitale predicti habebant, et habere poterant in Regno Scotie, tibi usque ad decem annos ex tunc in antea computandos, ad summam sub pensione annua quadringentorum florenorum auri de Florentia, per te tuis periculis et expensis in festo Ascensionis domini Parisiis eidem Magistro annis singulis dicto durante decennio persolvendam, ac sub certis aliis pactis et conventionibus dedit et concessit, prout in patentibus litteris inde confectis eiusdem Magistri sigillo, illo videlicet, quo ipse Prior dicti Hospitalis in Francia existebat, utebatur, munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut huiusmodi donationi et concessioni robur confirmationis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur Carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francorum Illustris pro te nobis super hoc humiliter supplicantis, ac huiusmodi tuis in hac parte supplicationibus inclinati, donationem et concessionem huiusmodi per ipsum Magistrum tunc Electum, ut premittitur, tibi factas ratas habentes et gratas, eas auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Volumus autem, quod nisi tu predictam summam quadringentorum florenorum auri statuto termino annis singulis dicto durante decennio eidem Magistro, vel eius procuratori ad hoc speciale mandatum habenti persolveris, ut prefertur, aut si predicta pacta et conventiones, et omnia alia, que in predictis ipsius Magistri litteris continentur, non adimpleveris, ad effectum huiusmodi confirmatio et presentes nostre littere nullius sint roboris vel momenti. Tenor dictarum litterarum talis est.

A tous ceulx qui ces presentes lectres verront, frere Robert de Julli de la sainte maison de lospital de saint Johan de Jherusalem humble Prieur en France, Esleu en Maistre dudit hospital, Salut en nostre seignenr. Savoir faisons, que nous du conseil et assentement de noz freres, et pour le prouffit de nostre religion avons baillie, delassie et ottroye, et par la teneur de ces presentes lecteres baillons, delaissons et ottroyons a nostre bien ame Robert Mercer escuyer, sire de Jiurpery, de la date de ces presentes iusques a dix ans toutes les maisons, biens, rentes, revenues et seignories, que nous et nostre religion avons et devons avoir en Royaume et en la terre Descoce, pour lesquelles choses il est, et sera tenuz, et a ce se obligera et baillera bons pleges de nous rendre et paier chascun an a Paris a ses perilz, couz et despenz au Jour de lascention (de) nostre seigneur la somme de quatrecens florins de Florence, et avec ce sera tenuz, et se obligera a faire registres et cartulaires, ou seront mises toutes les rentes, revenues et seignories, que nous et nostre dicte religion avons en dit Royaume, et de les nous envoier a Paris dedenz trois ans prochains venants. Et parmi ce present bail il ne pourra vendre, engagier, ne aliener aucunz des diz biens et revenues, maiz sera tenuz de les garder et pourchacier par toutes les voies et meilleur maniere quil pourra. Et aussi sera tenuz le dit Robert toutes les maisons et edifficez, qui sont droites et en estant mectre tenir et soustenir en bon point et soffisant estat, et les chapelles faire deservir par prestres bien et devement. En tesmoing de ce nous avons seelle ces presentes du seel de nostre dite Priore de France. Donne a Paris le XXIIII. jour de Juing lan de grace mil ccc. soixante et quatorze.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis, voluntatis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Avinione XII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCIX.

Episcopo Dumblanensi, ut cum Thoma Stewart nato regis Scotiae super defectu natalium dispenset. Reg. Tom. XXIII. cod. chart. fol. 342.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Dumblanensi, salutem etc. Ex parte dilecti filii Thome Stewart, scolaris Glasguensis diocesis, nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum eo, qui, sicut asseritur, ascribi desiderat militie clericali, super defectu natalium, quem patitur de coniugato genitus et soluta, quod clericali caractere insigniri, et ad omnes ordines promoveri, ac quecumque beneficia ecclesiastica ac dignitates etiam curatas, aut personatus vel officia, etiam si ad dignitates huiusmodi consueverunt aliqui per electionem assumi, et etiam si aliqua ex eis Episcopalis existat, si sibi alias canonice conferantur, vel assumatur ad illa, recipere, etsi dignitates vel personatus fuerint, successive retinere libere et licite valeat, dispensare misericorditer dignaremur. Nos igitur volentes eundem Thomam, etiam consideratione Carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francorum Illustris, asserentis dictum Thomam Carissimi in Christo filii nostri Roberti Regis Scotie Illustris natum existere, nobis super hoc humiliter supplicantis, favoribus prosequi gratiosis, huiusmodi dicti Regis Francorum ac ipsius Thome in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de cuius circumspectione plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus consideratis diligenter circumstantiis universis, que circa ydoneitatem persone sunt attendende, si dictus Thomas alias sit ydoneus, nec sit paterne incontinentie imitator, sed bone conversationis ac vite, aliaque sibi merita suffragantur ad huiusmodi dispensationis gratiam obtinendam, cum dicto Thoma super premissis, huiusmodi defectu ac Lateranensis concilii, et quibuscunque aliis constitutionibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus huiusmodi beneficia ac dignitates, personatus vel officia forsan fuerint, et ordinum quorumcumque contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum anime sue saluti videris expedire. Dat. Avinione xii. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCX.

Constitutio de non usurpandis bonis episcoporum decedentium a regibus Scotiae confirmata innovatur. Reg Tom. XXIII. cod. chart. fol. 390.

Gregorius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Pastoralis officii debitum, cui disponente domino presidemus, exposcit, ut ad ea, per que ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum statui salubriter consulatur, solicitis studiis, quantum possumus, intendamus. Nuper quidem relatione fidedigna percepimus, quod olim nonnulli Reges Scotie pretextu cuiusdam, ut asserebatur, consuetudinis, que dicenda erat potius corruptela, omnia res et bona mobilia, que Episcopi dicti Regni pro tempore existentes tempore sui obitus obtinebant, seu possidebant, eisdem Episcopis decedentibus, de facto recipientes ac usurpantes, sibimetipsis appropriare temere presumebant: et quia licet olim clare memorie David Rex Scotie, dum ageret in humanis, pie considerans, quod huiusmodi consuetudo abusiva et detestabilis existebat, eam aboleri decrevisset, ac illam penitus revocasset et substulisset, ac mandasset illam de cetero nullatenus observari, ac postmodum Carissimus in Christo filius noster Robertus Rex Scotie Illustris, predicti David successor, huiusmodi revocationem et mandatum approbasset et confirmasset, tamen nonnulli eiusdem Regis officiales et alii quoque pretextu dicte consuetudinis, et nomine dicti Roberti Regis quorumdam Episcoporum et Prelatorum in dicto Regno decedentium bona capere, et Camere dicti Regis, vel aliis usibus appropriare temere presumpserunt hactenus et presumunt. Nos igitur attendentes, quod nostra intentio est super hiis de oportuno remedio providere, ac volentes huiusmodi presumptuosis ausibus, quantum cum deo possumus, salubriter obviare, presentium tenore districtius inhibemus omnibus et singulis personis in dicto Regno consistentibus, ne pretextu predicte detestande consuetudinis, immo verius corruptele, aliqua bona cuiuscumque Episcopi vel Prelati in predicto Regno decedentis recipere, vel quovis modo usurpare presumant. Nos enim omnes et singulos, qui decetero contra huiusmodi inhibitionem nostram bona aliquorum Episcoporum, vel Prelatorum dicti Regni deinceps decedentium recipere, vel usurpare presumpserint, etsi huiusmodi presumptores Regali vel quavis alia prefulgeant dignitate, sententiam excommunicationis incurrere decernimus eo ipso, a qua nullatenus preterquam in mortis articulo possint absolvi, nisi prius bona per eos sic rapta vel usurpata contra inhibitionem huiusmodi illis, quibus de iure debebuntur, integre restituerint cum effectu. Nulli ergo etc. nostre inhibitionis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione xiiii. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCXI.

Iudicibus, dispensent cum Thoma Ocolmay ex ord. Minorum, ut non obstante defectu natalium etiam ad dignitatem episcopalem in Hibernia eligi possit. Reg. Tom. XXIII. cod. chart. fol. 344.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Darensi et ... Clochorensi Episcopis, et dilecto filio ... Decano ecclesie Armachane, salutem etc. Religionis zelus, litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius Thomas Ocolmay, ordinis fratrum Minorum professor, apud nos fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut ipsum favore apostolico prosequamur. Exhibita siquidem nobis pro parte dicti Thome petitio continebat, quod olim secum super defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, ut eo non obstante ad omnes dignitates et officia ac administrationes ordinis fratrum Minorum citra dignitatem ministerii generalis dicti ordinis prefici et assumi valeret, fuit auctoritate apostolica dispensatum, et quod idem Thomas, qui, ut

asserit, de nobilibus et potentibus parentibus partium Ibernie ex utroque latere procreatus fuit, in Parisiensi et Oxonie ac Cantabrigie Lincolniensis et Eliensis diocesum et universitatum studiis in Theologia per plures annos studuit et disputavit, et in earum aliquibus verbum dei publice disputavit, ac in civitate Armachana in loco fratrum Minorum lector sacre pagine extitit, et etiam pro iuribus et libertatibus ecclesiarum Ibernie tempore guerrarum apud diversos temporales dominos diligentius laboravit, sepe propterea mortis periculum incurrendo. Volentes igitur dictum Thomam premissorum meritorum suorum intuitu favore prosequi gratie amplioris, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si est ita, cum dicto Thoma, ut ad dignitatem Episcopalem licite assumi et promoveri valeat, dummodo ad illam canonice eligatur, vel etiam assumatur, defectu predicto, necnon generalis concilii et quibuslibet aliis constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate predicta dispensetis. Dat. Avinione VIII. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCXII.

Monasterio s. Mariae de Trym ord. s. Augustini Midensis dioecesis confirmatur quoddam insertum privilegium a Coelestino PP. III. concessum. Reg. Tom. XXIII. cod. chart. fol. 417.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati et Conventui Monasterii sancte Marie de Trym ordinis sancti Augustini Midensis diocesis, salutem etc. Vestre devotionis sinceritas promeretur, ut vos et Monasterium vestrum paterno prosequentes affectu, petitiones vestras, quantum cum deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Tenorem igitur cuiusdam privilegii fel. recordationis Celestini pp. III. predecessoris nostri, eiusdem predecessoris et bone memorie nonnullorum Episcoporum, presbiterorum et diaconorum sancte Romane ecclesie Cardinalium, qui tunc erant, subscriptionibus et signis consuetis in talibus roborati, quod incipit vetustate consumi, et quod inspici et examinari fecimus diligenter, de verbo ad verbum ad vestre supplicationis instantiam presentibus, absque signis et subscriptionibus predictis, annotari fecimus: quod tale est.

Celestinus episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis Elie Abbati ecclesie sancte Marie de Athrum eiusque fratribus tam presentibus quam futuris Regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et prefatam ecclesiam sancte Marie de Athrum, in qua domino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuimus, ut ordo canonicus, qui secundum deum et beati Augustini regulam atque institutionem Aroensium fratrum in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia impresentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis Achadnaribrad, Gardarnbach, Grangiam de Chellfoncho, Chaerebroch cum aquis et piscariis suis, Grangiam de Rumaillad cum molendinis, Grangiam de Chelluacatohudan et redditum Rolle de Athrum cum bulla sancte Marie Virginis. Sane novalium, que vestrorum propriis manibus aut sumptibus collitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos, et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere: prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit absque Abbatis sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu de eodem loco discedere: discedentem vero absque eorundem litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Inhibemus etiam, ne ullus Archiepiscopus, Episcopus, vel alia qualibet persona, nisi a vobis fuerit requisitus, in vestro Monasterio conventus publicos convocare, causas seu alia negotia pertractare presumat, nisi a Romano Pontifice vel eius legato super hoc mandatum recepit. Novas etiam et indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Archidiaconis seu Decanis aliisque omnibus ecclesiasticis, secularibus vero personis omnino fieri prohibemus. Ad hoc etiam duximus inhibendum ne ulli Archiepiscopo vel Episcopo, seu alie persone a vobis pro decimis vestris iniuste aliud petere liceat, quam fuerit a predecessoribus eorum usque ad hec tempora requisitum: decimas preterea et possessiones ad ius ecclesiarum vestrarum spectantia, que a laicis detinentur, redimendi et liberandi de manibus eorum et ad ecclesias, ad quas pertinent, revocandi libera sit vobis de auctoritate nostra facultas. Eas etiam decimas, quas Monasterium vestrum a quadraginta annis inconcusse possedit, et impresentiarum rationabiliter possidet, vobis et per vos eidem Monasterio nichilominus confirmamus. Sepulturam preterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverunt, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violenter preponatur, nisi quem fratres communi con-

sensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum dei timorem et beati Augustini regulam providerint eligendi. Paci quoque ac tranquillitati vestre paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum committere, ignem apponere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temere perturbare, aut eius possessiones aut decimas vel oblatas retinere, imminuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate, et diocesani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divini ultioni subiaceat: cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, qui et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, huiusmodi privilegium auctoritate apostolica innovamus, et presentis scripti patrocinio communimus: per hoc autem nullum ius alicui de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo etc. nostre innovationis et communitionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCXIII.

Episcopo Sancti Andreae, ut in monasterio monialium de Northberwik inclusuram introducat. Reg. An. V. Tom. XXIII. cod. chart. fol. 449.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri … Episcopo Sancti Andre, salutem etc. Circa statum ecclesiarum et Monasteriorum omnium, et personarum in eis degentium salubriter dirigendum libenter intendimus, et ut persone ipse, presertim que relegatis mundi huiusmodi illecebris in humilitatis spiritu sub regulari observantia deo militant, a quibusvis retrahantur lasciviis, et sub religionis observantia quietius et devotius valeant virtutum domino famulari, partes nostre sollicitudinis adhibemus. Sane petitio pro parte dilectarum in Christo filiarum Beatricis Priorisse, ac maioris et sanioris partis Conventus Monasterii de Northberwik, per Priorissam soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti tue diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod ad prefatum earum Monasterium, quod in loco notabili et insigni situm et constructum fore dinoscitur, nonnullarum nobilium et aliarum secularium personarum sub cuiusdam ficte visitationis velamento, et presertim modernis temporibus, causante multitudine castrorum et fortalitiorum, que circumquaque construuntur, frequenter habetur accessus, propter quod monialium ibidem Altissimo deservire cupientium devotio tepescit, divinusque cultus, pro dolor! non modicum diminuitur et deducitur in contemptum: ex quibus Priorissa et Conventus predicte verisimiliter dubitant, quod dampna maiora et scandala irreparabilia contingant in futurum, nisi super hoc provideatur de remedio oportuno. Quare pro parte dictarum Priorisse et Conventus, que liberum exitum de ipso Monasterio et aditum ad illud ab ipsius Monasterii fundatione habere noscuntur, nobis fuit humiliter propositum, ut accessus personarum huiusmodi ad Priorissam et moniales ipsas precludatur, Priorissam et moniales easdem sub perpetua clausura infra septa eiusdem Monasterii includi auctoritate apostolica mandaremus. Nos huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus competentem clausuram, iuxta numerum monialium in eodem Monasterio degentium, infra septa predicta sumptibus et expensis Priorisse et Conventus predictarum auctoritate apostolica predicta statuas, ordines et disponas, ipsasque Priorissam et moniales infra eandem clausuram eadem auctoritate includas. Contradictores etc. Et insuper auctoritate predicta statuas et etiam ordines, quod Priorisse et moniales dicti Monasterii, qui erunt pro tempore, infra eandem clausuram resideant et residere teneantur perpetuis temporibus in futurum, statutis et consuetudinibus etc. non obstantibus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Id. Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCXIV.

Robertus archidiaconus Wintoniensis archiepus Dublinensis renuntiatur. Reg. An. V. Tom. XXVI. cod. chart. fol. 50.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Roberto Electo Dublinensi, sal. etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bone mem. Thoma Archiepiscopo Dublinensi regimini ecclesie Dublinensis presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per operationis nostre ministerium utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Thome Archiepi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem,

quam de preficendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, Archidiaconum Wyntoniensem, iuris doctorem, in presbiteratus ordine constitutum, cui de vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia, et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, ipsi Dublinensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Dat. Avinione IIII. Idus Octobris, Pont. nostri anno quinto.

In e. m. Capitulo ecclesie Dublinensis, Clero et Populo Civitatis et diocesis Dublinensis, universis Vassallis et universis Suffraganeis ecclesie Dublinensis, et Edwardo Regi Anglie.

DCCXV.

Episcopo Glasguensi, ut Thomae de Rossi ex ordine Minorum gradum magisterii apud sedem apost. conferre possit. Reg. Tom. XXIII. cod. chart. fol. 564.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Galtero Episcopo Glasguensi, Avinione commoranti, salutem etc. Viri sacre lectionis studio dediti et in lege domini eruditi apostolici favoris gratiam promerentur, eoque benignius decet honestis eorum desideriis annui, quo ex eorum profectibus maior potest in dicta ecclesia dei utilitas provenire. Cum itaque, sicut petitio nobis pro parte dilecti filii Thome de Rossi ordinis fratrum Minorum professoris exhibita continebat, ipse, qui generalis Vicarius predicti ordinis in dicto Regno Scotie, et in Theologia Bacallarius Parisius (sic) formatus existit, quique, sicut fidedignis testimoniis accepimus, iam plusquam est annus, quatuor libros sententiarum Parisius perlegit, et Magistris ac Bacallariis huiusmodi Theologie facultatis in universitate ipsius studii de pluribus questionibus respondit, ac quinque vicibus coram eisdem universitate dicti Parisiensis studii Clero predicavit, et alia quamplures collationes coram eisdem universitate fecit, propter officium dicti ordinis sibi iniunctum, et expensarum defectum, ac consuetudines et statuta studii et ordinis predictorum non possit Parisius tamdiu remanere, quod in facultate ipsa ad licentie et magisterii gradus valeat assumi: Nos super hiis eidem Thome, apud nos de religionis zelo, litterarum scientia, vite ac morum honestate, et aliis virtutum meritis multipliciter commendato, de benignitate apostolica providere volentes, ipsius in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si idem Thomas per tuam et aliorum magistrorum in eadem facultate diligentem examinationem ad hoc ydoneus et sufficiens repertus extiterit, ei magisterii honorem, et docendi licentiam in eadem facultate, servatis constitutione Viennensis concilii et aliis solempnitatibus consuetis, apud sedem apostolicam largiaris. Non obstante etc. Datum Avinione x. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCXVI.

Richardus Wy ex ord. Carmel. ecclesiae Clonensi in episcopum preficitur. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. I. fol. 142.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Ricardo Wy Electo Clonensi, salutem etc. Apostolatus officium, quamquam insufficientibus meritis, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes, soliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ipsorum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Sane ecclesia Clonensi ex eo vacante, quod nos hodie Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Bangorensem, tunc Clonensem Episcopum, apud sedem apostolicam constitutum a vinculo, quo ipsi Clonensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Bangorensem tunc pastore carentem auctoritate apostolica duximus transferendum, preficiendo ipsum dicte Bangorensi ecclesie in Episcopum et pastorem: Nos ad provisionem eiusdem ecclesie Clonensis celerem et felicem, ne longe vacacionis detrimenta subiret, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem Clonensi ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum sancte Marie de Montecarmeli professorem, in sacerdocio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione et aliis multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Clonensi ecclesie de ipsorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolice providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Clonensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dicta Clonensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur, et salubria, dante Domino, in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi a Domino onus regiminis dicte Clonensis ecclesie suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas, et eciam studiosum, quod ipsa ecclesia

gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostram, et apostolice sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis vi. Nonas Iulii, Pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. ... Archiepiscopo Cassellensi, Capitulo et universis Vassallis ecclesie Clonensis, Clero ac populo civitatis et diocesis Clonensis, et Edwardo Regi Anglie Illustri. Datum ut supra.

DCCXVII.

Archiepiscopo Cassellensi, ut Huberto de Kalvesnaken ex ord. Minorum licentiam in generali studio Avinionensi tribuat munus magisterii exercendi. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. II. fol. 200.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Philippo Archiepiscopo Cassellensi, in sacra Theologia Magistro, Avinione moram trahenti, salut. etc. Viri sacre lectionis studio dediti et in lege domini eruditi favoris apostolici gratiam promerentur, et eo decet magis eorum honestis votis annui, quo ex ipsorum profectibus maior potest in dei ecclesia utilitas provenire. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Hupertus de Kalvesnaken, ordinis fratrum Minorum professor, in sacra Theologia Bacallarius, in Parisiensi, Exoniensi et Canthabrigie, et aliis diversis generalibus studiis in facultate Theologica diligenter studuerit, et per Capitulum generale dicti ordinis ad legendum sententias in studio Oxoniensi pro suscipiendo gradum magisterii deputatus extiterit, et in dicta facultate, suffragante sibi divina gratia, adeo profecerit, quod se dignum reddit ad huiusmodi magisterium obtinendum, pro parte ipsius Huperti nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsum ad huiusmodi magisterii honorem promoveri de benignitate apostolica mandaremus. Nos itaque de sufficientia et ydoneitate dicti Huperti circa hoc etiam noticiam non habentes, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si in generali studio Avinionensi per tuam, et aliorum saltem quatuor in dicta pagina magistrorum ibidem existentium, diligentem examinationem eundem Hupertum ad hoc sufficientem et ydoneum esse inveneris, eidem Huperto huiusmodi magisterii honorem et docendi licentiam in facultate predicta, servatis constitutionibus Viennensis concilii, et aliis solennitatibus in talibus consuetis, auctoritate apostolica licentiam largiaris. Et nichilominus sibi, ut infra et extra dictum ordinem quibuscumque gratiis et privilegiis, ac libertatibus et indulgentiis tam a sede apostolica, quam a prefato ordine fratribus eiusdem ordinis in eadem, pagina Parisius magistratis concessis, perinde uti et gaudere valeat, ac si in Parisiensi studio huiusmodi magisterium recepisset, ita tamen, quod ex hoc prefatus ordo ad presentandum eidem Huperto pro suis expensis et aliis necessariis ratione dicti magisterii ultra quam antea minime teneatur, eadem auctoritate concedas. Non obstantibus etc. Datum Avinione Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

DCCXVIII.

Richardo episcopo Clonensi constitutio Ioannis PP. XXII. de unione Clonensis et Corkagensis ecclesiarum innovatur, inserto eiusdem tenore. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. II. fol. 272.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Richardo Episcopo Clonensi, salutem etc. Provisionis nostre debet provenire subsidio, ut ius suum cuilibet conservetur. Hinc est, quod nos tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, in regestro ipsius predecessoris repertum, pro eo quod, sicut tua petitio nobis nuper exhibita continebat, predicte originales littere casualiter sunt amisse, de regestro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad tue supplicationis instantiam presentibus annotari fecimus: que tales sunt.

Iohannes episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romana ecclesia, que super universas orbis ecclesias obtinet divina miseratione primatum, circa singulas materne diligentie cura sedula vigilans, earum profectibus velut sollicita mater ardenter intendit, studens ecclesiarum ipsarum, presertim cathedralium commoda interdum per salubris unionis ministerium, prout locorum et temporum et personarum qualitate pensata, earumdem ecclesiarum et Prelatorum eis presidentium utilitati expedire perspicit, efficaciter procurare. Sane Carissimus in Christo filius noster Edwardus Anglie Rex Illustris, ac dominus Ibernie, attente considerans, quod ecclesie in eiusdem Ibernie provincia consistentes, et presertim Cathedrales adeo sunt in facultatibus et redditibus tenues et exiles, quod propter tenuitatem ecclesiasticorum proventuum vilescit in eis pontificalis auctoritas, nec eis debita quam oportet reverentia exhibetur, earum quoque presules ad tenendum statum debitum et familiam oportunam sufficientes redditus non habentes, in suorum deffensione iurium redduntur plurimum impotentes, ipsorum etiam presulum impotencia et paupertas ad diminutionem iurium etiam regalium noscitur redundare, ad quorum deffensionem et regendum in pace provinciam multum profecto facit non solum circumspectionis industria, quinimmo sufficientia facultatum et potentia Prelatorum: ac propterea diligenter attendens sibi et regno ac dominio suis, ac etiam pacifico statui totius insule Ibernie plurimum expedierit, ut per uniones dictarum pauperum ecclesiarum status earum, predictis causis rationabilibus suadentibus, in melius refformentur, ut duarum vel plurium sub unius et eiusdem presulis moderamine unita potentia presul vivat decentius, sufficientius resistat persecutorum insultibus, deffendat Episcopalia iura, et commodius commissum sibi gregem dominicum potentius tueatur, eundemque maiori pace et tranquillitate gubernet, nobis humiliter supplicavit, ut Corkagensem in civitate regia constitutam, cuius redditus annui vix sexaginta librarum sterlingorum transcendere dignoscuntur, et Clonensem sibi in comitate coniunctam ecclesias Cathedrales, que adeo sunt in facultatibus et redditibus suis tenues et exiles, quod earum presules singulariter singuli ex eis nequeunt iuxta Episcopalis status

decenciam commode sustentari, unire invicem dignaremur. Nos igitur laudabilem eiusdem Regis in hac parte propositum, et commendabile zelum, quem ad deum et ecclesias habere noscitur, plurimum in domino commendantes, ac confidentes, quod Prelatis eciam earumdem ecclesiarum videtur expediens huiusmodi fieri unionem propter urgentem necessitatem et evidentem utilitatem ipsarum, et alias rationabiles causas predictas, easdem ecclesias de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis unimus auctoritate presentium, statuentes, ut statu presulum, qui nunc presunt eisdem, sine immutatione aliqua integre permanente, tandem quovis ipsorum cedente, seu etiam decedente sit una earumdem ecclesiarum Episcopalis dignitas, quod superstes sit Episcopus utriusque Corkagensis et Clonensis nominandus, et in qualibet ipsarum ecclesiarum sedem Episcopalem habeat ac utatur, exerceat Episcopalia in utraque, prout viderit expedire, ac deinceps ecclesie ipse uno et eodem antistite simili, quinimo potius eademque intitulatione perpetuis temporibus gubernentur: cuius electionem, cum ipsarum vacatio imminebit, in altera dictarum ecclesiarum, insigniori videlicet, ab utrisque Canonicis vocem in eadem electione, quasi forent unum corpus, collegium pariter habituris decernimus celebrandam, ac quotiens novi pastoris electio fuerit facienda, ad Capitulum eiusdem insignioris ecclesie eorumdem Canonicorum ecclesie utriusque vocatio ad electionem huiusmodi celebrandam debeat pertinere. Per hoc autem Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Cassellensi ipsarum ecclesiarum Metropolitano eiusque successoribus, seu etiam Cassellensi ecclesie nullum preiudicium generetur, quominus in eisdem Corkagensi et Clonensi ecclesiis habeant alia iura metropolitica, omnia illa que percipiant sicut prius. Volumus etiam, (et) apostolica auctoritate decernimus, ut si forte alicuius dictarum ecclesiarum Episcopus senio aut valetudine corporali gravatus, vel alias adeo impeditus fuerit perpetuo, ut officium suum nequeat exercere, ac ecclesie sibi commisse curam et administrationem gerere opportunam, suique Metropolitani et duorum presulum suffraganeorum suorum iudicio impotens, seu inutilis aut inhabilis censeatur, curam et administrationem eiusdem ecclesie sic unite, cuius presul talis extitit, ut premittitur, in spiritualibus et temporalibus ad Episcopum alterius ecclesie sibi invicem coniuncte, si eiusdem Episcopi taliter, ut premittitur, impediti concurrat assensus, debeat pertinere: proviso tamen, quod prefato Episcopo impedito de victu et vestitu sufficienti et honesto pro se et decenti familia iuxta ecclesie sue exigentiam facultatum Metropolitani et suffraganeorum predictorum arbitrio debeat provideri. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Avinione III. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno decimo.

Ceterum ut earumdem litterarum tenores predicti sic inserti omnimodam rei seu facti certitudinem faciant, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, que haberent originales littere supradicte, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocumque et ubicumque in iudicio vel alibi fuerit exhibitus vel ostensus, ac eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense. Per hoc autem nullum ius de novo alicui acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Avinione IIII. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

DCCXIX.

Iudicibus, ut in violatores ecclasiasticae libertatis in diocesi Imelacensi undique grassantes censuris ecclesiasticis severe animadvertant. Reg. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 49.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Lymericensi, et dilectis filiis Abbati de Omadio, ac Priori de Achessell per Priorem soliti gubernari Monasteriorum Lymicerensis et Cassellensis diocesum, salutem etc. Ad reprimendas insolencias transgressorum, et transgressiones insolentium refrenandas, si nervus discipline publice lentescat, eorum ad peccandum voluntas sit lapsior et exemplum impunitate periculosius in alios dirivatur, propter quod ad presidentes officium pertinet, sic debitam executionem adhibere iusticie, quod commissa iam crimina puniat, et committendorum imposterum audaciam interdicat. Sane lamentabilis querela multorum nostrum frequenter turbavit auditum, amaricavit et mentem, quod nonnulli iniquitatis filii, a quorum oculis Dei timor abscessit, in civitate et diocesi Imelacensi pretextu guerrarum, quibus eedem civitatas et diocesis dicuntur multipliciter fatigari, et alias temere clericos et ecclesiasticas personas, seculares et regulares, eciam in dignitalibus constitutos civitatis et diocesis predictarum bellicis actibus se minime immiscentes, non absque manuum iniectione violenta capere, detinere, carceribus mancipare, tormentibus subicere, verberibus cedere, vulnerare, morti tradere et crudelibus afflictionibus ad redemptiones indebitas personaliter cohercere, ecclesias quoque, monasteria, hospitalia et alia pia loca secularia dicte diocesis invadere, frangere, capere, occupare, occupata detinere, diruere ac incendio concremare, ac ecclesias, monasteria et loca ipsa libris, calicibus, crucibus, sanctorum reliquiis, paramentis et ornamentis aliis divino cultui et usui deputatis spoliare, ac huiusmodi libros, cruces, calices, sanctorum reliquias, paramenta et ornamenta ausu sacrilego, necnon fructus, redditus, res et bona alia personarum ecclesiasticarum, monasteriorum, hospitalium et aliorum locorum huiusmodi tam in ipsis ecclesiis, quam extra illas existentia eciam violenter rapere, depredari, ac in predam abducere seu asportare presumpserunt hactenus, et cotidie presumere non verentur: propter que clerici et persone ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium et locorum ipsorum ea coacti deseruerunt et deserunt, ac ecclesie obsequiis debitis et Christifideles sacramentis ecclesiasticis, ac pauperes et infirmi pie hospitalitatis subventione fraudantur, quodque nonnulli, qui gloriantur, cum

malefecerint, huiusmodi criminum patratores, necnon clericos et personas ecclesiasticas captos ab eis, ac insuper res et bona huiusmodi per eos in predam abducta seu asportata scienter in civitatibus, castris, villis, fortaliciis, terris et aliis locis earum receptaverunt et receptant, aliqui vero premissa omnia seu nonnulla ex eis fieri seu committi fecerunt, et eciam mandaverunt, seu eorum nomine seu mandato facta sive commissa rata habuerunt et habent, alii eciam eisdem predictorum criminum patratoribus in committendis eisdem excessibus per se et alios prestiterunt et prestant auxilium et favorem, eaque omnia que in gravem eciam divine maiestatis offensam, animarum periculum, ecclesiastice libertatis contemptum et plurimorum scandalum cedere dinoscuntur, in civitate et diocesi memoratis sic sunt notaria, sic ea fama publica divulgat, sicque nociva prothdolor! experientia manifestat, quod tergiversatione aliqua nequeunt occultari. Cupientes igitur huic morbo, ne per moras temporum factus chronicus fomenta respuat medecine, oportunam et congruam adhibere medelam, discretioni vestre per apostolica (scripta) committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios omnes et singulos, tam clericos quam laicos, cuiuscumque status, ordinis vel conditionis existant, huiusmodi clericorum seu personarum ecclesiasticarum se, ut premittitur, bellicis actibus non immiscentium captores, detentores, carceri mancipatores, compulsores, verberatores, vulneratores, occisores, necnon ipsorum clericorum seu personarum ecclesiasticarum sic captorum seu detentorum, aut carceratorum receptatores, ecclesiarum effractores, et incendiarios, ac rerum et bonorum in ipsis ecclesiis existentium violentos spoliatores, raptores et depredatores, necnon talia fieri mandantes, seu procurantes, aut eorum nomine seu mandato facta, rata et grata habentes, utpote excommunicatos a canone generaliter per omnes ecclesias et loca, in quibus expedire videritis, auctoritate nostra excommunicatos publice nuntietis. Et insuper omnes et singulos tam sic excommunicatos a canone, quam huiusmodi ecclesiarum, monasteriorum et locorum ac personarum ecclesiasticarum predictorum spoliatores librorum, fructuum, reddituum et aliorum bonorum prefatorum occupatores, detentores, raptores, depredatores et asportatores, necnon eos, qui talia fieri, seu committi mandaverunt, seu fecerunt, aut eorum nomine seu mandato facta seu commissa rata habuerunt seu habent, ipsorumque ea patrantium, ac rerum et bonorum huiusmodi in predam asportantium receptatores ex parte nostra generaliter publice in ecclesiis coram populo per vos vel alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeritis, huiusmodi captos, et spoliata, rapta, abducta et asportata restituant, seu de ipsis et aliis de huiusmodi per eos commissis debitam satisfactionem impendant: et si infra dictum terminum id non impleverint, in illos, qui alias ob premissa a iure excommunicati non sint, generalem excommunicationis sententiam proferatis, ipsorumque omnium huiusmodi monita non implentium terras, opida, castra, villas et loca subiciatis ecclesiastico interdicto. Preterea tam predictos, quam alios omnes et singulos clericos, personas ecclesiasticas seculares et regulares, Comites, Proceres, Barones, nobiles, milites et laicos, Communia quoque ac Universitates civitatum, castrorum, villarum et aliorum quorumcumque locorum generaliter et publice eadem auctoritate monere curetis, ut a talibus omnino deinceps abstineant: alioquin ex tunc in omnes et singulos, qui talia committere aut attemptare presumpserint, in singulares scilicet personas, in illis videlicet casibus ex predictis, in quibus excommunicationem per iam editos canones non subirent, excommunicationis, ac in Universitates et Communitates, ac in omnium et singulorum talia committentium civitates, opida, castra, terras, villas et loca interdicti generales sentencias proferatis. Et nichilominus omnes et singulos, quos simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii solerti et fedeli exhibita diligencia rapereritis talia commisisse aut fecisse, vel mandasse fieri aut committi, aut eorum nomine vel mandato facta seu commissa rata et grata habuisse, seu in futurum committerere vel facere, aut mandare fieri, aut eorum nomine vel mandato facta, seu commissa rata et grata habere, si singulares persone, sive ab eodem canone sive vigore monicionum huiusmodi excommunitati sint, eos excommunicatos nominatim candelis accensis, si vero Universitates sive Communitates extiterint, et monicionibus huiusmodi non paruerint, eos eciam nominatim ipsorumque omnium et singulorum personarum, Universitatum et Communitatum eisdem monicionibus non parentium civitates, opida, castra, terras villas et loca interdicta tamdiu diebus dominicis et festivis in ecclesiis atque locis, in quibus vobis videbitur expedire, cum maior in eis fuerit cleri et populi multitudo, publice nuncietis, et faciatis ab aliis nunciari, ipsosque excommunicatos ab omnibus arcius evitari, donec super hiis satisfecerint competenter, et cum vestris litteris rei veritatem continentibus ad sedem apostolicam venerunt, pro absolutionis ab excommunicatione predicta et interdicti huiusmodi relaxationis benificiis obtinendis. Nos enim, ne sub spe venie consequende faciliter incentivum dilinquendi aliquibus forsitan prebeatur, absolutionem ab excommunicationum sententiis, ac relaxationem seu suspensionem interdicti huiusmodi nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus tantummodo reservamus, ita videlicet, ut nullus preterquam in mortis articulo quemquam ab excommunicationum sententiis huiusmodi absolvere possit. Ceterum si forsan predictorum huiusmodi scelerum patratorum, et receptantium eos, eaque fieri mandantium, ipsisque dantium in illis per se vel alium seu alios directe, publice vel occulto auxilium, consilium vel favorem, presencia pro monicione et requisicione huiusmodi, seu citatione de ipsis faciendis eis secure vel commode haberi nequiret, vobis monicionem et requisitionem huiusmodi, et citationes quaslibet per edicta publica in locis affigenda publicis, de quibus sit

verisimilis coniectura, quod ad noticiam citatorum et monitorum huiusmodi prevenire valeant, faciendi plenam concedimus tenore presentium potestatem, et volumus, quod perinde ipsos citatos, requisitos et monitos, ut premittitur, artent, ac si eis facte et insinuate presencialiter et personaliter extitissent, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suo diocesis ad iudicium evocetur, seu quod iidem Iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere non presumant, aut de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de Iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non trahendis, aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni et potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare etc. Datum Rome apud S. Petrum VIII. Idus Martii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCXX.

Episcopus Imelacensis nuntius apostolicus et decimarum collector in Hibernia constituitur. Reg. Bull. Cameral. Tom. VII. cod. chart. fol. 89.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo Episcopo Imelacensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum pro defensione terrarum Romane ecclesie sponse nostre, et ut resistamus persecutionibus et hostilitatibus suorum hostium, quas ipsi hostes dicte Romane et aliis ecclesiis inferunt, magna nos oporteat subire onera expensarum, ad que ferenda proventus nostre Camere, qui ex diversis causis multum extenuati et diminuti existunt, non possunt sufficere: Nos vias et modos rationabiles et honestos, per quos onera ipsa facilius supportari valeant, cogitantes, et reputantes, prout est, equum et congruum, ut dicta Romana ecclesia.... ab aliis ecclesiis et personis ecclesiasticis in suis necessitatibus adiuvetur, deliberatione super hiis prehibita diligenti, decimam omnium fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum in Cassellensi, Lismorensi et Waterfordensi, Clonensi, Limericensi, Imelacensi, Laoniensi, Artfortensi, Corkagensi, Rossensi et Finabrensi civitatibus et diocesibus dumtaxat usque ad tres annos, a data presentium computandos, in terminis infrascriptis a te ac Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Cassellensi et singulis aliis episcopis et prelatis, ac personis ecclesiasticis huiusmodi redditus et proventus in eisdem civitatibus et diocesibus obtinentibus, et infra dictam terminum obtenturis, cuiuscumque preeminencie, gradus, status, ordinis vel conditionis existant, quibus aut alicui eorum nulla privilegia vel indulgentias sub quacumque forma vel expressione verborum concessa volumus suffragari, preterquam a Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus huiusmodi redditus et proventus in eisdem civitatibus et diocesibus obtinentibus, et obtenturis imposterum, qui nobiscum assidue indefessis laboribus onera ecclesie universalis sortiuntur, quosque a solutione dicte decime exemptos esse volumus et immunes, solvendam, exigendam et etiam colligendam, ac in relevationem dictorum onerum committendam imponimus per presentes, volentes quod huiusmodi decima per te, quem in eisdem civitatibus et diocesibus eiusdem decime collectorem deputamus, et succollectores tuos, clericos dumtaxat, quos ad hoc deputaveris, ab Archiepis, Epis ac prelatis et personis aliis ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis et non exemptis, huiusmodi redditus ibidem habentibus, et infra dictum ternum habituris, preterquam a dictis Cardinalibus, de ipsis dumtaxat redditibus atque proventibus exigatur sine iniuria et oppressione quacumque: ita quod per te et succollectores eosdem ad redditus et proventus ecclesiasticos extra dictas civitates et dioceses consistentes huiusmodi compulsionis officium nullatenus extendatur. Et volumus, quod dicta exactio fiat secundam taxationem decime in civitatibus et diocesibus predictis factam, vel ubi huiusmodi nulla taxatio foret, secundum communem extimationem reddituum et proventuum, et sine aliquo onere ipsorum, a quibus huiusmodi decima exigetur. Et ne de moneta, in qua fiet et fieri debebit solutio dicte decime, valeat hesitari, vitenturque gravamina, que propter hoc viri ecclesiastici hactenus sunt perpessi, volumus, quod per te et succollectores prefatos nomine Camere apostolice recipientes, ipsa decima ad monetam in dictis terminis in prefatis civitatibus et diocesibus communiter currentem levetur, et etiam exigatur secundum constitutionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alicuius cambii debitores et solutores dicte decime non graventur, quodque iuxta constitutionem eandem calices, libri, et alia ornamenta ecclesiastica divinis officiis deputata ex causa pignoris, vel alia occasione dicte exactionis nullatenus capiantur, accipiantur, distrahantur vel occupentur. Primum quidem terminum solutionis medietatis eiusdem decime primi anni fore statuimus festum dedicationis basilice beati Michaelis (sic) futurum proximo: secundum vero terminum solutionis alterius medietatis ipsius decime dicti anni festum Resurrectionis domini nostri Ihesu Christi immediate secuturum: et in singulis aliis annis dicti triennii similes terminos volumus observari. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te, vel alium seu alios ab eisdem Archiepiscopis et Episcopis, ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis dictam decimam de ipsis ecclesiasticis fructibus, redditibus et proventibus, quos obtinent et infra dictum terminum obtinebunt, preterquam a prefatis Cardinalibus, secundum premissam formam petere, exigere et colligere studeas diligenter. Nos enim tibi prefatos Archiepiscopum et Episcopos, prelatos et personas ecclesiasticas, iam dictis Cardinalibus exemptis, dumtaxat ad solvendum tibi vel a te deputatis dictam decimam in eisdem terminis, prout

superius est expressum, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, et etiam per sequestrationem ipsorum fructuum, reddituum et proventuum, si expediens fuerit, compellendi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, Non obstantibus si eisdem Archiepiscopo, Episcopis, prelatis et personis ecclesiasticis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod ad solutionem huiusmodi decime minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de huiusmodi indulto et toto eius tenore de verbo ad verbum, ac propriis ipsorum ordinum, locorum et personarum nominibus plenam et expressam non fecerunt mentionem, et quibuslibet privilegiis et indulgentiis et literis apostolicis quibuscumque dignitatibus et ordinibus, et specialiter sanctorum Benedicti et Augustini, ac Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Cartusiensis, Grandimontensis, nec non Hospitalibus seu domibus sancti Iohannis Ierosolimitani, et sancte Marie Theotonicorum, et ipsorum universitatibus et personis generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel expressione verborum a memorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus, ac de verbo ad verbum in nostris litteris specialis plena et expressa mentio sit habenda. Ad hec volumus, tibique eadem auctoritate concedimus, quod tu, necnon a te deputati illis, qui ex defectu non facte solutionis huiusmodi excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias incurrent, ab eisdem sententiis post satisfactionem debitam, facta tibi prius fide vel huiusmodi deputatis de satisfactione huiusmodi, absolutionis beneficium impendere, et super irregularitate, si quam forsan sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, etiam dispensare valeatis. Nostre tamen intentionis existit, quod hii, quorum facultates ad integram solutionem huiusmodi decime, supportatis oneribus consuetis, non suppetunt, ultra quam iuxta suarum huiusmodi facultatum exigentiam commode possint: illi vero, qui de ipsa decima nichil solvere poterunt, super qua quidem eorum impotentia tuam conscientiam oneramus, ad solvendum aliquid pretextu impositionis predicte nullatenus compellantur. Ac etiam volumus, quod hii, quorum facultates ad integram solutionem dicte decime non suppetunt, ut prefertur, dum tamen id, quod iuxta suas huiusmodi facultates commode solvere poterunt, persolvant: ac etiam illi, qui de dicta decima nichil solvere poterunt, ut premittitur, sententias in processibus per te vel deputatos predictos faciendis contentas etiam non incurrant. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Idus Martii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCXXI.

Willelmus episcopus Imelacensis in capellanum pontificis recipitur. Reg. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 90.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo Episcopo Imelacensi, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut in hiis, que sunt favoris et gratie, nos tibi promptos et benivolos gaudeas invenisse. Ut igitur in effectum percipias, quod suggerit nostre mentis affectus, te in nostrum et apostolice sedis Capellanum gratiose recepimus, ac nostrorum et ipsius sedis Capellanorum consorcio favorabiliter aggregamus, intendentes, quod per hoc favoris apostolici presidium plenius sorciaris. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, quod merito ad faciendum tibi pleniorem gratiam invitemur. Nulli ergo etc. nostre receptionis et aggregationis infringere etc. Datum Rome apud S. Petrum VI. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCXXII.

Eidem epo Imelacensi in Hibernia collectori, ut cum quatuor viris et totidem mulieribus dioecesis suae super matrimonio dispensare possit. Reg. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 159.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo Episcopo Imelacensi, apostolice sedis Nuntio, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benivolentia prosequentes, illam tibi gratiam libenter impendimus, per quam te possis aliis reddere gratiosum. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, tibi qui fructuum et proventuum in illis partibus Camere apostolice debitorum Collector existis, et de cuius circumspectione specialem in domino fiduciam obtinemus, dispensandi hac vice auctoritate apostolica cum quatuor viris et totidem mulieribus, qui quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu invicem sunt coniuncti, tuarum civitatis et diocesis, quas ad hoc duxeris eligendas, desiderantibus invicem matrimonialiter copulari, dummodo mulieres ipse propter hoc rapte non fuerint, ut impedimentis, que ex consanguinitate vel affinitate huiusmodi proveniunt, non obstantibus, matrimonia invicem libere contrahere, et in ea, postquam contracta fuerint, licite remanere valeant, prolem ex huiusmodi matrimoniis suscipiendam legitimam nunciando, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum VI. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCXXIII.

Iudicibus, ut cum Ioanne de Leth canonico s. Crucis de Edinburg super defectu natalium et pluralitate beneficiorum dispensent. Reg. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 207.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati de Newbotel et ... Priori secularis et Collegiate sancte Trinitatis Pregii Sancti Andree et Perusine diocesum, ac ... Decano Aberdonensis ecclesiarum, salutem etc. Religionis zelus, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Iohannes de Leth, Canonicus Monasterii sancte Crucis de Edynburgh ordinis sancti Augustini, Sancti Andree diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Hodie

siquidem pro parte dicti Iohannis nobis exposito, ut dicto non obstante defectu natalium, quem patitur de coniugato genitus et soluta, ut dicto non obstante defectu beneficium ecclesiasticum, etiam si curam animarum haberet, per Canonicos dicti Monasterii, cuius idem Iohannes Canonicus existebat, prout existit, gubernari consuetum, si sibi alias canonice conferatur, libere recipere, et licite retinere posset, auctoritate apostolica extitit dispensatum: et quod ipse post dispensationem huiusmodi ad parrochialem ecclesiam de Anidhamstokys dicte diocesis, tunc per obitum quondam Thome de Lanarke, ultimi ipsius ecclesie rectoris, extra Romanam Curiam defuncti vacantem, et consuetam per clericos seculares regi, a dilecto filio nobili viro Patricio de Hepburn milite dicte diocesis, vero patrono ipsius ecclesie existente in pacifica possessione, vel quasi iuris presentandi rectorem, ad ecclesiam ipsam Venerabili fratri nostro Willelmo Episcopo Sancti Andree, cum consensu dilectorum filiorum Abbatis et Conventus dicti Monasterii, fuerat infra tempus legitimum presentatus, licet de facto: quodque idem Episcopus ipsum Iohannem in rectorem eiusdem ecclesie etiam de facto instituerat, idemque Iohannes eandem ecclesiam pretextu presentationis et institutionis huiusmodi assecutus, illam ex tunc detinuerat, prout detinebat, et in ea divinis officiis administraverat etiam de facto, licet nullos fructus percepisset ex eisdem. Nos omnem inhabilitationis et infamie maculam, sive notam per eundem Iohannem premissorum occasione contractam auctoritate apostolica penitus abolevimus, ac volumus, quod ipse Iohannes ex tunc dictam ecclesiam realiter et omnino dimitteret, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque, sicut accepimus, predictam ecclesiam adhuc per huiusmodi obitum dicti Thome vacare noscatur: Nos volentes predictum Iohannem premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios predictam ecclesiam, si, ut premittitur, vacat et tempore date presentium non sit in ea alicui speciale ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Iohanni, postquam eam realiter et omnino dimiserit, ut prefertur, auctoritate apostolica conferre et assignare curetis etc. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem xiiii. Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCXXIV.

Episcopo Glasguensi, ut cum Malcolmo Flenyng et Ioanneta de Lorn super matrimonio dispenset. Reg. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 97.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Glasguensi, sal. etc. Oblate nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Malcolmi Flenyng domicelli, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Iohannete de Lorn tue et Archadensis diocesum petitionis series continebat, quod ipsi ad confovendum et conservandum amicitias inter eos, et eorum parentes ac amicos iam contractas desiderant invicem matrimonialiter copulari: sed quia quarto affinitatis gradu invicem sunt coniuncti ex eo, quod quondam Cristina de Kech dicti Malcolmi uxor, dum viveret, dicte Iohannete quarto consanguinitatis gradu attinebat, matrimonium invicem contrahere nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: quare pro parte ipsorum Malcolmi et Iohannete nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis gratia dignaremur. Nos itaque ex premissis et aliis certis causis ad id animum nostrum moventibus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis in domino gerimus fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, dictaque Iohanneta propter hoc rapta non fuerit, cum eisdem Malcolmo et Iohanneta, ut impedimento, quod ex affinitate huiusmodi provenit, non obstante, matrimonium invicem libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum Anagnie iiii. Idus Iulii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCXXV.

Eidem episcopo, ut de unione ecclesiae parochialis de Barw, a Willelmo episcopo S. Andreae monasterio sanctae Crucis de Edinburg concessa, inquirat et referat. Reg. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 97.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Glasguensi, salutem etc. Dudum pro parte dilectorum filiorum Abbatis et Conventus Monasterii Sancte Crucis de Edymburgh ordinis sancti Augustini, Sancti Andree diocesis, nobis exposito, quod olim Venerabilis frater noster Willelmus Episcopus Sancti Andree attendens, quod ecclesia dicti Monasterii, que iam ab antiquis temporibus fundata fuerat, propter diminutionem redditnum, possessionum et prediorum, que per hostiles incursus et guerrarum discrimina in partibus illis diucius ingruentium devastata erant, nedum compleri poterat, sed minora ipsius ecclesie edificia collabi verisimiliter presumebantur, nisi aliunde pia devocione fidelium super hoc provideretur, parrochialem ecclesiam de Barw dicte diocesis, tunc per obitum quondam Iohannes Derty ultimi rectoris ipsius ecclesie vacantis, et ad presentationem dictorum Abbatis et Conventus pertinentem, de consensu et assensu dilectorum filiorum Capituli Sancti Andree, super hiis matura deliberatione prehabita, eisdem Abbati et Conventui ac Monasterio, nec non fabrice ipsius ecclesie auctoritate ordinaria incorporaverat, annexuerat et univerat, reservata tamen portione decem marcharum sterlingorum pro perpetuo Vicario inibi perpetuo servituro, prout in litteris autenticis sigillis dictorum Episcopi et Capituli munitis plenius continetur, et quod ipsi postmodum ecclesiam ipsam vigore unionis huiusmodi per triginta annos et ultra pacifice possederant: ac nobis humiliter supplicato, ut incorporationem, annectionem et unionem huiusmodi confirmari de benignitate apostolica dignaremur, Nos Venerabili fratri nostro Bartholomeo Archiepiscopo Barensi oraculo vive vocis

commisimus, ut se de premissis informaret, et quidquid per informationem huiusmodi reperiret, nobis quantocius referre curaret. Cum autem, sicut exhibita nobis postmodum pro parte dictorum Abbatis et Conventus petitio continebat, prefatus Archiepiscopus, qui ad informacionem huiusmodi processerat, litteras huiusmodi, que pro parte dictorum Abbatis et Conventus sibi exhibite fuerant, ex eo suspectas habebat, quod dictum sigillum Episcopi recentius apparebat quam predictum signum Capituli, pro parte dictorum Abbatis et Conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum ipsi, quod Episcopus cum bona cera nova, ac Capitulum predicti cum antiqua cera torticiorum litteras suas consueverint sigillare, sint probare parati, providere ipsis in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, de premissis incorporatione, annectione, unione, possessione ac sigillis et eorum circumstantiis universis diligenter te informes, et quidquid per informationem huiusmodi repereris, nobis per litteras tuas in publica forma redactas, tuoque sigillo sigillatas harum seriem continentes nobis quantocius intimare procures, ut tua super hiis informatione instructi in premissis consultius agere valeamus. Datum Anagnie II. Nonas Augusti, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCXXVI.

Episcopo Duacensi, ut Thomam episcopum Elfinensem contra Carolum intrusum episcopum Elfinensem tueri velit. Reg. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 341.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Duacensi, salutem etc. Olim ad audientiam felicis recordationis Innocentii pape VI. predecessoris nostri deducto, quod ecclesia Dunensis tunc erat pastoris solatio destituta, idem predecessor Venerabilem fratrem nostrum Gregorium Archiepiscopum Tuamensem, tunc prepositum ecclesie Aladensis, auctoritate apostolica predicte Dunensi ecclesie prefecit in Episcopum et pastorem: et deinde bone memorie Petrus Episcopus Penestrinus sibi de mandato dicti predecessoris apud sedem apostolicam munus consecrationis impendit. Et subsequenter bone memorie Iohanne Episcopo Elfinensi regimini Elfinensis ecclesie tunc presidente, idem predecessor cupiens ipsi ecclesie Elfinensi, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam ydoneam preesidere personam, provisionem ipsius ecclesie Elfinensis ordinationi et dispositioni sue ea vice specialiter reservavit, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta Elfinensi ecclesia per obitum dicti Iohannis Episcopi, qui extra Romanam Curiam decesserat, vacante, ac vacatione huiusmodi, et quod dicta Dunensi ecclesia tempore prefectionis predicte non vacabat, ad ipsius predecessoris deductis notitiam, idem predecessor ad provisionem ipsius Elfinensis ecclesie, de qua nullus preter eum disponere potuerat, nec poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, solicite intendens, eidem Elfinensi ecclesie de persona dicti Gregorii de fratrum suorum consilio duxit auctoritate apostolica providendum, preficiendo eum eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Elfinensis ecclesie sibi in spiritualibus et in temporalibus plenerie committendo. Et deinde prefato predecessore, ac pie memorie Urbano papa V. ipsius Innocentii predecessoris immediato successore, predecessore nostro, sublatis de medio, nos divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, ecclesia Elfinensi predicta ex eo vacante, quod nos dictum Gregorium, tunc Episcopum apud sedem apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi ecclesie Elfinensi, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventem, ipsum ad ecclesiam Tuanensem tunc vacantem auctoritate apostolica duximus transferendum, preficiendo eum eidem Tuamensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem: Nos ad provisionem ipsius ecclesie Elfinensis celerem et felicem, que antea dispositioni apostolice generaliter fuerat reservata, paternis et sollicitis studiis intendentes, de persona Venerabilis fratris nostri Thome Episcopi Elfinensis de fratrum ipsorum consilio eidem Elfinensi ecclesie auctoritate apostolica providimus, preficiendo ipsum eidem ecclesie Elfinensi in Episcopum et pastorem, prout in ipsius Innocentii predecessoris ac nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Thome Episcopi petitio continebat, Carolus Episcopus, olim Archidiaconus eiusdem Elfinensis ecclesie, in diocesi Elfinensi commorans, qui, predicta Elfinensi ecclesia per obitum dicti Iohannis Episcopi, ut prefertur, vacante, ante provisionem per eundem Innocentium predecessorem de persona dicti Gregorii eidem Elfinensi ecclesie, ut premittitur, factam, se per dilectos filios Capitulum ipsius ecclesie Elfinensis in Episcopum Elfinensem eligi, electionemque huiusmodi a bone memorie Thoma Archiepiscopo Tuamensi loci Metropolitano auctoritate Metropolitica confirmari procuraverat, quamvis de facto, ac pretextu electionis et confirmationis huiusmodi se fecerat in Elfinensem Episcopum consecrari, seque in dicta Elfinensi ecclesia intruserat, ac bona, possessiones, iura et iurisdictiones dicte Elfinensis (ecclesie) occupaverat: nonnullos dignitates, personatus et officia, Canonicatus et prebendas ipsius Elfinensis ecclesie, ac alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura civitatis et diocesis Elfinensis diversis personis contulerit, ac plures Canonicos in dicta ecclesia Elfinensi de novo creavit, ac nonnullas ecclesias in dicta diocesi univerit, electionesque de personis ad huiusmodi dignitates, personatus et officia factas confirmaverit, ac etiam possessiones et bona eiusdem ecclesie Elfinensis nonnullis clericis et aliis aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non

modicum tempus, aliis vero perpetuo ad summam vel sub annuo censu concessit, ac alias administrationi dicte ecclesie Elfinensis se ingessit de facto, ac propterea prefatus Thomas Episcopus contra ipsum Carolum Episcopum ac ipsius fautores certos processus, diversas excommunicationis, suspensionis et interdicti sentencias continentes, fecerit: pro parte dicti Thome Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut collationes, creationes, uniones, confirmationes, concessiones huiusmodi, et alia circa administrationem ipsam gesta per ipsum Carolum denunciare nulla, ac processus huiusmodi observari, ac universis subditis dicte ecclesie Elfinensis, ne dicto Carolo Episcopo de cetero pareant, inhiberi, et alia providere in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si vocatis dicto Carolo, et aliis, qui fuerint evocandi, ita esse repereris, collationes, creationes, uniones, confirmationes et concessiones huiusmodi auctoritate apostolica denuncies non tenere, ac processus prefatos, sicut sunt iusti, facias eadem auctoritate usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari, ac universis et singulis clericis etc. inhibeas, ne deinceps eidem Carolo Episcopo tamquam Episcopo Elfinensi in aliquo pareant, vel intendant. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Anagnie IIII. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCXXVII.

Officiali S. Andreae, ut Simoni de Muskilburg quoddam ius in parochiali ecclesia de Tanadas conferat. Reg. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 128.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Officiali Sancti Andree, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Symonis de Muskilburgh, perpetui Vicarii parrochialis ecclesie de Dudynston Sancti Andree diocesis, petitio continebat, quod orta dudum inter dilectum filium Fyndelaus de Ketenis predicte diocesis, et quondam Iohannem de Muskilburgh clericos super parrochiali ecclesia de Tanadas eiusdem diocesis, de qua tunc sive per obitum quondam Iohannis de Ketenys ipsius ecclesie Rectoris, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, sive alio quovis modo etiam ex persona alterius vacante Iohannes de Miskilburgh auctoritate apostolica sibi provisum fuisse, seque eam assecutum extitisse canonice, Fyndelaus vero predicti eandem ecclesiam de Tanadas ad se de iure spectare asserebant, prout idem Findelaus eam ad se spectare asserit, materia questionis: Nos causam huiusmodi dilecto filio Magistro Petro Chambonis, Capellano nostro et auditori causarum palatii apostolici ad instantiam dicti Iohannis de Muskilburgh, cum partes ipse in Romana Curia presentes existerent, audiendam commisimus, et fine debita terminandam. Et demum postquam coram eodem auditore in causa huiusmodi inter partes ipsas ad nonnullos actus processum fuerat, causa huiusmodi indecisa pendente, idem Iohannes de Muskilburgh apud eandem sedem extitit vita functus. Nos igitur, ne ad eandem ecclesiam de Tanadas alicui pateat viciosus ingressus, si lis huiusmodi legitimo defensore careret, qui tueretur eandem, providere, prefatumque Symonem, qui in presbiteratus ordine constitutus existit, apud nos de probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum favore prosequi gratioso volentes, ac statum cause huiusmodi habentes presentibus pro expresso, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Symonem bene legere, bene construere, et bene cantare, ac congrue loqui latinis verbis, et alias ydoneum ad obtinendum dictam ecclesiam Tanadas esse inveneris, vel etiam, si non bene cantaret, dummodo in tuis manibus iuret ad sancta Dei Evangelia, quod infra annum a tempore examinationis huiusmodi computandum, huiusmodi cantare addiscet, super quibus tuam conscientiam oneramus, prefatum Symonem, dummodo in dicta ecclesia de Tanadas intrusus non fuerit, in omni iure et ad omne ius, quod eidem Iohanni de Muskilburgh tempore sui obitus in dicta ecclesia de Tanadas, seu ad eam quomodolibet competebat, seu competere poterat, auctoritate nostra surroges, dictumque ius sibi conferas, et provideas de eodem, ipsumque Symonem vel procuratorem suum eius nomine ad dictum ius, eiusque ac litis et cause huiusmodi prosecutionem et defensionem in eo statu, in quo dictus Iohannes de Muskilburgh, si viveret, posset et deberet admitti, ac ad possessionem ipsius ecclesie de Tanadas, in qua dictus Iohannes de Muskilburgh tempore sui obitus existebat, admitti auctoritate facias antedicta. Contradictores etc. Datum Anagnie III. Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCXXVIII.

Providitur quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis. Reg. cod. chart. Tom. II. fol. 421. Tom. XXI. fol. 345. Tom. XXIX. fol. 246. et 534.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Willelmo de Chesholme Thesaurario ecclesie Moraviensis, Bacalaurio in decretis, salutem etc. Conceditur ipsi decanatus ipsius ecclesie Moraviensis, quem Thomas de Harlears olim obtinebat. Datum Avinione II. Non. Martii, Pontificatus nostri anno primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Karuk, Rectori parrochialis ecclesie de Bothvyle Glasguensis diocesis, salutem etc. Conceditur ipsi consideratione Roberti Regis Scotie, cuius dilectus et Cancellarius existit, ut una cum canonicatu et prebenda in ecclesia Glasguensi ecclesiam de Bothvyle retinere possit. Datum apud Villamnovam Avinionensis dioc. IIII. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Cancellario ecclesie Dublinensis, salut. etc. Ut Elie Coterell clerico Ossoriensis, Riccardo Cairay Dublinensis, Radulpho Penbrok et Willelmo Dardys Midensis dio-

cesum presbiteris de ambitu beneficiorum ecclesiasticosum false accussatis bonam famam restituat. Dat. Rome apud S. Petrum Id. Februarii, Pontificatus nostri anno septimo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Gilberto de Grenlav Canonico Moraviensi, Magistro in artibus, salutem etc. Conceditur, ut officialis ecclesie Sancti Andree ipsi, qui in ecclesia Moraviensi canonicatum et prebendam obtinet, parrochialem ecclesiam de Liston Sancti Andree dioces. vacantem per obitum Iohannis de Baynton conferre possit. Dat. Anagnie xvii. Kal. Sept. Pont nostri anno septimo.

EPISTOLAE URBANI PP. VI.

DCCXXIX.

Iudicibus, ut Imelacensem et Sodorensem episcopos collectores decimarum in Hibernia ad computum reddendum compellant. Reg. Tom. I. fol. 16.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis Iohanni de Karlellis Cancellario Dublinensis, et Willelmo Pyroim Rectori parrochialis in Dounbing ecclesiarum Ardmachane diocesis, in partibus Ibernie apostolice sedis nunciis, salutem etc. Ad audientiam nostram fidedigna relatione pervenit, quod Venerabiles fratres nostri Willelmus Ymglacensis et Iohannes Sodorensis Episcopi, in partibus Ibernie nuncii apostolici et Collectores fructuum, proventuum et obventionum ad Cameram apostolicam spectantium deputati, multas pecunias ratione huiusmodi officii collectorie receperunt, de quibus gentibus Camere nostre vel aliis earum nomine nullam reddiderunt rationem, seu computum aliquale, ipsasque pecunias presumptione temeraria occupant et detinent occupatas in apostolice sedis contemptum, et suarum periculum animarum. Quare discretioni vestre presentium tenore committimus et mandamus, quatenus vos aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios dictos Episcopos peremptorie citare curetis, ut cum eorum computis et rationibus compareant personaliter coram nobis, vel Camerario nostro ad reddendum de gestis per eos rationem, et aliqua reddendum die seu termino, quem eisdem duxeritis prefigendum, super cuius prefixione vobis damus tenore presentium facultatem. Non obstante etc. Diem vero citationis predicte, et quecumque in premissis feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes liquide rescribatis. Datum Rome apud S. Petrum vii. Idus Maii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCCXXX.

Nuntio apostolico in Angliae Hiberniae et Scotiae regnis, omnes in hisce regnis praedicatores processuum contra antipapam eiusque sequaces compellat, ut pecunias collectas quibusdam mercatoribus Lucanis Londini assignent. Reg. Tom. I. Secret. fol. 21.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Cosmato Gentilis Cancellario Capuano, licentiato in decretis, Capellano nostro, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum te pro Camera nostra apostolica in Anglie Regno Collectorem fructuum et obventionum ad eandem Cameram pertinentium duxerimus deputandum, tibi inquirendi, et compellendi omnes et singulos predicatores [et] processuum nostrorum, quos dudum fecimus contra iniquitatis alumnum Robertum, olim Basilice xii. Apostolorum presbiterum Cardinalem, nunc Antipapam, eiusque sequaces et credentes in dicto Anglie et Scotie ac Ibernie Regnis publicatores, ut omnes pecunias, quas ratione dictarum predicationis et publicationis receperunt, et eos recipere contingeret imposterum, tradent et assignent dilectis filiis sociis de Guinisiis, civibus Lucanis Londoni commorantibus, seu eorum factoribus et procuratoribus ab eis ad hoc constitutis. Volumus autem, quod de singulis assignationibus, quas ipsos facere contingeret, fieri facias duo publica, et plura duplicata instrumenta, quorum uno penes te retento, reliquum gentibus dicte Camere studeas celeriter destinare. Nos enim dictis civibus et factoribus seu procuratoribus recipiendi pecunias Camere predicte, et de receptis plenarie quitandi et absolvendi, tibique dictos predicatores et publicatores, ut continue rationem reddant de receptis per eos et recipiendis per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendi concedimus tenore presentium facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Maii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCCXXXI.

Praedicatoribus processuum contra antipapam et eius sequaces in Anglia, Hibernia et Scotia, ut de pecuniis collectis nuntio apostolico rationem reddant. Reg. Tom. I. Secret. fol. 22.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Episcopis, et dilectis filiis universis et singulis Predicatoribus et publicatoribus processuum, quos dudum fecimus contra iniquitatis alumnum Robertum olim Basilice xii. Apostolorum presbiterum Cardinalem, nunc Antipapam, eiusque sequaces et credentes in Anglie, Scotie et Ibernie Regnis constitutis, qua-

cumque pecuniarum summas pro Camera nostra apostolica obtinentibus, salutem etc. Cum dilecto filio Magistro Cosmato Gentilis etc. etc., apostolice sedis nuncio, per alias nostras litteras commiserimus, ut videlicet de omnibus et singulis pecuniarum summis per quoscumque vestrum occasione publicationis et predicationis predictarum receptis, et imposterum recipiendis rationem et computum reddatis eidem: vobis et singulis vestrum districte precipiendo mandamus, quatenus iuxta predictarum litterarum continenciam eidem nuncio seu collectori parere et intendere studeatis. Datum Rome apud S. Petrum Idibus Maii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCCXXXII.

Collectoribus in Hibernia et Scotia, ut pecunias collectas quibusdam civibus Lucanis Londini assignent etc. Reg. Secret. Tom. I. fol. 81.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis universis et singulis Ibernie et Scotie nunciis apostolicis, salutem etc. Volumus vestreque discretioni mandamus, quatenus omnes et singulas pecuniarum summas, quas ratione collectorie nomine Camere apostolice receperitis, et imposterum percipere vos continget, dilectis filiis sociis de Guinisiis civibus Lucanis, Londoni morantibus, seu eorum factoribus et procuratoribus ad hoc ab eisdem constitutis tradatis et etiam assignetis, mandatis et iussionibus dilecti filii Cosmati Gentilis Cancellarii Capuani, licentiati in decretis, Capellani nostri, apostolice sedis in Regno Anglie nuncii humiliter parituri, et de singulis assignationibus instrumenta faciatis fieri duplicata, quorum unum penes vos retento, reliquum eidem Collectori ad Angliam mittere procuretis, per eundem ad Cameram apostolicam destinandam. Quodque anno quolibet de omnibus gestis et receptis, et per vos administratis copiam computorum Camere apostolice, seu eius gentibus destinare curetis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Idibus Maii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCCXXXIII.

Cosmato Gentilis nuntio apostolico, ut in Hibernia et Scotia subcollectores constituere possit. Reg. Secret. Tom. I. fol. 129.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Cosmato Gentilis Cancellario ecclesie Capuane, Capellano nostro, licentiato in decretis, clerico Collegii Cardinalium, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum te dudum in Regnis Anglie fructuum, reddituum et proventuum ac obventionum ad Cameram nostram apostolicam pertinentium constituerimus collectorem, ut commissa tibi negotia eo felicius valeas exequi, quo maiori fueris auctoritate munitus, discretioni tue in Ibernie et Scocie provinciis succollectores substituendi, qui similem tue habeant potestatem in partibus predictis in exigendo, percipiendo, et pecunias exactas mittendo nomine Camere apostolice super fructibus, redditibus, proventibus et obventionibus ad Cameram ipsam spectantibus, damus et concedimus tenore presentium facultatem. Datum Rome apud S. Petrum II. Idus Martii, Pont. nostri anno tertio.

EPISTOLAE BONIFATII PP. IX.

DCCXXXIV.

Franciscus de Capponago collector generalis in Hibernia cum amplissimis facultatibus constituitur. Collectoriae sub Urbano VI. etc. fol. 110.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Francisco de Capponago, Priori prioratus sancti Martini Senensis ordinis sancti Augustini, decretorum doctori, fructuum et proventuum Camere apostolice in Armachana, Dublinensi, Cassellensi et Tuamensi civitatibus, diocesibus et provinciis debitorum collectori, et apostolice sedis nuncio, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti prudentia et probitate, providentia quoque circumspecta, aliisque virtutibus, quibus, prout evidenti opere ac fidedignorum relatione nobis innotuit, te dominus insignivit, presumimus evidenter, quod ea, que tibi exequenda commiserimus, solerti et salubri studio gubernabis, et fideliter exequeris. Hinc est, quod nos, de huiusmodi probitate et virtutibus plurimum in domino confidentes, te fructuum, redditiuum, proventuum, decimarum et aliorum in Armachana, Dublinensi, Cassellensi et Tuamensi civitatibus, diocesibus et provinciis ecclesie Romane et Camere apostolice debitorum Collectorem et receptorem, usque ad nostrum beneplacitum, auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes et singulos Collectores et Succollectores huiusmodi fructuum, reddituum, proventuum, censuum, decimarum et debitorum inibi per nos et dictam sedem, vel eius auctoritate quoquomodo deputatos, ac omnes commissiones super huiusmodi Collectorie et Succollectorie officiis aliis, quam tibi sub quavis verborum forma per dictam sedem vel eius auctoritate factas penitus revocando, ipsosque Collectores et Succollectores, et alios ab huiusmodi Collectorie

et Succollectorie officiis et commissionibus aliis eis commissis seu factis specialiter vel generaliter totaliter amovendo, tibi per te, vel alium seu alios, clericos duntaxat fide et facultatibus ydoneos, petendi, exigendi, recipiendi nostro et dicte Camere nomine a quibuscumque Prelatis, Capitulis, Collegiis et Conventibus ecclesiarum et Monasteriorum quorumlibet, aliisque personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, ordinum quorumlibet, ac etiam laycalibus personis, omnes et singulas pecuniarum summas [sive] ac rerum et bonorum quorumlibet quantitates, nobis et Camere ac ecclesie predictis debitas et debendas, etiam si bona huiusmodi fuerint confiscata, necnon fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum in dictis provinciis, census annuos, et decimas, et omnia alia et singula, nobis et eisdem ecclesie et Camere in provinciis, civitatibus et diocesibus predictis quacunque ratione vel causa debita vel debenda, seu ad nos vel ad eas nunc et imposterum pertinentia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, communibus et minutis servitiis ratione provisionum prelatorum per nos seu auctoritate apostolica ibidem ad quorumcunque ecclesiarum et Monasteriorum regimina promotorum, eidem Camere debitis duntaxat exceptis, rationes quoque, et computa a quibuscunque Collectoribus et Succollectoribus apostolicis, et Inquisitoribus heretice pravitatis, ac predicatoribus verbi crucis, ac officialibus aliis pro dicta Camera in provinciis, civitatibus et diocesibus supra dictis, vel earum aliquibus hactenus deputatis, seu personis aliis, in quantum negotia et utilitatem dicte Camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque ad id si necesse fuerit compellendi, et per ipsos recepta dictas Rom. ecclesiam et Cameram concernentia quovismodo recipiendi, ac solventes de receptis quitandi, liberandi et absolvendi, insuper etiam omnibus et singulis commissionibus, privilegiis et apostolicis aliisque litteris et potestatibus tibi et aliis quibuscumque tuis in huiusmodi Collectorie officio precessoribus et predecessoribus, auctoritate apostolica missis, concessis seu alias destinatis, inceptis et non ceptis negotiis perinde utendi, easque exequendi, et ad effectum plenarium deducendi, ac si tibi specialiter per nos essent destinate, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis et conditionis vel preeminentie fuerint, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, et bonorum ipsorum sequestrationem, et arrestationem personarum et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, ac etiam excommunicationis et alias sententias in non solventes tibi iura et debita ipsius Camere, ut prefertur, per te vel alium seu alios tuo et dicte Camere nomine inflictas et promulgatas, quotiens opus fuerit, aggravandi, et alias contra eos sententias promulgandi, necnon contra quoscunque tibi vel tuis Officialibus iniuriantes, seu te vel dictos tuos Officiales impedientes, et negotia dicte Camere directe vel indirecte, publice vel occulte, auctoritate nostra procedendi, prout ordo exegerit rationis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum personaliter coram nobis, vel nostro Camerario infra certum competentem terminum per te eis assignandum, citandi, ac etiam, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, etiam ordinum religiosorum quorumcunque, et personarum ecclesiasticarum, exemptarum et non exemptarum, invocandi, sententias quascumque excommunicationis, suspensionis et interdicti in inobedientes, contumaces et rebelles tam per predictos precessores seu predecessores vel eorum substitutos, quam per te latas et ferendas, cum ad obedientiam debitam venerint, tollendi et suspendendi, et super irregularitate, si quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, cum eisdem etiam auctoritate nostra dispensandi, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, ac de una et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, etiam si de illis et eorum totis tenoribus, etiam de verbo ad verbum esset in presentibus mentio specialis habenda, seu si aliquibus, et eorum ordinibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, auctoritate predicta facultatem et potestatem plenam concedimus: ita tamen, quod in fructibus, redditibus et proventibus, et aliis bonis quibuscunque ad dictam Cameram spectantibus, ipsi Camere persolvendis ultra annum dilationem dare nequeas, et quod in singulis civitatibus et diocesibus infra tuam Collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, et si parve fuerint, in duabus etiam ultra unum dumtaxat Succollectores non deputes, et quod omnium et singulorum Succollectorum, quos te deputare continget, nomina et cognomina, statim cum illos deputaveris, nobis seu Camerario nostro clare et distincte transmittere, et quod singulis trienniis de receptis et gestis per te in huiusmodi Collectorie officio rationem et computum reddere, necnon quidquid per te in predictis recipi contigerit, per literas cambii, vel alium tutum modum nobis vel predicto Camerario, et gentibus dicte Camere, quantocius commode poteris, mittere non postponas. Sic igitur in premissis prudenter, solicite et fideliter te habeas, quod apud nos merito commendari possis, nostramque et dicte sedis benivolentiam et gratiam consequi uberius merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum IIII. Id. Novembris, Pont. nostri anno primo.

DCCXXXV.

Iosanes Foxe canonicus Dublinensis cum iisdem facultatibus constituitur collector in Hibernia. Ibidem fol. 167.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Foxe Canonico Dublinensi, fructuum et proventuum

Camere apostolice in partibus Hibernie debitorum collectori, salutem etc. Ex fideli, solicita et diligenti prudentia etc. te fructuum, reddituum, censuum, decimarum et aliorum quorumcunque proventuum in partibus Hibernie Romane ecclesie et Camere apostolice debitorum collectorem, et receptorem usque ad nostrum beneplacitum auctoritate apostolica tenore presentium constituimus, et etiam deputamus, omnes et singulos collectores et succollectores huiusmodi fructuum, reddituum, censuum, decimarum, debitorum, et aliorum proventuum inibi per nos et dictam sedem vel eius auctoritate quoquomodo deputatos, ac omnes commissiones super huiusmodi collectorie et succollectorie officiis aliis, quam tibi sub quavis verborum forma per dictam sedem vel eius auctoritate factas, quo ad ipsas Hibernie partes dumtaxat, penitus revocando, ipsosque collectores et succollectores, ac alios ab huiusmodi collectorie et succollectorie officiis, et commissionibus aliis eis commissis, seu factis specialiter vel generaliter, quo ad ipsas partes dumtaxat, totaliter amovendo, tibi per te vel alium, seu alios, clericos dumtaxat etc. ut in superiori. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Iulii, Pontificatus nostri anno octavo.

EPISTOLAE GREGORII PP. XII.

DCCXXXVI.

Ioannes Foxe collector in Hibernia compellitur ad computum reddendum. Reg. Tom. I. fol. 299.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Foxe Canonico Dublinensi, fructuum et proventuum Camere apostolice in partibus Ibernie debitorum collectori, salutem etc. Cum iuxta laudabilem apostolice Camere consuetudinem, et continentiam litterarum, quibus collector iurium et proventuum dicte Camere deputatus existis, tenearis singulis annis rationes et computa de gestis et administratis per te in dicto collectorie officio ad eundem Cameram destinare, tu tamen hoc facere neglexisti. Putabamus equidem, dilectionem tuam, incomprehensibilia onera prefate Camere sue considerationis intuitu prospectantem, absque requisitione nostra quacumque, nedum computa tua, sed etiam fructus et proventus dicte Camere per te vel alios, vel predecessorum tuorum nomine perceptos ad nos et dictam Cameram debuisse transmisisse, ut enim et ratio evidens et urgens, ac non dissimulanda necessitas exposcebant. Quare cum multiplicibus et intollerabilibus expensarum oneribus Camera nostra gravata sit, et pro arduis oportunitatibus eiusdem Camere opus existat, ut ubicumque debita pecunia colligatur, volumus ac sub excommunicationis pena precipimus, quatenus infra quindecim dierum spatium a die presentationis huiusmodi computandum rationes et computa de receptis, et expositis per te in dicto officio cum omnibus pecuniis penes te ex dicto officio existentibus studeas ad eandem Cameram destinare per cambium, vel alium tutum modum, omni tarditate et occasionibus quibuscunque sepositis, cum tuis computis universis, ut calculus diligens videri valeat, sicut decet, et nichilominus omnes et singulos dicte Camere debitores sive ex annatis beneficiorum, seu ex quacunque alia conditione vel causa per censuram ecclesiasticam et alios graviores processus indilate compellas, tibi nomine Camere recipienti debita ipsa persolvere, ita quod de sollicitudine tua valeas merito commendari, et ut aliter providere non oporteat. Datum Rome apud Sanctum Petrum quarto Idus Martii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCXXXVII.

Littera credentialis data episcopo Waterfordensi circa convocationem concilii generalis pro tollendo schismate. Reg. Tom. II. fol. 299.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis Electis, Abbatibus etc. salut. etc. Ad pacem et tranquillitatem saluberrimam etc. Universitati vestre, ac vestrum singulis per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Waterfordensem et Lysmorensem Episcopum intimare, cuius relatibus circa premissa adhibere placeat credentie plenam fidem. Datum Senis Idus Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLA IOANNIS PP. XXIII.

DCCXXXVIII.

Thomae Dublinensi, Ioanni Tuamensi, Nicolao Armachano et Richardo Casseliensi archiepiscopis etc. ut ad concilium generale Pisanum continuandum pro tollendo schismate veniant. Reg. Tom. VI. fol. 47.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Thome Archiepiscopo Dublinensi, salutem etc. Ad regimen universalis ecclesie, licet insufficientibus meritis, divina dispositione vocati solicitudinem gerimus indefessam, et omni conatu solerciam adhibemus, ut que ad pacem et reformacionem ipsius ecclesie, defensionemque et augmentum orthodoxe fidei pertinent, communi fidelium consilio decernantur. Sane felicis recordacionis Alexander papa V., immediatus predecessor noster, sacro generali Pisano concilio tunc presidens, ipso approbante concilio, inter cetera decrevit, ipsum concilium ex tunc ad triennium in mense Aprilis ad locum, qui per se vel successorem suum eligeretur, fore convocandum, ipsumque concilium continuandum usque ad tempus triennii supradicti. Deinde vero eodem predecessore, sicut deo placuit, vita functo, nobisque divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumptis, cum Urbs Romana sedes nostra, in qua omnium ecclesiarum caput esse dinoscitur, licet de manibus inimicorum eiusdem ecclesie atque nostrorum, qui eam detinuerunt dampnabiliter occupatam, recuperata fuisset, in tantum tamen opprimeretur, ut post multas et varias fluctuaciones eo res deducta esset, ut invalescente inimicorum oppressione, nisi celeriter providissemus, in manibus eorundem inimicorum foret iterum recasura: Nos, ne tanto detrimento afficeretur ecclesia, spe in altissimo, qui in se sperantes non deserit, assumpta, maturo quidem consilio, sed celeri gressu ex civitate nostra Bononiensi, in qua tunc residebamus cum universa curia, ad ipsam Urbem venimus, confirmatisque per adventum nostrum populorum et fidelium animis, et adversariorum impetu, qui paulo ante eidem Urbi terribiliter imminebant, dextera dei cooperante, represso, sentientes tunc per experienciam, quantum presentia nostra foret in ipsa Urbe per illa tempora multis causis necessaria, cum locus pro huiusmodi continuacione concilii per nos declarandus esset, ipsam Urbem ad huiusmodi congregacionem fidelium deputavimus, et conguo tempore id solempniter duximus publicandum, atque interim in ipsa Urbe persistentes, et adventum fidelium expectantes, tandem non sine magnis laboribus nostris et sumptibus per dei misericordiam Urbem et regiones istas in pace posuimus, et deiecto perdicionis alumpno Angelo Corario, ceterisque scismaticis, totum Sicilie Regnum et terram citra farum, multas insuper civitates ad obedienciam et devocionem nostram et Romane ecclesie in grande unionis ecclesie augmentum recepimus: sed cum fideles ipsi per nos solempniter convocati, requisiti et expectati, nec in dicto tempore per nos secundum determinacionem Pisani concilii prefati assignato, nec postea in aliis sessionibus sepius prorogatis, in tanta multitudine, quanta multitudo rerum gerendarum exigebat, in ipsa Urbe convenissent, nos propterea nequaquam a proseccucione tanti boni desistendum arbitrantes, habita super hoc diligenti deliberacione, ipso approbante concilio, statuimus et ordinavimus Venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, necnon alios prelatos et ceteros, qui adesse debent et possunt, et ad quos pertinet, in principio mensis Decembris proxime futuri debere ad huiusmodi concilium iuxta morem convenire in loco decenti et ydoneo infra tempus trium mensium a data presentium, per alias nostras licteras et publicacionem declarando, circa cuius declaracionem interim pervigili cura intendimus deliberare, ut quod superiori tempore fortasse propter bellorum et viarum discrimina, aliasque causas circa plenam congregacionem eorundem fidelium commode perfici non potuit, nunc sublata omnis incommoditatis materia impleatur. Quocirca fraternitatem tuam requirimus et hortamur in domino, tibi nichilominus per apostolica scripta mandantes, ac in virtute sancte obediencie et prestiti iuramenti iniungentes, quatenus ad dictum concilium personaliter te conferas, ac Venerabilibus fratribus Coepiscopis suffraganeis tuis eorumque Capitulis, necnon dilectis filiis Abbatibus ceterisque ecclesiarum et monasteriorum prelatis, exemptis et non exemptis, infra tuas civitatem et diocesim ac provinciam consistentibus, hanc salubrem determinacionem et ordinacionem nostram studeas intimare, et ut per eosdem suffraganeos prelatis suarum diocesum intimetur, provideas, eisdem fratribus nostris suffraganeis tuis in vim ab eis prestiti iuramenti, ceterisque civitatis, diocesis ac provincie tuarum iniungas, et ipsi suffraganei illis suarum civitatum et diocesum, qui ad concilium huiusmodi venire tenentur, iniungant, quibus eciam nos tenore presentium iniungimus in virtute sancte obediencie, ceterosque, qui in eodem concilio interesse possunt, exhorteris, ipsique Episcopi suffraganei exhortentur, quos eciam nos exhortamur in domino, quatenus predicto tempore et loco per nos, ut premictitur, declarando ad prefatum concilium, singuli videlicet, qui tenentur personaliter, ceteri vero, ut eis opportunum visum fuerit, studeant convenire, ut sic per tuam illorumque presenciam ea, que in ipso concilio statuenda sunt et agenda, salubri omnium deliberacione feliciter ordinentur. Datum Rome apud Sanctum Petrum v. Nonas Marcii, Pontificatus nostri anno tercio.

EPISTOLAE MARTINI PP. V.

DCCXXXIX.

Datur littera passus nuntiis apostolicis et collectoribus Scotiae. Reg. de Curia lib. I. fol. 47 et 87.

Martinus episcopus etc. Universis et singulis, ad quos presentes littere nostre pervenerint, salutem etc. Cum dilectum filium Thomam de Myrton Canonicum Brechinensem, Bacallarium in decretis, exhibitorem presentium ad Anglie, Scotie et nonnullas alias mundi partes pro quibusdam nostris et ecclesie Romane negotiis presentialiter dirigamus: Nos cupientes eundem Thomam in eundo, stando et redeundo plena securitate gaudere, Universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur in domino, quatenus eundem Thomam cum quatuor familiaribus equestribus vel pedestribus per nostra et vestra territoria, passus, pontes, portus, flumina et loca quelibet, tam per mare, quam per terram transire, stare, ire et redire absque solutione alicuius datii, pedagii vel gabelle, angarii vel perangarii, fundinavis, aut cuiuscunque exactionis, vel oneris indicti vel indicendi pro nostra et apostolice sedis reverencia libere permictatis, nec ei vel familiaribus huiusmodi in personis, rebus et bonis suis inferatis iniuriam, molestiam vel offensam, aut aliam noxiam novitatem; quinimmo sibi pro se et familiaribus huiusmodi de securo transitu, scorta atque receptu sic liberaliter providere curetis, quod vestra exinde devotio possit apud nos et sedem predictam non immerito commendari. Presentibus post sex menses a data presentium computandos minime valituris. Datum Constancie III. Kalendas Marcii, Pontificatus nostri anno primo.

Similis littera passus datur Venerabili fratri Griffino Epõ Rossensi, ac dilecto filio Fynlao de Albama ord. Predic. professori, ac in sacra pagina Bacalario, Nuntiis sedis apostolice ad Regnum Scotie profecturis, qui Nuntii Collectores etiam in eodem Regno constituuntur, et mandatum habent, ut omnes, qui ibidem Benedicto XIII. antipape adheserint, a censuris ecclesiasticis absolvere possint. Dat. Constancie Kal. Marcii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCXL.

Simon de Teramo et Ioannes de Opizis constituuntur collectores in Hibernia et Scotia. Reg. Offic. Tom. II. fol. 270. et Tom. III. fol. 152.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Symoni de Teramo Canonico Aprutino, legum doctori, nostri consistorii advocato, fructuum, reddituum et proventuum in Regno Anglie apostolice Camere debitorum Collectori et Nuncio nostro, salutem etc. Dudum siquidem te fructuum, reddituum, introituum, iurium et proventuum in Regno Anglie nobis et apostolice Camere debitorum Collectorem et Nuncium nostrum per alias nostras litteras constituimus, et etiam deputavimus, prout in dictis litteris plenius continetur. Nos igitur attendentes tue fidelitatis industriam, et in bene gerendis rebus experientiam, et sperantes, quod quanto maiora tibi commictenda duxerimus ad honorem nostrum, Romane ecclesie ac eiusdem Camere utilitatem, eo laudabilius exequaris, quascumque personas per nos seu auctoritate nostra vel sedis apostolice in Collectores, vel Succollectores in Ibernia hactenus quomodolibet deputatas tenore presentium revocantes, easque ab eorum officiis et exerciciis penitus amoventes, te solum in tota Ibernia, citra tamen tui revocationem ab officio collectorie dicti Regni, eiusdem sedis nuncium usque ad beneplacitum nostrum tenore presentium facimus, constituimus et eciam deputamus, tibi nichilominus per te vel alium seu alios, clericos dumtaxat fide et facultatibus ydoneos, a quibuscumque Prelatis, Capitulis, Collegiis, Conventibus ecclesiarum et Monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, ordinum quorumcumque, et eciam laicalibus personis omnes et singulas pecuniarum summas et quantitates nobis et prefate Camere debitas et debendas, eciam si bona aliqua fuerint confiscata, aliaque iura, res et bona, census annuos nobis et dicte Camere in provinciis Ibernie eiusque civitatibus et diocesibus quacumque ratione vel causa debita vel debenda, et imposterum pertinentia, quecunque, quotcunque et qualiscumque fuerint, que in provinciis, civitatibus et diocesibus huiusmodi peti et exigi consuerunt, communibus et minutis servitiis Prelatorum, per nos seu auctoritate quacumque ibidem ad quorumcumque ecclesiarum seu Monasteriorum regimina promotorum, eidem Camere debitis dumtaxat exceptis, nostro et eiusdem Camere nomine petendi, exigendi, recipiendi et recuperandi, ac solventes de receptis dumtaxat quitandi, liberandi et absolvendi, Rationes quoque et computa a quibuscumque Collectoribus et Succollectoribus, Inquisitoribus heretice pravitatis, ac predicatoribus verbi crucis et aliis officialibus, si qui sint pro dicta Camera in Ibernia hactenus deputati, seu personis aliis, in quantum utilitatem et negocia dicte Camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque, si necesse fuerit, ad id auctoritate nostra, appellatione postposita, compellendi, Contradictores quoslibet etc. plenam et liberam potestatem auctoritate presentium concedentes. Volumus autem, quod in fructibus etc. usque possis merito commendari. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem Id. Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. Dilecto filio Magistro Iohanni de Opizis Canonico Ferrariensi, Capellano nostro, in Regno

Scotie eiusque civitatibus, diocesibus, terris et locis fructuum, reddituum et proventuum apostolice Camere debitorum Collectori, et apostolice sedis Nuntio, salutem. Datum Rome apud Sanctos Apostolos xv. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno octavo.

DCCXLI.

Datur littera passus abbati de Pasleto ordinis Cluniacensis Glasguensis diocesis. Reg. Tom. VII. fol. 248.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus universis et singulis Archiepiscopis etc. salutem etc. Cum dilectus filius Thomas Abbas Monasterii de Pasleto ordinis Cluniacensis Glasguensis diocesis, Referendarius noster ac Carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francorum Illustris nuncius, ad nos pridem per ipsum Regem destinatus, ad Regem eundem per nos transmissus presentialiter revertatur: Nos eundem Abbatem cum sociis, familiaribus, servitoribus et animalibus, valisiis sive malis, bogiis, litteris rebusque et bonis aliis plena ubilibet securitate ac privilegiis nostri et apostolice sedis nuncii gaudere cupientes et volentes, Universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur attente, nostris et Rom. ecclesie subditis ac ecclesiasticis quibuslibet gentibus armorum et armigeriis, et earumque capitaneis ubicumque militantibus districte precipiendo mandantes, quatenus prefatum Abbatem, usque in numerum xx. personarum et totidem animalium, una cum sociis, familiaribus, servitoribus et animalibus una cum valisiis, bogiis, vestibus, licteris, libris, rebus et bonis suis quibuscumque per civitates, terras, opida, castra, villas, territoria, portus, passus, pontes, et loca alia vestra atque nostra quecumque, tam per terram, quam per aquam de die et de nocte transire, stare, ire et redire semel et pluries ac totiens, quotiens sibi placuerit, pro nostra et apostolice sedis et dicti Regis reverencia absque solutione datii, padagii, lende rene (rende reve), gabelle vel alterius oneris seu impositionis cuiuscumque libere permictatis, nec eisdem in personis, equis, rebus et bonis predictis impedimentum, molestiam, iniuriam, arrestam vel offensam aliquam inferatis, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, inferri faciatis, aut quomodolibet permittatis, quin potius ei pro se et comitiva, familiaribus et servitoribus huiusmodi de securo transitu et conductu, scortaque et victualibus, et aliis necessariis pro decenti et iusto pretio sic liberaliter providere velitis, quod exinde possit vestra devotio apud nos et eandem sedem non immerito commendari. Presentibus post annum a data presentium computandum minime valituris. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem xvi. Kal. Septembris, Pont. nostri anno vi.

DCCXLII.

Iudicibus, ut in archiepiscopum Dublinensem et episcopum Fernensem aliosque praelatos et ecclesiasticos Hibernos, schismatis fautores, censuris ecclesiasticis animadvertant. Reg. Tom. VII. fol. 258.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Cantuariensi et Episcopo Wintoniensi, salutem etc. Ad ea ex apostolice servitutis officio libenter intendimus, et paterna diligencia vigilamus, per que sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium, domina et magistra, ubique suprema sua auctoritate et iurisdictione fruatur, et ecclesiasticam libertatem per sue providencie ministerium tueatur adversus quoslibet detractores. Nuper siquidem ad audientiam nostram fidedignorum insinuatione pervenit, quod Archiepiscopus Dublinensis et Episcopus Fernensis, et quidam alii Prelati, alieque persone ecclesiastice seculares et laicales in partibus Ibernie residentes, et ad se statutum illud pro tempore scismatis dudum editum contra ecclesiasticam libertatem in Regno Anglie contra eius formam intendere satagentes, multa quotidie moliuntur et faciunt contra statum et honorem prefate ecclesie atque nostrum, nec curant mandatis nostris et licteris apostolicis obedire, et quod gravius intelleximus, ipsi per processus apostolicos aggravati sententias et censuras ecclesiasticas parvi pendunt, et illas sustinent animis induratis, missas et alia divina officia, etiam in contemptum clavium, celebrantes in periculum animarum suarum et exemplum detestabile plurimorum. Nos igitur, quorum interest super talibus debite providere, ut talium personarum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia precludatur, Fraternitati vestre, de qua in hiis et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, de premissis omnibus per vos, vel alium seu alios informandi et inquirendi, et contra eosdem Archiepum et Epum et alias quascumque personas seculares et regulares, exemptas et non exemptas, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, et quavis ecclesiastica vel mundana, etiam si pontificali dignitate prefulgeant, quecumque contra statum nostrum et ecclesiastice libertatis in partibus Ibernie per se vel alios molientes vel attemptantes in vilipendium dicte sedis, ac mandatis nostris et licteris apostolicis non parentes, eorumque fautores, complices et sequaces, etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii per vos vel alios deputandos a vobis inquirendi et procedendi, ac inquiri et procedi faciendi, ac processus formandi, illosque semel et pluries aggravandi et reaggravandi, sentencias promulgandi et exequendi, ac exequi mandandi, et si eos vel eorum aliquos pertinaces, contemptores et persecutores honoris et dignitatis apostolice sedis et ecclesiastice libertatis inveniatis, eciam absque aliqua inhabilitatis et irregularitatis infamia sive nota, in personis, rebus et bonis suis iuxta eorum demerita et excessus corrigendi, puniendi et condemnandi, ac suis dignitatibus, personatibus, officiis ceterisque beneficiis ecclesiasticis, secularibus et regularibus ordinum quorumcumque, que ubicumque locorum obtinent, auctoritate nostra privandi et ammovendi realiter ab eisdem, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus, dignitatis, preeminencie vel conditionis extiterint, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, et super hiis, quotiens opus fuerit, auxilium secularis brachii in-

vocando, et omnia alia in premissis per vos vel alios, quos duxeritis deputandos, ut prefertur, agendi, mandandi, ordinandi, exequendi et exequi faciendi, que in premissis pro honore nostro et conservatione libertatis ecclesiastice, et iurisdictione plenaria Romane ecclesie in Ibernia noveritis profutura, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, quod nullus extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede predicta deputati aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, necnon de duabus dietis in concilio generali et aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si Archiepiscopo, Episcopo, prelatis et personis predictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari, seu ipsi vel eorum loca interdici non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, et eorum locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et quibuslibet aliis indulgenciis et licteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quoad hoc eis nullatenus volumus suffragari. Nos insuper sentencias sive penas, quas vos vel vestrum alter rite tuleritis seu tulerit in rebelles, ratas et gratas habebimus, illasque faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem Id. Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

EPISTOLAE EUGENII PP. IV.

DCCXLIII.

Nuntio apostolico et collectori in Anglia, Scotia et Hibernia dantur solitae facultates. Reg. Tom. XII. fol. 202.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Iohanni de Obizis Canonico Ferrariensi, Capellano nostro, ac fructuum, reddituum et proventuum in Anglie ac Scotie Regnis, ac in Insula Hibernie apostolice Camere debitorum Collectori, et apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Cum te in Anglie et Scotie Regnis ac in Insula Hibernie, ubi pluribus annis Collector fuisti, etiam per nostras litteras apostolice sedis Nuntium ac Collectorem nostrum constituendum duxerimus, ac etiam deputandum: Nos volentes illa tibi concedere, per que personis illarum partium te valeas reddere gratiosum, discretioni tue dispensandi auctoritate apostolia (hac) vice dumtaxat cum quindecim personis infra limites Regnorum et Insule predictorum consistentibus, defectum natalium patientibus, ex soluto et soluta, seu ex presbitero et soluta, aut ex soluto et coniugata genitis, quod eodem defectu non obstante, ad omnes etiam sacros ordines promoveri, et quelibet earum unum beneficium ecclesiasticum, etiam si curam haberet animarum, recipere et retinere possit, dummodo non sint paterne incontinentie sectatores, sed bone conversationis et vite aliaque merita suffragentur eisdem ad huiusmodi dispensationis gratiam obtinendam, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Rome apud S. Petrum anno Incarnationis dominice millesimo quadrigentesimo tricesimo primo, xv. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Eidem, ut excommunicatos absolvere, ac cum personis ecclesiasticis defectum etatis patientibus etc. dispensare possit. Ibidem fol. 202—205. et Regest. Tom. XX. fol. 53—57.

DCCXLIV.

Petro de Monte legationis et collectoriae officium extenditur ad Hiberniae insulam. Reg. Tom. XIV. fol. 179.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Petro de Monte, Iuris utriusque doctori, Notario nostro, apostolice sedis Nuntio, ac fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum in Insula Hibernie, eiusque civitatibus et diocesibus, terris et locis Collectori, salutem etc. Hodie siquidem te fructuum, introituum, proventuum et iurium in Regno Anglie nobis et Camere apostolice debitorum Collectorem, et Nuntium nostrum per alias nostras litteras constituimus et deputavimus, prout in dictis litteris latius continetur. Attendentes igitur tue fidelitatis industriam, in bene gerendis rebus experientiam diutius comprobatam, ac sperantes, quod quanto maiora tibi committenda duxerimus, eo propensius ad honorem nostrum et Romane ecclesie, ac eiusdem Camere utilitatem laudabiliter exequeris, te, qui etiam Magister in artibus existis, ac in diver-

sis nostris et prefate ecclesie negotiis diligenter te exercuisti, in Insula Hibernie eiusque civitatibus et diocesibus, citra tamen tui recessionem ab officio collectorie dicti Regni, fructuum, reddituum, proventuum et iurium huiusmodi collectorem et receptorem usque ad beneplacitum nostrum, et sedis apostolice tenore presentium facimus, constituimus, ac etiam deputamus: tibi nichilominus per te vel alium seu alios, clericos dumtaxat fide et facultatibus ydoneos, a quibuscumque Prelatis, Capitulis, Collegiis, Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis et secularibus, exemptis et non exemptis ordinum quorumcumque, et etiam laicalibus personis omnes et singulas pecuniarum summas et quantitates nobis et prefate Camere debitas et debendas, aliaque iura, res et bona, census annuos nobis et dicte Camere in Insula, civitatibus et diocesibus predictis quacumque occasione vel causa debita vel debenda et imposterum proventura, etiam si bona ipsa fuerint confiscata, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, que in Insula, civitatibus et diocesibus predictis peti et exigi consueverint, communibus et minutis servitiis Prelatorum, per nos seu auctoritate nostra, aut alia quacumque ibidem ad quaruncumque ecclesiarum regimina promotorum, eidem Camere debitis dumtaxat exceptis, nostro et eiusdem Camere nomine petendi, exigendi, recipiendi et recuperandi, ac solventes de receptis dumtaxat quitandi, liberandi, absolvendi, Rationes quoque et computa a quibuscumque collectoribus et subcollectoribus, ac Inquisitoribus heretice pravitatis, ac predicatoribus verbi crucis, et aliis officialibus pro dicta Camera in ipsa Insula Hibernie hactenus deputatis, seu personis aliis, in quantum utilitatem et negocia dicte Camere concernant, audiendi et examinandi, ipsosque, si necesse fuerit, ad id auctoritate nostra, appellatione postposita, compellendi, Contradictores quoslibet etc. usque compescendi, necnon excommunicationis et alias sententias in non solventes tibi iura et debita ipsarum ecclesie et Camere, ut prefertur, per te vel alium seu alios tuo et dicte Camere nomine infligendi et promulgandi, ac inflictas et promulgatas, si eorum contumacia exegerit, quotiens opus fuerit, aggravandi, et alias contra eos sententias promulgandi, necnon quoscumque tibi vel tuis officialibus iniurantes, seu te vel tuos officiales impedientes, vel negocia dicte Camere in aliquo directe vel indirecte, publice vel occulte perturbantes auctoritate prefata procedendi, prout ordo dictaverit rationis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum personaliter coram nobis, vel Camerario nostro, aut Vicecamerario nostro, aut eorum locumtenenti infra certum terminum competentem per te illis prefigendum citandi, ac etiam auxilium brachii secularis, quotiens opus fuerit, invocandi, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etc. plenam et liberam potestatem auctoritate apostolica tenore presentium concedentes. Volumus autem etc. Datum Florentie anno Incarnationis dñice M.CCCC.XXXV. XI. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCXLV.

Guillelmus Croyser archidiaconus Thendalise in ecclesia Glasguensi, beneficiis ecclesiasticis a rege Scotorum per instigationem episcopi Glasguensis iniuste privatus, in integrum restituitur. Reg. Tom. XV. fol. 60.

Eugenius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romanus Pontifex precipuum super Reges et Regna ab eo, qui celum terramque regit, obtinet primatum, ad hoc apostolice sollicitudinis cogitatus diffusius dirigit, ac suæ auctoritatis vices copiosius extendit, ut ecclesiastice persone singule, ille presertim, que potentum oppressionibus in iure et iusticia gravate censentur, sui favoris ministerio ab omnibus dispendiis et noxiis roborentur, et ad statum ac honores debitos reponantur. Ad audientiam nostram non sine mentis et animi admiratione devenit, quod dudum ad felicis recordacionis Martini pape Quinti predecessoris nostri noticiam fama deferente publica deducto, quod ad Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Glasguensis, tunc Regni Scocie Cancellarii, ac nonnullorum aliorum Prelatorum et clericorum, de consilio Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris, instigacionem et promocionem nonnulla minus rationabilia, que evidenter in libertatis ecclesiastice lesionem et diminucionem, nec non auctoritatis sedis apostolice derogacionem tendebant, ordinaciones et statuta in prefato Regno edita et facta ac publicata fuissent. Idem predecessor premissis, necnon ampliori illorum progressui salubriter obviare cupiens, Venerabilibus fratribus nostris Iordano Sabinensi, tunc Albanensi, et Petro Albanensi Episcopis, tunc tituli sancti Stephani in Celiomonte presbitero Cardinali, commiserat, ut eundem Iohannem Epum ad comparendum personaliter coram eis super premissis responsurum, et prout de iure faciendum foret, procedi visurum citarent, et desuper inquirerent diligentius veritatem, nec non citatione contra eundem Iohannem Episcopum per Iordanum et Petrum Episcopos prefatos super hiis in forma solita decreta, dictus predecessor dilecto filio Willermo Creyser Archidiacono Thendalie in ecclesia Glasguensi, familiari et accolito nostro, ut illam executioni debite demandaret, sive demandari faceret, aut procuraret, commisit, et propterea dictum Willermum suum et dicte sedis nuncium specialem etiam pro aliis Romanam ecclesiam tangentibus peragendis, et dirigendis negociis ad diversas mundi partes et loca destinavit, ipsumque ad beneficia sua, que obtinebat, cum omnibus eorum membris dependentibus et connexis, necnon eorum fructus, redditus et proventus, iura, iurisdictiones, possessiones et quecumque alia eius bona mobilia et immobilia ab omni iurisdictione, exactione, dominio, superioritate et potestate quorumcumque Ordinariorum, Iudicum, seu Superiorum aut delegatorum vel subdelegatorum exemit, et sub sui et beati Petri sedis predicte protectione suscepit, necnon eidem sedi immediate voluit subiacere: ita quod ordinarii, iudices delegati et subdelegati predicti, aut alia quevis persona ecclesiastica vel mundana, quacumque prefulgerent dignitate, in Willermum, beneficia et bona predicta, utpote pror-

sus exempta, non possent excommunicationis, suspensionis aut interdicti, seu alias quasvis sententias promulgare, aut alias ratione delicti seu contractus, vel rei, de qua ageretur in iudicio vel extra, ubicunque commicteretur delictum, iniretur contractus, aut res ipsa consisteret, potestatem aliquam exercere: mandamus in virtute sancte obediencie, et sub pena excommunicationis, quam contrafacientes ipso facto incurrerent, universis et singulis cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existerent, etiam si pontificali, vel alia quavis ecclesiastica vel mundana dignitate prefulgerent, ne quis in dictum Willermum manus violentas imponere, vel ipsum capere seu arrestare, aut ei aliquam iniuriam facere, aut suorum beneficiorum fructus usurpare, confiscare, sequestrare, detinere, impedire seu impediri, detineri, sequestrari vel usurpari facere vel mandare, aut procurare per se vel alium seu alios, quominus dictus Willermus prefatis fructibus libere gaudere posset. Et deinde prefatus Willermus dictam citacionem executioni debite demandatam coram eodem Iohanne Episcopo, et dilecto filio nostro Ludovico tituli sancte Cecilie presbitero Cardinali in locum ipsius Petri Episcopi, tunc a Romana Curia absentis, deputati legitime reproduxit, propter que, ut verisimiliter creditur, dictus Iohannes et nonnulli alii Prelati et clerici inordinatis contra ipsum Willermum livoris et invidie materiis conceptis, et ad vindicte spiritum, exemptione et aliis remediis premissis dispendiose contemptis, aspirantes, prefatum Regem ac eius animum contra dictum Willermum ad indignacionem provocarunt, et per nonnullas citatorias ipsius Regis litteras eius sigillo munitas prefatus Willermus, tunc apud sedem apostolicam constitutus, et sub illius protectione existens, ad seculare et prohibitum iudicium, ut coram eodem Rege in suo, quod tunc de proximo celebrare, ut dicebat, intendebat parlamento, ad audiendum, se ipsius Regis inimicum, rebellem et proditorem fore declarare, nec non lese maiestatis criminis conscium existere, et ut desuper responderet, citatus asseritur, necnon omnibus in dicta Curia existentibus de Regno Scotie, ne sub certa tunc expressa pena prefato Willermo communicarent, vel ei consilium, auxilium vel favorem prestarent, inhibitum, et ipsum Willermum tanquam dicti Regis inimicum in omnibus evitarent. Et subsequenter prefatus Rex quoscumque fructus, redditus et proventus beneficiorum dicti Willermi in eodem Regno auctoritate Regia sequestravit, seu sequestrari fecit, nec non ipsius Willermi procuratoribus sub penis gravissimis, ne sibi extra Regnum prefatum aliqua pro suo tenendo statu subsidia vel emolumenta mitterent, donec ad dictum Regnum personaliter accederet, seque dicti Regis conspectui presentaret, prohibuit. Demum vero tempore Rex per suas litteras, nec non per medium quorumdam comitum, procerum, baronum et communitatum eundem Willermum in suo laicali consilio sibi rebellem, proditorem, ac suum et publicum dicti Regis hostem, et ut talis haberetur, declaravit, et ut talem haberi voluit, ac denuo fructus beneficiorum suorum huiusmodi, necnon omnia ipsius Willermi bona sequestrari et detineri mandavit et fecit: publicatione postmodum in eadem curia subsecuta, propter que dictus Willermus, quamprimum promissa et eius noticiam pervenerant, sentiens indebite se gravari, ad sedem apostolicam appellavit, nobisque humiliter supplicavit, ut sibi eiusdemque statui in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui unicuique in iusticia debitores, ac prefato Regi in singulis premissorum occasione etiam adversus dictum Willermum iusticiam ministrare parati existimus, ac premissa, de quibus etiam sumus plenarie informati, nolentes sub dissimulatione transire, huiusmodi supplicationibus inclinati licteras Regias predictas, necnon processus desuper per eundem Regem, seu de eius mandato, aut quoscumque alios, cuiuscumque status, gradus vel condicionis fuerint, et quacumque, etiam si pontificali vel alia ecclesiastica aut mundana dignitate prefulgeant, habitos sub quibuscumque verborum formis, necnon publicationes, intimationes et insinuationes super premissis in dicta Curia vel extra eam factas, quorum omnium tenores presentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, necnon excommunicationis, suspensionis, declarationis, rebellionum et prodicionum, ac privationis et interdicti sententias, fructuum sequestrationes, inhibitiones, prohibitiones et ordinationes contra prefatum Willermum in premissis promulgatas et factas, si que fuerint, necnon quecumque inde secuta apostolica auctoritate et ex certa scientia cassamus, revocamus, irritamus et annullamus, et pro cassis, irritis, nullis, infectis ac viribus vacuis haberi volumus et decernimus, et declaramus ipsumque Willermum ad eos statum, honores, famam et dignitates, in quibus ante tempus commissionis sibi super premissis facte erat, necnon ad sua beneficia et ad illorum fructuum, reddituum et proventuum integram perceptionem eadem auctoritate restituimus, reintegramus, ac etiam reponimus, sibique de ipsorum beneficiorum fructibus, redditibus et proventibus, iuribus et obventionibus universis, amotis etiam ab eisdem beneficiis quibuscumque detentoribus, integre responderi mandamus. Et nichilominus universis et singulis, qui fructus, redditus et proventus premissos recolegerunt, sive penes quos illi recollecti fuerunt, vel repositi aut conservati, vel detenti, vel adhuc conserventur aut habeantur, seu detineantur, cuiuscumque etiam status, gradus vel conditionis fuerint, etiam premissa dignitate prefulgeant, ut de recollectis, repositis et detentis fructibus huiusmodi, in quibuscumque illi consistant, ac de ipsius Willermi rebus et bonis, sive mobilibus sive immobilibus, si fructus et bona huiusmodi existent, alioquin de eorum veris valoribus eidem Willelmo plenas et debitas satisfactionem et restitucionem impendant, et ne deinde Regias aut quascumque alias litteras vel processus huiusmodi super premissis, aut alia concernentibus quomodolibet publicare, intimare vel insinuare, aut eundem Willermum occasione licterarum Regiarum

vel processuum aut declarationis huiusmodi seu quovis alio quesito coloro rebellem, vel Regis aut Regni proditorem vel inimicum appellare, denunciare, tenere, reputare vel vitare, seu ipsum aut bona sua huiusmodi arrestare, vel aliquam ei iniuriam irrogare, beneficiorum suorum fructus, aut bona huiusmodi sequestrare, percipere, levare, recolligere, occupare, detinere vel impedire, aut illa sequestrantibus, recolligentibus, occupantibus, detinentibus et impendentibus consilium, auxilium vel favorem prestare, aut ea sequestrari, recolligi, occupari aut impediri faciant, mandent vel procurarent, seu dictum Willermum suis Canonicatibus et prebendis, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis et beneficiis privare, vel de illis amovere, aut ea aliis personis conferre, seu ad illa personas easdem presentare, aut in illis instituere, vel de eisdem providere sub excommunicationis, suspensionis et interdicti, necnon ecclesiasticis sub suorum beneficiorum ecclesiasticorum, ac Episcopis sub regiminis et administrationis ecclesiarum, quibus prefuerint, necnon laicis sub feudi, quod a Romana vel quibusvis aliis ecclesiis, monasteriis seu locis ecclesiasticis obtinent, privacionem, nec non decem milium Nobilium monete Anglicane, ac perpetue inhabilitationis ad beneficia, vel feuda huiusmodi imposterum obtinenda penis, quas contrafacientes ipso facto incurrere volumus, et a quibus quidem excommunicationum sententiis ab ullo, quam a Romano Pontifice, preter quam in mortis articulo, absolvi nequeant, quomodolibet presumant, eadem auctoritate districte precipiendo mandamus, ac eis in remissionem suorum peccaminum iniungimus per presentes. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Florencie anno Incarnationis dominice M.CCCC.XXXV. octavo Idus Maii, Pontificatus nostri anno quinto.

Conferas litteras Pontificis eodem de negotio ad Regem Scotie aliosque datas, a Raynaldo ex codice Ghisiano prolatas in Annalibus Eccles. ad an. 1436. num. 29–32. fol. 229–232. Tom. IX. ed. Mansi.

DCCXLVI.

Epo Glasguensi et abbati s. Thomae martyris de Aberbrothot conceditur subsidium caritativum pro mille ducatis auri, quos episcopo Urbinati nuntio apostolico in Scotia dederant. Reg. Tom. XV. fol. 108.

Eugenius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Glasguensi, et dilecto filio Waltero Abbati sancti Thome martiris de Aberbowothot Sancti Andree diocesis, salutem etc. Cum de nostro mandato dari et numerari feceritis Venerabili fratri Antonio Epo Urbinati, deputato in Regno Scocie sedis apostolice nuntio, ducatos mille de Camera pro expensis, quas illum in accedendo ad dictam nunciacionem subire oportebit: Nos volentes indempnitati (vestre) providere, et ne quod ad totius Regni et cleri illius utilitatem redundet, vestris amborum expensis fiat, vobis, quamprimum visitacio et reformacio, ad quas predictus nuncius mictitur, expedite erunt, imponendi Clero Regni antedicti, et ab eo modis debitis, sive per formam procuracionum, sive per formam caritativi subsidii predictos mille ducatos etiam per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia exigendi et recuperandi plenariam tenore presentium auctoritate apostolica concedimus facultatem. Datum Bononie Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo tricesimosexto, sexto Idus Iulii, Pontificatus nostri anno sexto.

DCCXLVII.

Guillelmus Croyser constituitur nuntius apostolicus in Scotia, eique datur facultas episcopum Glasguensem a censuris absolvendi. Reg. Tom. XVI. fol. 118.

Eugenius etc. Dilecto filio Guillelmo Croysen Archidiacono Thendalie in ecclesia Glasguensi, Nuncio nostro, sal. etc. Cum te, de cuius fidei puritate (et) in agendis (negotiis) experientia plurimum confidimus, ad Regnum Scocie nostrum nuncium destinemus: Nos volentes ea tibi committere, per que tibi per nos commissa facilius exequi valeas, tibi absolvendi hac vice dumtaxat Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Epum Glasguensem ab omnibus et singulis excommunicationum, suspensionum et interdicti, ac aliis sententiis, censuris et penis per ipsum Episcopum hactenus ex quacumque causa etiam per contemptum mandatorum apostolicorum, vel alias quomodocumque contractis, ac etiam a periurii reatu, si quod non observando, etiam medio iuramento, per eum premissa incurrerit, auctoritate nostra, si hoc humiliter petierit, absolvendi in forma ecclesie consueta, iniuncta pro modo culpe penitentia salutari, nec non super irregularitate, quam huiusmodi sententiis ligatus divina, non tamen in contemptum clavium, celebrando officia, vel se illis immiscendo quomodocumque per eum contracta dispensandi, ac omnem inhabilitationis et infamie maculam sive notam premissorum occasione contractam abolendi, ac ipsum Episcopum ad pristinum et in eum statum, in quo erat antequam huiusmodi sententiis ligatus existeret, in integrum reponendi et restituendi: ita tamen, quod debitum in manibus tuis, pro nobis et Romana ecclesia recipienti, quod fidelis et obediens erit nobis et nostris successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac nostris et ecclesie Romane rebellibus et damnatis per nos et ipsis faventibus adversarium et inimicum se prebebit, iuramentum prestet, plenam et liberam concedimus auctoritate prefata tenore presentium facultatem. Datum Florentie Anno Incarnationis dñice M.CCCC.XXXVIII. sexto Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno nono.

DCCXLVIII.

Andreas de Munroy archidiacono Rossensi datur pensio annua super fructibus mensae ecclesiae Rossensis. Reg. Secret. Tom. I. fol. 54.

Eugenius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Valuensi et ... Aberdonensi ac ... Cathanensi Episcopis, salutem etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Andreas de Munroy Archidiaconus ecclesie Rossensis, Bacallarius in decretis, fidedigno commendatur testimonio,

nos inducunt, ut illa sibi favorabiliter concedamus, que suis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Cum itaque dictus Andreas, sicut asserit, in prosecutione postulationis olim de eodem ad ecclesiam Rossensem, tunc pastore vacantem, per dilectos filios illius Capitulum facte, que demum suum nondum sortita fuit effectum, et ad quam ecclesiam sic vacantem de persona Venerabilis fratris nostri Thome de Tulach Epi Rossensis duxerimus providendum, preficiendo ipsum illi in Epum et pastorem, magnos labores et expensas pertulerit: Nos ne propterea postulationis huiusmodi destitueretur effectu, sed exinde aliquod relevamen reportare, et commodius statum suum sustentare valeret, eidem Andree premissorum meritorum suorum intuitu de alicuius subventionis auxilio providere, ac specialem gratiam facere, nec non omnia et singula canonicatus et prebendas, dignitates personatus, administrationes et officia, ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis, etiam super defectu natalium, quem patitur de presbitero genitus et soluta, eidem Andree concessis obtinet et expectat, ac in quibus et ad quevis sibi quomodolibet competeret, quecumque, quotcunque et qualiacunque forent, eorumque fructuum, redditnum et proventuum veros valores annuos, ac ipsarum dispensationum tenores nostris litteris pro expressis haberi volentes, pensionem annuam quadraginta librarum sterlingorum, seu eorum verum valorem super fructibus, redditibus et proventibus mense Episcopalis Rossensis per Thomam predictum et successores suos Rossenses Episcopos, qui pro tempore forent, pro una videlicet in beati Iohannis Baptiste et alia pensionis eiusdem medietatibus in domini nostri Ihesu Christi Nativitatis festivitatibus in civitate Rossensi singulis annis dicto Andree, donec et quousque de aliquo beneficio ecclesiastico cum archidiaconatu dicte ecclesie, quem inter cetera obtinere dinoscitur, et cuius fructus, redditus et proventus ad tantam summam communiter ascenderent annuatim, sibi canonice provisum foret, ipseque Andreas illud pacifice assecutus extiterit, vel procuratori suo ad hoc speciale mandatum habenti cum effectu persolvendam, auctoritate apostolica tenore dictarum nostrarum litterarum reservavimus, concessimus, constituimus et assignavimus, decernentes Thomam et successores predictos, et quemlibet ipsorum ad integram solutionem pensionis huiusmodi iuxta reservationis, concessionis, constitutionis et assignationis earumdem continentiam atque formam fore efficaciter obligatos, ac volentes et auctoritate prefata statuentes, quod illi ex Thoma et successoribus predictis, qui in dictis festivitatibus, vel saltim infra quindecim dies tunc quamlibet festivitatum ipsarum immediate sequentes pensionem tunc debitam non persolveret cum effectu, lapsis eisdem diebus, ingressus ecclesie interdictus, et si ipse huiusmodi interdictum per alios quindecim dies ex tunc immediate sequentes, a divinis suspensus existeret, si vero interdicti et suspensionis huiusmodi per triginta dies postremo dictos quindecim dies immediate sequentes animo, quod absit, indurato sustinueret, excommunicationis sententias, a quibus, donec de pensione eidem Andree tunc debita huiusmodi integraliter satisfactum, seu alias secum, vel cum eodem procuratore super hoc amicabiliter concordatum foret, preterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere, incurret eo ipso. Non obstantibus etc. Dat. Florentie Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimoquarto, Nonis Martii, Pontificatus nostri anno decimo.

DCCXLIX.

Episcopo Imelacensi provisio de se ad dictam sedem iam facta denuo innovatur, excluso Roberto de Anglia. Reg. Tom. XVIII. fol. 6.

Eugenius episcopus etc. Dilecto filio Cornelio Electo Imelacensi, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut in hiis, que favoris sunt et gratie, nos tibi promptos gaudeas invenisse. Nuper siquidem ecclesie Imelacensi, tunc vacanti per obitum bone memorie Thome Episcopi Imelacensis extra Romanam Curiam defuncti, de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, licet prefatus Thomas Episcopus eidem ecclesie per decem et novem annos prefuerit, illorumque possessionem regiminis et administrationis bonorum, vel maioris partis eorumdem interim pacifice et quiete, ac absque contradictione aliqua rexerit et gubernaverit, pro eo tamen, quod a nonnullis asseritur, ipsi ecclesie de persona dilecti filii Roberti de Anglia fratris ord. Minorum provisum fuisse, tu dubitans, te super dicta ecclesia et eius occasione per eundem Robertum, aut alios suo nomine molestari vel inquietari posse tempore succedente, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis tibi et tuo statui oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, eundem Robertum in prefata ecclesia vel ad eam nullum ius competisse sive competere, aut interesse aliquod habuisse vel habere, nec non provisionem de persona tua per nos, ut premittitur, factam, ac prefectionem huiusmodi suum plenarie effectum sortiri debere auctoritate apostolica decernimus per presentes. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. nostre constitutionis etc. Siquis autem etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimoquarto, Nonis Octobris, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

DCCL.

Cum David Lindesay super pluralitate beneficiorum dispensatur. Reg. Tom. XIX. de Curia fol. 263.

Eugenius episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Aberdonensi, et dilectis filiis ... Preposito Tholosa-

ne, ac ... Decano Brechinensis ecclesiarum, sal. etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius David Lindesay, clericus Brechinensis diocesis, apud nos fidedignis commendatur testimoniis, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, Canonicatus ecclesie Dunkeldensis et prebenda de Merimur in eadem, quos quondam Edwardus Bruys ipsius ecclesie Canonicus, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Edwardi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacarent, et vacent ad presens: Nos eidem David, qui, ut asserit, dilecti filii nobilis viri Alexandri Comitis de Cranfort germanus, et de Regali prosapia procreatus, nec non in vicesimo tertio sue etatis anno constitutus existit, premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, ac omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que dictus David obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, eorumque fructuum, redditiuum et proventuum veros valores annuos presentibus pro expressis habentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios Canonicatum et prebendam prefatos, quorum fructus, redditus et proventus vigintiquatuor librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem David etiam asserit, non excedunt, sive, ut premictitur, sive alias quovis modo, aut ex ulterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem alicuius de illis extra dictam Curiam, eciam coram notario publico et testibus sponte factam vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsique Canonicatus et prebenda dispositioni apostolice specialiter reservati existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, cum plenitudine iuris Canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis prefato David auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes ipsum David, vel dictum procuratorem pro eo ad prebendam huiusmodi in dicta ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, sibique de ipsorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Datum Rome apud S. Petrum anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, Idibus Iulii, Pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISTOLAE NICOLAI PP. V.

DCCLI.

Episcopo Sancti Andreae, ut omnes Scotiae praelatos et ecclesiasticos, qui concilio Basileensi adhaeserant et Ferrariam venire noluerant, a censuris absolvat et in integrum restituat. Inter Reg. Eugenii IV. Tom. XXI. fol. 74.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Iacobo Episcopo Sancti Andree, salutem etc. Tuam nobis et apostolice sedi devotam personam ob grata et accepta per te nobis et eidem sedi impensa obsequia honorare satagimus, ut per honorem tibi exhibitum aliis etiam ad salutem animarum possit provideri. Dudum siquidem postquam felicis recordationis Eugenius papa IV. predecessor noster generale Concilium, quod tunc in civitate Basiliensi celebrabatur, ab inde ad civitatem nostram Ferrariensem ex certis tunc efficientibus causis transtulerat, et translatum esse voluerat et decreverat, nec non sub excommunicationis et inhabilitationis penis, quas contrafacientes ipso facto incurrere censuerat, districtius inhibendo, ne ex tunc inantea in Basiliensi predicta aut alibi, preterquam in ipsa Ferrariensi civitatibus sub nomine sive pretextu concilii generalis remanere, sive etiam accedere auderent, mandandoque omnibus et singulis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Abbatibus, ceterisque cuiuscumque conditionis, status, gradus vel preeminencie existerent, tunc in dicta civitate Basiliensi sub nomine sive pretextu huiusmodi convenientibus, ut infra certi tunc temporis expressi spatium deberent realiter et cum effectu ab ipsa civitate Basiliensi recessisse, nec non quoscumque perdicionis alumno, Amedeo olim Duci Sabandie, se Felicem V. ausu temerario nominari presumenti, eiusque erroribus scienter et deliberate credentes aut adherentes scismaticos fuis-

se et esse, ac tanquam hereticos et criminis lese maiestatis reos puniendos fore, eosque excommunicacionum, anathematis, et beneficiorum, officiorum, necnon honorum, prelaturarum, dignitatum tam ecclesiasticarum quam mundanarum privationis et inhabilitationis ad illa, eorumque omnibus bonis, iuribus et iurisdictionibus publicatis et confiscatis, omnesque alias penas contra prefatum Amedeum statutas et ordinatas incidisse et incurrisse etiam decreverat et declaraverat, prout in diversis ipsius predecessoris litteris plenius continetur, necnon per eundem predecessorem accepto, quod nonnulle Regni ac civitatum, terrarum et locorum dicioni Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris subiectorum persone tam ecclesiastice, quam seculares contra inhibiciones, monita et mandata, ac alia supradicta venire, ac plura etiam nephanda et scandalosa facere et perpetrare presumpserant, predecessor predictus, nolens talia sub dissimulatione transire, per nonnullas alias suas litteras tibi inter alia omnes et singulas Regni, civitatum, terrarum et locorum huiusmodi ecclesiasticas et alias personas, cuiuscumque gradus, status, ordinis et condicionis existerent, etiam si Abbatiali vel alia quavis dignitate prefulgerent, quas tibi(?) pro tempore privacionis et aliis censuris et penis in litteris dicti predecessoris super translatione, et aliis litteris premissis contentis earumve occasione incurrissent, in ecclesiis et aliis locis ecclesiasticis, dum maior inibi populi multitudo ad divina conveniret, excommunicatos, suspensos et interdictos, necnon monasteriis et beneficiis suis omnibus cum cura vel sine cura, secularibus vel regularibus, ac inhabilitationis ad illa vel alia ex tunc in antea obtinenda, aliisque sententiis, censuris et penis supradictis irretitos, etiam si beneficia huiusmodi Canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, et dignitates ipse inibi post pontificales maiores, seu Abbatiales vel Conventuales aut generales forent, et ad illas ac huiusmodi personatus, administrationes vel officia convenissent qui per electionem assumi, eisque cura immineret animarum, fuisse et esse auctoritate apostolica privatos publice nunciandi, et nunciari faciendi, eosque et ipsorum quemlibet etiam cum invocatione auxilii brachii secularis aggravandi et reaggravandi, ac singulos ex eis, quos ad sedis apostolice obedienciam et devotionem redire velle inveneris, si id humiliter peterent, ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis, censuris et penis, quibus premissorum occasione forsan irretiti forent, simul vel successive absolvendi, ac cum ipsis super irregularitate, si quam sententiis, censuris et penis predictis, vel eorum aliqua ligati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, vel se illis immiscendo contraxissent, dispensandi, omnemque inhabilitatis et infamie maculam per eos dicta occasione contractam penitus abolendi, necnon ipsos in pristinum, in eum videlicet statum, in quo antequam sentencias, censuras et penas prefatas incurrerent, ac ad famam, honores et bona restituendi, omnia quoque et singula canonicatus et prebendas, dignitates, personatus, administrationes et officia, ac beneficia per privationes talium pro tempore vacantia, cuiuscumque taxe sive annui valoris illorum fructus, redditus et proventus forent, absolutis huiusmodi, seu aliis ydoneis, de quibus tibi videretur, personis auctoritate predicta conferendi, et de illis necnon singulis Monasteriis predictis similiter vacantibus taliter, ut premittitur, absolutis, ac aliis, de quibus tibi similiter videretur, personis ydoneis dicta auctoritate providendi, aliaque in premissis et circa ea necessaria ac oportuna faciendi et exequendi plenam et liberam eadem auctoritate concessit facultatem pariter et potestatem, prout etiam in eisdem predecessoris desuper confectis litteris plenius continetur. Nos, qui dicto predecessore, sicut domino placuit, ab hac luce subtracto, divina fuimus favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, ipsius in hac parte predecessoris vestigiis inherentes, ac cupientes, quod posteriores littere huiusmodi in suo pleno robore permaneant, et suum in omnibus sortiantur effectum, fraternitati tue etiam omnes supradictos excommunicatos, suspensos et interdictos declarandi, ac beneficiis premissis privatos nunciandi et nunciari faciendi, ac cum invocatione auxilii huiusmodi aggravandi et reaggravandi, necnon absolvendi, in statumque premissum restituendi, necnon beneficia conferendi, et de illis providendi, aliaque supradicta faciendi et exercendi similem facultatem et potestatem auctoritate predicta concedimus per presentes, Non obstantibus premissis ac omnibus illis, que dictus predecessor in prefatis posterioribus licteris non obstare voluit, ceterisque contrariis quibuscumque. Dat. Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quinto Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLII.

David Monypenny clerico Brechinensi datur expectativa beneficii ecclesiastici vacantis vel vacaturi in diocesi Sancti Andreae. Reg. Tom. II. fol. 184.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio David Monypenny clerico Brechinensis diocesis, Magistro in artibus, salutem etc. Nobilitas generis, licterarum sciencia ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi, qui, ut accepimus, de Baronum genere ex utroque parente procreatus, et tam propter nobilitatem huiusmodi, quam plurimas alias tibi suffragantes virtutes Carissimo in Christo filio nostro Iacobo Scotorum Regi Illustri, necnon dilectis filiis Nobilibus viris Francisco Duci Britanie, et Petro Comiti de Everros plurimum gratus existis, nec aliquod beneficium ecclesiasticum obtines, premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, motu

proprio, non ad tuam vel alterius pro te super hoc oblate petitionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate beneficium Ecclesiasticum cum cura, vel sive cura, consuetum clericis secularibus assignari, etiam si Canonicatus et prebenda, dignitas, personatus, administratio, vel officium in Cathedrali vel Collegiata ecclesia existat, cuiuscumque taxe seu annui valoris illius fructus, redditus et proventus, etiam secundum taxationem decime fuerint, ad collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem Venerabilis fratris nostri Episcopi Sancti Andree, et dilectorum filiorum Prioris et Capituli, singularumque personarum ecclesie Sancti Andree ordinis sancti Augustini communiter vel divisim pertinens, etiam si illud dispositioni apostolice specialiter vel generaliter ex quavis causa reservatum existat, si quod vacat ad presens, aut cum vacaverit, quod tu per te, vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, conferendum tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes eisdem Episcopo, Priori et Capitulo et personis, ne de beneficio huiusmodi interim etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illud nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes etc. non obstantibus etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quarto Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLIII.

Ioanni episcopo Dunkeldensi innovatur provisio de se facta, et conferuntur omnia privilegia, quibus doctores studii generalis Sancti Andreae gaudent. Reg. Tom. II. fol. 187.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Dunkeldensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, que tuo statui et tue dignitati fore conspicimus oportuna. Dudum siquidem de persona tua ecclesie Dunkeldensi tunc vacanti providimus, preficiendo te illi in Episcopum et Pastorem, exhortando Carissimum in Christo filium nostrum Iacobum Scotorum Regem Illustrem, ut in conservatione iurium prefate ecclesie auxilium et favorem prestaret, ac mandando dilectis filiis Capitulo ipsius ecclesie, necnon Clero Civitatis et diocesis Dunkeldensis ac universis populo earundem, necnon Vassallis et aliis suis, ut tibi obedienciam et reverenciam debitas et devotas exhiberent, prout in singulis literis desuper confectis, ac cedula consistoriali, super qua lictere ipse confecte fuerunt, et in quibus omnibus expressum est, quod tu decretorum doctor existebas, plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu non decretorum doctor, sed in decretis licentiatus tempore date literarum predictarum fueris et existas de presenti: Nos, ne propterea licere ipse de surreptionis vicio notari possint, tuque illarum, quarum obtentu munus consecrationis tibi impensum extitit, tuque pacificam, ut asseris, regiminis et administrationis bonorum eiusdem ecclesie possessionem assecutus fuisti, et illi preesse dinosceris, frusteris effectu, providere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod promotio, provisio, prefectio, muneris impensio, ac singule predicte et eciam alie, si que desuper confecte fuerunt, necnon processus habiti per eosdem, et quecumque inde secuta ab eorum omnium datis valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant perinde in omnibus et per omnia, ac si in cedula et singulis licteris predictis, quod tu in decretis licentiatus, et non decretorum doctor extitisses, expressum fuisset. Et insuper te, qui, ut etiam asseris, in Studio Sancti Andree in decretis longo tempore studuisti, et ab illius Universitate licentiam te in decretis doctorandi obtinuisti, tenore presentium decretorum doctorem facimus, ac doctoralibus insigniis decoramus, volentes et eadem apostolica auctoritate tibi concedentes, quod omnibus et singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus et exemptionibus, quibus alii doctores in Universitate predicta facti gaudent et utuntur, perinde in omnibus et per omnia uti valeas pariter et gaudere, ac si in dicto Studio Sancti Andree decretorum doctor factus ac insigniis doctoralibus decoratus extitisses, Non obstantibus premissis, et constitucionibus apostolicis, nec non omnibus illis, que in singulis licteris predictis volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, octavo Idus Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCLIV.

Fundatio quatuor capellaniarum in ecclesia Dunkeldensi ab episcopo facta confirmatur. Reg. Tom. II. fol. 188.

Nicolaus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis que pro divini cultus augmento, Cathedralium ecclesiarum decore et ornamento ac animarum salute provide facta sunt, ut firma perpetuo et illibata persistent, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Dunkeldensis, ac dilectorum filiorum Decani et Capituli ecclesie Dunkeldensis nobis nuper exhibita petitio contibet, quod olim bone memorie Iacobus Episcopus Dunkeldensis videns et mature perpendens cultum divinum in eadem ecclesia propter raritatem Vicariorum, seu Capellanorum chori quasi deficere, seu saltem iuxta statum ipsius ecclesie minus debite observari, volens numerum Deo militantium in prefata ecclesia augeri, de consensu plenaque deliberatione et voluntate Decani et Capituli eiusdem ecclesie tunc existentem parrochialem ecclesiam de

Abyrunt Dunkeldensis diocesis, tunc per liberam resignationem dilecti filii Roberti de Hamylton olim ipsius parrochialis ecclesie Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, per certum eius legitimum procuratorem in manibus prefati Iacobi Episcopi extra Romanam Curiam sponte factam, et per eumdem Episcopum extra dictam Curiam auctoritate ordinaria admissam, vacantem, ad honorem Domini nostri Ihesu Christi, glorioseque Virginis Marie, et beati Columbe patroni dicte ecclesie, ac omnium Sanctorum, ut divinus cultus et eius obsequium in predicta ecclesia Dunkeldensi sua solicitudine et providentia circumspecta augeretur, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ad sustentationem quatuor Cappellanorum, seu verius Vicariorum chori perpetuis futuris temporibus deputavit, concessit, ac ex eius fructibus, redditibus et proventibus quatuor Capellanias perpetuas instituit, erexit, creavit, et ordinavit, conferendas quatuor Cappellanis in litteratura et cantu sufficientibus, et non aliis, per Decanum et Capitulum examinandis, instituendis et admittendis ad Capellanias predictas, et qui continue resideant, et in choro dicte ecclesie horis canonicis et divinis officiis more solito debeant interesse, nec non ut dictarum Capellaniarum erectio, constitutio et ordinatio predicte ecclesie parrochialis, nec non fructuum et proventuum ipsius ad tam laudabilem usum pleniorem et magis fructuosum sortirentur effectum, dilectum filium Iohannem Aroscos, dicte ecclesie Canonicum, nomine prefate ecclesie Dunkeldensis et quatuor Capellanorum predictorum in realem, actualem et corporalem possessionem quatuor Capellaniarum predictarum induci fecit et mandavit, et ne propter creationem et constitutionem Capellaniarum predictarum animarum cura in eadem parrochiali ecclesia negligeretur, in predicta parrochiali ecclesia perpetuum Vicarium sufficientem, qui curam animarum parrochianorum dicte parrochialis ecclesie perpetuo gerere et exercere debeat et teneatur, creavit, instituit et ordinavit, prout in licteris auctenticis prefati Iacobi Episcopi plenius continetur. Quare pro parte dictorum Iohannis Episcopi ac Decani et Capituli asserentium deputationem, concessionem, erectionem, creationes, institutiones et ordinationes huiusmodi suum etiam, antequam nos uniones, que sortite non fuerant effectum, revocavissemus, executioni debite mandatas fuisse, nobis fuit humiliter supplicatum, ut illis pro earum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, deputationem, concessionem, erectionem, creationes, institutiones et ordinationes huiusmodi, necnon omnia et singula in dictis licteris contenta, et quecumque inde secuta, autorictate apostolica tenore presentium confirmamus et approbamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus dicte ecclesie Dunkeldensis, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli etc. nostre confimationis, approbationis, communitionis et suppletionis etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, Idibus Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCLV.

Laurentio Pyot conceditur cantoria ecclesia Moraviensis cum annexis canonicatu et praebenda eiusdem ecclesiae per modum novae provisionis. Reg. Tom. XLV. fol. 117.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Laurentio Pyot Cantori ecclesie Moraviensis, salutem etc. Romani pontificis providentia circumspecta etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim Cantoria ecclesie Moraviensis per liberam resignationem quondam Andree de Tulach, olim ipsius ecclesie Cantoris, de illa, quam tunc in humanis agens obtinebat, per dilectum filium Andream Fyffe, tunc perpetuum Vicarium parrochialis ecclesie de Marinton Brechinensis diocesis, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus dilecti filii Thome de Edynhame, Canonici Aberdonensis, extra Romanam Curiam sponte factam, et per eundem Canonicum habentem specialem commissionem recipiendi et admittendi resignationem huiusmodi, si illam dictus quondam Andreas in manibus ipsius Canonici sponte et libere per se, vel procuratorem suum facere vellet, et Cantoriam eandem cum sibi annexis Canonicatu et prebenda per dictam resignationem vacantem tibi conferendi, ac inducendi te in possessionem, sibi, ut etiam asserebas, a Vener. fratre nostro Iohanne Episcopo Moraviensi factam, illius vigore extra ipsam Curiam admissam vacante, idem Canonicus illam sic vacantem tibi auctoritate ordinaria contulit, et de illa etiam providit, tuque collationis et provisionis earundem obtentu Cantoriam ipsam assecutus, illam extunc tenuisti et possedisti, prout tenes et possides de presenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, de collationis et provisionis predictarum iuribus ab aliquibus hesitetur: Nos omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que eciam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines et expectas, ac in quibus, et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, redditnum et proventuum veros valores annuos, ac ipsarum dispensationum tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes, ac volentes tibi, qui presbiter es, quique apud nos de vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendaris, tuoque statui super hiis oportune providere, teque gratioso favore prosequi, gratiamque tibi facere specialem, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, collationem, provisionem et assecutionem predictas, et quecumque inde secuta rata et grata habentes, illa omnia et singula auctoritate apostolica, et ex certa scientia con-

firmavimus pariter et approbamus, supplendo omnes et singulos defectus, etiam quantumcumque substanciales, si qui forsan intervenerint in eisdem.

Et nichilominus pro potiori cautela Cantoriam predictam, que in prefata ecclesia dignitas, non tamen maior post pontificalem existit, et ad quam quis per electionem non assumitur, cuique curia imminet animarum, et cuius fructus, redditus et proventus quinquaginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, sive ut premictitur, sive alias quovis modo, vel per obitum quondam Ade de Hamylton apud sedem predictam defuncti, vel per cessionem Wilhelmi Hog aut Andree Durisder dilectorum filiorum, quibus de illa tunc certo modo vacante apostolica auctoritate successive provisum, seu provideri mandatum extitit, seu per liberam resignationem quondam Ricardi Clepham, cui de illa certo modo dicta apostolica auctoritate provisum seu provideri concessum similiter extitit, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu similem resignationem dicti Andree Tulach, vel alicuius alterius de illa in dicta curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut per constitutionem felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri que incipit: Execrabilis, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque Cantoria dispositioni apostolice specialiter, aut ex obitu dicti Ade, seu alias quomodolibet generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta curia vel extra eam pendeat indecisa, dummodo tempore data presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illa etiam providemus, decernentes te adeptam per te possessionem predictam libere et licite continuare potuisse, atque posse, nec non irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, tertio Nonas Maii, Pont. nostri anno quarto.

DCCLVI.

Ioanni Atholiae clerico Dunkeldensis dioecesis confertur parochialis ecclesia de Connayth Sancti Andreae dioecesis. Reg. Tom. XXIX. fol. 262.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Zamorensi et Brechinensi Episcopis, ac dilecto filio Abbati Monasterii de Abberbrothot Sancti Andree diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Iohannis Atholie, clericus Dunkeldensis diocesis, fidedigno comendatur testimonio, Nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia de Connayth Sancti Andree diocesis, quam quondam Thomas de Grynlaw, olim ipsius ecclesie Rector, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Thome, qui postquam vigore quarundam litterarum felicis recordacionis Eugenii pape IIII. predecessoris nostri pro eo, quod congregatis in Concilio Basiliensi adheserat, auctoritate apostolica privatus et amotus, ac postmodum per nos, unione in universali ecclesia imperante Domino subsecuta, per alias nostras litteras ad eandem ecclesiam restitutus fuerat, quique nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit, et vacet ad presens, licet dilectus filius Adam Falconair, qui se gerit pro presbitero predicte Dunkeldensis diocesis, eandem ecclesiam ante obitum dicti Thoma octo annis et amplius detinuerit, prout detinet indebite occupatam: Nos volentes eidem Iohanni, qui, ut asserit, et utroque parente de nobili genere procreatus existit, et in sacra pagina quinque annis vel circa in Coloniensi et Sancti Andree Universitatibus studuit, premissorum meritorum suorum intuitu, gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si vocatis dicto Ada et aliis, qui fuerint evocandi, ecclesiam predictam, cuius fructus, redditus et proventus triginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Iohannes asserit, non excedunt, ut premittitur, vel aliis quibusvis modis, aut ex aliorum quorumcumque personis, seu per liberam resignationem dicti Ade, vel alterius de illa extra prefatam curiam, etiam coram Notario publico et testibus sponte factam, seu Constitutionem pie memorie Iohannis pape XXII. etiam predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacare reperitis, illam etiam, si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque ecclesia dispositioni apostolice specialiter reservata existat, et super eos inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato Iohanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes per vos vel alium seu alios eundem Iohannem, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem ecclesie, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendentes inductum, amotis exinde dicto Ada et quolibet alio illicito detentore, ac facientes ipsum Iohannem, vel dictum procuratorem pro eo ad ecclesiam prefatam, ut est moris, admitti, sibique de ipsius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, undecimo Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCLVII.

Parochialis ecclesia de Hamilton Glasguensis dioecesis erigitur in collegiatam. Reg. Tom. IX. fol. 324.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Glasguensi, salutem etc. Ex debito pastoralis officii etc. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Iacobi domicelli de Hamylton, militis Glasguensis diocesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipse provide considerans, quod parrochialis ecclesia loci de Hamylton et diocesis predictorum, alias de Cadzow antiquitus nuncupata, cuius Rector in ecclesia Glasguensi Decanus existit, per unicum tantum Vicarium regi et gubernari consuevit, amplam haberet, prout habet parrochiam, et in illa utriusque sexus habitatorum et incolarum dicti loci multitudinem animarum, preter hominum illinc terra et aqua iter cotidie facientium, et ad eandem ecclesiam pro missis et aliis divinis audiendis officiis advenientium, quodque cura huiusmodi commode per solum Vicarium exerceri et prefate ecclesie debite deserviri non posset, pio desiderio motus pro divini cultus augmento et animarum cura huiusmodi commodius supportanda, eidem parrochiali ecclesie, quam in Collegiatam erigi, et ultra illius rectoriam, cuius Rector predictus alibi continuam facit residentiam, Preposituram pro uno Preposito, et sex capellanias pro totidem ydoneis Capellanis presbiteris institui et creari affectat, viginti libratas terrarum et animarum reddituum iacentium infra suum dominium consistentium concessit pariter et donavit, necnon quatuor capellanias, quas ipsius militis progenitores fundaverant, et quorum ius patronatus ad ipsum militem legitime pertinere dinoscitur, prefate ecclesie pro eisdem Capellanis creandis uniendas, annectendas et incorporandas, quantum in eo fuit, sponte concessit, prout in licteris dicti militis inde confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipse, qui eandem ecclesiam in suis structuris et edificiis ampliare, magnificare et ornare proponit, premissa omnia et singula ad laudem et gloriam divini nominis, et pro ipsius cultus augmento, animarumque eorumdem et aliorum, pro quibus libratas terrarum predictas donavit, fecerit sicuti melius potuit de iure peragere, pro parte dicti militis nobis fuit humiliter supplicatum, ut eandem ecclesiam in Collegiatam cum Collegio Prepositi et sex capellaniarum ultra Rectorem huiusmodi, et insigniis collegialibus ad instar aliarum collegiatarum ecclesiarum illarum partium, et in illa prepositaram et sex capellanias erigere, ipsiusque modernum Vicarium in Prepositum, et alios Capellanos ad presentationem dicti militis instituere et creare, necnon de Machan unam, cuius quatuor marcharum sterlingorum, ac in dicta de Hamylton infra dominium ipsius militis consistentes aliam, cuius similiter quatuor, et in capella sancti Thome prope civitatem Glasguensem, aliam, cuius pariformiter quatuor, et de Lanark aliam, cuius etiam quatuor, perpetuas sine cura capellanias cum omnibus iuribus et pertinentiis eorumdem prefate erigende in Collegiatam ecclesie, cuius Vicarie duodecim marcharum, Rectorie vero sexaginta librarum et quatuor marcharum sterlingorum fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, imperpetuum unire, incorporare et annectere, necnon eidem erigende Prepositure dictas quatuor marchas sterlingorum pensionis, in quibus idem Vicarius Rectori prefato annis singulis obligatur, attento, quod eidem Rectori ultra dictas quatuor marchas sexaginta libre similes et ultra remanent annuatim, eidem Vicario, quamprimum in Prepositum institutus fuerit, remittere, ipsumque ab illarum prestatione penitus liberare, illasque pro incumbentibus oneribus ipsius ecclesie pro tempore reservare, concedere et deputare, militi quoque prefato suisque heredibus et successoribus imperpetuum ius patronatus, et presentandi tam personam ydoneam in Prepositum, quam etiam alias sex similes personas in Capellanos eiusdem ecclesie, quociens casus vacacionis illarum advenerit, reservare, concedere pariter et donare, et alias super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum prosperitatem, et in illis divini cultus augmentum nostris potissime temporibus affectamus, de premissis certam noticiam non habentes, ac volentes pio et laudabili ipsius Iacbi desiderio, quantum cum deo possumus, annuere, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstanciis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscienciam oneramus, parrochialem ecclesiam predictam in collegiatam cum insigniis collegialibus, aliisque partium illarum collegiatis ecclesiis de iure vel consuetudine debitis, ac una Prepositura et sex capellaniis ultra Rectorem huiusmodi auctoritate predicta exigas, in ea quoque, postquam capellas sive quatuor capellanias predictas unieris, incorporaveris et annexueris, ut prefertur, illius Vicarium in Prepositum, et sex alios in Capellanos ad presentationem ipsius militis creare et instituere, nec non quatuor marchas sterlingorum eidem Rectori hactenus debitas, ut prefertur, pro eiusdem ecclesie oneribus huiusmodi commodius supportandis deputare et applicare, ac eidem militi pro se suisque heredibus et successoribus antedictis ius patronatus et presentandi personam ydoneam in Prepositum Venerabili fratri nostro Epō Glasguensi pro tempore existenti, et per eundem Epūm in Prepositum, ac sex alias similes personas in Capellanos huiusmodi, quociens casus vacacionis illarum acciderit, instituendos imperpetuum concedere, et donare eadem auctoritate nostra procures. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, pridie Nonas Ianuarii, anno iv.

DCCLVIII.

Erectio studii generalis in civitate Glasguensi. Reg. Tom. IX. fol. 213.

Nicolaus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Inter felicitates, quas mortalis homo in hac

labili vita ex dono dei nancisci potest, ea non in ultimis computari meretur, quod per assiduum studium adipisci valet scientie margaritam, que bene beateque vivendi viam prebet, ac peritum ab imperito sui preciositate longe facit excellere, et ad mundi archana cognoscendi dilucide introducit, suffragatur indoctis, et infimo loco natos evehit in sublimes: et propterea sedes apostolica rerum spiritualium et temporalium provida ministratrix, liberalitatis honeste circumspecta distributrix, et cuiusvis commendabilis exercitii perpetua et constans adiutrix, ut eo facilius homines ad tam excelsum humane condicionis fastigium acquirendum, et acquisitum in alios refundendum semper cum augmento inducantur, illos hortatur, eis loca preparat, illos iuvat et fovet, ac favoribus prosequitur graciosis. Cum itaque, sicut pro parte Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris nuper fuit expositum coram nobis, ipse Rex non solum ad utilitatem rei publice ac incolarum et habitatorum terrarum sibi subiectarum, sed eciam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens, in eius civitate Glasguensi tanquam in loco insigni et valde accommodo, in quo aeris viget temperies, victualium ubertas, ceteraque rerum ad usum humanum pertinentia copia reperitur, desideret plurimum fieri et ordinari per sedem apostolicam Studium generalem in qualibet licita facultate, ut ibidem fides Catholica dilatetur, erudiantur simplices, equitas servetur iudicii, vigeat ratio, illuminentur mentes et intellectus hominum illustrentur: Nos premissa, et eciam eximiam fidei ac devotionis sinceritatem, quam idem Rex ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobatur, attente considerantes, ferventi desiderio ducimur, quod civitas ipsa scientiarum ornetur muneribus, ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, et diversarum facultatum dignitatibus eruditos, sicque ibi scientiarum fons irrigans, de cuius plenitudine hauriant universi licterarum cupientes imbui documentis. Hiis igitur omnibus, et presertim ydoneitate eiusdem civitatis, que, ut accepimus, ad multiplicanda doctrine semina et germina salutaria producenda valde congrua et accommoda fore dicitur, diligenti examinatione pensatis, non solum ad ipsius civitatis, sed eciam incolarum et habitatorum totius Regni Scocie et Regnorum circumiacentium commodum atque profectum paternis affectibus excitati, nec non ipsius Regis in hac parte supplicationibus inclinati, ad laudem divini nominis, et orthodoxe fidei propagacionem in eadem civitate generale studium auctoritate apostolica erigimus ac statuimus, et eciam ordinamus in ipsa civitate de cetero studium huiusmodi perpetuis futuris temporibus vigeat tam in Theologia, ac iure Canonico et civili, quam in artibus et quavis alia licita facultate, quodque doctores, magistri, legentes et studentes ibidem omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, honoribus, exemptionibus, immunitatibus per sedem apostolicam vel alias quomodolibet magistris, doctoribus et studentibus in studio nostre civitatis Bononiensis concessis gaudeant et utantur, ac Venerabilis frater noster Willelmus Episcopus Glasguensis, ac successores sui, qui pro tempore fuerint Glasguenses (Epi), sint Rectores, Cancellarii nuncupati, qui habeant supra doctores, magistros et scolares, ac alios de Universitate studii huiusmodi similem facultatem et potestatem, quam habet Rector scolarum dicti studii Bononiensis, quodque illi, qui processu temporis bravium meruerunt in facultate, illam, qua studuerint obtinere, ac docendi licentiam, ut alios erudire valeant, nec non magisterii, seu doctoratus honorem petierint elargiri per doctorem seu doctores, ac magistrum seu magistros facultatis eiusdem, in qua examinatio fienda fuerit Episcopo Glasguensi nunc et pro tempore existenti, et Glasguensi ecclesia pastoris solatio destituta, Vicario seu officiali in spiritualibus dilectorum filiorum Capituli dicte ecclesie presentetur: qui quidem Episcopus vel Vicarius seu officialis, aliis doctoribus et magistris ibidem tunc legentibus convocatis, promovendos eosdem in hiis, que ad magisterii seu doctoratus honorem quomodolibet requiruntur, per se vel alium iuxta tenorem seu consuetudinem in aliis studiis observari solitos examinare studeant diligenter, eisque, si ad hoc sufficientes et ydonei reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat, seu magisterii impendat honorem. Illi vero, qui in eodem studio civitatis Glasguensis examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam et honorem huiusmodi obtinuerint, ut prefertur, ex tunc absque alia examinatione et approbatione deinceps regendi et docendi tam in eadem civitate, quam in singulis aliis studiis generalibus, in quibus regere et docere voluerint, plenam et liberam habeant facultatem, statutis et consuetudinibus eciam iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia vallatis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre erectionis, constitucionis et ordinacionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo, quinquagesimo, septimo Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCLIX.

Confirmatio et approbatio collegii tredecim professorum fundati ab Iacobo episcopo in civitate Sancti Andreae. Reg. Bull. Tom. XI. fol. 147.

Nicolaus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. In supreme dignitatis specula superni dispositione consilii licet immeriti constituti, ad universas fidelium regiones nobis divinitus creditas, earumque profectus et commoda tanquam universalis pastor dominici gregis commissi nobis speculatoris aciem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes multiplici meditatione pensamus, quantum ad profugandas ignorantie tenebras augendaque commoda tam publica quam privata spiritualiter et temporaliter studia litterarum mundo conferant universo, quantumque per ea divini nominis et catholice cultus fidei protendatur, consulatur animarum saluti, ac inter homines pacis et quietis commoda procurentur, humane conditionis amplietur prosperitas, colatur

regina virtutum iustitia, et ecclesia militans ex studiorum pullulatione virorum in spiritualibus et temporalibus gratiosis fructibus illustretur. Inde votis illis, que per huiusmodi studiorum subsistentia ac ampliatione sapientie et virtutis augmento provenisse ac recte processisse noscuntur, etiam illis apostolici muniminis robur adiicientes, libenter gratiosos auditus extendentes, et oportuni favoris auxilia libenter impertimur. Sane, sicut Venerab. frater noster Iacobus Ep̄us Sancti Andree proposuit coram nobis, ipse olim provide considerans et attendens, quod licet infra Regnum Scotie messis quidem multa fore dinosceretur, operarii tamen inibi pauci reperiebantur, ad id sua propterea versabatur intentio, aspirabat et anhelabat affectus, ut illius sapientie et scientie fructus continuum, auctore dño, susciperet incrementum, per que fides catholica tueretur et roboraretur, christiana vigeret religio, verbum dei in Christi fidelium cordibus habundantius seminaretur, ac pestiferorum hereticorum et heresiarcharum heresibus et scismatibus, que prothdolor! in diversis mundi partibus pulularunt et viguerunt, daretur obvia illa divina et heroica Theologica sapientia, que in misticis sacre scripture ministeriis clauditur, et latet in abditis, et que a prudentibus et presentis seculi absconditur, et parvulis revelatur: cupiensque propterea idem Episcopus in agro dominico sacre scripture tales conducere operarios, per quos thesaurus ille pretiosissimus divine sapientie illic absconditus pateferet, cuius quidem thesauri divitie inextimabiles super aurum prevalent et thopazion, cuiusque acquisitio melior est super negociatione auri et argenti, quodque ad laudem omnipotentis dei, ecclesie robur, universalis et christiane religionis augmentum facultas Theologica in Alma Universitate Sancti Andree infra Regnum memoratum consistente floreret, germinaretque christiane fidei palmites, et pugiles fortissimos ac athletas intrepidos, per quorum diligentissima ac fidelissima studia Scotorum ecclesia ab hereticorum liberetur et perpetuis futuris temporibus preservaretur incursibus: in agro quoque evangelice doctrine laborantes diabolica fraude inter Christi fideles superseminata zizania eradicari et extirpari possent pariter et evelli, sperantes de omnipotentis dei clementissima gratia in Sancti Andree civitate admodum populosa, que inter alias Regni prelibati civitate habetur et reputatur insignior, loco ad hoc utique ydoneo et accommodo, in quo aeris grata viget temperies, victualium ubertas, ceteraque rerum ad humanum usum necessariarum copia reperitur pro conservando, et in alios diffundendo pretioso huiusmodi iaspidis thesauro, qui ceteris mundi facultatibus preferendus est, quoddam notabile Theologicorum et artistarum Collegium in modum et formam inferius annotatos, ac etiam conditionibus adiectis infrascriptis in honorem et reverentiam, ac sub vocabulo et invocatione Sancti Salvatoris pro personarum tredecim numero ad instar apostolici numeri, de quibus quidem personis prima, que Prepositus dicti collegii nuncuparetur, intitularetur et existeret, ac preposituram inibi obtineret in Theologia Magister, secunda vero cum rigore examinis Licentiatus, et tertia Bachalarius formatus in eadem Theologia, nec non ex reliquis quatuor in artibus Magistri et in sacerdotio constituti, alii autem sex ex personis huiusmodi remanentes, et numerum tertiumdecimum antedictum perficientes, totidem pauperes clerici scientiis imbuendi speculativis et ad illas habiles et ydonei, quibus etiam clericis eorum parentes et consanguinei in acquirenda illa preciosissima et incomparabili scientie margarita subvenire nequeant, esse voluit et etiam ordinavit, domino benedicente, erexit, fundavit pariter et dotavit, volens inter cetera, quod prepositura ac loca pro singulis predictis, ut premittitur, deputata personis, per alias quam per similes in gradibus et aliis premissis personis nullatenus obtineri et possideri possent seu deberent, quodque Magister, Prepositus nuncupatus, Licentiatus et Bacalarius certis diebus in ebdomata Theologiam, artium vero Magistri Philosophiam et Methafisicam legerent, illique ac universe et singule persone predicte dominicis et festivis diebus singulis matutinas aliasque horas canonicas decantare, ac missam celebrare deberent. Et nichilominus quia fundatio et dotatio predicte Collegio ad personarum huiusmodi, et alia illi pro tempore incumbentia onera suppotere nullatenus videbantur, prout nec etiam revera suppetebant, prefatus Episcopus ad tam bonum tamque salubre opus prosperandum et manutenendum solicitis vigiliis intentus, ac ad id propensius elevans oculos sue mentis, pro Collegii, Prepositi, Licentiati, Bacalarii, artium Magistrorum et aliarum personarum huiusmodi statu tenendo decenti, et sicut expedit conservando, videlicet de Kylmany Collegio, et de Quylt, in quibus antea fuerunt prepositure huiusmodi, et eandem prepositurem pro tempore obtinenti, ac de Kombak Licentiato, nec non de Duncuagh, in quibus nondum erant perpetue vicarie institute Sancti Andree parrochialium ecclesiarum rectorias, quas in dicto Collegio in prebendas etiam erexit, et illos sic nuncupari voluit Bachalario sepedictis in perpetuum auctoritate ordinaria univit, annexuit et incorporavit, ac in ipsis de Kombak et de Duncuagh onera supportare deberent et tenerentur: ita quod cedentibus vel decedentibus dictarum parochialium ecclesiarum rectoribus, seu rectorias ipsas alias quomodolibet dimittentibus, liceret singularum rectoriarum singulis ex Collegio, Preposito et aliis personis antedictis iuriumque et pertinentiarum eorundem corporalem possessionem auctoritate propria iuxta annexionis, et incorporationis predictarum continentiam et tenorem libere apprehendere et perpetuo retinere, cuiuscumque alterius licentia super hoc minime requisita, prout premissa omnia et singula, ac nonnulla alia negotium huiusmodi concernentia in quibusdam prefati Ep̄i sigillo munitis antedictis litteris dicitur plenius contineri.

Quare pro parte dicti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut voluntati, ordinationi, erectioni, fundationi, dotationi, unioni, annexioni et incorpora-

tioni, necnon institutioni et reservationi predictis pro earum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, ac alias super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, in quorum habetur desideriis, ut per litterarum studia et scientiarum doctrinam fides catholica ad divini nominis laudem et gloriam quotidie dilatetur, mentes fidelium et universorum intellectus mortalium illustrentur, quodque per eas ad creatoris et redentoris nostri domini Ihesu Christi cognitionem verissimam, eiusque veram sapientiam deveniri possit, affectantes, easque propterea, prout rite et provide facta sunt, ut inconcusse perpetuis futuris temporibus in confirmata subsistencia persistant illibata, de premissis omnibus et singulis, eorumque circumstanciis universis sufficienter informati, et plenam notitiam habentes, nec non singularum parrochialium ecclesiarum predictarum veros valores annuos, dictarumque licterarum, quas propterea diligenter inspici et examinari fecimus, tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, presentibus pro sufficienter expressis haberi volentes, huiusmodi quoque supplicationibus inclinati, voluntatem, ordinationem, erectionem, fundationem, dotationem, unionem, annexionem et incorporationem, nec non institucionem et reservacionem predictas cum omnibus et singulis illis adiectis conditionibus, nec non, prout eas concernunt, omnia et singula in licteris predictis contenta, et quecumque inde secuta auctoritate apostolica ex certa nostra scientia confirmamus pariter et approbamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplendo omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et insuper quod deinceps ..... Prepositure, ac pro Licentiato et Bacalario alia duo beneficia fundata predicta perpetuis futuris temporibus compatibilia sint, et esse sentiantur, ac ut talia cum quocumque alio (beneficio) curato, seu simili vel dissimili fundatione, seu de consuetudine vel alias quomodolibet incompatibili, etiam cuiuscumque qualitatis fuerit, compatibiliter et absque dispensationis alicuius suffragio obtineri possint et valeant, necnon Magister, Licentiatus, Bacalarius, ac alie singulares persone Collegii huiusmodi, presentes et futuri, cum eorum familiaribus a quacumque iurisdictione ordinaria, ac etiam ab omnibus et singulis gabellis, taliis, subsidiis, exactionibus et pedagiis perpetuo exempti et immunes existant, auctoritate et scientia antedictis decernimus per presentes.

Quocirca Venerabili fratri Epõ Brechinensi, et dilectis filiis Priori et Archidiacono ecclesie Sancti Andree per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus ipsorum per se, vel alium seu alios Collegio prefato, ac singulis personis pro tempore existentibus in eodem fortis et efficacis defensionis auxilio auctoritate apostolica assistentes, non permittant Collegium ipsum ac personas huiusmodi coniunctim vel divisim per quascumque personas, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis vel preeminentie fuerint, etiam quacumque super hoc auctoritate suffultas, quomodolibet impeti, seu etiam molestari, Contradictores, perturbatores, inquietatores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, et alia opportuna iuris remedia compescendo, Et nichilominus legitimis desuper per eosdem Iudices habendis servatis processibus, eos quotiens expedierit aggravare et reaggravare procurent, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: Volentes ac eisdem scientia et auctoritate apostolica decernentes, quod dictis executoribus a data presentium sit eis, et unicuique in premissis omnibus et singulis, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possint omnibus et singulis ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram eis cepta fuissent, et iurisdictio eorum et cuilibet ipsorum in predictis omnibus et singulis per citationem, vel modum alium perpetuato legitimum extitisset, quodque quilibet executorum eorumdem prosequi valeant articulum etiam per alium inchoatum, quamvis ipse inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, Non obstantibus premissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per licteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, approbationis, communitionis, supletionis, constitutionis et voluntatis etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, Nonis Februarii, Pont. nostri anno quarto.

DCCLX.

Revocatur unio plurimorum beneficiorum monasteriis concessa in civitate et diocesi Sancti Andree, ut disiuncta pauperibus clericis litterarum studio incumbentibus conferantur. Reg. Secret. Tom. XIX. fol. 96.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Licet omnia provide districteque considerans sedis apostolice providentia plurimum circumspecta, per eam aliorumque auctoritate rationabilibus causis suadentibus concessa fuisse prospiciat, illa nichilominus ex causis non minus rationabilibus, ex quibus utilitas evidens speratur verisimiliter successura, revocat, cassat, irritat et annullat, ac desuper oportune providet, prout in domino salubriter expedire cognoscit. Attendentes igitur, quod sicut nobis nuper innotuit, quamplurima secularia ecclesiastica beneficia in civitate et diocesi Sancti Andree consistentia diversis Monasteriis, aliisque religiosis locis ordinum diversorum tam infra, quam extra civitatem et diocesim easdem hactenus unita fuisse, seu de illis uniendis mandata apostolica emanasse, quodque pauci aut nulli seculares clerici de ipsis civitate et diocesi oriundi patrimonialia seu alia bona, unde in scolis sustentari et manuteneri valeant, non habentes, cum eciam alias eis ad id proprie facultates non suppetant, Theologie aut aliis licitis facultatibus, nisi ali-

quod ex beneficiis ecclesiasticis subsidium percipiendo operam aliquatenus commode nequeant adhibere in grande civitatis et diocesis predictarum, que ad earum regiminis salubrem directionem viris licteratis permaxime noscitur indigere, dispendium et iacturam: Nos volentes civitatis et diocesis earumdem clericis in scientia proficere cupientibus memoratis statui, et alias desuper utiliter et salubriter providere, motu proprio, non ad alicuius super hoc oblate peticionis nobis instanciam, sed ex nostra certa et deliberata sciencia, omnes uniones, annexiones et incorporationes de predictis secularibus, ac eciam ex certis aliis causis nobis eciam de hospitalibus, ac regularibus beneficiis ecclesiasticis, eciam si administraciones vel officia et ordinum quorumcumque fuerint, quibuscumque, ac eciam de officiis secularibus et regularibus civitatis et diocesis predictarum quibusvis Monasteriis, et aliis religiosis locis quorumcumque ordinum in eisdem civitate et diocesi, aut alias ubilibet consistentibus hactenus quomodolibet, eciam motu et sciencia similibus apostolica vel quavis auctoritate factas, que suum nondum sortite fuerunt effectum, et propter quas illi, quorum interest, sic unitorum beneficiorum, officiorum, administracionum et hospitalium predictorum possessionem pacificam non tenent, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, nulliusque decernimus existere firmitatis. Et nichilominus omnes et singulas ubicumque desuper pendentes causas ad nos harum serie advocamus, indeque lites, quarum status hic pro expressis habendo, motu scienciaque predictis extinguimus, nec alicui quascumque clausulas, vel adiectiones in quibusvis apostolicis, eciam que motu et sciencia similibus emanarunt, licteris quomodolibet contentas adversus revocacionem, cassacionem irritacionem, annullacionem et decretum predicta volumus aliquatenus suffragari. Non obstantibus premissis etc. Nulli ergo etc. nostre reservacionis, cassasacionis, irritacionis, annullacionis, constitucionis, advocacionis, extinctionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, tertio Kal. Marcii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCLXI.

Vicario ecclesiae s. Crucis de Streveling Sancti Andreae dioecesis confirmatur perceptio decimae salmonum. Reg. Tom. XXXIII. fol. 310.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Willelmo Scot, perpetuo Vicario parrochialis ecclesie sancte Crucis de Streveling Sancti Andree diocesis, salutem etc. Apostolice sedis providencia circumspecta se libenter illis exhibet ad gratiam liberalem, quibus ad id vite ac morum honestas aliaque virtutum merita laudabiliter suffragantur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod licet decima salmonum, qui in aqua de Fortht Sancti Andree diocesis, a loco dicto Orcharthed usque ad locum Blakdowan Month vulgariter nuncupatum prefate diocesis, pro tempore capiuntur, ad perpetuum Vicarium dicte parrochialis ecclesie pro tempore existentem ipsius Vicarie legitime spectare ac pertinere noscatur, ac tam tu, quam tui predecessores predicte ecclesie Vicarii, qui fuerint pro tempore, a quinquaginta annis citra in possessione pacifica vel quasi iuris percipiendi decimam huiusmodi fueritis, eandemque decimam ab ipsis annis perceperitis, prout adhuc tu etiam percipis de presenti pacifice et quiete: ne tamen super ipsa decima et illius perceptione per aliquos contingat te forsan molestari tempore procedente, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi super hoc opportune consulere, ac perceptionem decime huiusmodi ratificare, confimare et approbare, tibique alias, tueque et successorum tuorum securitati et quieti providere, ac pro tutiori cautela eandem decimam tibi de novo concedere, eidemque Vicarie prefate illam perpetuo applicare et attribuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes te premissorum meritorum tuorum intuitu favoribus prosequi gratiosis, huiusmodi supplicationibus inclinati, decimam salmonum, et ius illam percipiendi huiusmodi auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, tibi nichilominus concedentes, quod tu tuique successores eiusdem ecclesie Vicarii, qui pro tempore eritis, eandem decimam, cuius fructus, redditus et proventus ultra septem libras sterlingorum secundum comunem extimationem, ut asseris, non valent annuatim, quemadmodum hactenus percepisti, etiam imposterum perpetuis futuris temporibus percipere et exigere valeatis, Non obstantibus omnibus, que te et successores tuos predictos in illius perceptione possent quomodolibet impedire, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre approbationis, confirmationis, concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. M.CCCC.L. septimo Idus Marcii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCLXII.

Ioanni Donaldi canonico Dunkeldensi confertur capella beatae Mariae virginis in coemiterio parochialis ecclesiae de Forgondeway. Reg. Bullar. Tom. XXXV. fol. 239.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Brechinensi, et dilectis filiis Abbati Monasterii de Cupro Sancti Andree diocesis, ac Vicedomino ecclesie Remensis, salutem etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius Iohannes Donaldi Canonicus Dunkeldensis, Bacallarius in decretis, apud nos fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, Capella beate Marie, sita infra cimiterium parrochialis ecclesie de Forgondeway Dunkeldensis diocesis, que de iure patronatus laicorum existit, et in cuius fundatione expresse cavetur, quod nullus eam obtinere valeat, nisi in presbiteratus ordine actu constitutus existat, quodque illam pro tempore obtinens cum ea aliud nequeat ecclesiasticum beneficium obtinere, quam dilectus filius Iacobus Camron Canonicus, olim Abbas Monasterii

sancte Crucis de Edinburg ordinis sancti Augustini Sancti Andree diocesis tempore promotionis de persona sua ad ipsum Monasterium, tunc certo modo vacans, auctoritate apostolica facte in commendam auctoritate prefata sibi concessam obtinebat, per huiusmodi promotionem ac possessionem pacificam regiminis, et administrationis bonorum dicti Monasterii per eundem Iacobum Abbatem postmodum subsecutam vacaverit, et vacet ad presens, seu dicta commenda cessaverit et expiraverit, ipsiusque Capelle collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta existat, licet dilectus filius Patricius de Forsyth, clericus dicte diocesis, Capellam ipsam, videlicet postquam ad eam tunc vacantem per certum eius verum patronum, ac existentem in pacifica possessione seu quasi iuris presentandi personam ydoneam ad illam, dum vacat, bone memorie Iacobo Episcopo Dunkeldensi infra tempus legitimum presentatus, ac per eundem Episcopum in rectorem ipsius Capelle auctoritate ordinaria institutus fuerat, presentationis et institutionis earundem pretextu ad huiusmodi presbiteratus ordinem non promotus, etiam cum certo alio beneficio ecclesiastico contra prefate fundationis tenorem per aliqua tempora detinuerit indebite occupatam. Ac consequenter eadem Iacobo Epo rebus humanis exempto, et ipso Patricio per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Dunkeldensem, de cuius persona postmodum ecclesie Dunkeldensis auctoritate apostolica provisum extitit, ab eiusdem Capelle occupatione et detentione amoto, dilectus filius Thomas de Kirchtone, presbiter dicti Sancti Andree diocesis, post huiusmodi amotionem per ipsius Capelle patronum seu patronos eidem Iohanni Epo similiter presentatus, et per eundem Iohannem Episcopum in rectorem ipsius Capelle eadem auctoritate ordinaria institutus, licet de facto, illam post devolutionem predictam per annum et ultra, citra tamen biennium similiter detinuerit, prout detinet indebite occupatam, fructus percipiens ex eadem similiter de facto. Nos volentes dicto Iohanni, qui presbiter est, premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios, si Capellam predictam, que sine cura est, et cuius fructus, redditus et proventus sex librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Iohannes asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive adhuc eo, quod eidem prefato Iacobo Abbati commendata extitit, sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque personâ, seu per liberam resignationem alicuius Patricii vel Thome predictorum, seu alicuius alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut per constitutionem felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacare repereritis, illam, etiam si dispositioni apostolice specialiter, aut ex quavis causa generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos in dicta Curia vel extra eam etiam lis, cuius statum ac verum vacationis modum, quo illa vacabat, quando prefato Iacobo Abbati, ut premissum est, commendata extitit, presentibus haberi volumus pro expressis, pendeat indecisa, dummodo collatio huiusmodi, sicut prefertur, tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis prefato Iohanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Capelle, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde dicto Thoma et quolibet alio illicito detentore, ac facientes eidem Iohanni de ipsius Capelle fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, octavo Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCLXIII.

David Ogylny canonicatus et praebenda, succentoria nuncupati, ecclesiae Moraviensis conferuntur. Reg. de Curia Tom. XXXIII. fol. 288.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis Decano et Cantori ac David Stewart Canonico ecclesie Moraviensis, salutem etc. Nobilitate generis, literarum sciencia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius David Ogylny Canonicus Aberdonensis, licenciatus in legibus, apud nos fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, Canonicatus et prebenda, Succentoria nuncupati, ecclesie Moraviensis per liberam resignationem Venerabilis fratris nostri Thome Episcopi Candidecase de illis, quos tunc notarius noster existens obtinebat, in manibus venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Moraviensis, seu eius tunc quoad hoc Vicarii extra Romanam Curiam sponte factam, et per Iohannem Episcopum seu Vicarium huiusmodi extra eandem Curiam admissam, vacaverint et vacent ad presens, nullusque de illis preter nos hac vice disponere potuerit, sive possit pro eo, quod nos dudum (diu) antea omnes Canonicatus et prebendas, ceterasque beneficia ecclesiastica quorumcumque notariorum nostrorum tunc vacantia, et in antea vacatura collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: Nos volentes eidem David, qui eciam magister in artibus, et ut asserit, de Baronum genere ex utroque parente procreatus existit, ac in legibus cum rigore examinis licentiatus fuit, et quod quidem Gilbertus Forestar, qui se gerit pro presbitero Brechinensis diocesis, Canonicatum et prebendam predictos pretextu quarumdam collationis et provisionis de illis tunc, ut prefertur, vacantibus sibi, tunc excommunicacionis sentencie vinculo rite innodato, per Iohannem Episcopum seu Vicarium huiusmodi

de facto factarum per biennium vel circa detinuit, prout detinet indebite occupatos, premissorum meritorum suorum intuitu graciam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, vocatis dicto Gilberto et aliis, qui fuerint evocandi, Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus in viginti librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse David etiam asserit, non excedunt, sive ut premictitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, vel per promotionem de persona dicti Thome Episcopi ad ecclesiam Candidecase, tunc pastore carentem, per nos postmodum auctoritate apostolica factam, seu munus consecrationis eidem Thome Episcopo de mandato nostro impensum, aut per similem dicti Thome Episcopi, vel alicuius alterius de illis in dicta Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam resignationem vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsique Canonicatus et prebenda dispositioni apostolice specialiter vel alias generaliter reservati existant, et super eis inter aliquos in dicta Curia vel extra eam lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem David auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes per vos vel alium seu alios eundem David, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amoto ex inde dicto Gilberto et alio quolibet illicito detentore, ac facientes ipsum David vel pro eo procuratorem predictum ad prebendam in dicta ecclesia Moraviensi in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, sibique de eorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus felicis record. Bonifacii pape octavi etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. M.CCCC.LI. decimo Kalend. Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCLXIV.

Iudici, ut Michaelem Trigowre electum Dublinensem ab administratione eiusdem ecclesiae suspendat. Reg. de Curia Tom. XLI. fol. 90.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Cancellario ecclesie Lichefeldensis, salutem etc. Licet tam per nonnullos Romanos Pontifices predecessores nostros provide statutum et ordinatum, quam etiam ex laudabili et antiqua hactenusque pacifice observata consuetudine inviolabiliter observatum fuerit, et etiam observetur, quod Episcopi et alii superiores Prelati, nec non Monasteriorum Abbates, qui apud sedem apostolicam promoventur, ipsi videlicet et alii superiores Prelati consecrationis, Abbates vero benedictionis munera de sedis predicte licentia et auctoritate recipere debeant ac teneantur, et absque ipsius sedis licteris ad ecclesias et Monasteria huiusmodi accedere, ac illorum regiminis et administrationis bonorum possessionem, vel quasi assequi non presumant. Cum sicut ad nostram non sine mentis perturbatione pervenit auditum, quidam Michael Trigowre, de cuius persona olim ecclesie Dublinensi tunc vacanti providimus, et quem illi in Episcopum prefecimus et pastorem, in tam presemptuose temeritatis audaciam prorupit, quod licteris apostolicis super provisione et prefectione suis huiusmodi per eum nondum habitis, ac solito fidelitatis debito iuramento per eum non prestato, extra Rom. Curiam munus consecrationis recepit in non modicum anime sue periculum, et nostrum et dicte sedis contemptum. Nos igitur tantam Michaelis temeritatem huiusmodi, ne aliis incitamentum prebeat similia in posterum attemptandi, dissimulare salva conscientia non valentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eundem Michaelem ab omni ipsius ecclesie in spiritualibus et temporalibus administratione suspensum fore decernere, ac ipsi Michaeli, ut ab administratione huiusmodi penitus abstineat, necnon dilectis filiis Decano et Capitulo ipsius ecclesie, et Clero et populo civitatis et diocesis Dublinensis, universis quoque Vassallis, et aliis subditis eiusdem ecclesie, ne dictum Michaelem pro Ep̃o seu pastore suo teneant, seu illi pareant vel intendant, ac iura vel servitia ab eis Episcopo Dublinensi pro tempore existenti debita exhibeant quoquomodo, sub excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque gravioribus, de quibus tibi videbitur, etiam privacionis sentenciis, censuris et penis precipere et mandare, omniaque et singula per dictum Michaelem circa administrationem huiusmodi gesta irrita et inania nunciare, et ab aliis nunciari facere auctoritate nostra procures, donec et quousque ipse Michael super premissis a nobis, vel sede predicta absolutionis beneficium et reconciliationis gratiam meruerit obtinere. Contradictores per censuram etc. Non obstante si Michaeli, Capitulo, Clero, populo, vassallis et subditis prefatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, Idibus Marcii, Pont. n. anno VI.

DCCLXV.

Eidem, ut praedictum electum Dublinensem et episcopum Landavensem, qui eidem, non obtenta confirmatione sedis apostolicae, munus consecrationis impenderat, ab omni administratione eorum episcopatuum suspendat. Reg. de Curia Tom. XLIII. fol. 249.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Cancellario ecclesie Lichfeldensis, salutem etc. Licet per

nonnullos Romanos pontifices predecessores nostros provide statutum et ordinatum, quam etiam ex laudabili et antiqua hactenusque pacifice observata consuetudine inviolabiliter observatum fuerit, et eciam observetur, quod Episcopi et alii superiores Prelati, necnon monasteriorum Abbates, qui apud sedem apostolicam promoventur, ipsi videlicet et alii superiores Prelati consecrationis, Abbatis vero benedictionis munera de sedis predicte licentia et auctoritate recipere debeant et teneantur, et absque ipsius sedis licteris ad ecclesias et monasteria huiusmodi accedere, ac illorum regiminis et administrationis bonorum possessionem, vel quasi assequi non presumant: tamen ad nostrum non sine mentis perturbatione pervenit auditum, quod quidam Michael Trigowre, de cuius persona olim ecclesie Dublinensi tunc vacanti providimus, et quem illi in Episcopum prefecimus et pastorem, in tam presumptuose temeritatis audacia prorupit, quod licteris apostolicis super provisione et prefectione suis huiusmodi per eum nondum habitis, ac solito fidelitatis debite iuramento per eum non prestito, extra Romanam Curiam munus consecrationis recepit, in non modicum anime sue periculum, et nostrum ac dicte sedis contemptum. Nos igitur tantam Michaelis temeritatem huiusmodi, ne aliis incentivum prebeat similia imposterum attemptandi, dissimulare salva consciencia non valentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eundem Michaelem, necnon Epūm Landavensem, qui eidem Michaeli prefatum consecrationis munus tam temerarie impendit, ab omni ipsarum ecclesiarum in spiritualibus et temporalibus administratione suspensos fore decernere, ac Michaeli et Episcopo Landavensi prefatis, ut ab administratione huiusmodi penitus abstineant, necnon dilectis filiis Decanis et Capitulis ipsarum ecclesiarum, ac Clero et populo civitatum et diocesum Dublinensis et Landavensis, universis quoque Vassallis et subditis eorundem ecclesiarum, ne dictum Michaelem ac Episcopum Landavensem pro Episcopis seu pastoribus suis teneant, seu illis pareant vel intendant, ac iura et servicia ab eis Dublinensi et Landavensi Eppis pro tempore existentibus debita exhibeant quoquomodo, sub excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque gravioribus, de quibus tibi videbitur, etiam privationis sentenciis, censuris et penis precipere et mandare, omniaque et singula per dictum Michaelem circa administrationem huiusmodi gesta irrita et inania nunciare, et ab aliis nunciari facere auctoritate nostra procures, donec et quousque Michael et Episcopus Landavensis prefati super premissis a nobis vel sede predicta absolutionis beneficium, et reconciliationis gratiam meruerint obtinere. Contradictores etc. Non obstante si Michaeli, Episcopo Landavensi, Capitulis, Clero, populo, Vassallis et subditis prefatis etc. ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, Id. Martii, P. n. anno VI.

DCCLXVI.

Iudicibus, ut Richardo Holand presbytero Moraviensi cantoriam ecclesiae Moraviensis conferant. Reg. Tom. XLI. fol. 300.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Pennensi et Rossensi Episcopis, ac dilecto filio Abbati Monasterii beate Marie de Kynles Moraviensis diocesis, salutem etc. Vite et morum honestas, aliaque laudabilis probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Richardus Holand, presbiter Moraviensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, Cantoria ecclesie Moraviensis, quam olim Andreas de Tullach ipsius ecclesie Cantor, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Andree, qui ad ecclesiam Cathanensem nunc vacantem per illius Capitulum in Epūm electus fuit, a Romana Curia, ad quam pro obtinenda confirmatione sue electionis accesserat, recedendo, extra illam in itinere, ultra tamen duas dietas legales, confirmatione huiusmodi non obtenta, diem suum clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens: Nos prefato Richardo premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, ac omnia et singula cum cura et sine cura beneficia, que idem Richardus etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet spectat, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores, ac dispensationem huiusmodi tenores presentibus pro expressis habentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios Cantoriam, que in ipsa ecclesia Moraviensi dignitas, non tamen maior post pontificalem existit, predictam, et cuius fructus, redditus et proventus quinquaginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Richardus asserit, non excedunt, sive ut premittitur, vel per quondam Richardi Claphanie extra dictam Curiam defuncti, aut alias quovis modo, vel alterius cuiuscumque persona, seu per liberam dictorum Andree et Richardi, aut bone memorie Thome Episcopi Orchadensis, illam ex concessione apostolica, dum viveret, obtinentis, seu alicuius alterius de illo extra Romanam Curia, etiam coram notario etc. vacet etc. non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis prefato Richardo auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Cantorie, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes Richardum, vel pro eo procuratorem predictum ad Cantoriam huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, quarto Idus Maii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCLXVII.

Richardo Willi conceditur perpetua vicaria ecclesiae parochialis de Dunde Brechinensis dioecesis. Reg. Tom. XLIII. fol. 71.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Zamorensi, et dilectis filiis Abbati Monasterii de Scona Sancti Andree diocesis, ac Officiali Brechinensi, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Richardus Willi, perpetuus Vicarius parrochialis ecclesie de Kirimur Sancti Andree diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Richardi petitio continebat, quod olim perpetua Vicaria parrochialis ecclesie de Dunde Brechinensis diocesis, quam quondam Richardus Trag ipsius ecclesie perpetuus Vicarius, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Richardi Trag, qui extra Romenam Curiam diem clausit extremum, vacante, dilectus filius Wilhelmus Carius, perpetuus Vicarius parrochialis ecclesie de Glaminis dicte Sancti Andree diocesis, vigore specialis commissionis sibi facte per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Brechinensem, Vicariam parrochialis ecclesie de Dunde huiusmodi sic vacante prefato Richardo Willi ordinaria auctoritate contulit, et de illa etiam providit, ipseque Richardus Willi collationis et provisionis eorundem vigore Vicariam de Dunde predictam extitit assecutus, illamque extunc tenuit et possidit, prout tenet et possidet de presenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Richardus Willi dubitet, collationem et provisionem predictas ex certis causis viribus non subsistere, et sicut accepimus, dicta Vicaria de Dunde adhuc, ut prefertur, vacare noscatur: Nos volentes eidem Richardo Willi asserenti, quod dilecti filii Abbas et Conventus Monasterii de Lundoris ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis pretendentes, dictam Vicariam ad eorum presentationem spectare, dilectum filium Iohannem Tiry, qui se gerit pro presbitero dicte Sancti Andree diocesis, ad ipsam Vicariam sic vacantem presentarunt, quodque dictus Episcopus asserens, collationem et provisionem dicte Vicarie ad eum, ac pro tempore existentem Brechinensem Episcopum ordinario iure pertinere, presentationem ipsam admittere et auctorizare denegavit, premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, ac omnia et singula ecclesiastica cum cura et sine cura beneficia, que dictus Richardus Willi etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores, ac dispensationum huiusmodi tenores presentibus pro expressis habentes, ipsumque Richardum Willi a quibuscumque excommunicationis, suspensionis etc. sententiis et penis tam a iure quam ab homine latis, si quibus quavis occasione vel causa quomodolibet irretitus existit, quo ad hoc, ut presentium dumtaxat consequatur effectum, absolventes et absolutum fore censentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, si vocatis Abbate et Conventu ac Iohanne de Tiry predictis, necnon aliis, qui fuerint evocandi, Vicariam de Dunde predictam, cui cura imminet animarum, cuiusque fructus, redditus et proventus triginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Richardus Willi etiam asserit, non excedunt, sive ut premittitur, vel alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam dicti Richardi Trag aut alterius de illa extra predictam Curiam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam resignationem, seu per constitutionem felicis record. Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacare repereritis, illam, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque Vicaria de Dunde dispositioni apostolice specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendent indecisa, dummodo tempore data presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato Richardo Willi auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes per vos vel alium seu alios eundem Richardum Willi, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Vicarie de Dunde, ut est moris, (........) sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimotertio, sexto Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCLXVIII.

Iudicibus, ut priori et conventui monasterii beatae Mariae de Coval ordinis sancti Augustini Darensis dioecesis ius patronatus in certis ecclesiis ipsis concessis et donatis innovent. Reg. Tom. XVII. fol. 125.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Leghlinensi, et dilecto filio Archidiacono ecclesie Barensis, salutem etc. Apostolice nobis, licet immeritis etc. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris et conventus monasterii beate Marie de Coval, per Priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini Darensis diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim diversi principes et domini temporales partium illarum, tunc provide considerantes fructus, redditus et proventus dicti monasterii in pluribus sinistris eventibus fore multipliciter diminutos, ut inde Priori et Canonicis dicti monasterii, qui essent pro tempore, facultates ipsis pro eorum decenti sustentatione, et pro incumbenti eis hospitalitate commodius tenenda necessarie proveniunt, ius patronatus et presentandi personas ydonea ad diversa ecclesias, capellas, ecclesiastica beneficia, quod tunc ad eosdem principes et dominos spectabat, in Priorem pro tempore existentem et conventum dicti monasterii perpetuo transtulerunt, ad hoc quod eccle-

sie, capelle et beneficia predicta cum omnibus illorum fructibus, redditibus et proventibus dicto monasterio pro sustentatione et hospitalitate tenenda predictis perpetuo applicarentur. Quodque successive bone memorie Richardus Darensis, et Willelmus Lechlinensis Episcopi predicta et alia ecclesias et beneficia in eorum diocesi consistentia, que etiam aliqua de iure patronatus Abbatis et conventus predictorum fuerant, et in quibus ipsi Episcopi personas ydoneas pro tempore instituere consueverant, tunc vacantia, prefato monasterio, ita quod ecclesiarum ac capellarum et beneficiorum huiusmodi fructus, redditus et proventus in usus ipsorum Prioris et conventus pro eorum substentatione et tenenda hospitalitate predictis perpetuo cederent, dilectorum filiorum Darensis et Leghlinensis ecclesiarum Capitulorum interveniente consensu, auctoritate ordinaria perpetuo contulerunt et concesserunt: quas quidem collationem et concessionem, per dictum Willelmum Episcopum factas, etiam bone memorie Meylerus Episcopus Leghlinensis eius successor eadem auctoritate confirmavit et approbavit sub modis et formis, prout in eorumdem Episcoporum inde confectis licteris, ipsorum Capitulorum predictorum sigillis munitis, et in quibus ecclesiarum, capellarum et beneficiorum predictorum nomina et designationes expressa sunt, plenius continetur. Et sicut eadem petitio subiungebat, Prior et conventus predicti, qui predictas cum dictis capellis, ac etiam alias ecclesias in diversis diocesibus ex predictis, et aliis similibus donacionibus et concessionibus assecuti fuerunt, quamvis eas per ducentos annos canonico titulo pacifice possederint, nichilominus se super illis dubitant indebite molestari posse: et quia dicte lictere incipiunt vetustate consumi, ne processu temporis de illarum tenore hesitetur, pro parte eorumdem Prioris et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut collationibus, concessionibus et donationibus huiusmodi, ac omnibus in dictis licteris contentis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, ipsarumque licterarum tenorem presentibus inseri, et huiusmodi sic inserto tenori plenariam fidem ubilibet adhiberi, et illi stari mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, super premissis auctoritate nostra, quilibet videlicet vestrum in diocesi, in qua deputatus existit, vos diligenter informetis, et si recognitis coram vobis rite et legitime licteris predictis, premissa ita esse repereritis, super quo conscientias vestras oneramus, concessiones, collationes et donationes predictas, et alia in dictis litteris expressa, quoad ecclesias et capellas predictas per eos tempore premisso, ut prefertur, possessas, ad perpetuam rei memoriam auctoritate nostra confirmare, ratificare, approbare et consolidare curetis, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Decernentes nichilominus, si et postquam confirmacionem, ratificacionem, approbacionem et consolidacionem huiusmodi feceritis, irritum et inane, si secus adversus eas ac illa, que confirmaveritis, ratificaveritis, approbaveritis et consolidaveritis, a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: quodque predicto tenore inserto stari debeat in iudicio et extra, ubicumque exhibitus fuerit vel ostensus, ac ea fides adhibeatur eidem, que licteris ipsis adhiberetur, si sane et integre exhibite forent vel ostense. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo tercio, nono Kal. Martii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCLXIX.

Iudicibus, ut prioratum de Vreharde ordinis sancti Benedicti et prioratum de Pluscardyn ordinis Valliscaulium diocesis Moraviensis unire possint. Reg. Bull. Tom. XLV. fol. 71.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii de Londoris Sancti Andree diocesis, et Cancellario ac Thesaurario ecclesie Moraviensis, salutem etc. Ad apicem apostolice dignitatis divina dispositione vocati, ad ea ex suscepte servitutis officio nostre solertie dirigimus curas, per que religiosorum locorum, et in eis sub regulari habitu Altissimo famulantium personarum omnium statui, honestati, commoditatibus, indemnitatibus et indigentiis oportune consulitur, et divinorum cultus continuum suscipere incrementum, necnon personis illa resignantibus, ne rerum prematur inopia, utiliter et salubriter provideri valeat: ad eos quoque gratiam nostre liberalitatis extendimus, quos religionis zelus et alia propria virtutum merita laudabiliter recommandant. Exhibita siquidem nobis pro parte dilecti filii Iohannis Benale, Prioris Prioratus de Vreharde ordinis sancti Benedicti Moraviensis diocesis, petitio continebat, quod fructus, redditus et proventus tam ipsius Vreharde, quam de Pluscardyn ordinis Valliscaulium dicte diocesis Prioratuum, qui conventuales, curati et electivi, ac de fundatione Regum Scotorum, qui pro tempore fuerunt, fore noscuntur, propter guerras, mortalitates et alias calamitates varias, que retroactis temporibus in partibus illis diutius viguerunt, et de presenti vigent, adeo actenuiti et diminuiti sunt, quod ex illis singuli eorum Priores pro tempore existentes cum Religiosis in decenti, et competenti numero ad divinum cultum inibi necessarium decenter sustentari, et non solum aliquorum, quamvis tenue, inchoatorum perfectioni, sed aliorum valde pro usu et habitatione Religiosorum ipsorum necessariorum edificiorum constructioni, edificationi, reparationi et conservationi intendere, aliaque onera sibi incumbentia supportare commode nequeunt, quin ymo divinum officium cum cantu ac regularis observantia, sicuti deceret et congrueret, inibi non viget, presertim cum inde Pluscardyn non ultra sex, et in de Vreharde Prioratibus ipsis non ultra duo Religiosi communiter cum eisdem Prioribus degere consueverunt: et sicut eadem petitio subiungebat, si dictus Prioratus de Pluscardyn, qui dignior et me-

lior, ac in suis structuris et edificiis facilius reparandis fore dignoscitur, quique membrum dependens de Prioratu conventuali Valliscaulium Lingonensis diocesis in Galliis, et partibus a Scotia valde remotis constitutus existit, et propter nimiam distantiam locorum et alia incommoda ab illo, seu suppositis eiusdem visitari, et aliquod auxilium consequi commode nequit, a dicto Prioratu Valliscaulium penitus dismembraretur et separaretur, nec non privilegiis, concessionibus, indultis et gratiis illi et eidem ordini Valliscaulium hactenus concessis in suo robore permansuris, ordine Valliscaulium in Prioratu de Pluscardyn huiusmodi suppresso et extincto in eo, dictus ordo sancti Benedicti institueretur, et deinceps eiusdem ordinis sancti Benedicti efficeretur et intitularetur, illique prefatus Prioratus de Vreharde, qui a monasterio de Dunfermelyno ipsius ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis dependet, perpetuo uniretur, annecteretur, ac idem Prioratus de Pluscardyn, quemadmodum dictus Prioratus de Vreharde censetur ab eodem monasterio, quod famosum et insigne fore perhibetur, et in quo regularis observantia laudabiliter viget, et per cuius medium ipse Prioratus de Pluscardyn plurimum reformari poterit, immediate dependeret, et membrum ab eo dependens censeretur: Religiosi quoque eiusdem Prioratus de Pluscardyn habitum per monachos monasterii et Prioratus de Vreharde predictorum gestari solitum gestarent, ac se regularibus institutis illorum et huiusmodi sancti Benedicti se conformarent, per hoc divinus cultus in ipsis Prioratibus taliter unitis et unum conventum facientibus non modicum augmentaretur, ac illorum Prior, qui pro tempore esset, cum Religiosis inibi degentibus sustentari, et perfectioni, constructioni, edificationi et conservationi edificiorum huiusmodi commodius intendere, aliaque onera sibi incombentia supportare posset, idque etiam cederet ad decus et decorum Prioratuum sic unitorum et ordinis sancti Benedicti predictorum: ac sicut accepimus, dilectus filius Andreas Haag, modernus Prior dicti Prioratus de Pluscardyn, ad effectum premissum eundem Prioratum, quem obtinet, sponte et libere resignare proponit. Quare pro parte carissimi in Christo filii nostri Iacobi Regis Scotorum Illustris asserentis, se ad ipsos de Pluscardyn et de Vreharde Prioratus singularem gerere affectum, necnon venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Moraviensis locorum ordinarii, ac dilectorum filiorum Abbatis monasterii, illiusque et Prioratuum eorum Conventuum, dictorumque Andree et Iohannis Benale nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum divinum ubilibet augere et adaugeri, ac ordinem sancti Benedicti huiusmodi propagari nostris potissime temporibus intensis desideriis affectamus, de premissis tamen certam noticiam non habentes, ac votis ipsius Andree in hac parte favorabiliter annuentes, necnon tam sibi, ne propter resignationem huiusmodi nimium dispendium patiatur, de alicuius subventionis auxilio providere, quam prefato Iohanni Benale, apud nos de religionis zelo, vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, horum intuitu specialem gratiam facere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum super premissis nobis expositis, et eorum circumstantiis universis auctoritate nostra vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereritis, super quo conscientias vestras oneramus, a prefato Andrea, vel procuratore suo ad hoc specialiter constituto resignationem huiusmodi, si eam in manibus vestris sponte et libere facere voluerint, ut prefertur, eadem auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipiatis et admittatis: et ea sic recepta et admissa, necnon aliqua congrua recompensa, de qua vobis rationabiliter videbitur, propterea Prioratui et ordini Valliscaulium huiusmodi facta et assignata, ac alias de consensu, quorum interest, dictum Prioratum de Pluscardyn cum omnibus iuribus et pertinenciis suis a prefato Prioratu Valliscaulium dicta auctoritate penitus dismembretis, et separetis, ac in eo privilegiis, concessionibus, gratiis et indultis prefatis nichilominus in suo robore permansuris, ipsum ordinem Valliscaulium omnino supprimatis et extinguatis, et in illo ordinem sancti Benedicti huiusmodi de novo instituatis, ac per illius s. Benedicti etiam Prioratus de Vreharde et monasterii predictorum monachos deinceps et in perpetuum gubernari, ipsumque Prioratum de Pluscardyn membrum dependens ab eodem monasterio, ad instar eiusdem Prioratus de Vreharde, fore decernatis, ac etiam ipsum Prioratum de Vreharde, cuius quinquaginta, etiam cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Prioratui de Pluscardyn, cuius etiam quinquaginta librarum sterlingorum fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Iohannes Benale asserit, non excedunt, dicta auctoritate imperpetuum uniatis, annectatis et incorporetis, ita quod liceat Priori pro tempore existenti dicti Prioratus de Pluscardyn fructus, redditus et proventus eiusdem Prioratus de Vreharde auctoritate prefata recipere, ac in suos et eorundem Prioratuum usus et utilitatem convertere, diocesani loci et cuiuscumque alterius licentia super hoc minime requisita, et insuper dictum Prioratum de Pluscardyn sive per reservationem huiusmodi tunc, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, vel per similem resignationem dicti Andree, seu alterius de illo extra Romanam Curiam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris, que incipit: Execrabilis, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipseque Prioratus de Pluscardyn dispositioni apostolice specialiter, aut quia conventualis et electivus est, generaliter reservatus existat, et super eo inter aliquos in dicta curia vel

extra eam lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum annexis ac omnibus iuribus et pertinenciis suis Iohanni Benale conferre et assignare, ac Andree prefatis pensionem annuam duodecim librarum sterlingorum similium cum dimidia, ac sufficienti victu pro se et uno famulo, scilicet quod alii dicti Prioratus de Pluscardyn monachi, quotiens inibi moram trahunt, percipere consueverunt et percipiunt, pro una videlicet in domini nostri Ihesu Christi, et alia medietatibus pensionis eiusdem in beati Iohannis Baptiste nativitatum festivitatibus annis singulis in loco dicti Prioratus de Pluscardyn eidem Andree, quoad vixerit, vel procuratori suo ad hoc legitimum mandatum habenti, per dictum Iohannem Benale et successores suos ipsius Prioratus de Pluscardyn Priores pro tempore existentes integre persolvendam, sub sentenciis et censuris ecclesiasticis ad id per vos de ipsorum Andree et Iohannis Benale consensu statuendis reservare, constituere et assignare eadem auctoritate curetis, inducentes per vos vel alium seu alios eundem Iohannem Benale, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Prioratus de Pluscardyn, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes ipsum Iohannem Benale vel dictum procuratorem pro eo ad huiusmodi Prioratum de Pluscardyn, ut est moris, admitti, sibique de illius cum eisdem annexis fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis, necnon dicto Andree de pensione prefata iuxta reservationis, constitutionis et assignationis earundem, si illas feceritis, tenorem integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. etiam predecessoris nostri, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus monasterii, prioratuum et ordinum predictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Prioratibus huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem et decretum, reservationem vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem, et quecumque inde secuta, quoad ipsum Prioratum de Vrebarde non extendi, et quibus omnibus dictum Iohannem de Benale in assecutione ipsius Prioratus de Pluscadyn anteferri volumus, sed nullum per hoc ius quoad assecutionem Prioratuum seu beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si Episcopo Moraviensi et Abbati dicti monasterii pro tempore existentibus, necnon prefatis Conventibus, ac Iahanni Benale et successoribus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem, aut prestationem seu solutionem pensionis alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de Prioratibus huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorem existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso, quod dictus Prioratus de Vrebarde propter unionem, et annexionem et incorporationem huiusmodi debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura in eo nullatenus negligatur, sed eius debite supportentur onera consueta: attente quoque provideatis, ne in resignatione huiusmodi, si fiat ex parte Andree et Iohannis Benale predictorum aliqua pravitas interveniat, seu etiam corruptela. Volumus autem et apostolica auctoritate decernimus, quod si dismembratio, unio et alia premissa per vos fieri contigerit, ut prefertur, electio Prioris pro tempore dicti Prioratus de Pluscardyn, quotiens deinceps illum vacare contigerit, cessantibus reservationibus apostolicis, ad Prioratus, si tunc reperiantur religiosi ydonei, alioquin per devolutionem ad monasteriorum predictorum Conventus huiusmodi perpetuo pertineat et spectet, quodque religiosi ipsius Prioratus de Pluscardyn illum gestent habitum ordinis sancti Benedicti, qui in ipso monasterio geritur, ac se regularibus institutis illius conforment, necnon Prior pro tempore existens, et Conventus dicti Prioratus de Pluscardyn cum eodem Prioratu et membris suis, omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, graciis, concessionibus, favoribus et indultis Prioratui et ordini Valliscaulium huiusmodi hactenus quomodolibet concessis, et quibus antea ipse Prior et Conventus, qui pro tempore fuerunt, quomodolibet gaudebant et utebantur, seu gaudere et uti poterant, in omnibus et per omnia uti, frui et gaudere possint et debeant, Non obstantibus omnibus supradictis, ceterisque contrariis quibuscumque. Preterea ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud S. Petrum Anno incarnationis dñice Millesimo quadringentesimo quinquagesimotertio, IV. Idus Martii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCLXX.

Ioanni de Balfour conceditur canonicatus ecclesiae Aberdonensis et praebenda de Banchedeneny. Reg. Tom. XLV. fol. 154.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Balfour presbitero Sancti Andree diocesis, Magistro in artibus, salutem etc. Nobilitas generis, litterarum scientia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus

apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Hodie siquidem dilecto filio Waltero Stewart decano ecclesie Brechinensis, tunc canonicatum ecclesie Aberdonensis et prebendam de Banchredeneny in eadem (habenti), inter alia, ut asserebat, de decanatu dicte ecclesie Brechinensis, tunc certomodo vaca nte, et antea dispositioni apostolice reservato per alias nostras litteras graciose duximus providendum, volentes inter cetera, quod quam primum idem Walterus vigore earumdem litterarum ipsius decanatus possessionem foret pacificam assecutus, eosdem Canonicatum et prebendam, quos extunc vacare decrevimus, omnino prout etiam ipse Walterus ad id se sponte obtulit, dimittere teneretur, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum itaque propterea canonicatus et prebenda predicti per assecutionem huiusmodi vacare sperentur, Nos volentes tibi, qui, ut asseris, de nobili genere ex utroque parente procreatus existis, nec non omnia et singula benificia ecclesiastica cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos ac ipsarum dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine in te quavis occasione sive causa quomodolibet latis, inflictis seu promulgatis, et quibus ligatus existis, quoad effectum presentium dumtaxat consequendum auctoritate apostolica absolventes, et absolutum fore censentes, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus quindecim librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, cum illos ut prefertur, aut alias quovismodo preterquam per ipsius Walteri obitum vacare contigerit, conferendos tibi cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice reservamus, districtius inhibentes venerabili fratri nostro Episcopo et dilectis filiis Capitulo Aberdonensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos canonicatus et prebende predictorum collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de illis contra reservationem nostram huiusmodi disponere quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari: et insuper venerabilibus fratribus nostris Sancti Andree et Zamorensi Episcopis, ac dilecto filio officiali S. Andree per apastolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, si et postquam presentes littere eis presentate fuerint, per se vel alium seu alios canonicatum et prebendam predictos, cum vacaverint, ut prefertur, etiam si iam actu quovismodo aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Walteri, vel alicuius alterius de illis in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsique canonicatus et prebenda dispositioni apostolice generaliter, vel alias specialiter reservati existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta Curia vel extra eam pendeat indecisa, cum omnibus iuribus et pertinenciis supradictis tibi auctoritate nostra conferre et assignare procurent, inducentes te, vel procuratorem tuum tuo nomine in corporalem possessionem canonicatus et prebende, iuriumque et pertinenciarum predictorum, defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes te, vel pro te procuratorem predictum ad huiusmodi prebendam in dicta ecclesia Aberdonensi in canonicum recipi et in fratrem, stallo tibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, tibique de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etc. aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in Canonicos sint recepti etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, terciodecimo Kalend. Maii, Pontificatus nostri anno octavo.

EPISTOLAE CALIXTI PP. III.

DCCLXXI.

Dermicio Yhifrnayn, abbati monasterii beatae Mariae alias sanctae Crucis de Worchdarismand Casseliensis dioecesis, innovatur provisio de se facta per Nicolaum V. et confirmatur. Reg. Tom. I. fol. 168.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Imelacensi, et dilectis filiis Decano Imelacensis ac Richardo Purcell Canonico Clonensis ecclesiarum, salutem etc. Racioni congruit et convenit equitati, ut ea, que de Romani pontificis gratia processerunt, licet eius superveniente obitu, littere apostolice super eis confecte non fuerunt, suum consequantur effectum. Dudum siquidem pro parte dilecti filii Der-

micii Yhifirnayn, Abbatis monasterii beate Marie alias sancte Crucis de Worchdarlamand Cisterciensis ordinis Cassellensis diocesis, felicis recordacionis Nicholao pape V. predecessori nostro exposito, quod licet olim de persona sua eidem monasterio, tunc ex eo Abbatis regimine destituto, quod dilectus filius Odo Ograda monachus dicti ordinis, olim eiusdem monasterii Abbas, qui antea in illius tunc per obitum quondam Fergalli Yhifirnayn eius Abbatis, extra Romanam curiam defuncti, in Abbatem eiusdem monasterii canonice electus fuerat, confirmacione auctoritate ordinaria et possessione regiminis et administrationis dicti monasterii rite subsecutis, sponte et libere cesserat, apostolica auctoritate provisum fuisset, ipseque Dermicius provisionis huiusmodi vigore monasterium predictum administrasset, prout tunc administrabat pacifice et quiete: quia tamen dictus Odo possessionem suam huiusmodi non multum continuaverat, quamprimum per eum, qui per certos suos emulos per impressionem, certum eorum consanguineum in Abbatem dicti monasterii eligi facere molientes, inde expulsus fuit, non stetisset, quominus pessessionem continuasset eandem, et de eadem possessione recuperanda propter potentiam adversariorum spe sibi nulla subsistente cessisset, ut prefertur, ab aliquibus dicebatur revocari in dubium, an inter Dermicium modernum Abbatem et Fergallum, qui eius genitor extitit, predictos mediam fecisset seu constituisset personam, et per consequens de provisione de persona dicti Dermicii, ut premittitur, facta hesitari: ac eciam subiuncto, quod prefatus Odo in Abbatem dicti monasterii canonice electus fuerat, confirmacione ordinaria auctoritate et possessione rite subsecutis, quodque ipse Odo in huiusmodi possessione aliquamdiu perstiterat, nec per eum steterat, quominus eam amplius eciam forsan vita sibi comite continuasset, necnon regimini et administracioni predictis, ut prefertur, cesserat, per cessionem quoque per eum factam, et rite admissam monasterium, et non per obitum Fergalli huiusmodi realiter vacasse credebatur, et per consequens in premissis non credebatur successionem sibi debere locum vendicare: ac eciam pro parte Dermicii Abbatis eidem predecessori humiliter supplicato, ut ne ipsum huiusmodi occasione molestari contingeret tempore procedenti, sibi et statui suo super his opportune providere de benignitate apostolica dignaretur. Idem predecessor volens dicti Dermicii Abbatis, cum quo antea super defectu natalium, quem patitur de dicto Fergallo tunc clerico genitus et coniugata, ut eo non obstante predicto monasterio in Abbatem prefici, illique preesse libere et licite valeret, apostolica fuerat auctoritate dispensatum, statui et indempnitatibus opportune providere, ipsum Dermicium a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure, vel ab homine in eum quavis occasione seu causa quomodolibet latis, inflictis seu promulgatis, quibus forsan ligatus existebat, quo ad effectum suarum, si desuper confecte fuissent, litterarum dumtaxat consequendum auctoritate apostolica absolvens, et absolutum fore censens, voluit et concessit, videlicet pridie Nonas Aprilis pontificatus sui anno octavo, certis iudicibus dari in mandatis, ut ipsi vel duo aut unus eorum de premissis auctoritate apostolica se diligentius informarent, et si per informationem huiusmodi ita esse reperirent, predicte hesitationi locum non existere, ipsumque Dermicium premissorum occasione nullatenus molestandum fore, auctoritate apostolica declararent pariter et decernerent, ac nichilominus pro tuciori cautela, quod provisio de persona sua eidem monasterio, ut prefertur, facta, ac dispensatio predicte necnon sibi impensi muneris benedictionis impensio, ac quecumque inde secuta valerent, plenamque roboris firmitatem obtinerent in omnibus et per omnia, eciam perinde ac si profatus Odo in dicti monasterii pacifica possessione per tanti temporis spacium perstitisset, quod an inter Dermicium et Fergallum predictos mediam fecisse seu continuasse personam, dubium nullatenus resultaret, eciam si dictum monasterium, cuius fructus, redditus et proventus quadraginta marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Dermicius eciam asserebat, non excedebant, adhuc, ut premittitur, aut per Guillermi eu Dionisii Ycontil extra Romanam curiam successive defunctorum obitus, sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per similem vel aliam quamcumque cessionem alicuius alterius de regimine et administratione predictis in dicta Curia vel extra eam, eciam coram notario publico et testibus sponte factam, vacaret, et tanto tempore vacasset, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta existeret, ac eiusdem monasterii provisio sive dispositio generaliter vel specialiter ad dictam sedem pertineret, et super regimine et administracione predictis inter aliquos lis, cuius statum dictus predecessor suis, si desuper confecte fuissent, litteris haberi voluerit pro expresso, penderet indecisa, Non obstantibus premissis ac pie memorie Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, duodecimo Kal. Maii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXII.

Andree Stewart quedam beneficia Glasguensis diocesis et quedam alia in commendam conceduntur. Reg. de Curia Tom. I. fol. 159.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Andrea Stewart clerico Sancti Andree, salutem etc. Laudabilia iuventutis indicia, ex quibus, sicut fidedignorum accepimus testimonio, verisimiliter colligitur, quod te in virum debeas producere virtuosum, necnon generis claritas, qua plurimum refulgere dignosceris, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales, ac pro statu tuo decentius tenendo de alicuius subventionis auxilio provideamus oportuno. Cum itaque nos ecclesie Glasguensi, pastoris regimine destitute, de persona dilecti filii Andree de

Dursder, Decani ecclesie Aberdonensis, hodie providere intendamus, ac idem Andreas, sicut etiam accepimus, decanatum eiusdem, dignitatem inibi maiorem post pontificalem, et curatam ac electivam, nec non ipsius Glasguensis et de Kirkandris, de Linclondane canonicatus et prebendas, parrochialis de Kilpatult Glasg. dioc. perpetuam vicariam, dicteque Glasguensis (ecclesiarum) subdecanatum obtinere noscatur, illique propterea per provisionem huiusmodi et munus consecrationis impendendi eidem Andree tunc Electo vacare sperentur: Nos tibi, qui, ut etiam accepimus, carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris frater, ac in duodecimo vel circa tue etatis anno constitutus existis, premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere, et ut statum tuum iuxta altitudinem prosapie, unde traxisse dinosceris originem, decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, motu proprio, non ad tuam, vel alicuius alterius pro te super hoc oblate petitionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate canonicatus et prebendas ac decanatum, et qui in dicta ecclesia Glasguensi simplex officium existit, subdecanatum, necnon vicariam, quorum omnium fructus, redditus et proventus nonaginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut similiter accepimus, non excedunt, predictos, cum illos, ut premictitur, per lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti, aut alias quovismodo, etiam per dicti promovendi obitum vacare contingeret, videlicet canonicatus et prebendas, ac subdecanatum conferendos, ac cum eis decanatum et vicariam prefatos commendandos, tibi pro te, quoad vixeris tenendos, regendos et gubernandos cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, ac volentes et apostolica auctoritate tibi concedentes, quod tibi liceat de decanatu et vicarie eorundem fructibus, redditibus et proventibus, eorum debitis et consuetis supportatis oneribus, disponere et ordinare, sicuti illos pro tempore canonice obtinentes de ipsis disponere et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et preciosorum mobilium decenatus et vicarie predictorum tibi penitus interdicta, districtius inhibentes Glasguensi pro tempore existenti ac Venerabili fratri nostro Aberdonensi Episcopis, nec non dilectis filiis Glasguensis, Aberdonensis et de Linclodane ecclesiarum predictarum Capitulis, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in illis canonicatuum et prebendarum ac dignitatuum vel officiorum collatio, provisio, presentatio, electio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de canonicatibus et prebendis ac decanatu, subdiaconatu et vicaria predictis contra reservationem nostram huiusmodi disponere quoquomodo presumant, ac decernentes irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et nichilominus Venerabilibus fratribus nostris Sancti Andree et Dunkeldensi Episcopis, ac dilecto filio Vicedomino ecclesie Remensis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios canonicatus et prebendas ac decanatum, subdecanatum et vicariam predictos, cum vacaverint, ut prefertur, etiam si actu quovismodo aut ex alterius cuiuscumque persona seu per liberam resignationem dicti Andree, vel alicuius alterius de illis in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut decanatus et vicaria predicti per constitutionem felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsique canonicatus et prebenda et decanatus et subdiaconatus et vicaria dispositioni apostolice alias specialiter, aut decanatus huiusmodi ex eo, quod dignitas maior post pontificalem extitit, generaliter reservati existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus iuribus et pertinenciis supradictis, tibi prout superius est expressum, respective conferre et commendare procurent, inducentes per se vel alium seu alios te, recepto prius a te iuxta formam inferius annotatam ratione dicti decanatus nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento, vel procuratorem tuum tuo nomine in corporalem possessionem canonicatuum et prebendarum, decanatus, subdecanatus et vicarie iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, ac facientes te, vel pro te procuratorem predictum ad huiusmodi prebendas in dictis Glasguensi, Aberdonensi et de Linclondane ecclesiis in canonicum recipi et in fratrem, stallo tibi in choro et loco in Capitulo ipsarum ecclesiarum cum dicti Iuris plenitudine assignatis, necnon (ad) decanatum, subdecanatum et vicariam huiusmodi, ut est moris, admitti, tibique de illorum et canonicatuum et prebendarum predictorum, salva voluntate nostra infrascripta, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstante quod, sicut etiam accepimus, dicti canonicatus et prebenda prefate ecclesie de Linclondane de dilecti filii nobilis viri comitis de Douglas iurepatronatus existat, quodque certi alii ius ipsum ad se asserant spectare, ac pie memorie Bonifacii pape VIII. et aliis apostolicis constitutionibus atque nostris etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, Nonis Maii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXIII.

Cancellario ecclesiae Laoniensis, ut Dermicio Omeathair et Patricio Obnagi certa monasteria in Osoriensi et Laoniensi dioecesibus ex causa permutationis conferat. Reg. de Curia Tom. 11. fol. 112.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Cancellario ecclesie Laoniensis, salut. etc. Apostolice sedis

circumspecta benignitas desideria iuxta petentium congruo favore prosequitur, et votis eorum, que a rationis tramite non discordant, libenter se propiciam exhibet et benignam. Cum itaque dilecti filii Dermicius Omeathair de Athumicharth Ossoriensis diocesis, et Patricius Obnagi de Insula Viventium Laoniensis diocesis Monasteriorum, per Priores gubernari solitorum, ordinis sancti Augustini prioratus, que conventuales existunt, et quod obtinent, desiderent, sicut asserunt, ex certis rationabilibus causis invicem permutare: Nos votis ipsorum Dermicii et Patricii in hac parte favorabiliter annuentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus a Dermicio de Athumicharth et Patricio predictis, (cum quibus dudum, ut asserunt, super defectibus natalium, quos patiuntur, videlicet Dermicius de Canonico dictum ordinem expresse professo et soluta, quarto et quinto consanguinitatis gradibus coniunctis, ac Patricius prefatus de soluto ac etiam soluta genitus, ut eis non obstantibus ad omnes etiam sacros ordines promoveri, et ipsorum quilibet beneficium ecclesiasticum, etiam si curam haberet animarum, obtinere valeant, apostolica fuit auctoritate dispensatum, quodque Patricius deinde ad omnes huiusmodi ordines rite promotus, rectoriam parrochialis ecclesie de Domnaclunor dicte Ossoriensis diocesis, tunc certo modo vacantem, ordinaria sibi auctoritate collatam, quam dimisit, assecutus fuit,) vel eorum procuratoribus ad hoc ab eis specialiter constitutis, de Insula Viventium prioratuum resignaciones huiusmodi, si eas in tuis manibus facere voluerint, ut prefertur, hac vice dumtaxat auctoritate nostra recipias et admittas, ipsisque per te receptis et admissis de Athumicharth, cuius duodecim, Patricio, ac de Insula Viventium, cuius triginta marcharum sterlingorum fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, prioratus predictos, ad quos consueverunt qui per electionem assumi, quibusque cura imminet animarum, cum per huiusmodi resignationes vacabunt, etiam si dispositioni apostolice specialiter, vel alias generaliter reservati existant, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis Dermicio prefato eadem auctoritate conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios Patricium in de Athumicharth et Dermicium prefatos de Insula Viventium, receptis per te prius ab eis nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatum debitarum solitis iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, iuramentis, vel procuratores suos eorum nominibus prioratuum iuriumque et pertinenciarum predictorum corporalem possessionem, et defendens inductos, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, ac faciens Patricium ad de Athumicharth, et Dermicium prefatos vel pro eis procuratores predictos ad de Insula Viventium prioratus huiusmodi, ut est moris, admitti, necnon Patricio de Athumicharth et Dermicio prefatis de Insula Viventium prioratuum eorundem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus quibuscumque statutis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, pridie Idus Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXIV.

Iudici, ut Thadeo Oconchubare prioratum B. Mariae de Roscomayn ord. s. Augustini Elfinensis dioecesis conferre possit. Reg. Tom. V. fol. 163.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Priori Monasterii beate Marie de Insula Macnery, per Priorem soliti gubernari, Elphinensis diocesis, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica graciosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Ad audienciam siquidem nostram, dilecto filio Thadeo Oconchubare, Canonico Monasterii beate Marie de Doren ordinis sancti Augustini Elphinensis diocesis, referente, pervenit, quod dilectus filius Carolus Oconchubair, Prior Monasterii beate Marie de Roscomayn, per priorem soliti gubernari, ordinis et diocesis predictorum, suorum salutis, status et honoris immemor, fameque sue predigus, dei timore postposito, pudicitieque laxatis habenis, simonie vicium et periurii crimen committere, ac nonnulla res et bona ad prioratum dicti Monasterii de Roscomayn legitime spectancia et pertinencia dilapidare, distrahere et alienare ac inutiliter consumere, ac mala malis accumulando, vicio incontinencie laborans, focariam seu concubinam publice tenere non expavit in anime sue periculum, religionis opprobrium ac dicti prioratus non modicum detrimentum, perniciosum quoque exemplum et scandalum plurimorum. Nos igitur attendentes, quod veris existentibus predictis idem Carolus prefato prioratu, quem obtinet, merito reddit se indignum, ac volentes prefatum Thadeum, qui, ut asserit, ordinem ipsum expresse professus existit, apud nos de religionis zelo, vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis commendatum, horum intuitu favore prosequi gracioso, ipsumque Thadeum a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, cen suris et penis, tam a iure quam ab homine in genere vel specie quavis occasione vel causa latis, et quibus ipse forsan irretitus existit, quo ad hoc, ut presencium dumtaxat consequatur effectum, apostolica auctoritate tenore presencium absolventes, et absolutum fore censentes pariter et denunciantes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si dictus Thadeus prefatum Carolum super premissis coram te accusare, et se in forma iuris inscribere voluerit, postquam eum accusaverit et se inscripserit, ut prefertur, vocatis dicto Carolo et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis inquiras auctoritate nostra diligentius veritatem, et si per inquisicionem huiusmodi repereris premissa veritate fulciri, eundem Carolum dicto prioratu auctoritate prefata sentencialiter prives et amoveas realiter ab eodem, prout de iure fuerit faciendum. Et nichilominus, si privacionem huiusmodi et amocionem per te vigore presencium fieri contigerit, ut prefertur,

ac per diligentem examinacionem eundum Thadeum ad hoc, super quo tuam conscienciam oneramus, ydoneum esse repereris, prioratum predictum, qui dignitas conventualis existit, et cui cura imminet animarum, et ad illum consuevit quis per electionem assumi, cuiusque fructus, redditus et proventus sexaginta marcharum sterlingorum secundum communem extimacionem valorem annuum, ut idem Thadeus asserit, non excedunt, sive per privacionem et amocionem quondam Magonii Miceochyd Icellard, olim dicti prioratus prioris, suis culpis et demeritis exigentibus, apostolica auctoritate extra Rom. Curiam per certum iudicem ad id deputandum factum, aut per quorumdam Mauricii Iconchubayr extra, aut Wllialmi Iflannagan olim dicti Monasterii priorem infra Romanam Curiam defunctorum obitus, vel non promocionem dicti Caroli ad sacerdocium infra tempus a iure statutum, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam dicti Caroli vel alicuius alterius de illo extra Romanam Curiam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam resignacionem, vel per constitucionem felicis recordacionis Iohannis pp. XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipseque prioratus specialiter, vel ex eo quod Conventualis, ut prefertur, existit, generaliter dispositioni apostolice reservatus existat, et super eo inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta Curia vel extra eam pendeat indecisa, dummodo tempore date presencium non sit in eo alias alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Thadeo auctoritate nostra prefata conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eundem Thadeum, recepto prius ab eo nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, solito iuramento, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prioratus Monasterii, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, amoto exinde quovis alio illicito detentore, ac faciens ipsum Thadeum, vel dictum procuratorem pro eo ad huiusmodi prioratum, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus et proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra etc. Non obstantibus pie mem. Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, tertio Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXV.

Richardo Forbes confertur decanatus ecclesiae Aberdonensis. Reg. de Curia Tom. VI. fol. 68.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Richardo Forbes Decano ecclesie Aberdonensis, Bacallario in decretis, salutem etc. Litterarum sciencia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnes dignitates, ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que promovenda per nos ad quarumcumque Cathedralium ecclesiarum regimina tempore promocionis huiusmodi obtinerent, ex tunc in antea vacatura, collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et deinde cum ecclesie Glasguensi tunc pastore destitute de persona dilecti filii Andree Electi Glasguensis, tunc in minoribus constituti, providere, ipsumque illi in Episcopum et pastorem preficere intenderemus, per nos accepto, quod ipse decanatum ecclesie Aberdonensis tunc obtineret, illeque per provisionem et prefectionem huiusmodi ac munus consecrationis sibi impendendum vacare speraretur, nos illum, ad quem quis per electionem assumi consuevit, cum eum, ut premittitur, sive alias quovismodo vacare contingeret, commendandum dilecto filio Andree Stewart clerico Sancti Andree diocesis per ipsum, quoad viveret, tenendum, regendum, et gubernandum gratiose commendari mandavimus, ac consequenter ipse Andreas Stewart decanatum predictum tunc ex eo, quod prefatus Andreas clericus post provisionem et prefectionem predictas per nos postmodum factas, possessionem pacificam seu quasi regiminis et administracionis bonorum dicte ecclesie Glasguensis, vel maioris partis eorundem assecutus extitit, vacaret, et eadem auctoritate sibi commendatum huiusmodi commende vigore assecutus, illum aliquamdiu obtinuit, et successive commenda huiusmodi ex eo, quod dictus Andreas Stewart illi per dilectum filium Thomam Edentane Canonicum Aberdonensem, procuratorem substitutum, ac Carissimo in Christo filio nostro Iacobo Scotorum Rege Illustri, ad hoc a dicto Andrea Stewart procuratore specialiter constituto, in manibus Venerabilis fratris nostri Ingerami Epi Aberdonensis extra Romanam Curiam sponte et libere cesserat, cessante penitus et expirante, ac propterea dicto decanatu adhuc, ut prefertur, vacante, dilecti filii Capitulum dicte ecclesie Aberdonensis, ad quos cessantibus reservacionibus apostolicis electio decani eiusdem ecclesie de antiqua et approbata, hactenus pacifice observata consuetudine pertinet, reservacionis et decreti predictorum forsan ignari, te tunc dicte ecclesie Aberdenensis Canonicum in eorum et dicte ecclesie decanum concorditer elegerunt, licet de facto, tuque electioni huiusmodi illius tibi presentato decreto consensisti eciam de facto. Cum autem iuxta premissa electio predicta viribus non subsistat, ac dictus decanatus adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, nullusque de illo preter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservacione et decreto obsistentibus supradictis: Nos volentes te premissorum meritorum tuorum intuitu in dicta ecclesia Aberdonensi amplius honorare, tibique gratiam facere specialem, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que eciam ex quibusvis dispensacionibus apostolicis obtines et expectas, ac

in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos, ac ipsarum dispensacionum tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam, si quam vigore dicte electionis per te vel alium seu alios eius regimini et administracioni te immiscens, aut illius fructus percipiens quomodolibet contraxeris, penitus abolentes, decanatum ipsum, qui in prefata ecclesia Aberdonensi dignitas maior post pontificalem existit, cuique cura imminet animarum, et cuius fructus, redditus et proventus quinquaginta librarum sterlingorum secundum communem extimatiotionem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, sive premisso, sive alio quovismodo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignacionem alicuius de illo in dicta Curia vel extra eam, eciam coram Notario publico et testibus sponte factam, aut constitucionem felicis record. Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacet, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitimo devoluta, ipseque decanatus disposicioni apostolice specialiter, vel quod dignitas maior post pontificalem existit, ut prefertur, seu aliter generaliter qualitercumque reservatus existat, et super eo inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta Curia vel extra eam pendeat indecisa, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo eciam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attemptari. Et insuper Venerabilibus fratribus nostris Sancti Andree et Moraviensi Episcopis, ac dilecto filio Officiali Aberdonensi per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios te, recepto prius a te iuxta formam inferius annotatam nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento, vel procuratorem tuum nomine tuo in corporalem possessionem decanatus, iuriumque et pertinenciarum predictorum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes te vel dictum procuratorem pro te ad decanatum huiusmodi, ut est moris, admitti, tibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra etc. Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. etc. aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus ipsius ecclesie Aberdonensis speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales litteras impetrarint etc. Nulli ergo etc. nostre abolicionis, collacionis, provisionis, constitucionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, pridie Kalendas Februarii, Pont. nostri anno primo.

DCCLXXVI.

Iacobo Borthwic collatio parochialis ecclesiae de Lothquorwart Sancti Andreae dioecesis innovatur. Reg. Tom. XXI. fol. 68.

Calistus episcopus etc. Dil. filio Iacobo Borthwic presbitero Sancti Andree diocesis, Bacalario in decretis, salutem etc. Nobilitas generis, litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Nuper siquidem per nos accepto, quod parrochialis ecclesia de Lothquorwart Sancti Andree diocesis ex eo, quod dilectus filius Petrus de Crechtone olim illam, nunc obtinens parrochialem ecclesiam de Dumiule eiusdem diocesis, tunc certo modo vacantem, et auctoritate ordinaria sibi collatam, extiterat pacifice assecutus, vacaverat et vacabat, tunc nos de illa, sive ut premictitur, sive alias quovismodo vacaret, dummodo tunc non esset in ea alicui specialiter ius quesitum, per alias nostras litteras tibi provideri mandavimus, certis tibi executoribus deputatis, prout in illis, ad quorum executionem nondum processum fuit, et in quibus, quod fructus, redditus et proventus dicte ecclesie de Lothquorwart novem librarum sterlingorum, secundum communem extimationem, valorem annuum non excedunt, expressum extitit, plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, ab aliquibus asseritur, fructus, redditus et proventus huiusmodi plus valere, licet re vera viginti quinque librarum sterlingorum similium secundum extimationem predictam valorem annuum non excedant, ac quod dilectus filius Iohannes de Lauwdyer asserens se de nobili genere procreatum fore, ac quidem alii clerici se gerentes pro perpetuis beneficiatis in Collegiata ecclesia de Crethon dicte diocesis, illam pretextu cuiusdam unionis nulliter ordinaria facte et apostolica auctoritatibus confirmate per quadriennium et ultra occupaverint et detinuerint, prout occupant et detinent de presenti, per inadvertenciam mentio facta non extiterit: Nos, ne propterea littere predicte de surreptione notentur, tuque illarum frusteris effectu, providere, teque, qui, ut asseris, de nobili et baronum genere ex utroque parente procreatus existis, premissorum meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi, dictorumque aliorum clericorum nomina et cognomina presentibus pro sufficienter expressis haberi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod littere prefate a data presentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, dictique executores ad illarum executionem providere possint et debeant perinde in omnibus et per omnia, ac si in dictis litteris, quod fructus, redditus et proventus viginti quinque librarum sterlingorum secundum extimationem predictam valorem annuum non excederent, ac etiam de occupatione et detentione huiusmodi plena, debita et expressa mentio facta extitisset, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon

omnibus aliis, que in prefatis litteris non obstare voluimus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadrigentesimo quinquagesimo quinto, pridie Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXVII.

Philipus Noreys canonicus ecclesiae Dublinensis absolvitur a suspitione haeresis et restituitur in bonam famam. Reg. Tom. XXI. fol. 233.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Philippo Noreys Canonico ac prebendario ecclesie Dublinensis, magistro in Theologia, salutem etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi efficacis defensionis presidio assistentes, ea tibi favorabiliter concedamus, que statui et honori tuo fore conspicimus opportuna. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod licet tu a tanto tempore, quo ad annos discretionis pervenisti, fueris et sis vir catholicus et fidelis, ac fidei orthodoxe zelator fervidus et cultor, fameque laudabilis et conversationis honeste, Deum timens, ac suis et sancte matris ecclesie mandatis possetenus obediens, a quibuscumque illicitis et inhonestis, in quantum humana sinit fragilitas, te abstinens, absque eo, quod unquam de aliqua labe heresis notari seu diffamari, aut propter illam quomodolibet ad iudicium evocari debueris, ac alias talis, quod per omnia detestatus fueris et in presens detesteris heresim, nichilque enorme feceris, credideris, aut astruxeris defensaverisve, seu defensari consenseris, quod a sede catholica et traditionibus dicte matris ecclesie sacrosancte deviet, vel heresim sapiat, aut alia causa sufficiens, rationabilis seu legitima, propter quam de heresi infamari potueris vel debueris. Nichilominus ad importunam quorundam fratrum Mendicantium, tuorum quondam emulorum, false et nequiter asserentium, te in pluribus a fide catholica orthodoxa deviare, instanciam tempore, quo consilium Basiliense vigebat, dilectus filius noster Dominicus tunc sancte Marie in Vialata diaconus, nunc tituli sancte Crucis in Hierusalem presbiter Cardinalis, maior noster Penitentiarius, cui causa ipsa commissa fuerat, contra te, tunc ad Romanam Curiam procurantibus emulis evocatum, sed ad eorum subdolam persuasionem in partibus de mandato Carissimi in Christo filii nostri Henrici Anglie Regis Illustris detentum et incarceratum, absentem, licet non per contumaciam, et indefensum, de tuis huiusmodi detencione et incarceratione ignarus, credens te vere contumacem, quandam, per quam te de heresi condempnavit, definitivam sentenciam promulgavit, que postmodum, quam primum tu ad dictum concilium accedere potuisti, per quendam alium tibi super causa huiusmodi iudicem delegatum penitus extit revocata. Et quamquam sentencie late in eodem concilio per felicis recordacionis Nicolaum papam V. predecessorem nostrum, pro conservanda unione ecclesie confirmate extiterunt: verum tamen ad obstruendum ora obloquentium, et ut tu, fili, cum maiore tranquillitate animi omni dubio sublato altissimo possis famulari, cupis revocatoriam sentenciam huiusmodi per nos confirmari, et alias statui tuo, gradui atque fame super hiis opportune provideri. Nos itaque de tue persone probitate, nec non multiplicium virtutum donis, quibus insignitus existis, plenius informati, ac attendentes, quod in provecta iam constitutus etate residuum dierum tuorum in pace et caritate consumare desideras, animi tui quieti in singulis prospicere volentes, tuisque in hac parte supplicationibus inclinati, omnes et singulas causas premissorum occasione cum omnibus inde secutis, tam coram dicto Cardinali, quam quocumque alio commissario, iudice, executore vel auditore in Romana Curia vel extra illam forsan pendentes illarum statum ac sentenciarum huiusmodi, necnon articulorum contra te formulatorum, et cuiuscumque eorundem tenores atque formas, necnon originem litis huiusmodi pro sufficienter expressis habentes, ipsasque causas ad nos harum serie advocantes, et litem predictam penitus et omnino extinguentes, prefati iudicis Basiliensis sentenciam huiusmodi cum suppletione defectuum auctoritate apostolica confirmamus, teque pro eo, quod Basiliensibus predictis adhesisti, et ibidem moram non brevem traxisti, seu quacumque alia ex causa, a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis, in te et tales quomodolibet latis, si et quatenus opus sit, absolvimus et habilitamus, ac absolutum et habilitatum haberi volumus, nec non tecum super irregularitate, si quam huiusmodi sentenciis vel earum aliqua ligatus, Missas et alia divina officia celebrando, vel te illis immiscando, aut alias quomodolibet contraxisti, dispensamus, teque ad famam, gradum et honorem, ac alias in pristinum, et in eum statum, in quo eras antequam idem Cardinalis sentenciam huiusmodi contra te tulisset, integraliter restituimus et reponimus, nec non decernimus et declaramus omnia et singula pretextu dicte sentencie contra te, ut prefertur, late, ac processuum et licterarum executorialium desuper habitorum, vel premissorum occasione attemptatum nullius fuisse et esse roboris vel momenti, eaque irrita et inania reputamus, reputarique volumus, prefatis quoque fratribus omnibus et singulis, ac quibuscumque aliis personis, clericis ut laicis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, preeminentie vel condicionis existant, sub excommunicationis pena, quam ipso facto contrafacientes incurrant, districtius inhibemus, ne te super hiis de cetero molestare presumant, sed ubicumque te infamarunt, ad famam et honorem, quantum in ipsis est, restituant, sicut et nos restituimus, ac predicent et affirment, te fore cahtolicum christianum, et in fide christiana nullatenus errasse. Et nichilominus Venerabilibus fratribus nostris Cantuariensi et Dublinensi Archiepiscopis, ac dilecto filio Abbati Monasterii beate Marie extra muros Dublinenses per

apostolica scripta precipimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios efficacis tibi defensionis presidio assistentes, ac premissa omnia et singula, ubi et quando expedire viderint, solempniter publicantes, non permittant te ullatenus per dictos fratres, vel quoscumque aliqua premissorum occasione vel causa seu alias quomodolibet molestari, aut iniurias, molestaciones vel offensas tibi quovis modo irrogari, sed faciant te pacifica omnium beneficiorum tuorum possessione gaudere, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, tibique de predictorum beneficiorum, quorum quantitates et valores presentibus haberi volumus pro expressis, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, ac tibi obedientiam et reverentiam debitas et consuetas exhiberi faciant, Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel condicionis fuerint, per censuram ecclesiasticum, ac suspensionis, excommunicationis et interdicti, aliasque formidabiliores, de quibus eis videbitur, penas compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadrigentesimo quinquagesimo quinto, quintodecimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXVIII.

Commenda ecclesiae de Kirkynner Candidaecasae dioecesis Thomae episcopo Dunkeldensi facta revocatur. Reg. Secret. Tom. XXII. fol. 347.

Calistus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Licet universis per orbem constitutis ecclesiis simus ex apostolice servitutis officio debitores, illis tamen specialius sumus obnoxii, que animarum curam habere noscuntur, ne sanguis fidelium de nostris manibus in extremo examine requiratur. Dudum siquidem, ut accepimus, postquam fel. recordacionis Nicolaus papa V. predecessor noster paupertati Venerabilis fratris nostri Thome Episcopi Dunkeldensis, qui tunc in concilio Basiliensi commorans, de persona sua ecclesie Dunkeldensi absque eo, quod regiminis et administracionis bonorum illius pacificam possessionem, vel quasi assequi posse speraret, ut creditur, per congregatos ibidem provideri, seque in Episcopum preficere ac provisionis et prefectionis earundum obtentu munus consecracionis sibi impendi obtinuit, parrochialem ecclesiam de Carinsinule, alias de Kirkynner, Candidecase diocesis, tunc certo modo vacantem, eidem Thome Episcopo sub certis modo et forma tunc expressis commendaverat, ipseque Thomas Episcopus commende huiusmodi pretextu prefatam ecclesiam assecutus, illam ex nunc tenuerat et possederat, Monasterio de Cupro Cisterciensis ordinis Sancti Andree diocesis, cui plures parrochiales ecclesie sunt annexe, etiam certo modo vacante, prefatum Monasterium sic vacans cum annexis huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Thome Episcopo fuit auctoritate apostolica commendatum, ac huiusmodi commende pretextu idem Thomas Episcopus regiminis et administracionis bonorum dicti Monasterii possessionem vel quasi pacifice assecutus, illud una cum parrochiali ecclesia antedicta ex tunc tenuit et possedit, prout eciam possidere creditur de presenti. Cumque, ut similiter accepimus, Monasteriis et aliis locis regularibus eiusdem Candidecase diocesis tot parrochiales ecclesie, per clericos seculares alias regi solite, perpetuo sint unite, quod iam pauce restant eisdem clericis secularibus conferende, ac idem Thomas Episcopus ex fructibus et redditibus prefati Monasterii, qui mille et quingentos florenos auri de Camera vel circiter valent annuatim, se commode sustentare et statum suum decenter tenere valeat, ac in favorem ecclesiarum in Regno Scotie auctoritate Regia statutum et ordinatum fuerit, a sede apostolica obtinendum commendas huiusmodi in preiudicium ecclesiarum earundem minime concedi debere, ipsamque ecclesiam de Kirkynner, que a prefato Monasterio per centum miliaria distare dinoscitur, Rectore perpetuo viduata, ipsius vacacionem cum sua plebe deplorent: Nos commende ecclesie de Kirkynner, ac litterarum desuper concessarum formam atque tenorem presentibus pro expresso habentes, ac volentes super hiis de opportuno remedio providere, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblate peticionis instantiam, auctoritate apostolica, et ex certa scientia commendam ecclesie de Kirkynner huiusmodi, ac litteras désuper confectas, et processus habitos per easdem, et quemcumque inde secuta revocamus, cassamus et annullamus, nulliusque roboris vel momenti fore, et ipsis tam in iudicio quam extra, ubicumque exhibite fuerint vel ostense, fidem aliquam nullatenus adhibere decernimus, dictasque licteras ac supplicacionem, a qua illa emanarunt, de registris nostris cassari et cancellari mandamus, ipsumque Thomam Episcopum a possessione dicte ecclesie de Kirkynner, si forte illam vigore commende predicte tenet et possidet, amovemus realiter per presentes, Non obstantibus commende et litteris predictis sub quacunque forma vel expressione verborum confectis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in presentibus mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre revocacionis, cassacionis, annullacionis, constitucionis et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnacionis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, sextodecimo Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXIX.

Annullatio litterarum apostolicarum in favorem Thomae falso nominati episcopi Limiricensis emanatarum. Reg. de Curia Tom. XIII. fol. 11.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Epo Lismorensi, salut. etc. Iustis et honestis supplicum votis libenter intendimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Limiricensis peticio continebat, quod licet olim ecclesie Limiricensi tunc certo modo vacanti de persona

sua apostolica auctoritate canonice provisum, ipseque eidem ecclesie prefectus in Episcopum et pastorem, ac huiusmodi provisionis et prefectionis vigore possessionem prefate ecclesie per triginta annos vel circa pacifice assecutus fuisset, necnon regimini et administrationi ipsius diligenter et solicite prefuisset, ac bona mense capitularis eiusdem ecclesie laudabiliter administrasset, prout administrat de presenti; tamen nuper pro parte venerabilis fratris nostri Thome, qui se gerit pro Episcopo dicte ecclesie, nobis falso exposito, quod prefatus Iohannes extra Romanam Curiam, et in partibus illis fuerit vita functus, quodque ecclesia ipsa Limiricensis per ipsius Iohannis Episcopi obitum vacabat: Nos tunc causam vicario nostro huiusmodi ecclesie dilecto filio Petro tituli sancti Marci presbitero Cardinali commisimus, ut ipse de meritis persone ipsius Thome, ac vacacione huiusmodi ecclesie se informaret et referret etiam in consistorio coram nobis: tandem nonnullis falsis coram eodem Cardinali, ut asseritur, ad dicti Thome instanciam, et pro parte ipsius productis tunc et examinatis testibus, relacione per eundem Cardinalem, aliter ei non constito de testium huiusmodi falsitate, facta in consistorio coram nobis, Nos de persona ipsius Thome prefate ecclesie providimus, ipsumque eidem ecclesie prefecimus in Episcopum et pastorem, curam, regimen et administrationem dicte ecclesie eidem in spiritualibus et temporalibus committendo, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur, quarum vigore dictus Thomas provisionis et prefectionis earundem pretextu munus consecracionis sibi impendi fecit et obtinuit, ac se Episcopum Limiricensem nominari et intitulari fecit ac facit in anime sue periculum, et dicti Iohannis Episcopi non modicum preiudicium atque dampnum. Quare pro parte dicti Iohannis Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis sibi et statui suo opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis fiduciam in domino obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis dicto Thoma et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis omnibus et singulis te diligenter informes, et si per informacionem huiusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscienciam oneramus, provisionem et prefectionem de persona ipsius Thome ad predictam ecclesiam Limiricensem, ut premittitur, per nos factas, et quecumque inde secuta, nec non litteras apostolicas desuper habitas eadem auctoritate casses, revoces et annulles, nec non illas et illa cassas, nullas et irritas esse et existere decernas atque declares. Et nichilominus si reservacionem, annullacionem et cassacionem predictas feceris, ut prefertur, eidem Thome, ne pontificalia de cetero exerceat, eadem auctoritate interdicas, prout de iure fuerit faciendum. Contradictores etc. Non obstantibus premissis ac Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. M.CCCC.LVI. nono Kal. Decembris, Pont. nostri anno secundo.

DCCLXXX.

Prioribus et fratribus ordinis s. Augustini in Hibernia quaedam privilegia innovatur. Reg. Secret. Tom. XXV. lib. VII. fol. 17.

Calistus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Provisionis nostre debet subvenire subsidio, ut antiquis calcatis vestigiis quisque sui iuris integritate letetur. Hinc est, quod nos tenores quorundam litterarum felicis recordationis Bonifacii VIII., Urbani VI., Alexandri IIII. (sic), Martini V. et Eugenii IIII. Romanorum Pontificum, predecessorum nostrorum, dilectis filiis Generali et provincialibus Prioribus, ac fratribus ordinis Heremitarum s. Augustini et dicto ordini concessarum, et per pie memorie Nicolaum papam V. etiam predecessorem nostrum pro eo, quod illorum quedam incipiebant vetustate consumi, innovatarum in Registro nostro repertos pro eo, quod sicut exhibita nobis nuper pro parte Generalis ac aliorum Priorum et fratrum predictorum, et potissime fratrum dicti ordinis de Ybernia peticio continebat, ipsi eisdem tenoribus se indigere asseverant, de Registro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad ipsorum supplicationum instanciam presentibus annotari fecimus, qui sunt tales. Nicolaus Episcopus servus servorum dei, dilectis filiis Generali provincialibusque Prioribus et fratribus ordinis Heremitarum s. Augustini, salutem etc. Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geritis ecclesiam, promeretur, ut peticionibus vestris, illis presertim, que commodum et utilitatem ordinis vestri concernunt, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Nuper siquidem pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut quasdam litteras etc. Registrata de verbo ad verbum cum multis insertis in Registro communi, in libro secundo de regularibus et de prebendis vacantibus, anno quarto felicis recordacionis dicti Nicolai pape V. folio 223. sub data Rome apud S. Petrum anno etc. M.CCCC.L. pridie Kalendas Maii, Pontificatus etc. anno quarto. — Ceterum, ut earumdem litterarum tenores predicti sic inserti omnimodam rei seu facti certitudinem faciant, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, ac eam vim ipsumque vigorem dicti tenores per omnia habent, que haberent originales littere supradicte, ac eadem ipsis prorsus tenoribus fides adhibeatur, quandocumque et ubicumque in iudicio, vel alibi fuerint exhibiti vel ostensi, ac eis stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense. Per hoc autem nullum ius Generali, Prioribus, fratribus et ordini antedictis de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod sit, tantummodo conservari. Nulli ergo etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. M.CCCC.LVII. Nonas Maii, Pontificatus nostri anno tercio.

DCCLXXXI.

Ioannes Bole archiepiscopus Armachanus constituitur commissarius in Hibernia et collector decimae, ad recuperandam urbem Constantinopolitanam a Turcis expugnatam. Reg. Tom. XIII. fol. 174.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Bole Archiepiscopo Armachano, nostro et apostolice

sedis Commissario, salutem etc. Cum superioribus annis exigentibus hominum peccatis civitas Constantinopolitana a perfidis Teucris fuerit occupata, direpta et christiano sanguine conspersa, ita ut nisi a fidelibus mature subveniatur, in dies maiora vulnera sint fidei nostre allaturi: Nos volentes, quantum deus donari dignabitur, omnia undique adiuvamina conquirere, quibus vires et immanitas prefatorum Teucrorum conteri possint, ac imminentibus periculis obviare, de Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio pariter et assensu unam integram decimam omnium fructuum, reddituum et proventuum secundum verum valorem omnium beneficiorum ecclesiasticorum per totum orbem christianum ab ecclesiasticis persolvendam indiximus et imposuimus, prout in aliis nostris litteris desuper confectis plenius continetur. Eapropter considerantes, quod illa, que tibi commiserimus, salubri consilio et solerti studio fideliter exequeretur, fraternitati tue, de cuius integritate ac fidei zelo precipuam in domino fiduciam gerimus, presentium tenore committimus, teque nostrum et apostolice sedis Commissarium pro dictis decimis colligendis in tota terra et partibus Ybernie exigendis auctoritate apostolica ordinamus, tibique potestatem substituendi alios, ac faciendi et exequendi omnia et singula, que eis commiseris, per presentes concedimus facultatem pariter et auctoritatem, mandantes tibi, quatenus ad Venerabiles fratres Archiepiscopos, Episcopos ceterosque beneficiatos in tota terra et partibus Ybernie existentes personaliter te conferas, vel tuos substituendos ad aliquos, si tibi videbitur melius expedire, mittas, atque decimam integram omnium beneficiorum secundum verum valorem ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis ceterisque beneficiatis, Monasteriis, Cenobiis, ac aliis piis locis virorum et mulierum, exemptorum et non exemptorum, ac quarumcumque aliarum personarum ecclesiasticarum, quacumque prerogativa, dignitate, privilegio prefulgeant, dicta auctoritate petas, exigas et colligas, et per tuos substituendos peti, exigi et colligi facias. Ceterum ne fratres Minores et alii Mendicantes ordinum quorumcumque certas possessiones et immobilia bona ex dispensacione apostolica vel alias obtinentes, seu per se vel procuratorem suum possidentes, ab huiusmodi decime solucione se pretendant esse exemptos: Nos eos ad solutionem huiusmodi decime racione bonorum eorundem teneri harum serie decernimus ac volumus, tibi districtius iniungentes, ut eos ad solvendam decimam ipsam racione certorum bonorum huiusmodi iuxta formam aliarum nostrarum litterarum, quas ad id extendimus, necnon iuxta potestatem tibi per eas attributam, veluti ceteros non Mendicantes auctoritate apostolica coherceas et compellas, Non obstantibus quibusvis eis in contrarium concessis privilegiis, etiam apostolicis, quibus hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, statutis quoque et consuetudinibus ordinum eorundem iuramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Cantradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque gradus, status, ordinis vel condicionis existant, etiam si pontificali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia campescendi, et solvere deferentes seu renitentes per excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias, aliasque censuras et penas cogendi et compellendi, et si protervitas contumacium exegerit, eos beneficiis privandi, et ab illis amovendi, illosque etiam ad sedem apostolicam personaliter citandi, et aliis penis pecuniariis mulctandi, brachium ad id seculare invocandi, capi et captos carceribus mancipari faciendi, penas huiusmodi exigendi, et omnia alia et singula, que in nostris principalibus litteris desuper confectis continentur, faciendi et exequendi, que ad executionem eorum, que imposueris, expedire videris, eosque, qui ad cor reversi, et de eorum debitis satisfecerint, a sentenciis, censuris et penis huiusmodi absolvendi, et liberandi ac quictandi plenam et liberam dicta auctoritate tenore presentium concedimus facultatem et etiam potestatem, Mandantes omnibus et singulis supradictis, atque aliis clericis et laicis sub pena excommunicationis late sentencie, ut in premissis, et circa ea tibi in omnibus et per omnia pareant realiter et intendant. Et insuper cum nos verisimiliter arbitramur, quod inter aliquas personas partium earundem super verbis aut clausulis in litteris imposicionis huiusmodi decime appositis, super eo quod, ubi dicitur, de huiusmodi decima sub pena excommunicationis late sentencie solvatur secundum verum valorem beneficiorum, dubietates, altercationes et consciencie scrupolositates exoriri poterint, propter quas solucio et exactio huiusmodi possit in aliquo differri vel recusari; et sicut accepimus, si tibi et per te substituendis decidendi ac componendi, nec non disponendi et personarum conscienciis providendi facultas largiretur, tu commissionem tibi factam celerius et facilius expedires, ac fructus uberiores ad tam sanctum opus utiliores posses ex commissione tua verisimiliter reportare: Nos igitur de tuis probitate, fide et intelligencia specialem in domino fiduciam obtinentes, tibi, et per te substituendis, ut cum super vero valore beneficiorum seu fructuum ecclesiasticorum aliquorum apud aliquos contigerit disceptari seu hesitari, tu et per te substituendi de vero valore huiusmodi iuramento coram te, vel aliquo substituendorum tuorum sollemniter prestando, et consciencie beneficiatorum seu illorum, per quos erit solucio facienda, stare ac eis credere, nec non cum omnibus et singulis supradictis auctoritate apostolica componere possitis et valeatis, si tue discrecioni vel alicuius substituendorum tuorum videbitur expedire, ita quod ad ulteriorem solucionem non teneantur, neque valeant alias cohartari, atque de receptis quitandi, liberandi et absolvendi tibi, et per te substituendis plenam et liberam auctoritate apostolica predicta tenore presentium licentiam concedimus et etiam facultatem. Et insuper tibi dicta auctoritate facultatem concedimus exigendi racionem ab illis, quos infuturum duxeris substituen-

dos, ac tibi exhiberi faciendi libros, taxaciones et valores beneficiorum, et dicte Camere debita continentes, ac super hiis omnibus inquirendi summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, solerti et fideli adhibita diligencia te informandi, ipsosque collectores et tuos succollectores, ac alios, si racionem reddere recusaverint vel neglexerint, seu alias deliquerint in promissis, vel aliquo premissorum, apprehendendi, capiendi et carceribus mancipari faciendi, penis spiritualibus et temporalibus, prout visum fuerit, puniendi, cohorcendi et corrigendi, ac ad sedem apostolicam personaliter, si tue fraternitati videbitur, citandi, brachium ad id seculare advocandi, ac alia, que in premissis necessaria fuerint, gerendi et exequendi, nisi tibi in certo termino per te eisdem prefigendo in debitis dicte Camere, ac decimis per eos collectis ad tuum arbitrium satisfecerint, ac postquam tibi racionem seu computum dederint, et in premissis satisfecerint, apocham eis concedendi, que plene liberacionis, absolucionis et quietacionis vigorem obtineat, per presentes concedimus facultatem, constitutionibus apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque: proviso, si alique persone bona per eas per predas, furta, latrocinia seu cum usuraria pravitate, vel alio quocumque malo titulo acquisita penitencia ducte restituere, et de commissis confessoribus per te ipsis deputandis confiteri voluerint, ac incerte sint persone, quibus sit restitucio facienda, tu confessionibus ipsorum per ipsos confessores diligenter auditis, eos ab excessibus huiusmodi absolvere, penitenciam salutarem eis iniungere, nec non super restitucione facienda huiusmodi cum eis componere, et id ab eis ad opus ipsum exigendo oblatum remittere eis eciam possis et valeas, ac tibi id faciendi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem pariter et auctoritatem. Preterea ut singuli Christifideles ad contribuendum huic sancto operi eo libencius incitentur, quo ex hoc dono uberioris gratie conspexerint se muniri, volumus, quod omnibus et singulis Christifidelibus de bonis suis sibi a Deo collatis usque ad summam duorum Nobilium, vel alias secundum compositionem inter te, vel aliquem substituendorum tuorum et ipsos faciendam ad sanctum opus huiusmodi contribuerint, et in tuis vel illorum manibus, quos duxeris substituendos, deposuerint, ut confessor, quem duxerint eligendum, eis ac eorum singulis in sinceritate fidei ac unitate sancte Romane ecclesie, et obediencia et devotione nostra et successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, semel dumtaxat in vita, absolucionem eandem de reservatis, et in mortis articulo plenariam remissionem eadem auctoritate concedere, ac super votis peregrinacionis et abstinencie, si qua emiserint, que commode servare non posse asserant, transmarino ac beatorum Petri et Pauli atque sancti Iacobi in Compostella dumtaxat exceptis, in predictum opus commutare, et id, quod tibi videbitur, ad opus ipsum exigendum remittere et dispensare possis et valeas, eisque litteras ex concessione indulgencia huiusmodi tuo sigillo sigillatas in receptione penitencia huiusmodi munitas dandi, facultatem et auctoritatem ac licenciam concedimus etiam per presentes. Volumus insuper et eadem auctoritate mandamus, ut cum prefatis Archiepiscopis, Episcopis aliisque Prelatis perquiras, et perquiri facias verbi dei predicatores, religiosos vel seculares, quibus in virtute sancte obediencie, et sub excommunicacionis pena, quam contrafacientes ipso facto incurrant, precipias et mandes, ut continenciam nostrarum litterarum pro tutela fidei et christiane religionis emanatarum populis predicent et declarent, illos ad contribuendum per se, vel alios huic sancto operi exhortando: ac etiam tibi concedimus potestatem disponendi et exequendi, ac omnia et singula faciendi, que in nostris principalibus litteris, quas ad expedicionem huius sancti operis destinamus, continentur, ac verba et clausulas in dictis litteris contentas exponendi et interpretandi, secundum quod melius et utilius tue prudentie videbitur expedire, nec non de prefatorum Archiepiscoporum et Episcoporum consilio et assensu, quilibet in civitate seu diocesi sua tres aut quatuor, prout melius expedire videritis, viros bonos et graves fide ac facultatibus ydoneos deputandi (et) constituendi receptores et depositarios pecuniarum occasione dictarum decimarum ac indulgenciarum acquisitarum. Volumus autem, quod predicti Archiepi et Episcopi, quilibet videlicet eorundem in sua civitate seu diocesi, summam pecuniarum per te vel aliquem substituendorum tuorum infra civitates et dioceses huiusmodi acquisitarum, per instrumentum publicum illorum sigillo munitum conscribi faciant et procurent, quodque tu pecunias premissorum occasione acquirendas, colligendas et exigendas successive ad Cameram apostolicam supradictam per cambia, et conventiones tutas debitas mercatorum fide et facultatibus ydoneorum destinare tenearis. Tu igitur dictum officium iuxta datam tibi a deo prudenciam sic studeas bene et fideliter ac laudabiliter exercere, quod sperati fructus inde proveniant, Tuque apud nos et sedem predictam merito commendaris. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimoseptimo, Idibus Iunii, Pontificatus nostri anno tercio.

DCCLXXXII.

Thomae episcopo Limiricensi conceditur, ut in commendam tenere quodcumque beneficium possit. Reg. Tom. XXVI. fol. 23.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Limiricensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolencia prosequentes, ad eam nostri partes officii favorabiliter dirigimus, per que tuis statui et indemnitatibus valeat oportune provideri. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu, qui decretorum doctor, et ordinem sancti Augustini expresse professus existis, possessionem, vel quasi regiminis et administrationis tue Limericensis ecclesie, cui preesse di-

nosceris, propter guerrarum turbines et alios sinistros eventus in partibus illis assequi non potes: nos, ne in opprobrium Episcopalis dignitatis necessariis carere cogaris, tibi de alicuius subvencionis auxilio providere volentes, ut quodcumque beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, seculare vel cuiusvis ordinis regulare, eciam si parrochialis ecclesia, vel eius perpetua Vicaria, aut Cantoria, vel annuale, aut libera capella, et de iure patronatus laicorum, sicut tibi per te, quoad vixeris, vel donec possessionem seu maioris partis regiminis et administracionis eorumdem pacifice fueris assecutus, tenendum, regendum et gubernandum apostolica vel quavis auctoritate commendari, ac illud et aliud simile vel dissimile loco illius, quatenus tibi placuerit, in huiusmodi commendam recipere et retinere valeas, eadem apostolica auctoritate tenore presentium concedimus, ita quod liceat tibi dicta durante commenda de fructibus, redditibus et proventibus prefati tibi comendandi beneficii, debitis eius supportatis oneribus, ad instar eorum, qui illud pro tempore obtinuerunt, disponere pariter et ordinare, Alienacione tamen quorumcumque bonorum immobilium et preciosorum mobilium dicti beneficii tibi penitus interdicta. Non obstantibus apostolicis, ac bone memorie Ottonis et Ottoboni olim in regno Anglie sedis apostolice legatorum, ac in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitucionibus et ordinacionibus, statutis quoque et consuetudinibus ecclesie Limiricensis ac ordinis predictorum iuramento, confirmacione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Proviso quod dictum beneficium propter commendam huiusmodi debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura, si qua illi immineat, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LVII. pridie Idus Octobris, Pontificatus nostri anno tercio.

DCCLXXXIII.

Ioannes Pursel episcopus Fernensis constituitur collector in Hibernia. Reg. Offic. Tom. I. fol. 312.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Pursel Episcopo Fernensi, in Insula Ybernie eiusque civitatibus et diocesibus fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum ac debendorum Collectori, et apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Ex fideli ac sollicita et diligenti prudencia, providencia quoque circumspecta, et aliis virtutibus, quibus te Dñus insignivit, tenemus indubie, quod ea, que tibi committenda duxerimus, solerti ac salubri studio gubernabis, ac fideliter exequeris. Hinc est, quod nos, de tue circumspectionis industria plurimum in Domino confidentes, te in Insula Ybernie, ac in singulis ipsius insule civitatibus et diocesibus apostolice sedis nuncium, ac generalem fructuum, reddituum, proventuum, censuum et aliorum iurium, nobis et ecclesie Romane ac Camere apostolice debitorum et debendorum, nostrum et prefate sedis collectorem et receptorem, usque ad nostrum et eiusdem sedis beneplacitum, tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, ac tibi per alium, seu alios, clericos dumtaxat fide et facultatibus ydoneos, nostro et dictarum ecclesie et Camere nomine a quibuscumque Prelatis, Capitulis, Collegiis, Conventibus, ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis et non exemptis ordinum quorumcumque, et etiam laicalibus personis, necnon a Regibus, Reginis, Marchionibus, Comitibus et Principibus, aliisque Nobilibus, ac Communitatibus et Universitatibus castrorum, terrarum, villarum, et aliorum quorumcumque locorum, omnia et singula pecuniarum summas, fructus, redditus, et proventus ac iura, res, census annuos et bona alia, in quibuscumque rebus seu iuribus consistent, etiam si bona huiusmodi fuerint confiscata, nobis et eiusdem ecclesie et Camere in prefata Insula, civitatibus et diocesibus quacumque ratione vel causa debita et debenda, et ad nos seu ad easdem ecclesiam et Cameram nunc et in posterum pertinentes, aut alias quomodolibet spectantia et pertinentia, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, communibus et minutis servitiis dumtaxat exceptis, petendi, exigendi, levandi, recipiendi, et recuperandi, ac solventes de receptorum et solutorum dumtaxat quitandi, liberandi et absolvendi, rationesque et computa a quibuscumque collectoribus et succollectoribus et receptoribus, ac inquisitoribus heretice pravitatis, aliisque officialibus predictis, ab ecclesia et Camera in prefatis Insula, civitatibus et diocesibus, seu eorum aliquibus hactenus deputatis et deputandis, huiusmodi beneplacito durante, seu personis aliis, in quantum utilitatem et negotia dictarum ecclesie et Camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque ad id, si necesse fuerit, ac contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque status, gradus, ordinis, condicionis vel prehemineneie fuerint, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam bonorumque suorum sequestrationem, et personarum arrestationem, ac alia iuris remedia oportuna, appellatione posposita, compellendi et compescendi, ac eciam excommunicationis et alias sentencias et censuras in eos, et alios non solventes tibi iura et debita ipsarum ecclesie et Camere, ut prefertur, per te vel alium, seu alios tuo et dicte Camere nomine inflictas et promulgatas, si eorum contumacia exegerit, quociens opus fuerit, aggravandi, et alias contra eos sentencias promulgandi, nec non quoscumque tibi vel tuis officialibus iniuriantes, seu te vel dictos tuos officiales impedientes, aut negocia dicte Camere in aliquo directe vel indirecte, publice vel occulte perturbantes eadem auctoritate procedendi, prout ordo iuris et racionis exegerit, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum personaliter coram nobis, vel Camerario nostro infra certum competentem terminum, per te illis prefigendum, citandi, ac si opus fuerit, auxilium brachii secularis, ac ordinum religiosorum quorumcumque, et perso-

narum ecclesiasticarum, exemptarum et non exemptarum, invocandi, sententias quoque excommunicationis, suspensionis et interdicti in inobedientes, contumaces et rebelles tam per predecessores seu precessores tuos inhibi collectores, et eorum substitutos, quam per te et a te deputatos seu deputandos latas ac ferendas, cum ad obedienciam debitam venerint, tollendi et suspendendi, ipsosque ab ipsis, iniunctis eis pro modo culpe penitencia salutari et aliis, prout de iure fuerint, auctoritate predicta in forma ecclesie consueta, prius tamen satisfacto de hiis, in quibus Camere tenebantur, aut de satisfaciendo sufficienti cautione vel obligatione prefata et recepta, absolvendi, et cum ipsis super irregularitate, si quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, eadem auctoritate, eis prius ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, a suorum executione ordinum suspensis, dispensandi etc. Non obstantibus tam felicis record. Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. M.CCCC.LVII. pridie Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

EPISTOLAE PII PP. II.

DCCLXXXIV.

Confirmatur erectio et fundatio ac reformatio statutorum collegii S. Salvatoris in civitate Sancti Andreae ab Iacobo episcopo (vide sup. p. 388.) facta, inserto fundationis instrumento. Reg. de Curia Tom. II. fol. 76.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Inter ceteras felicitates, quas mortalis homo in hac labili vita ex dono dei nancisci potest, eam non in ultimis computare meretur, quod per assiduum studium adipisci valeat scientie mercantiam (margaritam), que bene beateque vivendi viam prebet, ac peritum ab imperto sua pretiositate longe facit excellere, et similem deo reddit, suffragatur indoctis, et in infimo loco natos evehit in sublimes: et propterea sedis apostolica, rerum spiritualium et etiam temporalium provida ministratrix, ut eo facilius homines ad tam excelsum humane conditionis fastigium acquirendum, et acquisitum in alios refundendum inducantur, eos hortatur, illis loca preparat, illos iuvat et fovet, ac hiis, que pro ipsorum commodo et utilitate, presertim per Prelatos ecclesiarum provide facta comperit, ut firma perpetuo illibata persistant, libenter apostolici muniminis adiicit firmitatem. Dudum siquidem Venerabilis frater noster Iacobus Episcopus Sancti Andree felicis record. Nicolao pape V. predecessori nostro exposuit, quod ipse Epus ad laudem dei, et fidei catholice exaltationem, ac certis aliis rationabilibus, legitimis et urgentibus tunc expressis causis, quod notabile Theologicorum et artistarum Collegium in Universitate studii S. Andree in honore et sub vocabulo S. Salvatoris pro personarum tredecim numero ad instar apostolici numeri: de quibus quidem personis prima Prepositus intitularetur, nuncuparetur et existeret, ac Prepositnram inibi obtineret in Theologia magister; secunda vero cum rigore examinis licentiatus, et tertia bacallarius formatus in eadem Theologia; nec non ex reliquis quatuor in artibus magistri, et in sacerdotio constituti; alie autem sex ex personis huiusmodi remanentes, et numerum tredecimum seu tertium decimum antedictum perficientes, totidem pauperes clerici scientiis imbuendi speculativis, et ad illas habiles et ydonei, quibus etiam clericis eorum parentes et consanguinei in acquirenda illa pretiosissima et incomparabili margarita subvenire nequirent, esse voluit et ordinavit, domino benedicente, erexerat, fundaverat pariter et dotaverat. Volens inter cetera, quod Prepositura et loca pro singulis predictis, ut premittitur, deputata personis per alias quam per similes in gradibus et aliis premissis personas nullatenus obtineri, et possideri possent seu deberent, quodque Magister, Prepositus nuncupatus, licentiatus et bacallarius certis diebus in ebdomada Theologiam, artium vero magistri philosophiam et methaphisicam legerent, illique ac universe persone dominicis et festivis diebus singulis matutinas aliasque horas canonicas decantare deberent, ac pro collegii prepositi, licentiati, bacallarii, artium magistrorum et aliarum personarum huiusmodi statu tenendo decenti, et sicut expediebat, conservando, videlicet Chilmane Collegio, et de Quilt prepositurам predictam pro tempore obtinenti, ac de Kenbak licentiato, necnon de Dimenach, in quibus nondum erant perpetue Vicarie institute, S. Andree diocesis parrochialium ecclesiarum rectorias, quas in dicto Collegio in prebendas etiam erexit, et illas sic nuncupari voluit, bacallario sepedictis in perpetuum auctoritate ordinaria univerat, annexuerat et incorporaverat, ac in ipsis de Kenbak et de Dimenach ecclesiis singulis perpetuas vicarias insituerat, nec non pro illarum perpetuis vicariis, qui pro tempore essent, congruas portiones reservaverat, et alia in litteris ipsius Episcopi latius contenta et designata fecerat: idem Nicholaus predecessor ordinationem,

erectionem, fundationem, dotationem, unionem, annexionem, incorporationem, nec non institutionem et reservationem predictas, ac alia per Episcopum sic facta et gesta huiusmodi rata et grata habens, illa omnia cum inde secutis auctoritate apostolica ex certa scientia confirmavit et approbavit, supplevitque omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, prout in litteris apostolicis eiusdem Nicholai predecessoris desuper confectis, quarum tenorem haberi volumus pro expresso, plenius continetur. Postmodum vero, sicut pro parte dicti Episcopi fuit nobis nuper expositum, ipse Episcopus debite considerans et attendens, quod sacris canonibus cautum extitit, quod vix aliquid adeo certum clarumque statuitur, quin propter humane nature varietatem et machinationem inopinabiles, ac effrenatam cupiditatem sui prodigam pacis emulam, et iurgiorum materiam casusque emergentes et fortuitos, quibus intellectus humanus previdere non valet, in dubium evocetur, quodque duodecim articuli in prefata sua fundatione contenti in parte egebant declaratione, alii minus perutiles, cum sortiti essent effectum, et alii superfluitatem potius quam necessitatem importabant, nec non quedam perutilia valde et commodosa obmissa perpendit in eadem: Igitur volens dictus Episcopus, que negligenter obmiserat, prompto emendare effectu, omnemque ambiguitatem ac imperfectionem tollere, cupiens etiam reformandorum prospicere reformationem, et ambigua ac difficultates declarare, nec non questionibus et negotiis imminentibus per interpetratoris et fundatoris sarculum modum et finem congruos et consonos promulgare, post multas et varias occupationes, quibus antea diutius necessario detentus fuerat, captata sibi oportunitate, pro dicti Collegii et personarum eiusdem utilitate, quiete et commodo eorundem quedam, que in dicta fundatione nullatenus continebantur, quedam etiam in eadem contenta reformando, et aliqua declarando, ac aliqua de eadem removendo, dictam suam innovationem innovavit, et imperpetuum confirmavit, et si que in dicta prima fundatione eidem innovationi et in ea contentis contraria fuissent seu reperirentur, pro infectis haberi, ac omnia et singula in dicta innovatione, et nonnullis articulis seu capitulis super inde per eundem confectis, et in litteris innovationis, seu nove fundationis huiusmodi expressata etiam pariter et contenta iuxta illorum seriem, formam et continentiam perpetuis futuris temporibus firmiter et inviolabiliter observari voluit, prout in ipsis litteris innovationis seu secunde fundationis, ac articulis et capitulis in eis contentis et descriptis huiusmodi, quarum et quorum tenores de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti Epi nobis fuit humiliter supplicatum, ut reformationi, declarationi, innovationi, seu nove fundationi, confirmationi, articulis, capitulis et voluntati Episcopi huiusmodi robur apostolice firmitatis adiicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, reformationem, declarationem, innovationem et novam fundationem, confirmationem, articulos et capitula, ac voluntatem Episcopi huiusmodi, nec non litteras super innovatione et nova fundatione confectas, ut prefertur, ac omnia et singula in eisdem litteris et articulis et capitulis earundem contenta, et quecumque inde secuta rata et grata habentes, illa omnia et singula auctoritate apostolica, et ex certa scientia tenore presentium confirmamus et approbamus, illisque omnibus et singulis pro eorum subsistentia firmiori, et dictorum Collegii, Prepositi et personarum tutiori cautela robur apostolice confirmationis adiicimus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus premissis ac apostolicis, nec non in provincialibus et sinodalibus editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Tenor vero litterarum innovationis seu secunde fundationis Epi huiusmodi, ac articulorum seu capitulorum in eisdem litteris Epi contentorum talis est.

¶ Universis sancte matris Ecclesie filiis presentes nostras litteras visuris, inspecturis vel audituris, Iacobus dei et apostolice sedis gratia Episcopus Sancti Andree, Salutem [in domino]. In totius humani generis salvatore, omniumque bonorum largitore, ac vera salute, qui alias ad omnipotentis Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, et sue gloriosissime matris, advocatricis nostre, Marie, totiusque curie celestis laudem, fidem Orthodoxe robur, et Christiane religionis augumentum, ac hereticorum pestiferis scismatibus obviandum, ac eosdem ad vitam reducendum sempiternam, pro modulo nobis gratie desuper date in nostra Civitate Sancti Andree Collegium Theologorum et artistarum pro cultu divino, et exercitiis scolasticis, ut inferius latius patebit, fundavimus. Sed quia in ipsa fundatione interpetrationem, reformationem et declarationem omnium et singulorum articulorum, et in ea contentorum, si que addenda, reformanda, interpetranda, removenda seu declaranda forent, nobis specialiter reservavimus, et cum sacris canonibus cautum existit, quod vix aliquid adeo certum clarumque statuitur, quia propter humane nature varietatem, et machinationes inopinabiles, ac effrenatam cupiditatem sui prodigam, pacis emulam, et iurgiorum materiam, casusque emergentes et fortuitos, quos intellectus humanus previdere non valet, in dubiumr evocetur. Inde hic est, quod cum certi articuli in prefata nostra fundatione contenti in parte egeant declaratione, alii minus perutiles consortiti sunt effectum, et alii superfluitatem potius quam necessitatem important, nec non quedam perutilia valde ac commodosa obmissa perpendimus in eadem. Nos igitur volentes, quantum nobis ab alto conceditur, que negligenter obmisimus, prompto emendare effectu, omnemque ambiguitatem et imperfectionem tollere cupientes, etiam reformandorum prospicere reformationem, et

ambigua et difficultates declarare, ac questionibus et negotiis imminentibus per interpretatoris et fundatoris sarculum, modum et finem congruos ac consonos promulgare, attento presertim, quod tot grandibus et arduis a tempore prefate fundationis fuimus circumscripti et impediti negotiis, quod adimplere affectavimus, hactenus silentio pretermisimus. Nunc enim oportunitate captata, pro dicti Collegii et personarum eiusdem utilitate et quiete, ac commodo eorundem sollicitudinis studio intendentes, ut quas humana natura lites quotidie invenire conatur, prout nobis est possibile, reprimamus, addendo quedam, que in prefata nostra fundatione nullatenus continentur, quedam etiam et in eadem contenta reformando, et aliqua declarando, ac aliqua de eadem removendo, ut sequitur, dictam nostram fundationem innovamus, et imperpetuum confirmamus, et si que in dicta nostra primeva fundatione presentibus contraria forent, seu reperiantur, pro non fundatis haberi, et quod omnia et singula in presentibus expressata perpetuis duratura temporibus firmiter teneri volumus et inviolabiliter observari. Nostre enim reformationis prefata innovatio, sicut deus de sua gratia nobis dedit et inspiravit, in nomine domini sequitur in hec verba.

Collegium quoddam Theologorum et artistarum in honore Sancti Salvatoris circa numerum apostolicum, scilicet decem et trium personarum: quarum una de presente magister in Theologia existit, qui Prepositus dicti collegii intitulatur; secunda vero licentiatus, et tertia bacallarius in eadem facultate, quibus videlicet preposito rectoriam parrochialis ecclesie de Quilt, licentiato rectoriam ecclesie parrochialis de Kenbak, et bacallario rectoriam ecclesie parrochialis de Dimenach nostre diocesis, in quarum possessione pacifica iuxta nostre fundationis tenorem, apostolica confirmatione roborate, existunt, annexuimus, incorporavimus et in perpetuum auctoritate nostra ordinaria univimus, prout tenore presentium annectimus, incorporamus ac unimus: que quidem beneficia nunquam nisi ad similem, et hoc de rigore examinis in dicta facultate a graduatis poterunt in futurum obtineri personis. Vicario vero dicte ecclesie de Quilt, qui pro tempore fuerit, integram vicariam eiusdem reservantes, qui onera omnia ordinaria, preter parietum et tecti chori substentationem, quos rectorem subportare volumus, subire tenebitur: de Kenbak et de Dimenach Vicariis, sed pensionariis in eisdem institutis, pensiones, videlicet de Kenbak decem et de Dimenach octo libre legalis monete regni Scotie assignantur: quorum rectores ad onera ordinaria et extraordinaria astringi volumus, et ipsorum trium vicariorum presentatio ordinario facienda suo proprio dumtaxat pertinebit rectori. Ceterum vero quatuor dictarum decem et trium personarum erunt magistri artium et sacerdotes, et sex erunt scolares sive clerici, sed pauperes, ad scientias tamen speculativas habiles, quibus etiam parentes eorum ad exercitia scolastica commode nequeunt subvenire, fundavimus, prout presentium per tenorem perpetuis duraturis temporibus fundamus, et confirmamus ac ratificamus: pro substentatione vero et victu quotidiano dictarum tresdecim personarum, et servitorum earundem ad communes usus dicti Collegii rectoriam ecclesie parrochialis de Kilmane nostre diocesis cum omnibus iuribus et pertinentiis eiusdem annectimus, incorporamus et pro perpetuo unimus, reservata nihilominus integra vicaria vicario eiusdem una cum mansione tosta et crosta sibi consuetis, cuius vicarii electio et presentatio ordinaria facienda ad dictum Prepositum et ceteros de dicto Collegio graduatos debet pertinere, qui quidem vicarius omnia onera ordinaria subire tenetur. Prefati siquidem Prepositus, licentiatus et bacallarius de communibus sumptibus dicti Collegii pro perpetuo, reliquas vero decem personas, quatuor videlicet artium magistros et sex scolares pro tempore tantum illo, quod sufficit magistris ad bacallariatum in Theologia, et scolaribus ad gradum magistratus in artibus secundum ipsarum facultatum ordinationes et statuta ac temporibus congruentiam ascendere in suis expensis ordinariis, videlicet esculentis et potulentis ac cameris, et ipsius Collegii aframentis, prout congruit, habeant sustentari: quo tempore transacto, sive prefati magistri in artibus aut scolares promoveantur, sive non ad dictos gradus magistratus et bacallariatus, removeri debebunt, et alii habiles in eorum locis imponi, ut inferius continetur. Dicti quoque Prepositus semel in ebdomada, licentiatus ter, et bacallarius omni die legibili in Theologia legere, similiter idem Prepositus quater in anno, licentiatus sexties ad populum verbum Dei predicare teneantur, ac duo ad minus habiliores de prefatis artium magistris per dictum prepositum, licentiatum et bacallarium annuatim eligendi, logicam, phisicam, philosophiam ac metaphisicam secundum scole congruentiam, et facultates artium in dicta Universitate statuta legere et exercere astringantur: pro quorum laboribus citra sustentationem prefatam ad vestitum et extra ordinarias expensas exercitia in logicalibus facienti et legenti ordinarie duas marchas, et in phisica ac philosophia sic facienti et exercenti tres marchas usualis monete Regni de communibus sumptibus et expensis dicti collegii persolvi volumus. Et si contingat dictum Prepositum ad talia beneficia seu officia promoveri, seu in curiis Principum aut alibi residere, ita quod premissos non adimpleverit labores cum effectu, nisi infra quindecim dies, postquam per reliquos dicti Collegii graduatos vel aliquem vice ac nomine eorundem, seu per Rectorem Universitatis, sic quod non sit de gremio dicti Collegii, alioquin per Archidiaconum Sancti Andree prote mpore existentem et presentem, quo absente, per alium famosum virum ad hoc ab Universitate specialiter deputandum vocatus et requisitus ad residendum, et premissa subeundum non redierit et residentiam fecerit, ut tenetur, eo ipso lapsis dictis quindecim diebus ipsum Prepositum dicta prepositura, et cunctis ipsius Collegii gratuitis sine ulteriore processu privatum esse, et predictum Rectorem, Ar-

chidiaconum seu ab Universitate deputandum modo quo supra, ita volumus declarari, et similiter, si dictum licentiatum vel bacallarium ad aliquod beneficium, vel officium extra dictum Collegium promoveri, et pacificam eiusdem possessionem adipisci et obtinere contingat, beneficium eiusdem, quod in dicto Collegio habebat, vacare volumus, et si in curiis Principum, seu extra dictum Collegium, nisi pro utilitate communi eiusdem, et de licentia et assensu Prepositi et aliorum graduatorum dicti Collegii eorum aliquem contigerit residere, si per eundem Prepositum vocatus et requisitus infra quindecim dies, huiusmodi vocationem et requisitionem immediate sequentes, redire, et cum effectu residere non curavit, seu venerit, privatum esse beneficio in dicto Collegio, et cunctis eiusdem gratuitis, et ita per ipsum prepositum declarari decernimus. In casu etiam, quo alicuius dictorum Prepositi, licentiati vel bacallarii beneficium in dicto Collegio per cessum, vel decessum eiusdem vacare contingat, volumus in casibus huiusmodi seu eorum aliquo accidentibus seu accidente, inferiorem, si sibi placeat, in loco superiorum ascendere: ita tamen, quod si prepositura vacaverit, quod licentiatus gradum magisterii infra unum mensem recipiat, et si beneficium licentiati vacare contigerit, bacallarius, si habeat requisita ad licentiam, vel infra quatuor menses sequentes commode habere possit, et habuerit, et infra idem tempus gradum licentie obtinuerit, aut si beneficium bacallarii vacet, aliquis magis ydoneus inter dictos quatuor artium magistros, et requisita ad bacallariatum habens, et huiusmodi bacallariatum infra mensem sequentem assequatur, loco promoti absentis, cedentis vel decedentis ad beneficium eiusdem sic vacans ascendat. Volumus tamen, quod si contingat, dictum licentiatum ad magisterium, bacallarium ad licentiam, vel magistrum artium ad bacallariatum in Theologia infra huiusmodi tempora non promoveri, alterum habilem et ydoneum, singula tamen requisita ad huiusmodi beneficium sic vacans habentem, de gremio ipsius Collegii, si inibi reperiatur, per ceteros de dicto Collegio, aut maiorem partem eorumdem assummi, postposita dilatione, dictum tamen artium magistrum ad locum et beneficium bacallarii ponendum per Prepositum, licentiatum et Rectorem, si non sit de gremio, alias per Archidiaconum vel ab Universitate specialiter deputandum, aut duos eorum tantum eligi volumus et assummi. In casu vero, quo ad huiusmodi beneficium sic per cessum, decessum, promotionem aut modum aliquem supradictum vacans nullum ipsius Collegii promoveri contingat, seu in eodem ydoneus et habilis, ac habens requisita, ut premittitur, non reperiatur, volumus, quod ad preposituram, si vacaverit, aliquis magister in Theologia, si haberi possit, sin autem melior licentiatus in eadem ad extra per aliquos ipsius Collegii graduatos, et Rectorem dicte Universitatis, si non sit de gremio, vel per Archidiaconum, vel ab Universitate specialiter deputandum, ut premissum est, et ad alia beneficia, videlicet licentiati et bacallarii, cum ita vacaverint, per eosdem graduatos et Prepositum eorundem alterum similiter, et hoc de rigore examinis graduatum assumi et eligi, quorum videlicet prepositure admissionem et provisionem ad ipsum Rectorem vel Archidiaconum, seu ab Universitate deputandum interessentem assumptioni et electioni ad eandem, et licentiati et bacallarii admissionem et collationem ipsi Preposito in istis ac omnibus et singulis casibus precedentibus omnino volumus pertinere, nisi contingat aliquem eorum, scilicet Rectorem, Archidiaconum seu ab Universitate deputandum, aut dictum Prepositum negligentem fore aut remissum in huiusmodi admissione et collatione, videlicet si assumptum seu electum ad beneficium sic vacans infra tres dies a tempore assumptionis eiusdem admittere, et collationem sibi facere recusaverit, seu distulerit, volumus, quod illa vice, si sit Prepositus, quod ad Rectorem, dummodo non sit de gremio, quo sic existente ad Archidiaconum antedictum, et eo absente ad deputandum ab Universitate ut prius, et si sit Rector sic negligens, ad Archidiaconum, quo absente vel negligente, ad deputandum ab Universitate potestas omnino devolvatur, et ille sic negligens, ius quod in huiusmodi provisione, admissione seu collatione habebat, tunc temporis perdat. Et ne de tempore admissionis, provisionis seu collationis faciende alicui nominato seu assumpto ad aliquod beneficium eiusdem Collegii postea in dubium revocetur, declaramus eum non debere admitti, nec beneficium ei conferri, antequam realiter sit gradum adeptus dicto beneficio conveniente secundum nostre fundationis tenorem. Preterea volumus, et expresse nostram intentionem declaramus, quod nullus dicti Collegii ex causis preinsertis, seu aliis quibuscumque a sua residentia in prefato Collegio, et oneribus eiusdem ultra unum mensem sive continuum, aut successive, triginta unum dies in anno pro mense computando, se absentet, tempus tamen vacantiarum, quod datur presertim pro decimis colligendis, quoad supra beneficiatos in dicto mense minime camputando, videlicet a die s. Egidii usque ad festum s. Remigii, nec licebit ultra duos semel se absentare de immediate supradictis. Et in casu quo aliquis oppositum fecerit, videlicet se absentando ultra tempus predictum, seu si sint duo absentes, et ipse sit tertius, qui se absentat, eo ipso, ut prius, sit privatus, et tunc de ipsius beneficio seu loco, ut supra, alteri provideatur.

Item dictas ecclesias parrochiales de Kenbak et de Dimenach in prebendas Collegii antedicti erectas, prefatis licentiato et bacallario in Theologia assignatas, et ab eisdem actualiter possessas, cum quibuscumque aliis beneficiis, officiis seu administrationibus extra dictum Collegium statuimus et ordinamus fore et esse incompatibiles; per hanc tamen nostram voluntatem et ordinationem venerabili viro magistro Thome Logy, in Theologia licentiato, dicte ecclesie de Kenbak rectori moderno, quoad retentionem beneficiorum iam habitorum per eundem, que tempore fundationis dicti Collegii possidebat, sicut possidet

de presenti, nullum volumus preiudicium generari: preterea cum deceat, ac iuri et rationi consonum existat, super maioribus ceteris membris gaudere prerogativis, ut facilius ad honorem et obedientiam eiusdem inducantur, et plus mandata eius licita ac Collegii statuta revereantur transgredi, concedimus preposito pro tempore existenti beneficia seu quecumque officia incompatibilia, que non requirunt residentiam personalem extra dictum Collegium, cum dicta prepositura posse obtinere et gaudere eisdem. Ceterorum enim quatuor magistrorum artium, et sex scolarium assumptionem, electionem, ac impositionem et remotionem eorundem ex causis prefatis, seu aliis quibuscumque rationabilibus ad prefatos prepositum, licentiatum et bacallarium tantummodo volumus pertinere, nisi contingat aliquem ipsorum trium abesse, tunc Rectorem dicte Universitatis, dummodo non sit de gremio ipsius Collegii, quo sic existente dictus Archidiaconus, et eo absente, ad hoc, ut supra, ab Universitate deputandus in loco absentis interet: quorum decem assumptiones sive electiones liberas esse volumus, ita quod nullo modo instantie sive supplicationes quorumcumque admittantur, et si que tales instantie sive supplicationes fiant, volumus, quod illa persona, pro qua supplicetur, nullo modo admittatur, nisi quatenus se purgaverit coram prefatis licentiato et bacallario, et loco absentis alicuius eorundem coram Rectore, Archidiacono, aut ab Universitate, ut supra, deputando, quod a procuratione huiusmodi supplicationis sit innocens et immunis. Insuper volumus prefatos Prepositum, licentiatum, Bacallarium, ac ceteros artium Magistros ad celebrandum pro nobis et successoribus nostris iuxta gratiam eis a Deo datam, et corporum sanitatem se disponere, et in omni Missa eorum memoriam pro nobis suo fundatore habere, similiter nostrum anniversarium singulis annis in cantu solemniter celebrare, ubi Prepositus presideat, et missam celebret: ceteris vero omnibus eiusdem Collegii in honestis habitibus, prout decet, interessentibus, alii vero capellani in dicto Collegio fundati seu fundandi missas etiam devote pro nobis celebrent, et licentiatus aut bacallarius in prefata missa solemni per Prepositum electus ad sermonem populo faciendum, et pro nobis adorando inducat: preterea volumus eos omni die dominico et festivo matutinas et vesperas, et completorium una cum missa in cantu solemniter celebrare, ut non solum scientie fructus, sed cultus etiam augeatur divinus. Ordinamus insuper, quod omnes dicti Collegii honeste vivant, ut decet ecclesiasticos, ita quod non habeant publicas concubinas, nec sint communes noctivagi seu brigantes, aut aliis notoriis criminibus irretiti: et si talis, quod absit, reperiatur, per superiorem suum, ut prefertur, corrigatur, et si incorrigibilis fuerit, per eundem suum superiorem privetur, et alter loco sui, ut supra, de absentibus imponatur. Preterea prefatum Collegium et tredecim personas antedictas, eorumque servitores et familiares continuos, infra septa dicti Collegii residentes, ab omni iurisditione ordinaria, necnon ab omnibus subditis Episcoporum exigendis, exactionibus, pedagiis, taxationibus, vigiliis, et aliis impositionibus quibuscunque, tam ordinariis quam extraordinariis, quacumque auctoritate impositis seu imponendis, preter suprascripta pro nobis et successoribus nostris, exemptos et liberos imperpetuum declaramus. Volentes etiam prefatas tredecim personas collegialiter vivere, et infra septa dicti Collegii comedere et dormire, ita quod post octavam in hyeme, et decimam de sero in estate ipsius Collegii porte claudantur, quarum claves conservet Prepositus, nec ante quartam in estate, et quintam in hyeme horas cuique sint aperte. Statuentes preterea et ordinantes, quod prefatum Collegium tam in ecclesia, quam aliis suis edificiis de communibus sumptibus eiusdem sustentaretur, ac quod omnia et singula tam in ecclesia, quam extra eandem ad communes usus ipsius Collegii spectantia, ex eisdem sumptibus, prout opus fuerit, emantur et reparentur.

Item volumus et ordinamus Rectorem Universitatis antedicte, dummodo de gremio dicti Collegii non existat, quo sic existente prefatum Archidiaconum, quo absente a dicta Universitate deputandum semel in anno dictum Collegium tam in capite, quam in membris visitare, ac defectus quoscumque tam in personis, quam in rebus, nec non alienationes, impignorationes, seu consumptiones bonorum quarumcumque dicti Collegii de consilio quatuor ab Universitate antedicta ad hoc specialiter deputandorum, aut duorum ad minus eorundem corrigere et debite reformare. Et si defectus in Preposito reperiatur, etiam predictus pro tempore visitator cum predictorum deputandorum consilio, si opus sit, censura mediante ecclesiastica, corrigat, et neglecta per eundem reformari faciat, cum in premissis pro nobis et successoribus nostris iurisdictionem committimus ordinaria perpetuis temporibus profuturis. Si vero alius a Preposito dicti Collegii defectuosus inveniatur, eius correctionem ad dictum Prepositum tantummodo volumus pertinere. Statuimus preterea, quod dictus Rector, Archidiaconus aut ab Universitate deputandi a prefato Preposito et aliis dicti Collegii personis, preter esculenta et poculenta pro illo tamen die, quo visitaverint, nichil penitus per se, alium seu alios publice vel occulte, directe vel indirecte quovis quesito colore exigant seu requirant, aut alia quevis onera seu gravamina eisdem imponere presumant, volentes etiam, quod dictus visitator ultra personas superius designatas ad gravandum dictum Collegium tempore dicte visitationis secum non inducat. Et insuper dictas duodecim personas, videlicet licentiatum et bacallarium in Theologia, quatuos artium magistros, et sex scolares dicto eorum Preposito, et nulli alteri, preterquam ut supra dictum est, in omnibus et singulis dictum Collegium concernentibus subiectos esse, et ei tamquam eorum capiti et ordinario parere volumus et astringi. Cui quidem Preposito in omnes et singulas personas dicti Collegii in eodem continue residentes, si defectuosi et culpabiles inveniantur, iurisdictionem committimus pro nobis

et successoribus nostris imperpetuum ordinariam cum censura ecclesiastica: quam tamen censuram de consilio aliorum dicti Collegii non suspectorum maturo et deliberato consilio in rebelles, seu inobedientes eum volumus infligere seu promulgare.

Item volumus et ordinamus, quod si contingat quoscumque alios cuiuscumque conditionis, status, seu gradus cum prefatis Preposito, et aliis personis dicti Collegii propter scientie bravium obtinendum collegialiter vivere, licet etiam propriis sumptibus et expensis, regulam omnino dicti Collegii et statuta teneantur in omnibus observare: que si observare contempserint, statim dilatione postposita per dictum Prepositum removeantur. Item ordinamus, quod in promotione seu receptione alicuius in dicto Collegio ad beneficium seu suffragia eiusdem, primo et ante omnia, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, idem recipiendus seu promovendus iuramentum prestet corporaliter has nostras ordinationes, statuta et singula privilegia ipsius Collegii inviolabiliter observare, ac commodum et utilitatem eiusdem in omnibus iuxta posse procurare, nec dispensationes seu rescripta aliqua contra premissa quomodolibet impetrare: quod si prestare renuerit, nullatenus admittatur. Et in casu, quo aliquis dicti Collegii contra huiusmodi iuramentum per eum sic prestitum devenerit, si sit Prepositus, per Rectorem, Archidiaconum aut ab Universitate deputandum, ut supra, et si sit alius a Preposito, per ipsum Prepositum de consilio aliorum graduatorum de Collegio, attenta qualitate delicti, debite corrigatur. Preterea cum pro cultu divino augmentando certas in dicto Collegio fundavimus capellanias perpetuas, et, Deo duce, plures fundare intendimus, ne successu temporis, aut cupiditate vel negligentia quorumcumque aliquid in fraudem, seu preiudicium nostre intentionis circa dictas capellanias fieri contingat, sicut experientia in consimilibus nos docuit, volumus et ordinamus, presentationem earundem, cum vocaverint, ad Gilbertum dominum le Kenandy, fratrem nostrum germanum, et eius heredes masculos, quibus forte deficientibus, ad Gilbertum Kenandy de Bargany et suos heredes masculos, quibus etiam deficientibus, ad Gilbertum Kenandy de Kirknichale et suos heredes masculos, quibus deficientibus, ad Iohannem Kenandy de Blarquhan et suos heredes masculos, quibus omnibus forte deficientibus, quod Deus avertat, ad veros et legitimos heredes Gilberti dñi le Kenandy supradicti quoscumque, et earundem commissionem ac collationem ad Prepositum tantummodo pertinere. Nullos tamen admitti volumus, nisi sacerdotes habiles et ydoneos, tam moribus, quam scientia, et presertim in cantu instructos, quos matutinis, vesperis et ceteris horis canonicis, atque missis et exequiis nostris in cantu celebrandis in superpeliciis honestis, sumptibus propriis faciendis, secundum statuta ipsius Collegii condita et condenda, quotidie cum celebrentur, interesse volumus, et ad hoc astringi per prefatum Prepositum, si opus fuerit, censura ecclesiastica mediante, et suis demeritis exigentibus, per eundem privari. Et in casu, quo patronus prefatus infra mensem a tempore noticie vacationis alicuius dictarum capellaniarum nullum, aut minus sufficientem presentaverit, plenariam dispositionem earum dicto Preposito concedimus ea vice: electiones enim seu promotiones omnium predictorum, tam Prepositi, quam ceterorum dicti Collegii ac capellanorum, et destitutiones earundem, necnon omnium et singulorum articulorum prescriptorum interpretationem, reformationem, additionem et declarationem nobis pro toto tempore vite nostre, quotiens nobis videbitur expediens, sicut in aliis litteris nostre fundationis fecimus, specialiter reservantes, et post nostrum decessum, ad summum pontificem et sacrosanctam sedem apostolicam ipsorum reformationem seu interpretationem, additionem et declarationem tantummodo pertinere volentes, potestate aut facultate quibusdam personis, in nostra fundatione alias expressis, huic adversa non obstante. Ceterum cum sacris canonibus cautum existat, quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus, perpendentesque facta et ordinationes nostrorum predecessorum laudabilia, et signanter pia ad honorem Dei, et ob animarum salutem ad observandum, defendendum ac manutenendum nos obnoxios esse ex debito honestatis astrictos successores nostros, pro quibus, sicut pro nobis dictum Collegium fundavimus, in visceribus Iesu Christi Salvatoris nostri, ipsius Collegii patroni, caritative exhortando requirimus et rogamus, ut sint sui pastores et defensores, ac speciales conservatores sese dicti Collegii, personarum, bonorum et honorum eiusdem, ne invadant ipsum Collegium: et eius gregem lupi rapaces et in eventum, quod dictus Rector, Archidiaconus seu ab Universitate deputandus, aut Prepositus commissa eisdem omittant, negligant aut in contrarium nostre fundationis seu presentium aut contemptorum in eisdem, aut alii quicumque devenerint, paterna solicitudine ad observationem ipsorum inducant, pro quibus ab eodem Salvatore nostro, bonorum omnium largitore, Iesu Christo immarciscibile munus et gloriam cum eodem obtinere mereantur in celestibus sempiternam. In quorum omnium fidem et testimonium premissorum presentes litteras nostre declarationis, et nove fundationis exinde fieri, nostrique sigilli iussimus et fecimus appensione communiri. Datum et actum Sancti Andree in Castro nostro Episcopali sub Anno a nativitate domini M.CCCC.LVIII. die vero Martis quarta mensis Aprilis, Pontificatus Sm̃i in Christo patris et domini nostri, domini Calisti pape III. anno tertio. Presentibus ibidem venerabilibus viris dominis Thoma Luderdar Offitiali nostro principali, Iohanne Balfour Canonico Abberdonensi, et Iohanne Secras Secretario testibus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis, adiectionis, communitionis et suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, Idibus Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXXV.

Omnes in praedicto collegio commorantes liberantur a solutione decimae eorum horti etc., concessis praeterea collegio et ipsis aliis privilegiis. Reg. Tom. II. fol. 244.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Tunc pastoralis officii debitum non indigne exercere censemus, dum litterarum scientiam acquirere satagentibus nos favorabiles exhibemus, et illa eis concedimus, que etiam sibi ad salutem animarum suarum cognoscimus profutura. Cum itaque, sicut accepimus, Venerabilis frater noster Iacobus Episcopus Sancti Andree ad laudem omnipotentis Dei, et fidei Catholice exaltationem, ac ex certis aliis rationabilibus causis tunc expressis quoddam notabile Collegium Theologorum et artistarum in Universitate studii S. Andree, in honorem et sub vocabulo Sancti Salvatoris pro certo tunc expresso personarum numero de bonis sibi a deo collatis fundaverit, erexerit et dotaverit: Nos attendentes, quod fel. recordationis Nicolaus papa V. predecessor noster fundationem, erectionem et dotationem huiusmodi per suas confirmavit et approbavit, et nos etiam nuper per alias nostras litteras nonnulla addita et mutata circa huiusmodi fundationem confirmavimus et approbavimus, prefati Episcopi asserentis, quod decime ex fructibus excrescentibus in hortis dicti collegii seu illi adiacentibus consistant, illarumque valor unam libram sterlingorum secundum communem extimationem annuatim non excedat, ex hac parte supplicationibus inclinati, personas predictas, ac earum familiares pro tempore infra dictum collegium residentes et commorantes, ab omni solutione decimarum personalium auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo absolvimus et liberamus, ac liberos, absolutos, exemtos fore decernimus, necnon perpetuo statuimus et ordinamus, quod ipsis personis omnia sacramenta ecclesiastica eis in dicto collegio per presbiterum ad hoc per Prepositum ipsius collegii, seu maiorem et saniorem partem tredecim personarum dicti collegii eligendum ministrari, ac corpora ipsorum inibi decedentium ecclesiastice sepulture tradi libere et licite possint et valeant. Et nichilominus in casu et eventum, quod ipsorum alii, qui extra dictum collegium decedant et moriantur, dummodo sepelliantur in eodem, cerei et oblationes ratione mortis eorundem provenientes ad usum collegii huiusmodi pertinere, et applicare debeant, quodque omnes et singule decime, tam maiores quam minores, hortorum collegii antedicti eidem contiguo iacentium, ac crostarum sive terrarum eiusdem ex parte Boriali Vici dicti Le Castelgate usque ad mare in longitudine, et inter hortum palatii dicti Episcopi ex parte orientali ex una, et communem pasturam communitatis civitatis Sancti Andree ex parte occidentali ex alia partibus, que decime etiam communibus annis ultra unam libram sterlingorum, ut etiam accepimus, non valent annuatim, communibus usibus dicti collegii etiam conferri et applicari, quodque omnes Christifidelium oblationes dicto collegio in antea per ipsos fideles largiende, seu ei provenientes, etiam in pecunia, seu quibuscumque aliis rebus consistant, eidem collegio et illius usibus etiam absque rectoris parrochialis ecclesie, seu cuiusvis alterius impedimento vel contradictione similiter pertinere, et perpetuo applicari debeant, eadem auctoritate decernimus pariter et declaramus, non obstantibus pie mem. Clementis pape V. predecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, liberationis, statuti, ordinationis, constitutionis et declarationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, duodecimo Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXXVI.

Epo Dunkeldensi confirmatio cuiusdam sententiae de bonis ad mensam episcopalem pertinentibus latae conceditur. Reg. Tom. II. fol. 263.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii de Pasleto Glasguensis diocesis, et Officiali Dumblanensi, salutem etc. Ea, que iuditio terminata sunt, debent illibata persistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, convenit apostolico munimine roborari. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Ven. fratris nostri Thome Episcopi Dunkeldensis petitio continebat, quod olim postquam ad audientiam felicis record. Nicolai pape quinti predecessoris nostri deductum extiterat, quod nonnulli Epi Dunkeldenses, qui fuerant pro tempore, decimas, possessiones, domos, hortos, terras, casalia, prata, pascua et nonnulla alia bona ad mensam Episcopalem Dunkeldensem spectantia, in gravem eiusdem mense lesionem nonnullis clericis et laicis aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, et aliis perpetuo ad firmam vel sub annuo censu concesserant, quorum aliqui dicebantur super his confirmationis litteras a sede apostolica impetrasse. Idem predecessor, cuius intererat super hoc de oportuno remedio providere, Episcopo Sancti Andree, eius proprio nomine non expresso, suis dederat litteris in mandatis, ut ea, que de bonis dicte mense per concessiones huiusmodi alienata inveniret illicite vel distarcta, ad ius et proprietatem eiusdem mense legitime revocare curaret, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo, prout in dictis litteris plenius continetur. Idemque Thomas Episcopus per eius sindicum, vel procuratorem, dilectum filium Iacobum Foderingham laicum Dunkeldensis diocesis, qui nonnullas possessiones, de Fordale nuncupatas, cum pertinentiis suis in eadem diocesi consistentes, et ad mensam predictam legitime pertinentes, ab ea alienatas illicite vel distractas detinebat indebite occupatas, super hoc petendo, illas ad ius et proprietatem dicte mense reduci, coram Venerabili fratri nostro Iacobo Episcopo S. Andree litterarum earundem vigore traxit in causam. Et deinde postquam ipse Iacobus Episcopus in eadem causa ad aliquos actus processerat, Willelmus Prior maioris, et Iohannes Athilmer Prepositus Sancti Salvatoris Sancti Andree ecclesiarum, quibus idem Iacobus Epus super his

totaliter commiserat vices suas, commissionis eiusdem obtentu in huiusmodi causa procedentes diffinitivam, per quam possessiones predictas cum omnibus iuribus et pertinentiis earundem mense prefate adiudicarunt, et super eis dicto Iacobo perpetuum silencium imposuerunt, sentenciam promulgarunt: et licet ab eadem sententia pro parte ipsius Iacobi fuisset ad sedem apostolicam appellatum, et cause appellationis huiusmodi certo causarum palatii apostolici auditori commissa, ac citatio cum inhibitione ad partes ad cuiusdam private persone, de cuius mandato neque constitit, neque constat, instantiam, decreta fuerit, idem tamen Iacobus appellationem huiusmodi per biennium cum dimidio prosecutus non fuit, et propter tempus elapsum huiusmodi et ipsius Iacobi negligentiam deserta existit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, predicta sententia in partibus lata fuerit, ubi partes et bona consistunt, et ea, ut creditur, intentione possessiones predicte per Christifideles vita functos relicta, donata et concessa ecclesiis et piis locis extiterint, ut ecclesie et personarum ecclesiasticarum usibus deservirent, et impium foret, si per laicum ad alios usus quam ad eos, ad quos relicta et deputata sunt, occuparentur, stante presertim sententia antedicta: Quare pro parte eiusdem Thome Episcopi, nobis fuit humiliter supplicatum, ut processum atque sententiam predictas approbare et confirmare, omnesque alios et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eadem, supplere, ac robur perpetue firmitatis obtinere, dictamque sententiam executioni debite demandandam esse decernere, ac alias super his indemnitati eiusdem mense providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis vocandis, super premissis omnibus et singulis auctoritate nostra vos informare curetis, et si per informationem huiusmodi vobis de sententia, et quod post interpositam appellationem predictam anni duo cum dimidio affluxerint, ac aliis premissis evidenter constiterit, sententiam predictam executioni debite, etiam per excommunicationis, suspensionis et interdicti aliasque censuras ecclesiasticas, et oportuna iuris remedia cum supplectione huiusmodi, ac invocatione, si opus fuerit, auxilii brachii secularis demandare, necnon alia omnia et singula, que in premissis, et circa ea necessaria fuerint, facere atque decernere eadem auctoritate curetis. Non obstantibus premissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si Iacobo prefato, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dñice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, pridie Idus Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXXVII.

Thomae Stanley domino insulae de Man Sodorensis dioecesis conceditur, ut omnes praesumentes offendere dictam insulam sint excommunicati. Reg. Tom. III. fol. 441.

Pius episcopus servus servorum dei. Ad futuram rei memoriam. Romanus pontifex B. Petri celestis clavigeri successor, cuncta mundi climata, omniumque nacionum in illis degentium qualitates paterna consideratione discutit diligenter, et ex ipsius debito officii fidelium salutem et quietem appetens, singulorum, supernorum suffultus auxilio, suadentibus racionabilibus causis, gladio spirituali utendo in raptoribus, et presertim latrunculis maritimis, qui a vetitis nescientes abstinere, fideles per mare pro diversis negotiis navigantes, ac terras etiam insulares et mari propinquas iniuste depredantur et bonis suis expoliant, et si timor dei a malis non revocat, severitatem discipline saltem timeant, censuras et sententias ecclesiasticas fulminat, ut rubore confusi fideles ipsos in pacis amenitate quiescere permittantur, et in fidei puritate conserventur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Thome Stanley, Baronis et domini Insule de Man Sodorensis diocesis, peticio continebat, quod ipse, qui et progenitores ac predecessores sui in ipsius insule (sic), que inter partes Anglie, Ybernie, Britanie minoris et Scocie in mediis maris magni fluctibus sita est, et que iure hereditario ipsi Thome spectat, prout ad progenitores et predecessores suos pertinuit, et in cuius possessione pacifica per nonnulla tempora fuerunt, cupiat ab intimis, ut fides catholica et divinus cultus inibi augeantur pariter et conserventur, quod facile fieri non potest, nisi ipse gentes, populi ac habitatores et incole insule predicte ab inimicis, offensis et invasionibus partium eidem continguarum, prout parati existant, vicissim etiam principes et populi eidem insule convicini, ac circumiacentes sese a similibus offensis, iniuriis et invasionibus curaverint abstinere: quod licet ex se ipsis facere tenerentur, tamen nequitatis et malicie filii, qui in suis malitiis et predictis depredationibus nonnunquam gloriantur, sic facere sepenumero recusant, nec non dictam insulam hostiliter invadentes, eam nec non illius habitatores bonis spoliant et depredantur, ac in eorundem habitatorum personas attemptant, nulla iusti belli occasione subsistente, cum ipse Thomas, vel Insulares prefati guerrarum non habeant cum gentibus et populis convicinis prefatis: et sicut eadem peticio subiungebat, si eandem insulam, illiusque habitatores prefatos, nec non insulares prefati alienas partes circumvicinas invadentes, seu se invicem bonis spoliantes, aut personas utriusque partis invadentes, censuris ecclesiasticis et aliis iuris remediis, dum talia perpetrarent, ligarentur, perfecto rubore confusi insulam et illius habitatores, illorumque bona, nec non insulares prefati partes alias convicinas bonis spoliantes, in personasque, ut premittitur, attemptantes, si non timore dei saltem rubore confusi a talibus temerariis ausibus se retraherent, et abstinerent. Quare pro parte dicti Thome asseren-

tis, quod nonnullorum sanctorum reliquiis inibi existentibus ab antiquissimis temporibus insula decorata est, et vulgari eloquio usque in presentem diem insula sancta nuncupata existat, et ut habitatores illius, nec non circumvicinarum parcium in pace et tranquillitate deinceps vivere valeant, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in insula illiusque habitatores, nec non in insulas alienas partes circumadiacentes invadentes, bonis spoliantes, aut temere in eorum personis attemptantes mucrone spirituali ac censura ecclesiastica percutere, et alias in premissis Thome ac insule, nec non vicinarum partium predictarum indempnitati consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum Christi fidelium pacem et quietem querimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica ex certa scientia hoc perpetuo edicto dictam insulam, omnesque et singulos illius habitatores, nec non insulares seu habitatores partes circumvicinas preditas, illorumque habitatores prefatos tam in mari, quam in terra, cuiuscumque dignitatis, status, gradus vel condicionis existant, etiamsi Regali, Reginali, Ducali, vel quacumque alia nobili aut temporali dignitate prefulgeant, invadentes, ac bonis spoliantes, vel in eorum personis attemptantes, nisi infra unius mensis spacium de per eos damnis perpetratis, et interesse parti lese realiter satisfecerint, nulla alia canonica monicione premissa, videlicet singulares personas malefactorum predictorum sentencia maioris excommunicationis, quam in hiis scriptis dicta auctoritate ferimus, tenore presentium innodamus, quamque invadentes et attemptantes prefatos incurrere volumus eo ipso. Universitates vero, Communitates et loca illorum, sive ad que se retraxerint, aut in quibus recepti fuerint, si illos in eorum malicia sustineri voluerint, interdicto ecclesiastico supradicta auctoritate supponimus, et sic supposita denunciamus eo ipso, eorundem absolucionem seu interdicti prefati relaxationem de damnis et interesse primitus satisfacto, nobis et successoribus nostris Romanis pontificibus tantummodo reservantes. Nichilominus omnibus et singulis parcium, et insule predictarum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et aliis in dignitatibus constitutis, ecclesiarumque Cathedralium Canonicis per apostolica scripta mandamus, quatenus sub similibus censuris et penis, quas contrafacientes incurrere volumus eo ipso, ipsi vel eorum alter, quociens per aliquem insularum et parcium predictarum habitatorum seu damna passorum fuerit requisiti, omnia et singula premissa solemniter publicantes, illos, quos excommunicationis et interdicti sententias predictas incurrisse constiterit, in ecclesiis, dum inibi maior populi multitudo ad divina audienda convenerit, ipsos excommunicatos, necnon eos illorumque loca interdicto supposita publice nuncient, et ab aliis nunciari et declarari, ac arctius evitari faciant, donec de damnis et interesse satisfacto, ab huiusmodi sententiis beneficium absolutionis sive relaxationis meruerint obtinere: et nichilominus etiam contra Communitates singulares et particulares personas, legitimis super hiis per eos habendis servatis processibus, eos, quociens expedierit, aggravare et reaggravare procurent, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocari, seu ne iudices a sede deputati predicta extra civitatem vel diocesim, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere presumant, et de duabus dietis in concilio generali edita, ac aliis constitutionibus et ordinacionibus apostolicis, nec non Imperialibus, Regalibus vel municipalibus legibus, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si malefactoribus aut invasoribus, vel eorum aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut eisdem locis, illorumque Communitatibus et Universitatibus, quod interdicto supponi non possint, a sede apostolica sit indultum per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Ceterum, cum difficile valde esset, presentes per singula tam insule quam parcium predictarum loca pro singulis occurrentibus negociis, et illarum publicacionibus, et inde processibus faciendis deferre aut deferri facere, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod earundem presentium transumptis manu alicuius legalis notarii publici signatis, ac alicuius ex dictis Episcopis, vel Curie ecclesiastice sigillo munitis et sigillatis omnimoda fides adhibeatur in huiusmodi occurrentibus negociis, publicacionibus et processibus faciendis in omnibus et per omnia, ac si continuo eedem presentes exhiberentur, ac illis firmiter stetur, quibuscumque exceptionibus aut obiectionibus reiectis. Nulli ergo etc. nostre innodationis, supposicionis, denunciacionis, reservacionis, mandati, voluntatis et constitucionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. M.CCCC.LVIII. terciodecimo Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXXVIII.

Gilberto Forstar canonicatus Dunkeldensis et presbenda de Moindy conceditur. Reg. de Curia Tom. IV. fol. 224.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Gilberto Forstar Canonico Dunkeldensi, accolito nostro, Magistro in artibus, sal. etc. Grata devocionis obsequia, que nobis et apostolice sedi hactenus impendisti, et adhuc solicitis studiis impendere non desistis, nec non nobilitas generis, litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam etiam fidedignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnes Canonicatus et prebendas, ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, apud sedem

apostolicam tunc vacantia, et in antea vacatura collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum Canonicatus Dunkeldensis et prebenda de Moindy nuncupata in eadem, quos quondam Cristoforus Piot ipsius ecclesie Canonicus, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Cristofori, qui in Alma Urbe, in qua Romana Curia tunc existebat, prout existit de presenti, et apud sedem eandem diem clausit extremum, apud sedem ipsam vacaverint et vacent ad presens, nullusque de illis preter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservationi et decreto obsistentibus supradictis: Nos tibi, qui, ut asseris, de nobili genere procreatus existis, premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, quibus forsan ligatus existis, quo ad hoc, ut presentium consequaris effectum, auctoritate apostolica harum serie absolventes et absolutum fore censentes, Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus novem librarum cum dimidia sterlingorum antiquorum, secundum communem extimationem, valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, sive, ut premittitur, sive alias quovismodo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam dicti Cristofori vel alicuius alterius de illis in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam resignationem vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem predictam legitime devoluti, ipsique Canonicatus et prebenda dispositioni apostolice specialiter reservati existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum eisdem presentibus haberi etiam volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eorum dispositio ad nos hac vice pertineat, cum plenitudine iuris Canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. M.CCCC.LVIII. decimo Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCLXXXIX.

Iudicibus, ut Thomae episcopo Dunkeldensi parochialem ecclesiam de Kyrkinner Candidaecasae dioecesis in commendam olim concessam restituendam curent. Reg. Tom. III. fol. 398.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Sancti Andree et Glasguensi Episcopis, ac dilecto filio Preposito Collegiate ecclesie S. Salvatoris civitatis Sancti Andree, salutem etc. Romani pontificis providencia circumspecta ad ea libenter intendit, per que sue provisionis ope ius cuilibet conservetur illesum, et que in alicuius preiudicium emanarunt, ne graviorem tendant in noxam, ad rationis debitum reducantur, prout cause rationabiles persuadent, et id in Domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem felicis recordationis Nicolaus papa V., predecessor noster, Venerabili fratri nostro Thome de Levingston, in universali ecclesia Dunkeldensi Episcopo, parrochialem ecclesiam de Corinsinule alias de Kyrkinner Candidecase diocesis, tunc certo modo vacantem, sub certis modo et forma per eum tenendam, regendam et gubernandam per quasdam commendavit, et deinde per pie memorie Calistium papam III. etiam predecessorem nostrum accepto, quod monasteriis et aliis locis regularibus eiusdem diocesis tot parrochiales ecclesie per clericos seculares regi solite perpetuo unite existebant, quod iam pauce restabant eisdem clericis secularibus conferende, et quod dictus Episcopus regiminis et administrationis bonorum monasterii de Cupro Cisterciensis ordinis Sancti Andree diocesis possessionem vel quasi extiterat assecutus, ac ex fructibus et redditibus dicti monasterii, qui mille et quingentos florenos auri de Camera vel circiter valebant annuatim, se commode sustentare et statum suum decenter tenere poterat, quodque in favorem ecclesiarum in Regno Scocie consistentium auctoritate Regis foret statutum et ordinatum a sede apostolica obtinendum, commendas huiusmodi in preiudicium ecclesiarum earundem minime concedi debere, et pro prefata ecclesia de Kyrkinner ab eodem monasterio per centum miliaria distare noscebatur, prefatus Calistus predecessor per quasdam motu proprio et ex certa scientia commendam ipsi Thome Episcopo de parrochiali ecclesia factam huiusmodi, ac litteras desuper confectas, necnon processus habitos per easdem, et inde secuta quecumque cassavit, revocavit et annullavit, nulliusque roboris vel momenti fore, ac ipsis tam in iudicio quam extra fidem aliquam nullatenus adhiberi debere, decrevit, dictasque Nicolai predecessoris litteras ac supplicationem, a quo ille emanarant, de Registris suis cassari et cancellari mandavit, ac prefatum Thomam Episcopum a possessessione dicte ecclesie de Kyrkiner, si forte illam vigore commende predicte teneret et possideret, etiam amovit, ac per alias suas litteras dictam ecclesiam de Kyrkinner dilecto filio Patricio Lokcarde presbitero Glasguensis diocesis, magistro in artibus, contulit, et de illa etiam providit, certis desuper executoribus deputatis, prout in singulis litteris predictis plenius continetur. Postmodum vero, sicut accepimus, orta inter Thomam Episcopum et Patricium predicos super dicta, et illius occasione materia questionis, et causa ipsa ad Romanam Curiam legitime devoluta, idem Calistus predecessor causam predictam dilecto filio Magistro Iohanni Didaci de Concha, nostro, tunc suo Capellano, et causarum palacii apostolici auditori, ad instanciam dicti Thome Episcopi audiendam commisit, et fine debito terminandam, qui in ea ad aliquos actus dicitur processisse. Cum autem, sicut pro parte Ca-

rissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris fuit nobis nuper expositum, prefatus Thomas Episcopus temporibus sibi factarum huiusmodi commendarum non Dunkeldensi, neque alicui alteri prefuerit, prout neque preest ecclesie cathedrali, monasterioque de Dundraynain ordinis, quem professus existit, et Candidecase diocesis predictorum longe antea prefuisse desierat, prefatumque monasterium de Cupro sibi una cum eadem ecclesia de Kyrkinner, ac aliis beneficiis, si que obtineret, seu assequi contingeret, quousque alicui preficeretur ecclesie Cathedrali, tenendum, regendum et gubernandum, ac sub ea forma existitit commendatum, quod quamprimum possessionem vel quasi regiminis et administrationis bonorum huiusmodi monasterii foret pacifice assecutus, pensio centum florenorum dicte monete super Neubotil et huiusmodi de Dundraynain diocesis et ordinis predictorum monasteriorum fructibus, redditibus et proventibus, sibi olim apostolica auctoritate assignatis, cesset et (ex)spiret: (et si) ab huiusmodi se monasterio absentare, et in illo non residere contingat, ultra trecentos florenos similes ex illius fructibus, redditibus et proventibus non percipere debeat annuatim, et propter commendam huiusmodi monasterium in spiritualibus non sustineat detrimentum, divinusque cultus ac monachorum et ministrorum numerus nullatenus diminuatur, sed monasterii et conventus onera supportentur: quodque prefatus Thomas Episcopus monasterium de Cupro supradictum, extincta dicta pensione, per annum et amplius, ecclesiam vero parrochialem, que ab eodem monasterio per quatuor dietas non distat, per quinquennium et ultra in huiusmodi commendam pacifice tenuerit et possederit, ac ex eiusdem fructibus, redditibus et proventibus in eodem monasterio etiam residendo, propter onera eidem monasterio incumbentia, vix percipiat annuatim, quantum sibi valuerunt et valent fructus ecclesie parrochialis, qui quadraginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, et pensio supradicta, eidemque parrochiali ecclesie laudabiliter deserviatur in divinis, quodque si premissa eidem Calisto predecessori exposita fuissent, litteras predictas, ut verosimiliter creditur, nunquam concessisset. Quare pro parte dicti Iacobi Regis, asserentis eundem Thomam Episcopum intimum confessorem et consiliarium suum, et etiam Magistrum in Theologia fore, ac alias cum dilecto filio nostro Nicolao tituli sancti Petri ad Vinculis sancte Romane ecclesie presbitero Cardinali pro sede apostolica diversos labores subiisse, nobis fuit humiliter supplicatum, ut quascumque causas, si que premissorum occasione in Romana Curia vel extra eam per partes hinc inde interpretate sint, et ex commissione apostolica pendeant indecise, ad nos advocare, ad singulas a prefato Calisto predecessore extortas litteras predictas, necnon collationem et provisionem huiusmodi, ac processus habitos per easdem, et inde secuta quecumque revocare, cassare et annullare, ipsum Thomam Episcopum, et sibi concessas litteras ad commendam huiusmodi in statum pristinum restituere et reponere, aliasque sibi statui suo in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis certam noticiam non habentes, predicte coram eodem auditore pendentis, etiam si in ea conclusum sit, et aliarum quarumcumque causarum occasione dicte ecclesie, ac ubibibet pendentium status et merita pro expressis haberi volentes, illasque ad nos harum serie advocantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, vocatis dicto Patricio et aliis, qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis auctoritate nostra vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi repereritis, commendam ipsam ex falsis causis revocatam fore, singulas a prefato Calisto predecessore extortas litteras predictas, necnon collationem et provisionem Patricio factas huiusmodi, ac processus habitos per easdem, et quecumque inde secuta auctoritate prefata revocetis, cassetis et annulletis, ac ipsas litteras Calisti predecessoris, necnon supplicationes, a quibus ille emanarunt, de eisdem Regestris penitus cancellari et deleri eadem auctoritate mandetis, ac decernatis illis in iudicio et extra nullam prorsus fidem adhibendam fore vel adhiberi debere. Et nichilominus commendam, et litteras Nicolai predecessoris ipsi Thome Episcopo concessas huiusmodi, necnon processus habitos per easdem, et quecumque inde secuta, ac ipsum Thomam Episcopum in pristinum et in eum statum, in quo, antequam dicte littere Calisti ab eo extorte forent, quomodolibet existebat, ac etiam dictum Thomam Episcopum ad possessionem dicte parrochialis ecclesie de Kyrkinner plenarie et integre restituatis et reponatis, necnon prefato Patricio, ne eundem Thomam Episcopum super eadem parrochiali ecclesia per se, vel alium seu alios, directe vel indirecte quovis quesito colore molestare, ac executoribus predictis, ne ipsi vel aliquis ipsorum communiter vel divisim contra prefatum Episcopum pretextu extortarum litterarum huiusmodi attemptare, aut ad illarum executionem in aliquo procedere quoquomodo presumant, sub excommunicationis pena, quam ipso facto abque alia declaratione incurrant, districtius inhibentes, ipsique Thome Episcopo efficacis defensionis presidio assistentes, facientes eum pacifica dicte parrochialis ecclesie possessione gaudere, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores etc. Datum Senis anno etc. M.CCCC.LVIII. tertio Kalendas Martii, Pontificatus nosri anno primo.

DCCXC.

Iudicibus, ut unionem quarundam ecclesiarum parochialium ab episcopo Waterfordensi mensae capitulari factam confirment. Ibidem fol. 237.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Fernensi, et dilectis filiis Priori domus Sancte Katerine iuxta Waterfordiam, et Archidiacono ecclesie Fernensis, salutem etc. Romana ecclesia, quam Do-

minus noster Iesus Christus Dei filius, auctor pietatis, instituit, circa statum et decorum ecclesiarum quarumlibet, precipue Cathedralium, ut in eis divinus cultus vigeat et augeatur, ac personarum in eis degentium commoditas et utilitas proveniant, libenter intendit, et hiis, que propterea processisse comperit, ut firma perpetuo et illibata persistant, apostolici muniminis adiicit firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Decani et Capituli ecclesie Waterfordensis petitio continebat, quod dudum Venerabilis frater noster Robertus Episcopus Lismorensis et Waterfordensis ecclesiarum canonice unitarum, certis tunc expressis rationabilibus suadentibus causis, beate Marie de Hylmydan, beate Marie de Resk, sancti Morahok confessoris de Belliganer parrochiales ecclesias ac rectorias, seu portiones de Paltolmartyne alias de Ballyadam, et de Ballyglasshyn Lismorensis et Waterfordensis diocesum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis mense Capitulari predicte ecclesie Waterfordensis, vocatis prius, quorum intererat, per quasdam suas litteras auctoritate ordinaria perpetuo incorporavit, annexuit et univit: et deinde Venerabilis frater noster Archiepiscopus Cassellensis, Episcopi memorati Metropolitanus, unionem, annexionem et incorporationem predictas, ac omnia et singula in dictis litteris contenta, per alias suas litteras confirmavit et approbavit, prout in ipsorum Archiepiscopi et Episcopi litteris predictis plenius continetur. Quare pro parte dictorum Decani et Capituli, asserentium, quod parrochialium ecclesiarum huiusmodi, videlicet beate Marie de Resk duarum cum dimidia, sancti Morahok confessoris de Ballyganer etiam duarum cum dimidia, nec non de Paltol Martine similiter duarum cum dimidia, et de Ballyglasshyn, cuius etiam duarum marcharum sterlingorum fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt: quodque uniones ipse iam dudum suum plenarium effectum sortite fuerunt, ipsique Decanus et Capitulum unionum et singularum litteras predictarum obtentu ecclesias predictas per aliquot annos tenuerunt et possederunt, ac illarum fructus, redditus et proventus perceperunt, prout possident, tenent et percipiunt pacifice de presenti: Nobis fuit humiliter supplicatum, ut unioni, annexioni et incorporationi huiusmodi, ac omnibus et singulis in dictis litteris contentis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui nuper in primordiis nostre assumptionis ad apicem summi apostolatus voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere fructus tam benefitii uniendi, quam illius cui unitur, alioquin unio non valeret, et idem voluimus in confirmationibus unionum observari, de premissis notitiam non habentes, necnon mense Capitularis predicte fructuum, redditrum et proventuum verum valorem annuum presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si et postquam vobis de premissis legitime constiterit, unionem, annexionem et incorporationes predictas, ac prout illas concernunt, omnia et singula in dictis litteris contenta, et inde secuta quecumque auctoritate nostra approbare et confirmare, omnesque defectus, si qui forsan intervenerint in eosdem, supplere eadem auctoritate curetis. Non obstantibus voluntate predicta, et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus ecclesie Waterfordensis predicte, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Senis Anno etc. M.CCCC.LVIII. pridie Kalendas Aprilis, Pont. nostri anno primo.

DCCXCI.

Iudicibus, ut Guillelmum Strathagchim Thomae episcopo quondam Dunkeldensi, commendatario monasterii de Cupro Cisterciensis ordinis diocesis Sancti Andreae, coadiutorem constituant. Reg. Tom. V. fol. 14.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis de Melrose et de Neubotyll Glasguensis et Sancti Andree diocesum Monasteriorum Abbatibus, salutem etc. Ad ecclesiarum et Monasteriorum omnium etc. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Thome in universali ecclesia Episcopi, qui Monasterium de Cupro Cisterciensis ordinis Sancti Andree diocesis ex concessione apostolica obtinet in commendam, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse septuagesimum sue etatis annum transcendens, sui corporis viribus destitutus, ac lumine oculorum adeo privatus existit, quod deinceps per se ipsum regimini et administrationi dicti Monasterii preesse, illudque in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare commode non potest, quodque, si dilectus filius Willelmus Strathaguhyn, monachus dicti Monasterii, sibi in coadiutorem de consensu dilecti filii Abbatis Monasterii Cisterciensis Cabilonensis diocesis ordinis predicti apostolica auctoritate deputaretur, id in magnum subsidium prefati Epi et commendatarii, necnon relevamen Monasterii antedicti cederet. Quare pro parte eiusdem Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi, quoad vixerit, eundem Willelmum in coadiutorem deputare, aliasque indempnitati eiusdem Monasterii in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue (vestre) per apost. scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si est ita, prefatique Abbatis Cisterciensis ad id expressus accedit assensus, eundem Willelmum, si ipsum ad regimen et administrationem dicti Monasterii utilem et idoneum esse reperitis, super quo vestras conscientias oneramus, in coadiutorem dicti Episcopi et commendatarii, quoad vixerit, nullius alterius super hoc licentia vel assensu minime requisitis, constituere et deputare, sibique omnia et singula, que ad huiusmodi coadiutorie officium de iure pertinent, exercendi, disponendi et exequendi plenam et liberam licentiam concedere auctoritate nostra procuretis, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis,

ac statutis et consuetudinibus Monasteriorum et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod idem Willelmus, si ipsum in coadiutorem dicti Episcopi et commendatarii vigore presentium per vos deputari contingat, ut prefertur, ab alienatione qualibet de bonis ipsius Monasterii de Cupro quomodolibet facienda se abstineat, ac de prefatis bonis sumptus recipiat moderatos, rationem non solum in districto examine, sed Epo et commendatario prefato plenariam redditurus. Datum Mantue Anno etc. M.CCCC.LVIIII. sexto decimo Kalendas Augusti, Pont. nostri anno primo.

DCCXCII.

Petro tit. sancti Marci presbytero cardinali pensio 300. florenorum auri super monasterio sancti Mereni de Pasleto ordinis Cluniacensis Glasguensis dioecesis assignatur. Reg. de Curia Tom. V. fol. 40.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Petro tituli sancti Marci presbitero Cardinali, salutem etc. Decens reputamus et congruum, ut s. Romane ecclesie Cardinales, quos Altissimus tanquam precipuas et sublimes ipsius ecclesie columnas prerogativa sublimavit honoris, quique in ecclesiarum omnium earumdemque personarum defensione, nec non conservatione libertatum et iurium studia, laboresque indesinenter impendunt, ab eisdem ecclesiis et personis suscipiant in suis opportunitatibus relevamen. Cum itaque nos nuper de persona dilecti filii Henrici Crothon, monachi Monasterii Dunfermelin ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis, Monasterio sancti Mereni de Pasleto ordinis Cluniacensis Glasguensis diocesis in Scotia, a Monasterio principali eiusdem ordinis dependenti, per obitum Thome illius ultimi Abbatis regimine destituto, et consilio fratrum nostrorum apostolica auctoritate providerimus preficendo eum illi in Abbatem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos tibi, ut expensarum onera, que te iugiter de necessitate subire oportet, facilius supportare valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, specialemque gratiam facere volentes, motu proprio, non ad tuam vel alicuius pro te nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate pensionem annuam trecentorum florenorum auri de Camera super fructibus, redditibus et proventibus dicti Monasterii sancti Mereni, qui duorum millium et quingentorum florenorum similium secundum communem extimacionem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, quoad vixeris, vel procuratori tuo legitimo per Henricum predictum et successores suos interim dicti Monasterii s. Mereni Abbates existentes, pro una in dñi nostri Iesu Christi, et reliqua medietate in sancti Iohannis Baptiste nativitatum festivitatibus annis singulis in Rom. Curia persolvendam auctoritate apostolica reservamus, constituimus et etiam assignamus, decernentes eosdem Henricum et successores Abbates prefatos ad solutionem faciendam pensionis huiusmodi iuxta concessiones, constitutiones et assignationes predictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes et eadem auctoritate statuentes, quod quilibet ex Henrico et successoribus Abbatibus prefatis in aliqua festivitatum earundem, vel saltem infra triginta dies tunc immedite sequentes tibi pensionem tunc debitam huiusmodi non persolverit cum effectu, lapis diebus eisdem, excommunicationis sentenciam eo ipso incurrat, a qua, donec tibi de eadem pensione integre fuerit satisfactum, seu alias tecum, vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum, preterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium ab huiusmodi excommunicacionis sententia nequeat obtinere. Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes huiusmodi excommunicacionis sentenciam animo, quod absit, sustinuerit indurato: ex tunc lapsis mensibus eisdem regimine et administratione dicti Monasterii privatus existat, ipsumque Monasterium vacare censeatur eo ipso. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc. Nulli ergo etc. nostre reservationis, constitutionis, assignationis, decreti, voluntatis et statuti infringere etc. Si quis autem etc. Datum Mantue Anno etc. M.CCCC.LVIII. sexto Idus Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

DCCXCIII.

Iudicibus, ut monasterio de Abirbrothoc ord. s. Benedicti Sancti Andreae dioecesis quendam prioratum eiusdem ordinis in Aberdonensi dioec. uniant et annectant. Reg. de Curia Tom. IX. fol. 267.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii de Dere, et Priori Prioratus de Rostinot Aberdonensis et Sancti Andree diocesum, ac Waltero Ydil Canonico Aberdonensi, salutem etc. Ad ecclesiarum et Monasterium omnium etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Macolmi, Abbatis et Conventus Monasterii de Abirbrothok, ordinis sancti Benedicti S. Andree diocesis peticio continebat, quod licet olim idem Monasterium in eius fructibus, redditibus et proventibus pro illius Abbatis pro tempore existentis et Conventus, nec non in dicto Monasterio ac eisdem Abbati et Conventui obsequentium personarum sustentatione, ac onerum eidem Monasterio incumbentium supportatione habundasset: tamen fructus, redditus et proventus huiusmodi tam propter malum regimen Abbatum dicti Monasterii, qui hactenus fuerunt, quam eorum incuriam adeo exiles effecti sunt, quod ex illis, qui mille et ducentorum librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, vel ut iidem Macolmus Abbas et Conventus asserunt, non excedunt, vix se sustentare, eisque incumbentia onera supportare, ac ipsum Monasterium, quod in suis muris et edificiis valde ruinosum, collapsum et devastatum existit, reparare et reedificare, nec non debitis trium millium marcharum monete Scotie, in quibus obligatum est, propter ipsius fructuum, reddituum et proventuum exilitates et tenuitates liberare nequeunt: quodque si prioratus loci de Fiby dicti ordinis Aberdonensis diocesis, qui conventualis aut dignitas, vel personatus non

est, et a dicto Monasterio dependet, quique uni ex monachis dicti Monasterii ad nutum Abbatis illius pro tempore existentis revocabili assignari consuevit, et per quinquaginta sex miliaria Scoticana ab eodem Monasterio distat, cuiusque Prioratus fructus, redditus et proventus decem et octo librarum similium secundum extimationem predictam valorem annuum non excedunt, et quem dilectus filius Alexander Massonis, monachus Monasterii et ordinis predictorum auxilio et potentia Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris occupat et detinet, communi sigillo dicti Monasterii pro deputatione administrationis bonorum dicti Prioratus eidem Alexandro dudum concesso, dicto Monasterio, aliqua tamen eidem Alexandro pro sui sustentatione per ipsos Macolmum Abbatem et Conventum, de qua eis visum fuerit, facta recompensa, uniretur, annecteretur et incorporaretur, pro hoc dicti Macolmus et pro tempore dicti Monasterii Abbas et Conventus decentius se sustentare, ac onera predicta supportare, ipsumque Monasterium reparare, et in suis iuribus reformare possent, id quoque ad honorem et utilitatem ipsius Monasterii cederet. Quare pro parte Macolmi Abbatis prefatum Monasterium in suis iuribus reformare, ac in structuris et edificiis huiusmodi reparare totis viribus intendentis, ac conventus predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut Prioratum predictum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Monasterio in perpetuum unire, annectere et incorporare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus nos vel duo, aut unus vestrum, vocatis dicto Alexandro et aliis, qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis, auctoritate nostra vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi ea fore vera reppereritis, Prioratum predictum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis supradictis eidem Monasterio in perpetuum unire, incorporare et annectere curetis; ita quod dicto Alexandro ab eodem Prioratu eiusque administratione per eundem Macolmum, vel pro tempore eiusdem Monasterii Abbatem certa, iusta et rationabili causa amoto, ac ad Conventum dicti Monasterii revocato, monachali porcione de comunibus eiusdem Monasterii proventibus, sicuti uni ex aliis ipsius Monasterii monachis dicto Alexandro assignata, liceat, prefatis Macolmo vel pro tempore existenti dicti Monasterii Abbati et Conventui, per se vel alium seu alios corporalem possessionem Prioratus, iuriumque et pertinentiarum predictorum auctoritate propria libere apprehendere, ac etiam retinere, nec non fructus, redditus et proventus Prioratus huiusmodi in communes Abbatis et Conventus predictorum usus et utilitatem convertere, disponere et ordinare, ordinarii loci et cuiuslibet alterius licentia per hoc minime requisita, Contradictores etc. Non obstantibus constitutionibus etc. Dat. Mantue anno etc. M.CCCC.LVIIII. duodecimo Kal. Septembris, P. n. anno I.

DCCXCIV.

Donaldo Okarwyll collatio canonicatus et praebendae in ecclesia Corkagensi, a Calisto III. sibi iam facta innovatur. Reg. Tom. II. fol. 18.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Donaldo Okcarwyll Canonico Corkagensi, salutem etc. Rationi congruit etc. Dudum siquidem felicis recordationis Calistus papa tertius, predecessor noster, omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, que promovendi per eum ad quecumque Cathedralium ecclesiarum regimina tempore promotionis huiusmodi obtinerent, ex tunc in antea vacatura collationi et dispositioni sue reservans, decrevit ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus ecclesie Corkagensis et prebende de Kylaspugnieway in eadem, quos Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Fernensis tempore promotionis, per eundem predecessorem facte de eo ad ecclesiam Fernensem tunc pastore carentem, obtinebat, per huiusmodi promotionem et munus consecrationis eidem Episcopo de mandato eiusdem predecessoris apud sedem apostolicam impensum vacavissent, et tunc vacarent, nullusque de illis preter eundem predecessorem disponere potuisset sive posset, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, dictus predecessor te a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis, censuris et penis, si quibus forsan quavis occasione vel causa, a iure seu ab homine promulgatis, ligatus existebas, quoad effectum suarum, si super hoc confecte fuissent, litterarum dumtaxat consequendum auctoritate apostolica absolvens et absolutum fore censens, tibique, qui etiam tunc presbiter eras, de vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendaris, horum intuitu specialem gratiam facere volens, canonicatum, et que sacerdotalis est, cuique cura imminet animarum, prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus sex marcharum sterlingorum secundum communem estimationem valorem annuum, ut asserebas, non excedebant, sive premisso, aut ex eo, quod quondam Gilbertus Oherle ipsius ecclesie Corkagensis Canonicus plura incompatibilia beneficia, etiam cum dictis canonicatu et prebenda absque canonica dispensatione contra constitutionem bone memorie Iohannis pape XXII. etiam predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, insimul per aliquos annos, ut tunc asserebant, detinuerat indebite occupatos, sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem alicuius de illis in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem predictam vacarent, etiam si tanto tempore vacavissent, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsique canonicatus et prebenda dispositioni apostolice specialiter, vel alias generaliter, reservati existerent, et super eis inter aliquos lis, cuius statum prefatus Calistus predecessor suis, si desuper confecte fuissent

literis huiusmodi voluit pro expresso, penderet indecisa, dummodo eorum dispositio ad eundem Calistum predecessorem ea vice pertineret, cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi, videlicet sub data tertio Idus Iulii Pontificatus sui anno quarto, eadem auctoritate apostolica contulit, et de illis etiam providit, decernens, prout erat, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan erat tunc, vel imposterum contingeret attemptari. Non obstantibus recolende memorie Bonifacii pp. VIII. etc. Nulli ergo etc. nostrorum voluntatis, constitutionis et mandati infringere etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, tertio Nonas Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

DCCXCV.

Iudicibus, ut David Miagh archidiaconatum ecclesiae Corkagensis conferant. Reg. Tom. VI. fol. 223.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Urbevetano, et dilectis filiis Abbati Monasterii beate Marie de Albotractu Corkagensis diocesis, ac Precentori ecclesie Clonensis, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius David Miagh, clericus Corkagensis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti David petitio continebat, quod alias Archidiaconatu Corkagensi per liberam resignationem dilecti filii Iohannis Iwrassall, tunc ipsius ecclesie Archidiaconi, de illo, quem tunc obtinebat, in manibus venerabilis fratris nostri Iordani Episcopi Corkagensis extra Romanam Curiam sponte factam, et per eundem Episcopum extra eandem Curiam ordinaria auctoritate admissam, vacante, idem Episcopus Archidiaconatum predictum sic vacantem prefato David eadem auctoritate contulit et de illo etiam providit, quarum collationis et provisionis vigore idem David Archidiaconatum predictum extitit assecutus, illumque extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice de presenti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus David ex certis causis dubitet collationem, provisionem et assecutionem huiusmodi iuribus non subsistere, et sicut accepimus, Archidiaconatus ipse adhuc, ut prefertur, vacare noscatur: Nos prefato David, qui, ut asserit, de nobili et Baronum genere procreatus existit, premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, ac omnia et singula ecclesiastica cum cura vel sine cura beneficia, que dictus David etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtinet et expectat, ac in quibus, et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores ac dispensationem huiusmodi tenores presentibus pro expressis habentes, ipsumque David a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliis(que) ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine latis, si quibus quavis occasione vel causa, et quacumque auctoritate innodatus vel irretitus forsan existit, quoad hoc ut presentium dumtaxat sorciatur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios Archidiaconatum predictum, qui inibi dignitas, non tamen maior post pontificalem existit, et cuius fructus, redditus et proventus viginti marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem David etiam asserit, non excedunt, ut premittitur, sive alias quovismodo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per similem alicuius de illo extra predictam Curiam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam resignationem, aut constitutionem fel. record. Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici eadem ordinaria auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipseque Archidiaconatus dispositioni apostolice specialiter vel generaliter reservatus existat, et ad illum consueverit quis per electionem assumi, eique cura immineat animarum, super eo quoque inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta Curia vel extra eam pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in eo alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato David auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Archidiaconatus, iuriumque et pertinentiarum predictorum et defendentes inductum, ac facientes ipsum David vel dictum procuratorem pro eo ad Archidiaconatum huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra etc. Non obstantibus etc. Dat. Mantue anno etc. M.CCCC.LVIIII. pridie Nonas Octobris, Pont. nostri anno secundo.

DCCXCVI.

Iudicibus, ut Andreae Lyell parochialem ecclesiam de Nelbland Glasguensis dioecesis conferendam curent. Reg. Tom. VI. fol. 298.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Aberdonensi et Candidecase Episcopis, ac dilecto filio Decano ecclesie s. Patrocli Susaciensis Coloniensis diocesis, salutem etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Andreas Lyell, Rector parrochialis ecclesie de Blar Dunkeldensis diocesis, Baccallarius in decretis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Andree petitio continebat, quod pridem parrochialis ecclesia de Nelbland

Glasguensis diocesis, que de iure patronatus laicorum existit, per promotionem venerabilis fratris nostri Niviani Episcopi Candidecase, ipsius ecclesie de Nelbland tunc Rectoris, per nos ad ecclesiam Candidecase tunc certo modo vacantem factam, aut munus consecrationis eidem Episcopo, tunc Electo, auctoritate apostolica sibi impensum, seu per lapsum temporis de consecrandis Epis a canonibus diffiniti vacantem, dilecta in Christo filia Ioneta, relicta quondam Iacobi Dugles, domini loci de Daldalketh Glasguensis diocesis, ipsius ecclesie de Nelbland patroni, dum viveret, tamquam usufructuaria tercie partis terrarum et possessionum dicti Iacobi mariti sui, et iuxta constitutionem Regni Scotie ea vice patrona virtute eiusdem constitutionis dicte ecclesie de Nelbland, prefatum Andream ad dictam ecclesiam de Nelbland venerabili fratri nostro Andree Episcopo Glasguensi infra tempus debitum presentaverit: idem tamen Andreas Episcopus eundem Andream Lyell ad presentationem huiusmodi in dicta ecclesia de Nelblande instituere indebite denegavit, ac dilectum filium Umfridum de Valante, qui pro presbitero se gerit, ad presentationem dilecti filii Iacobi de Dugles, asserentis se dominum dicti loci, in prefata ecclesia de Nelbland instituit, prefatusque Umfridus pretextu presentationis et institutionis de se factarum huiusmodi in dicta ecclesia de Nelbland se intrusit, et illam ex tunc per menses septem vel octo aut circa detinuit, prout detinet indebite occupatam: a quibus quidem presentatione, institutione et intrusione pro parte dicti Andree Lyell fuit ad sedem apostolicam appellatum. Cum autem, sicut eade mpetitio subiungebat, licet idem Andreas credat ex dicta de se facta presentatione sibi in dicta ecclesia, vel ad illam ius competere, tamen pro pocioris cautele suffragio cupit sibi de ipsa ecclesia de Nelbland auctoritate apostolica provideri: Nos prefato Andree Lyell, qui, ut asserit, Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Regis Scotorum Illustris familiaris continuus commensalis existit, premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere volentes, ac omnia et singula ecclesiastica cum cura et sine cura beneficia, qui idem Andreas obtinet et expectat, ac in quibus, et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, eorumque fructuum, redditnum et proventuum veros valores annuos presentibus pro expressis habentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios prefatam ecclesiam de Nelbland, cuius fructus, redditus et proventus quadraginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Andreas Lyell etiam asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovismodo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam alicuius de illa extra Rom. Curiam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam resignationem, aut constitutionem felicis record. Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vel assecutionem alterius ecclesiastici beneficii ordinaria auctoritate collati, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque ecclesia de Nelbland dispositioni apostolice specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta Curia vel extra eam pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato Andree Lyell auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem ecclesie de Nelbland[is], iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde dicto Umfrido, et quolibet alio illicito detentore, ac facientes ipsi Andree Lyell de predicte ecclesie de Nelbland[is] fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate etc. Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. etc. Dat. Mantue anno etc. M.CCCC.LVIIII. sexto Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCXCVII.

Iudicibus, ut monasterium de Fale Glasguensis dioecesis ordinis S. Trinitatis de redemptione captivorum suppriment, eiusque domum et ecclesiam earumque reditus etc., petentibus rege et regina Scotorum, hospitali pauperum et infirmorum ab iisdem ibidem erectis assignent. Reg. Tom. IX. fol. 100.

Pius etc. Venerabilibus fratribus Glasguensi et Candidecase Epis ac dil. filio Archidiacono eccl. Glasguensis, sal. etc. Ad ea ex apost. servitutis officio libenter intendimus, per que persone ecclesiastice, presertim sancto regulari habitu dño dedicate, a cunctis noxiis retrahuntur: et ut cuncta pia loca in subvencione miserabilium personarum constructa et dotata de bono in melius prosperentur, libenter adiicimus ministerii nostri partes. Sane sicut exhibita nobis nuper pro parte Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Regis Scotorum, et Carissime in Christo filie Marie Regine Scotie Illustrium petitio continebat, quod licet cuilibet religionis observantie tria precipua bona, videlicet obedientie, paupertatis et castitatis vota inherent, et adeo eidem observantie sint connexa, quod illis abiectis, quis religionis nomen non meretur, tamen dilecti filii Minister et fratres domus de Fale Glasguensis diocesis ordinis sancte Trinitatis et redemptionis captivorum, pudicitie et honestatis laxatis habenis, loco redemptionis captivorum et hospitalitatis, ad quam tenentur, inibi celebrande, intra eundem domum abhominabiles sordes spurcitie ac lenocinia adeo publice et notorie exercent, quod de eorum vita apud omnes Regni Scotie incolas non minimus rumor convolat: et cum propter exemptionem ab ordinariis, tum etiam propter varia maris terreque pericula, et ex eorum superioris negligentia dictorum ministrorum et fratrum enormitates et opprobriosa Deo hominibusque contemptibilis vita minime corriguntur, et adeo malis involuti sunt, quod ad hone-

statem et regularem observantiam redigi non possunt. Cumque dicta Regina, terrena in celestia, et temporalia in eterna felici commercio commutare (volens), quoddam magnum Hospitale cum ecclesia, domibus et aliis necessariis officinis construxit et erexit, seu construi et erigi, inibique certum dignitatum, canonicatuum et prebendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum numerum, ac de bonis sibi a deo collatis ac possessionibus per eam acquisitis dotem sufficientem illis constitui et assignari procuravit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, si dictis Ministro et fratribus ab eadem domo remotis, et hinc inde in diversis aliis domibus eiusdem ordinis per Regni Scotie partes collocatis et divisis, domus de Fale predicta eisdem hospitali et ecclesie erectis perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, profecto illius bona ad id, ad quod prius dedicata fuere, videlicet ad pauperum sustentacionem reducerentur, et ex hoc hospitale ac ecclesia huiusmodi relevamen cultusque divinus inibi incrementum non modicum susciperent: pro parte Regis et Regine predictorum, asserentium, quod ipsius domus cum illi annexis fructus, redditus et proventus septuaginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut eisdem ministro et fratribus, ut premittitur, alibi collatis, domum eandem dictis hospitali et ecclesie uniri, annecti et incorporari, ac alias in premissis oportune provideri mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ipsius cultus augmentum, et cunctarum religionum, necnon personarum inibi degentium reformationem intensis desideriis appetimus, attendentes, quod veris existentibus premissis, minister et fratres predicte domus regimine et administratione se reddiderint indignos, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum super premissis omnibus et singulis auctoritate nostra inquiratis diligentius veritatem, et si vocatis ministro et fratribus predictis, et aliis, qui fuerint evocandi, summarie et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, sed sola facti veritate inspecta, de premissis vobis legitime constiterit, ministrum et fratres predictos a dicta domo de Fale auctoritate predicta sententialiter removeatis, et in aliis domibus eiusdem ordinis in dicto Regno existentibus, prout vobis videbitur, coniunctim vel divisim collocatis, eisque per vos remotis et collocatis, eodemque ordine per vos in eadem domo suppresso, illam dictis ecclesie et hospitali, quorum fructuum, reddituum et proventuum in subventionem pauperum per eandem Reginam pie oblatorum veros valores annuos presentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, sive dicta domus de Fale tunc per amotionem huiusmodi, sive alias quovismodo, aut ex alterius cuiuscumque persona vacet, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate nostra perpetuo unire, annectere et incorporare [dicta auctoritate] curetis: Ita quod liceat eorundem hospitalis et ecclesie rectoribus, sive gubernatoribus per se vel alium, seu alios, eisdem Ministro et fratribus predictis per vos, ut premittitur, collocatis, domus de Fale iuriumque et pertinentiarum predictarum corporalem possessionem libere apprehendere, necnon illius fructus, redditus et proventus in hospitalis, ecclesie, domus ac pauperum predictorum usus ac subventionem convertere, et perpetuo retinere, cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etc. Datum Mantue Anno etc. MCCCCLVIII. tertio Nonas Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCXCVIII.

Prepositurae ecclesiae beatae Mariae in villa de Dunglas Sancti Andreae dioecesis unitur vicaria parochialis ecclesiae de Edrame eiusdem dioecesis. Reg. Tom. VII. fol. 60.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ad ea, per que ecclesiarum, presertim Collegiatarum, ac eciam personarum in illis dignitate preditarum indempnitatibus consulitur, libenter intendimus, illis quoque quantum cum deo possumus, favorem benivolum impertimur. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte Carissimi in Christo Iacobi Scotorum Regis Illustris, ac dilectorum filiorum nobilis viri Alexandri Hume, Baronis et militis, domini temporalis loci de Hume, fundatoris et patroni, ac Wilhelmi Park Prepositi ecclesie beate Marie Ville de Dunglas Sancti Andree diocesis peticio continebat, fructus, redditus et proventus prepositure eiusdem ecclesie, que inibi dignitas principalis existit, adeo tenues et exiles existant, quod ex illis quinque librarum sterlingorum secundum communem extimacionem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt: idem Wilhelmus et pro tempore dicte ecclesie Prepositus existens commode sustentari non possit, et perpetua Vicaria parrochialis ecclesie de Edrame eiusdem diocesis, per liberam resignacionem dilecti filii Iohannis Hume, nuper ipsius ecclesie Vicarii, de illa, quam tunc obtinebat, per dilectum filium Thomam Zhonug presbiterum dicte diocesis, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte factam, et per nos admissum, apud sedem apostolicam vacaverit et vacet ad presens, nullusque de dicta Vicaria preter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, pro eo quod nos dudum omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura apud dictam sedem vacancia tunc, et inantea vacatura collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Nos igitur eciam dudum voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, de exilitate et tenuitate fructuum, reddituum et proventuum dicte prepositure sufficienter informati, ac volentes venustati dicte ecclesie beate Marie intendere, ex premissis et aliis rationalibus causis, nobis per litteris ipsius Iacobi Regis super hoc nobis humiliter supplicantis notificatis, Vicariam predictam, cuius fructus, redditus

et proventus eciam quinque librarum similium secundum eandem extimacionem valorem annuum, ut eciam asseritur, non excedunt, sive premisso sive alio quovismodo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per similem resignacionem dicti Iohannis, vel alicuius alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, eciam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitucionem felicis record. Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vel assecucionem alterius beneficii ecclesiastici curati, seu alias cum eadem Vicaria incompatibilis, quavis auctoritate collati vacet, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque Vicaria disposicioni apostolice specialiter, vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta Curia vel extra eam pendeat indecisa, cum eius disposicio ad nos hac vice pertineat, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem prepositure auctoritate apostolica tenore presentium unimus, annectimus et incorporamus: ita quod liceat dicto Wilhelmo, vel pro tempore dicte ecclesie beate Marie Preposito, per se vel alium seu alios corporalem possessionem Vicarie, iuriumque et pertinenciarum predictorum libere apprehendere, necnon decimas illius exigere, recipere, colligere et levare, easque ac fructus, redditus et proventus huiusmodi in suos ac ecclesie beate Marie et Vicarie predictarum usus et utilitatem convertere, ac in huiusmodi sic apprehensa possessione eciam perpetuo persistere, illaque frui, uti et gaudere debere, diocesani loci, aut cuiusvis alterius licencia super hoc minime requisita: decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Non obstantibus voluntate premissa et consuetudinibus etc. Datum Mantue Anno etc. M.CCCC.LVIII. pridie Idus Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCXCIX.

Franciscus episcopus Interamnensis constituitur nuntius et commissarius cum potestate legati de latere in regno Angliae et provincia Hiberniae. Reg. Tom. VII. fol. 153.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri nostro Francisco Episcopo Interamnensi, Referendario nostro, in Regno Anglie dominiisque, civitatibus, terris et locis Carissimo in Christo filio Henrico Regi Anglie Illustri subiectis, nostro et apostolice sedis Nuntio et Commissario cum potestate legati de latere, salutem etc. Christus filius dei vivi ex alto celorum throno descendens exemplum nobis reliquit, ut quemadmodum ipse discipulos, quos elegerat, in universas mundi partes ad predicandum omnibus creaturis Evangelium destinavit, ut sacris christiane fidei institutis humanum genus imbueretur: ita nos, qui licet immeriti eius vices gerentes in terris christiano generi presidemus, quantum ab ipso nobis conceditur, per suas semitas incedentes, ad fideles absentes oculos nostre considerationis extendimus, presertim ad eos, qui nostri et ecclesie Romane peculiares et devoti filii representantur, diligentiori cura intuemur, et ad ipsos, cum tempus postulare videtur, personas ydoneas dirigimus, que executionem voluntatis et sollicitudinis nostre per suas operationes, deo propitio, valeant administrare. Cum itaque nihil in animo nostro insit ardentius, nihilque cum maiori affectione desideramus, quam videre universalem ecclesiam in sui status amplitudine stabilitam, et apostolicam sedem in sua auctoritate et fastigio conservatam, illaque preterea insideat cordi nostro meditatio, ut pax et tranquillitas inter omnes vigeat Christi fideles: Te, cuius personam dei benignitate preclaris virtutibus illustratam esse cognovimus, quam etiam integritatis animi magnitudine, consilii rerum agendorum experientia, ac plurimarum rerum doctrina pollere percepimus, in Regno Anglie aliisque dominiis, civitatibus, terris et locis Carissimo in Christo filio Henrico Anglie Regi Illustri subiectis, necnon Provincia Ibernie pro quibusdam arduis universalem ecclesiam, orthodoxamque fidem, nostrumque et apostolice sedis statum et honorem concernentibus negociis nostrum, et apostolice sedis nuncium et commissarium cum plena potestate legati de latere auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus, et etiam deputamus, teque, qui ad Regnum et loca predicta pro certis nostris et dicte sedis negociis expediendis destinatus adhuc ibidem personaliter resides de presenti, ut universum Regnum, dominia, civitates, dioceses et loca predicta, prout tua fraternitas noverit oportunum, tamquam pacis angelus peragrare et adire debeas, ut evellas et destruas, edifices atque plantes, deformata reformes, corrigenda corrigas, deviantes ad viam veritatis reducas, atque statuas quidquid ad statum universalis ecclesie, orthodoxeque fidei, et ad conservandam dicte sedis auctoritatem et libertatem profutura cognoveris, prout celestis gratie infusio, tuaque tibi providentia ministrabunt, cum auctoritate predicta legati de latere eodem tenore providimus remorandum et detinendum, firma sperantes fiducia, quod actus tuos eo dirigente, qui novit plana(?) in directa reducere, et aspera in vias planas, per tue circumspectionis industriam in Regno, dominiis, civitatibus, terris et locis predictis omnia fient, que ad honorem dei, orthodoxe fidei exaltationem, ac statum prefate ecclesie, et apostolice sedis pacem, et tranquillitatem illarum partium, unionis conservationem et libertatem ecclesiasticam videbuntur quomodolibet pertinere. Tue igitur fraternitati quecumque predictarum rerum ac reformationem morum, religionis et honestatis cultum, relevationem ecclesiarum, heresum extirpationem, statum prosperum et tranquillum Regni et locorum predictorum quomodolibet concernentia agendi, statuendi, precipiendi, mandandi et corrigendi, necnon omnes et singulas personas cuiuscumque status, ordinis vel conditionis fuerint, aberrantes ad obedientiam et devotionem nostram et ecclesie gremium reducendi, illasque ab

omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis, processibus, censuris et penis, in ipsas quomodolibet et premissorum occasione latis, absolvendi et liberandi, interdicta relaxandi et suspendendi, ac omnem infamie maculam sive notam per eas, ut prefertur, contractam abolendi, ac super irregularitate per eas contracta dispensandi, et ad sua beneficia, quecumque illa fuerint, ac in pristinum statum reponendi et restituendi, illaque, si opus fuerit, de novo conferendi, et etiam contra omnes et singulos cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis vel conditionis fuerint, nobis et apostolice sedi rebelles, et ab unitate ecclesie devios auctoritate nostra procedendi, illasque suis offitiis et benefitiis ecclesiasticis, quecumque et quotcumque fuerint, privandi et amovendi, processus de novo contra eos formandi, illosque excommunicandi, aggravandi et reaggravandi, ac etiam auxilium brachii secularis, quotiens fuerit opportunum, invocandi, omniaque alia, et singula agendi, que circa hec cognoveris opportuna, pacem quoque inter Principes, Barones et Communitates Regni, et locorum predictorum tractandi, practicandi, et concludendi cum capitulis, pactis, modis et conventionibus, de quibus videris expedire, ligas quoque et confederationes inter predictos ineundi, firmandi et paciscendi, illasque sub penis, de quibus tibi videbitur, servari mandandi, capitula insuper, promissiones et pacta, etiam si mandatum requirerent magis speciale, cum personis, de quibus tibi visum fuerit expedire, nostro et sedis apostolice nomine faciendi, firmandi, concludendi et statuendi; insuper pro votiva et celebri expeditione negotiorum per nos tibi commissorum, quotiens tibi videbitur, generalem seu particularem sinodum prelatorum, principum, ducum, baronorum et dominorum temporalium quorumcumque infra tue commissionis terminos consistentium, ubi et quando fuerit expediens, convocandi et congregandi, ibique proponendi et deliberandi, prout agendarum rerum pondus pro tempore exiget, et quod inibi per te decretum et deliberatum fuerit, exequi mandandi, et faciendi per te, vel alium, seu alios opportune, ac etiam omnibus et singulis prelatis ecclesiarum et monasteriorum, ac ordinum quorumlibet magistris, prioribus et preceptoribus, cuiuscumque dignitatis aut conditionis existant, capitulis quoque et conventibus ecclesiarum et monasteriorum predictorum, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, et clero per censuram ecclesiasticam, et alia iuris remedia mandandi, ut omnia et singula, quecumque ordinaveris seu disposueris, exequantur efficaciter, et plene pareant et intendant; et nihilominus contradictores quoslibet et rebelles, quacumque ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam, et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, quibuscumque privilegiis, indultis, exemptionibus, litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, per que nullum cuicumque, cuiuscumque status, ordinis vel conditionis, etiam Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, Humiliatorum, sanctorum Benedicti et Augustini, et hospitalium sancti Iohannis Ierosolimitani et beate Marie Theutonicorum, ac Calatravensis et quorumvis aliorum ordinum existerent, in hac parte volumus afferri suffragium, nequaquam obstantibus, plenam et liberam auctoritate et tenore predictis concedimus facultatem. Nos enim sentencias, quas rite tuleris in rebelles, habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus iniunctum tibi ministerium laborum huiusmodi pro divina, dicte sedis et nostra reverentia susceperis, sic illud utiliter, sicque fideliter et laudabiliter iuxta datam tibi desuper providentiam exequaris, quod de tuis laboribus, celesti favente clementia, desiderati fructus proveniant, quos speramus, tuque illam, que pias causas agentibus suprema retributione impenditur, eterne palme gloriam consequaris. Datum Mantue Anno etc. M.CCCC.LVIIII. pridie Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCC.

Ioanni Ohedyan Cassellensis et Ossoriensis archidiaconatus conferuntur. Reg. Tom. VIII. fol. 216.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Ohedyan Archidiacono ecclesie Cassellensis, salutem etc. Vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut et specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Dudum siquidem per felicis recordationis Nicolaum papam quintum predecessorem nostrum accepto, quod Cassellensis per obitum quondam Simonis Gautbell in civitate nostra Viterbiensi, loco a Romana curia tunc infra duas dietas distanti, et Ossoriensis ecclesiarum Archidiaconatus per promotionem et munus consecrationis impensum bone memorie Iohanni Archiepiscopo Cassellensi successive vacaverant et vacabant: tunc idem predecessor de illis, qui in dictis ecclesiis dignitates, non tamen maiores post pontificales, existunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona vacarent, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate provideri mandavit, ac tecum, ut Archidiaconatus predictos invicem, quoad viveres, retinere posses et valeres, dicta auctoritate dispensavit, prout in singulis dicti predecessoris desuper confectis literis plenius continetur. Cum autem exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, (quod) ab aliquibus asseratur, Cassellensem per quondam Willelmi Redeleff, et Ossoriensem Archidiaconatus huiusmodi per Ade Ruaygh extra dictam Curiam defunctorum obitus vacavisse et vacare, et propterea tu super eisdem Archidiaconatibus dubites molestari posse tempore procedente: Nos ne propterea littere ipse surreptionis vicio notentur, tuque illarum frustreris effectu, volentes te, qui nobilis existis, et cum quo

dudum, ut asseris, super defectu natalium, quem pateris de clerico genitus et soluta, seu coniugata, ut eo non obstante ad omnes etiam sacros ordines promoveri, et beneficium ecclesiasticum, etiam si curam haberet animarum, primo, et deinde ut Archidiaconatus predictos, si tibi conferrentur, ut prefertur, recipere et retinere valeres, apostolica auctoritate dispensatum fuit, premissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, teque a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine quavis occasione, vel causa in genere vel in specie latis, inflictis seu promulgatis, quibus forsan quomodocumque irretitus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum auctoritate apostolica harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod littere, provisiones et assecutiones predicte, ac processus huiusmodi per eadem, et inde secuta, quecumque a data presentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, etiamsi Archidiaconatus predicti, quibus cura imminet animarum, et ad quos quis per electionem non assumitur, et quorum videlicet Cassellensis viginti sex, et Ossoriensis quadraginta marcharum sterlingorum fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, per Willelmi et Ade predictorum obitus, seu Cassellensis per Iohannis Thome Ricardi alias Yhedyan, vel per Iohannis Caroch, aut Ossoriensis Archidiaconatus huiusmodi per Iohannis Hensakir vel Roberti Tombrygh aut Thome Herbixgh, aut Walteri Stantton extra dictam Curiam defunctorum obitus, vel Cassellensis per bone memorie Ricardi, et Ossoriensis Archidiaconatus huiusmodi per Iohannis alim Archiepiscopi Cassellensis munera consecrationis in dicta Curia, vel extra eam impensa, vel lapsum tempus de consecrandis Episcopis a Canonibus diffiniti, aut Cassellensis per privationem et amotionem Thome Byliam auctoritate apostolica factam, seu alias quovis modo, aut ex aliorum quorumcumque personis, seu per liberas resignationes omnium predictorum, etiam coram notariis publicis et testibus sponte factas, aut constitutionem pie recordationis Iohannis pape XXII. etiam predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vel assecutionem quorumcumque aliorum curatorum incompatibilium beneficiorum ecclesiasticorum quavis auctoritate collatorum vacaverint, et vacent ad presens, etiam si tanto tempore vacavissent, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsique Archidiaconatus dispositioni apostolice specialiter vel alias generaliter reservati existerent, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, in omnibus et per omnia perinde ac si in dictis litteris de omnibus et singulis premissis plena et debita mentio facta fuisset; et insuper tecum, ut quecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, se invicem cum dictis Archidiaconatibus compatientia, etiam si Canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis ecclesiis fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura imminet animarum, et dignitates ipse in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post pontificiales maiores, aut in Collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, si tibi alias apostolica vel ordinaria auctoritate conferantur, eligaris, presenteris vel assumaris ad illa, recipere et retinere, illaque simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quotiens tibi placuerit, dimittere, et loco dimissorum aliud, vel alia simile vel dissimile, aut similia, vel dissimilia beneficium seu beneficia ecclesiasticum seu ecclesiastica se invicem, ut prefertur, compaciencia similite recipere, et, quoad vixeris, retinere libere licitique possis et valeas, defectu predicto ac Lateranensis concilii, nec non quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesie vel ecclesiarum, in qua seu quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore proventium de specialis dono gratie dispensamus: tibi nihilominus, quod deinceps in quibuscumque impetrationibus, gratiam et iusticiam concernentibus, per te vel alium seu alios tuo nomine a sede apostolica, vel eius legatis, seu quibuscumque aliis secularibus, vel spiritualibus personis de cetero faciendis, de defectu natalium ac super eo dispensationibus huiusmodi nullam mentionem facere tenearis, eadem auctoritate de uberioris dono gratie indulgemus. Nulli ergo et nostre absolutionis, voluntatis, concessionis, dispensationis et indulti infringere etc. Si quis autem etc. Dat. Mantue An. etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, sexto Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCCI.

Episcopo Aladensi, ut Nehemiae et Richardo fratribus ordinis Minorum de observantia in quatuor monasteriis fratrum Conventualium antiquam ordinis observantiam instaurare permittat. Reg. Tom. IX. fol. 232.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Aladensi, salutem etc. Sedis apostolice gratiosa benignitas piis fidelium, illis presertim, qui ad laudem divini nominis in observantia mandatorum Altissimi sub regulari habitu virtutum domino famulantur, mundanis abiectis illecebris, circa illius, qui speciosus est forma pre filiis hominum, beneplacita pura et sincera mente incumbunt, ac per que propagatio et divini cultus augmentum provide sperantur, votis libenter annuit, et honestis supplicationum precibus favorem benivolum impartitur. Sane pro parte dilectorum filiorum Nemie et Riccardi de Ibernia, ordinis Minorum de observancia professorum, peticio continebat, quod licet in provincia Ibernie multa sint eiusdem ordinis loca, nihilominus nulla nisi in

uno dumtaxat debita iuxta ordinis observantium ritum observantia retinetur, si omnia loca predicta per huiusmodi ordinis fratres Conventuales, aut non observantes reguntur et gubernantur. Et sicut eadem peticio subiungebat, si Nemie et Riccardo predictis quatuor saltem eiusdem ordinis Conventualis loca ad observantiam debitam, accedente ad id fratrum illa inhabitantium, seu eorum maioris et sanioris partis aut medietatis, voluntate pariter et assensu, reducendi facultas et licentia concederetur, ex hoc Altissimo, cui se corpore et animo devoverunt, salubrius prestaretur et exhiberetur obsequium, idque in Christi fidelium illarum partium laudabile exemplum cederet, ac fidelibus ipsis verbo et opere exempla puritatis et castitatis propterea maiorem in modum procul dubio exhiberetur, illisque ad bene beateque vivendum per huiusmodi observantes via et norma ferventius demonstraretur, nec non fidelibus ipsis pro eorum animarum salute salubrius consuletur. Quare pro parte Nemie et Riccardi predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis in premissis, et circa ea oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum et religionem, ac mandatorum domini observantiam debitam ubique vigere intensis desideriis affectamus, de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, prefatis Nemie et Riccardo coniunctim et divisim quatuor prefati ordinis fratrum Conventualium loca per eos eligenda reformandi, illaque, ad id accedente, ut premittitur, fratrum in illis degentium voluntate pariter et assensu, ad observantiam debitam reducendi, ac in illis regularem observantiam iuxta ordinem, regulam et ritum observantium predictorum retinendi, et sub obedientia generalis Vicarii ultramontani de observantia dumtaxat vivendi et permanendi auctoritate apostolica licentiam et facultatem omnimodam largiaris. Contradictores quoslibet et rebelles, ac eosdem observantes quoquomodo molestantes, seu perturbantes per censuram ecclesiasticam, appellatione etc. Nos enim Nemie et Riccardo prefatis, ac aliis quibuscumque eiusdem ordinis fratribus ad huiusmodi observantiam transeuntibus, et inibi pro tempore existentibus, ut Vicarium similiter de observantia, quod Vicario generali prefato subsit, ut prefatis observantibus pro tempore presit, eligere, creare, constituere et deputare, necnon fratribus observantibus, et pro tempore existentibus predictis, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prerogativis, concessionibus et indulgentiis, quibus ceteri huiusmodi ordinis de observantia fratres tam ultra quam citramontani quomodolibet potiuntur et gaudent, seu potiri et gaudere consueverunt, ipsi potiri et gaudere possint et debeant, eadem auctoritate concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus etc. Datum Macereti Senensis diocesis anno etc. M.CCCC.LX. quinto Nonas Maii, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCCII.

Episcopo Dunkeldensi, ut electionem abbatis beatae Mariae de Cupro Cisterciensis ordinis S. Andreae dioecesis, si canonice factam invenerit, confirmet. Reg. Tom. XI. fol. 61.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri ... Epo Dunkeldensi, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio solicitudine pulsamur assidua, ut ad statum ecclesiarum et Monasteriorum omnium, quorum cura nobis imminet generalis, solicite intendentes, illis presertim, que vacacionis incommoda deplorare noscuntur, per operacionis nostre ministerium de sue celeris provisionis remedio utiliter et salubriter consulatur. Sane pro parte dilecti filii Iohannis Hudton, Monachi Monasterii beate Marie de Cupro Cisterciensis ordinis Sancti Andree diocesis, exhibita peticio continebat, quod olim dicto Monasterio, cui quondam Willermus Blar illius Abbas, dum viveret, presidebat, per ipsius Willermi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, Abbatis regimine destituto, fel. recordacionis Nicolaus papa quintus predecessor noster Monasterium ipsum sic vacans bone memorie Thome de Lewingston, tunc in humanis agenti, et in universali ecclesia Epo, per eum, quoad viveret, tenendum, regendum et eciam gubernandum auctoritate apostolica commendavit, ipseque Thomas Episcopus commende huiusmodi pretextu possessionem regiminis et administrationem eiusdem Monasterii, ac illius bonorum tam in spiritualibus quam temporalibus extitit assecutus. Postmodum vero, cum tandem dictus Thomas Episcopus, sicut deo placuit, viam fuisset universe carnis ingressus, et propterea commenda ipsa expirata esset, dictumque Monasterium adhuc, ut prefertur, vacaret, dilecti filii Conventus ad electionem futuri inibi Abbatis procedentes, vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt et eciam debuerunt electioni huiusmodi commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum prefatum Iohannem Hudton, ordinem ipsum expresse professum, et in sacerdocio ac legitima etate constitutum, in eorum et dicti Monasterii Abbatem concorditer elegerunt, ipseque Iohannes electioni huiusmodi illius sibi presentato decreto consensit, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Iohannes dubitet electionem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere, et sicut accepimus, dictum Monasterium adhuc, ut prefertur, vacare noscatur: Nos cupientes eidem Monasterio, ne longe vacacionis exponatur incommodis, de persona utili et ydonea providere, ac de meritis et ydoneitate dicti Iohannis, cui apud nos de religionis zelo, litterarum sciencia, honestate morum, spiritualium prudencia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, certam noticiam non habentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de huiusmodi meritis et idoneitate auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informacionem huiusmodi prefatum Iohannem ad regimen et gubernacionem dicti Monasterii

utilem et idoneum fore repereris, super quo tuam conscienciam oneramus, dictam electionem, si illam canonicam esse inveneris, eadem auctoritate confirmes et approbes. Et nichilominus pro tuitiori cauthela de persona eiusdem Iohannis eidem Monasterio, cuius fructus, redditus et proventus, hospitalitatis inibi teneri solite, seu debite, ac victu et vestitu monachorum ibidem degentium et necessariorum, aliisque illius supportis oneribus, quadraginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Iohannes asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona vacet, etiam si eius dispositio ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore date presentium non sit eidem Monasterio de Abbate canonice provisum, auctoritate prefata hac vice provideas, ipsumque illi preficias in Abbatem, curam, regimen et administrationem dicti Monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo sibi ab eisdem Conventu reverenciam et obedienciam debitas et devotas, nec non a dilectis filiis Vassallis, et aliis ipsius Monasterii subditis consueta iura et servicia exhiberi. Contradictores etc. Volumus autem, quod si per te vigore presentium de persona dicti Iohannis eidem Monasterio provideri contingat, sibi munus benedictionis per aliquem Catholicum Antistitem, gratiam et communionem sedis apostolice habentem, impendi facias et procures, quodque idem Antistes, qui eidem Iohanni prefatum munus impendet, postquam illud sibi impenderit, ab eo nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod ipse Iohannes prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo sigillatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret. Datum Senis Anno etc. M.CCCC.LX. sexto Idus Iulii, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCCIII.

Iudicibus, ut Alexandro de Moravia parochialem ecclesiam de Glencarne Glasguensis diocesis, quae mensae capitulari Glasguensi perperam incorporata fuerat, iterum conferant. Reg. Tom. X. fol. 196.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii de Dunfermilyn Sancti Andree diocesis, et Priori ecclesie S. Andree sal. etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Alexandri de Moravia Canonici Moraviensis, et nobilis viri Alexandri de Cunynghame, domini loci Kilmawre Glasguensis diocesis, peticio continebat, quod licet ius patronatus et presentandi personam ydoneam ad parrochialem ecclesiam de Glencarne dicte diocesis, cum pro tempore vacat, ad dictum Alexandrum nobilem spectare et pertinere dinoscitur, ipseque et sui predecessores, qui fecerunt pro tempore, hactenus fuerint in pacifica possessione iuris huiusmodi, eciam a tanto tempore, de cuius inicio, seu contrario memoria hominum non existit: tamen dudum parrochiali ecclesia tunc certo modo vacante et dicto nobili in pupillari etate et sub tutela, seu wardia Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Regis Scotorum Illustris constituto, tandem bone memorie ... quondam Episcopus Glasguensis, minus veraciter pretendens, collationem parrochialis ecclesie tunc sic vacantis huiusmodi ad ipsum fore devolutam, illam absque consensu dicti Regis, ad quem id tunc propter wardiam huiusmodi spectabat, necnon ipsius Alexandri patroni, et ipsis insciis et hoc penitus ignorantibus, quondam Thome Macguffok presbitero tunc in humanis agente auctoritate sua, ut dicebat, ordinaria contulit, et providit eciam de eodem, licet de facto: et postquam dictus Thomas ipsam parrochialem ecclesiam pretextu collationis et provisionis huiusmodi extiterat assecutus, et illam aliquandiu tenuerat et possederat similiter et de facto, idem Thomas ad hoc per dilectos filios Capitulum ecclesie Glasguensis viis et modis exquisitis, ut verisimiliter credere, inductus, dictam parrochialem ecclesiam ad finem, quod illa mense Capitulari eiusdem Glasguensis ecclesie uniretur et incorporaretur, in manibus dicti Episcopi extra Romanam Curiam resignavit: et deinde ipsum Capitulum, pretendens dictam parrochialem ecclesiam per resignationem huiusmodi vacare, litteras mandati de uniendo et incorporando eandem parrochialem ecclesiam mense predicte, pro communibus distributionibus ipsius ecclesie Glasguensis, a felicis recordationis Nicolao papa V. predecessore nostro ex quibusdam minus veris sibi pro parte ipsorum Capituli suggestis causis, et tacite de iure patronatus huiusmodi, ut dicitur, obtinuerunt, certis desuper executoribus deputatis. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, licet prefatus Nicolaus predecessor, antequam littere huiusmodi executoribus predictis presentate extitissent, sicut Domino placuit, fuisset vita functus, ac pie memorie Calistus papa III. eciam prepredecessor noster, qui eidem Nicolao immediate successit, in crastino sue assumptionis ad summi apostolatus apicem omnes uniones et incorporaciones de quibusdam beneficiis ecclesiasticis quibusvis aliis beneficiis, seu Episcopalibus, Capitularibus vel Abbacialibus mensis, seu alias quomodolibet faciendas, que suum sortite non fuerant effectum, necnon mandata de uniendo quecumque per quosvis predecessores suos quomodolibet concessa, inter alia specialiter et expresse revocasset, cassasset et annullasset, ac iuribus omnino vacuasset, dictumque eisdem Capitulo de uniendo concessum mandatum, ut prefertur, sub ipsa generali revocacione utique comprehenderetur, ac per illam omnino cassatum et annullatum fuisset: tamen postmodum, premissis non obstantibus, unus ex ipsis executoribus, ut asseritur, ad executionem litterarum earundem ad instanciam ipsorum Capituli ex abrupto procedens, absque alio aliquo mandato, pretextu dictarum litterarum prefatam parrochialem ecclesiam dicte mense pro ipsis communibus distribucionibus, quamquam nulliter et de facto, univit, annexuit et incorporavit, dictique

Capitulum, pretextu nullius seu invalide unionis et incorporacionis huiusmodi, dictam parrochialem ecclesiam ex tunc detinuerunt, prout detinent de presenti indebite occupatam. Quibus tandem ad prefati Nobilis patroni noticiam deductis, idem nobilis patronus predictum Alexandrum de Moravia tanquam sufficientem et ydoneum ad dictam parrochialem ecclesiam, adhuc sic, ut premittitur, vacantem, venerabili fratri nostro Andree Episcopo Glasguensi loci ordinario alias debite presentavit: et quia dictus Andreas Episcopus presentacionem huiusmodi admittere, et et ipsum Alexandrum de Moravia in eadem parrochiali ecclesia in illius Rectorem instituere contra iusticiam recusavit, pro parte eorundem Alexandri de Moravia et Nobilis patroni, senciencium exinde indebite se gravari, fuit ad sedem apostolicam appellatum, ac tam pro parte prefati Regis, quam appellancium predictorum nobis humiliter supplicatum, ut unionem, annexionem et incorporacionem huiusmodi, prout eciam secundum premissa existit, nullam et invalidam decerni, dictamque presentacionem admittere, ac eundem Alexandrum presentatum in dicta parrochiali ecclesia in illius Rectorem institui mandare, necnon causam appellacionis huiusmodi, et negocii principalis aliquibus probis viris in partibus committere, aliasque ipsis in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur contemplacione dicti Regis, et alias huiusmodi supplicacionibus inclinati, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si et postquam de premissis vobis legitime constiterit, vos vel alter vestrum, vocatis Andrea Episcopo et Capitulo prefatis, necnon aliis, qui fuerint evocandi, unionem, annexionem et incorporacionem huiusmodi, et quecumque inde secuta, prout veris existentibus premissis nulla sunt, eciam nulla et invalida auctoritate nostra decernatis et declaretis, ipsumque Nobilem patronum, et suos imposterum successores ad ius patronatus huiusmodi, et presentandi personam ydoneam ad dictam parrochialem ecclesiam, cum illam inantea vacare contigerit, adversus unionem, annexionem et incorporacionem huiusmodi, et alia premissa in integrum et pristinum statum reponatis et restituatis, prout de iure fuerit faciendum. Et nichilominus presentacionem predictam eadem auctoritate admittentes, si post diligentem examinacionem prefatum Alexandrum de Moravia, apud nos vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, ad hoc ydoneum esse repereritis, super quo conscienciam vestram oneramus, in dicta parrochiali ecclesia in illius Rectorem ad eandem presentacionem instituatis, necnon parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus, redditus et proventus triginta librorum sterlingorum secundum communem extimacionem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sive adhuc per cuiuscumque illius veri Rectoris ubilibet defuncti obitum, aut liberam dicti Thome, ut prefertur, seu alicuius alterius de ipsa parrochiali ecclesia extra dictam Curiam, eciam coram notario publico et testibus sponte factam resignacionem, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, vel per constitucionem felicis recordacionis Iohannis pape XXII. eciam predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacet, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque ecclesia parrochialis disposicioni apostolice specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presencium non sit in ea alias alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Alexandro de Moravia dicta auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem parrochialis ecclesie, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amotis dicto Capitulo et quolibet alio illicito detentore ab eadem, ac facientes ipsi Alexandro de Moravia de ipsius parrochialis ecclesie fructibus, redditibus et preventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus recolende memorie Bonifacii pape VIII. etc. Datum Senis Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo, duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCCIV.

Collegio S. Salvatoris in civitate Sancti Andreae quaedam conceditur indulgentia. Reg. Tom. XI. fol. 303.

Pius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Salvator noster Iesus Christus, misericors et miserator dominus, nullam potiorem escam humano generi contulisse visus est, quam ut per eum mortales Christi veram sapientiam complecterentur, et pietatem colerent, ac demum hiis corporeis vinculis absoluti immortalesque effecti eternis gaudiis in illo glorioso sanctorum cetu perfruerentur: eo in genere potissimum sunt, qui philosophie et bonarum artium studiis sese dedunt, sed qui etiam huiusmodi philosophantibus opem ferunt, eque et deo cari sunt. Licet autem omnipotens ipse multo ampliora meritis munera indesinenter ipsis fidelibus retribuat, tamen ad eorum confirmandos animos alliciendosque benignum nostrum et apostolice sedis pie matris gremium clementer pandere consuevimus. Animadvertentes igitur, quod sicut accepimus, Venerabilis frater noster Iacobus Episcopus Sancti Andree in civitate S. Andree collegium pro tredecim Magistris, scolaribus studentibus in sacra Theologia, ac certis Capellanis, earumque servitoribus sub nomine Sancti Salvatoris de bonis sibi a deo collatis, et ex ipsius industria quesitis fundavit, sed ad eius perfectionem tam in edificiis, ornamentorumque ibi degentium sufficiencia, quam in eo muniendo, ut ab inimicorum incursibus, aliisque sinistris eventibus tutum sit, prevenire, sicut valde cupit, non potest sine nostro et fidelium ibi devotionem habentium suffragiis opportunis, premissorum intuitu, quodque Regnum ipsum ab Urbe Ro-

mana per magnum intervallum distat, ac ut ipsi fideles ad huiusmodi devotionem et subsidia prestanda promptius excitentur atque inflammentur, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus incolis dicti Regni vere penitentibus et confessis Christifidelibus, qui dictam ecclesiam in festivitate apparitionis sancti Michaelis, a primis vesperis ipsius festivitatis usque ad secundas vesperas inclusive, ore confessi et corde contriti visitaverint annuatim, ac huic pio operi pro modo facultatum suarum, et de consilio confessoris sui existentis ex deputatis, ut infra dicitur, manus porrexerint adiutrices, omnium peccatorum, criminum et excessuum, etiam in casibus sedi apostolice reservatis plenariam absolutionem et remissionem, ac indulgenciam tenore presentium concedimus et elargimur, presentibus per proxime futurum decennium duraturis. Insuper quoque, ut dicti fideles, sicuti predicimus, visitantes et porrigentes facilius animarum suarum salutem consequi valeant, confessoribus ydoneis per Venerabilem fratrem nostrum Epūm Dunkeldensem, vel eius in spiritualibus Vicarium, ac eiusdem collegii Prepositum, et duos seniores ex prefato cetu Magistrorum, qui pro tempore erunt, iuxta confluentium fidelium concursum, prout expediens esse videbitur, deputandis, secularibus vel quorumcumque ordinum regularibus, omnibus et singulis eiusmodi fidelibus utriusque sexus novem diebus, videlicet in ipso die festo et quatuor precedentibus, ac totidem subsequentibus immediate diebus, eorum confessionibus diligenter auditis, pro commissis debitam absolutionem impendendi, et penitentiam salutarem iniungendi plenam et liberam etiam tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod pecunie, quas per indulgenciam huiusmodi consequendam per fideles ipsos erogari contigerit, in una capsa duabus clavibus claudenda fideliter et vigilanter conserventur, ipsarumque clavium unam Prepositus et Magistri duo seniores huiusmodi, alteram vero apostolice nostre Camere in ipso Regno Scotie Collector pro tempore existens tenere debeant, omniumque pecuniarum et rerum ex huiusmodi oblationibus et elemosinis provenientium tercia pars integra, et sine ulla fraude pro expeditione adversus infideles comparanda et sustentanda eidem nostre apostolice Camere reservetur, et continuo per eundem Collectorem fidelissime efficacissimeque percipiatur, reddatur et consignetur: relique autem due tercie per Prepositum et duos seniores predictos in huiusmodi perficienda edificia, supplenda ornamenta, muniendumque et manutenendum collegium atque locum ipsum dumtaxat, et non aliter quoquomodo convertantur. Alioquin Collector, Prepositus et seniores ipsi duo, qui, quod absit, secus facere, aut oblationes, elemosinas ac alia huiusmodi in alios usus, aut aliter, quam premonemus, distribuere vel agere presumpserint, indignationem ipsius omnipotentis Dei et Apostolorum Petri et Pauli predictorum eo ipso incurrant. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo, pridie Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

DCCCV.

Hugoni de Douglas confertur parochialis ecclesia de Carnisinule Candidaecasae dioecesis. Reg. Tom. XII. fol. 133.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Hugoni de Donglas, rectori parrocchialis ecclesie de Carnisinule alias de Kyrkynner Candidecase diocesis, Magistro in artibus, salutem etc. Generis preclari nobilitas, litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia, et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum bone memorie Thomas in universali ecclesia Dunkeldensis Episcopus, cui olim felicis recordationis Nicolaus papa V. predecessor noster parrochialem ecclesiam de Carnisinule alias de Kyrkynner Candidecase diocesis, tunc per obitum quondam David Hamylton, ipsius ecclesie rectoris apud sedem predictam defuncti, vacantem, et antea etiam dispositioni apostolice reservatam, per eum, quoad viveret, tenendam, regendam et etiam gubernandam certis modo et forma tunc expressis commendaverat, quique vigore commende huiusmodi eandem parrochialem ecclesiam assecutus fuerat, et eam tenebat et possidebat, nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, et propterea commenda ipsa per ipsius Episcopi obitum cessaverit et cesset ad presens, dictaque parrochialis ecclesia adhuc per obitum David huiusmodi, ut prius, vacare noscatur: Nos volentes tibi, qui, ut asseris, de nobili prosapia Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris, et de Comitum genere procreatus, nec non Venerabilis fratris nostri Iacobi Epi Sancti Andree nepos existis, et pro quo prefatus Rex nobis super hoc humiliter scripsit, eiusdem Regis contemplatione, ac premissorum meritorum tuorum intuitu graciam facere specialem, ecclesiam parrochialem predictam, cuius fructus, redditus et proventus quadraginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, sive premisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti David, aut alicuius alterius de illa in dicta Curia vel extra eam, eciam coram Notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem pie memorie Iohannis pape XXII. etiam predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime

devoluta, ipsaque parrochialis ecclesia dispositioni apostolice specialiter vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius status presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illa etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Non obstantibus recolende mem. Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LX. decimo Kalendas Ianuarii, Pont. nostri anno tertio.

DCCCVI.

Iudicibus, ut Roberto Cuby monacho de Aberbruthot ord. s. Benedicti Sancti Andreae dioec. prioratum de Fivy eiusdem ordinis et dioecesis Aberdonensis conferant. Reg. Tom. XIV. fol. 113.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Sancti Andree, et dilectis filiis Abbati Monasterii de Dunfermelyn S. Andree diocesis, ac Preposito ecclesie sancti Salvatoris Sancti Andree, salutem etc. Religionis zelus, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius Robertus Cuby monachus Monasterii de Aberbrothot ordinis sancti Benedicti S. Andree diocesis apud nos fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Ad audienciam siquidem nostram dicto Roberto referente pervenit, quod dilectus filius Alexander Mason monachus dicti Monasterii, suorum salutis, status et honoris immemor, deique timore postposito, et pudicicie laxatis habenis, sacrilegium, furtum et fornicaciones committere, necnon secreta dilecti filii Abbatis dicti Monasterii in eius grave preiudicium relevare ac publicare, et absque ipsius Abbatis licencia, ymo post et contra expressam inhibicionem in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis sentencia, quam propter premissa damnabiliter incurrerat, ligatus, missas et alia divina officia celebrare, ymo verius prophanare non expavit in animo sue periculum, dicti Monasterii preiudicium, ordinis prefati opprobrium, et scandalum plurimorum. Nos igitur attendentes, quod veris existentibus premissis, prefatus Alexander Prioratu de Fivy dicti ordinis Aberdonensis diocesis, quem obtinet, reddidit se indignum, ac volentes eidem Roberto, qui ut asserit, ordinem ipsum expresse professus existit, premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si dictus Robertus eundem Alexandrum super relatis predictis coram vobis accusare, seque in forma iuris inscribere voluerit, postquam illum accusaverit et se inscripserit, ut prefertur, vocatis dicto Alexandro et aliis, qui fuerint evocandi, super eisdem relatis inquiratis auctoritate nostra diligencius veritatem, et si per inquisicionem huiusmodi ea repereritis veritate subniti, eundem Alexandrum dicto Prioratu eadem auctoritate sententialiter privetis et amoveatis realiter ab eodem, prout de iure fuerit faciendum. Et nichilominus si privacionem et amocionem huiusmodi per vos vigore presencium fieri contigerit, ut prefertur, Prioratum predictum, qui conventualis, aut dignitas vel personatus non est, et ad quem quis per electionem non assumitur, cuique cura non imminet animarum, et a prefato Monasterio dependet, ac per illius monachos gubernari consuevit, cuiusque fructus, redditus et proventus novem librarum sterlingorum secundum communem extimacionem valorem annuum, ut idem Robertus eciam asserit, non excedunt, sive per privacionem et amocionem huiusmodi tunc, sive alias quovismodo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignacionem dicti Alexandri, vel alterius de illo extra Romanam Curiam, eciam coram notario publico et testibus sponte factam, vacet, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipseque prioratus disposicioni apostolice specialiter reservatus existat, et super eo inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in eo alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis prefato Roberto eadem auctoritate conferre et assignare curetis, inducentes per vos vel alium seu alios eundem Robertum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prioratus, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde dicto Alexandro et quolibet alio illicito detentore, ac facientes ipsum Robertum vel dictum procuratorem pro eo ad Prioratum huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXI. duodecimo Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno tercio.

DCCCVII.

Iudicibus, ut Willelmum Roche archidiaconum Clonensem episcopo Corkagensi et Clonensi in coadiutorem constituant. Reg. Tom. XIV. fol. 165.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Imelacensi et Rossensi Episcopis, et dilecto filio Abbati Monasterii de Fermoy, alias de Castro Dey Clonensis diocesis, salutem etc. Inter sollicitudines varias, quibus assidue premimur, illa continue pulsat et excitat mentem nostram, ut circa statum ecclesiarum omnium cure nostre divina providencia commissarum, ne in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineant, quantum nobis ex alto permittitur, salubriter providere curemus. Sane sicuti nobis innotuit, Venerabilis frater noster Iordanus Episcopus Corkagensis et Clonensis octuagenarius, et adeo senectute confectus, ac corporeis viribus et visu destitutus existat, quod officium pastorale exercere nequit commode per se ipsum, et propterea nonnullo-

rum subditorum suorum excessus et delicta remanent impunita, et ad alios exemplum impunitatis periculose dirivatur, necnon nonnulla bona Corkagensis et Clonensis invicem canonice unitarum ecclesiarum, quibus ipse Iordanus preesse dinoscitur, et mensarum episcopalium earundem a laicis occupantur, illarum Vassalli ac Clerus civitatis et diocesis Corkag. et Clonensis exactione onerum ab ipsis laicis indebite impositorum pergravantur. Nos igitur eisdem ecclesiis et subditis, ut feliciter gubernentur, providere cupientes, ac de fide, legalitate et industria dilecti filii Willelmi Roche, Archidiaconi dicte ecclesie Clonensis, de Comitum genere procreati, cui apud nos de nobilitate generis, litterarum scientia, vite mundicia, spiritualium providencia et temporalium circumspectione, aliarumque virtutum donis, quibus eum Altissimus insignivit, veridica testimonia perhibentur, plurimum in dño confidentes, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, dummodo ad id Capituli dicte ecclesie Clonensis, aut maioris partis illorum accesserit consensus, ipsum Willelmum in Coadiutorem eidem Epo ordinare, constituere et deputare, ita quod Coadiutoris officium exercere, et eodem officio Coadiutorie durante de fructibus, redditibus et proventibus earundem mensarum moderatos sumptus recipere possit. Et nichilominus, quam primum ecclesie huiusmodi extiterint regimine dicti Episcopi destitute, donec et quousque ipsis ecclesiis sit de pastore canonice provisum, regimen et administracionem dictarum ecclesiarum in spiritualibus et temporalibus eidem Willelmo committere, ita quod ipse illas in spiritualibus et temporalibus regere, gubernare et administrare, ac mensarum huiusmodi fructus, redditus et proventus ad utilitatem ipsius futuri Episcopi recipere, exigere, percipere et custodire, ac Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescere etiam possit et valeat, auctoritate nostra curetis. Volumus autem, quod dictus Archidiaconus ab alienatione qualibet bonorum mensarum et ecclesiarum prefatarum quomodolibet facienda penitus abstineat, quodque de gestis et administratis per eum, Coadiutoria et administratione huiusmodi durantibus, teneatur reddere rationem, et antequam huiusmodi Coadiutoriam et administrationem incipiat exercere, de non alienando bona seu iura dictarum mensarum, et alias huiusmodi Coadiutoriam et administrationem fideliter exercendo in manibus vestris corporale iuramentum, ac de fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi, quos ipsa administratione durante perceperit, eidem futuro Epo restituendo sufficientem cautionem prestet. Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, ac ipsarum et quarumlibet aliarum ecclesiarum iuramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel etc. Datum Rome apud S. Petrum anno etc. M.CCCC.LXI. sexto Kalendas Iunii, Pont. nostri anno tercio.

DCCCVIII.

Vicaria parochialis ecclesiae de Strin Tuamensis dioec. mensae abbatiali monasterii s. Ioannis Evangelistae Tuamensis ordinis s. Augustini unitur. Reg. Tom. XVI. fol. 57.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Archiepo Tuamensi, et dilectis filiis Iohanni de Burgo ac Thome Oconualta Canonicis ecclesie Tuamensis, salutem etc. Ad ecclesiarum et Monasteriorum, eorumque studio pie vite deditarum, ac illis presidentium personarum omnium statum salubriter et prospere dirigendum paterna sollicitudine vigilamus, illorumque profectibus libenter intendimus, et hiis, per que ipsorum commoditati et utilitati consulitur, favorem, quantum cum deo possumus, benivolum impartimur. Ad audientiam siquidem nostram dilecto filio Willialmo Abbati Monasterii s. Iohannis Evangeliste Tuamensis ordinis sancti Augustini referente pervenit, quod dilectus filius Malachias Odurruhia, qui se gerit pro Vicario parrochialis ecclesie de Strin, alias Reliquiarum sancti Iedalhey etiam Tuamensis, proprie salutis immemor, ac dei timore postposito, fructus, redditus et proventus ad perpetuam Vicariam dicte ecclesie legitime pertinentes et spectantes dilapidare, distrahere et alienare, necnon pudicicie laxatis habenis, quandam concubinam, ex qua prolem procreavit, in domo sua preter et contra statuta synodalia Tuamensia publice tenere, periurii reatum et quam plura alia enormia crimina, propter que et de quibus in partibus illis apud bonos et graves personas valde defamatus et pernotatus existit, committere non expavit in anime sue periculum, clericalis ordinis obprobrium, dicte ecclesie detrimentum, aliorumque perniciosum exemplum et scandalum plurimorum. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Willialmi Abbatis petitio continebat, fructus, redditus et proventus mense Abbacialis dicti Monasterii, cui preesse dignoscitur, adeo tenues et exiles existunt, quod ex illis, qui viginti marcharum sterlingorum secundum communem extimacionem valorem annuum non excedunt, dictus Willialmus Abbas secundum sui status exigentiam commode et honeste vivere non potest, quinymmo dilecti filii Canonici dicti Monasterii in magna paupertate et penuria degunt, quodque si dicta Vicaria eidem mense Abbaciali perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, ex tunc Abbas ipsius Monasterii pro tempore existens per hoc decencius statum suum tenere, et Canonici huiusmodi opulencius vivere possint: Nos igitur attendentes, quod veris existentibus relatis predictis, dictus Malachias prefata Vicaria, quam obtinet, merito se reddidit indignum, necnon augmento dicti Monasterii intendere volentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si dictus Willialmus Abbas eundem Malachiam super premissis relatis coram vobis accusare, seque in for-

ma iuris inscribere voluerit, postquam eum accusaverit et se inscripserit, ut prefertur, vocatis dicto Malachia et aliis, qui fuerint evocandi, super eisdem relatis inquiratis auctoritate nostra diligencius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi relata ipsa fore vera reppereritis, dictum Malachiam predicta Vicaria auctoritate prefata sententialiter privetis et amoveatis realiter ab eadem, prout de iure fuerit faciendum. Et nichilominus si privationem et amotionem huiusmodi per vos vigore presentium fieri contigerit, ut prefertur, Vicariam predictam, cuius fructus, redditus et proventus sex marcarum sterlingorum secundum dictam extimationem valorem annuum, ut ipse Abbas etiam asserit, non excedunt, sive per privationem et amotionem predictas tunc, sive alias quovismodo, aut adhuc per quondam Muriam Ygoduayn aut Oddonis Mugillacumayn clericorum extra Romanam Curiam defunctorum obitus, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Malachie etc. vacet etc. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem mense eadem auctoritate perpetuo unire, annectere et incorporare curetis: Ita quod ex tunc liceat eidem Willialmo, et pro tempore existenti dicti Monasterii Abbati per se, vel alium seu alios corporalem possessionem Vicarie, iuriumque et pertinentiarum predictorum auctoritate propria apprehendere libere ac etiam retinere, necnon fructus, redditus et proventus Vicarie huiusmodi in suos et dicti Monasterii usus et utilitatem convertere, ac perpetuo retinere, diocesani loci et cuiuslibet alterius licencia super hoc minime requisita. Contradictores etc. Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. etc. Datum Tibure Anno etc. M.CCCC.LXI. sexto Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCIX.

Iudicibus, ut Dermicio Odiuffyn cancellariam ecclesiae Fernensis conferant, amoto Philippo Nogul. Reg. Tom. XVI. fol. 215.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Leglinensi, et dilectis filiis Decano ac Patricio Oburm Canonico ecclesie Leglinensis, salut. etc. Vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Dermitius Odiuffyn, clericus Fernensis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Ad audientiam siquidem nostram dicto Dermitio referente pervenit, quod dilectus filius Philippus Nogul, qui se gerit pro presbitero et Cancellario ecclesie Fernensis, suorum salutis, status et honoris immemor, deique timore postposito, ac pudicicie laxatis habenis, notorius fornicator publicusque concubinarius existens, adeo litterarum ignarus existit, quod loqui latine congrue nescit, ac idioma loci intelligibiliter non loquitur nec intelligit. Nos igitur attendentes, quod veris existentibus premissis, prefatus Philippus dicta Cancellaria, quam obtinet, reddidit se indignum, ac volentes dicto Dermitio, qui ut asserit, defectum natalium de clerico genitus et soluta patitur, premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, ipsum Dermitium a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis in eum a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, inflictis seu promulgatis, quibus forsan quomodolibet irretitus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum auctoritate apostolica harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, discretioni vestre, cum prefatus Dermitius, ut asserit, potentiam dicti Philippi merito perhorrescens, in civitate et diocesi Fernensi non speret consequi iusticie complementum, per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum, si dictus Dermitius prefatum Philippum super premissis nobis relatis coram vobis accusare, seque in forma iuris inscribere voluerit, postquam illum accusaverit et se inscripserit, ut prefertur, vocatis dicto Philippo et aliis, qui fuerint evocandi, super relatis predictis inquiratis auctoritate nostra diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi ea vera esse repereritis, prefatum Philippum Cancellaria predicta sententialiter privetis, et amoveatis realiter ab eadem, prout de iure fuerit faciendum. Et nichilominus si privationem et amotionem huiusmodi per vos fieri contigerit, ut prefertur, Cancellariam predictam, que inibi dignitas, non tamen post pontificalem maior existit, cuique cura imminet animarum, et ad quam quis per electionem non assumitur, et cuius fructus, redditus et proventus decem marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Dermitius etiam asserit, non excedunt etc. cum omnibus iuribus et pertinenciis suis prefato Dermitio eadem auctoritate conferre et assignare curetis, inducentes per vos vel alium seu alios eundem Dermitium, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Cancellarie iuriumque et pertinenciarum predictorum, et deffendentes inductum, amoto exinde dicto Philippo et quolibet alio illicito detentore, ac facientes Dermitium vel dictum procuratorem pro eo ad Cancellariam huiusmodi in dicta ecclesia, ut est moris, admitti, sibique de ipsius Cancellarie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universo integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus pie memorie Bonifatii pp. VIII. etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXI. sexto Kalendas Octobris, Pont. nostri anno quarto.

DCCCX.

Cum Georgio de Abbernethy clerico dispensatur ad decennium de ordinibus suscipiendis, ut in aliquo generali studio litteris incumbat. Reg. Tom. XLII. fol. 10.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Georgio de Abbernethy clerico Sancti Andree diocesis, Magistro in artibus, salutem etc. Nobilitas generis, litterarum scientia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Hinc est, quod nos volentes te, qui, ut asseris, de regali

prosapia originem traxisti, et de Baronum genere ex utroque parente procreatus existis, premissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati tecum, ut hinc ad decennium a data presentium computandum in aliquo studio litterarum loco, ubi illud vigeat generale, insistendo et actu studendo, ratione cuiuscunque beneficii ecclesiastici seu alias sacros ordines, vel aliquos, seu aliquem ex eis requirentis, per te forsan obtenti, vel quod te interim obtinere contigerit, ad aliquem ex diaconatus vel presbiteratus ordinibus te facere promoveri minime tenearis, nec ad id a quoquam invitus quomodolibet coarctari valeas, dummodo infra annum a tempore, quo aliquod curatum beneficium pacifice assecutus fueris, ad subdiaconatus ordinem te facias promoveri, generalis concilii et quibuscunque aliis apostolicis constitutionibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia dispensamus. Proviso tamen, quod beneficium per te pro tempore obtentum huiusmodi debitis interim non fraudetur obsequiis, et animarum cura in eo, si qua illi immineat, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, IX. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXI.

Thadaeo Maconmara confertur vicaria parochialis ecclesie de Killokemedid Laoniensis diocesis, amoto Malachia Maconmara. Reg. Tom. XVII. fol. 129.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Decano ecclesie Laoniensis, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Ad audientiam siquidem nostram dilecto filio Thadeo Maconmara, clerico Laoniensis diocesis, referente pervenit, quod dilectus filius Malacias Maconmara, rector parrochialis ecclesie de Cluoynlard Mediecantiede de Oblayd dicte diocesis, suorum status, salutis et honoris immemor, ac dei timore postposito, pudicicieque laxatis habenis, publicus et notorius fornicator existit, ac nonnulla res et bona ad rectoriam dicte ecclesie legitime spectantia distrahere, dilapidare, alienare, et inutiliter consumere, nec non symonie labem committere non expavit in anime sue periculum, clericalis ordinis opprobrium, ac aliorum perniciosum exemplum, et scandalum plurimorum. Nos igitur attendentes, quod veris existentibus supradictis, prefatus Malacias dicta rectoria, quam obtinet, merito se reddidit indignum, et sicut accepimus, Vicaria perpetua parrochialis ecclesie de Killokemedid dicte diocesis, de qua dudum, certo modo vacante, dilecto filio Iacobo Oflamura presbitero eiusdem diocesis apostolica fuit auctoritate provisum, ex eo quod ipso Iacobo sciente et non contradicente illa dudum post provisionem huiusmodi de consensu Venerabilis fratris nostri Episcopi, et dilectorum filiorum Capituli Laoniensis Archidiaconatum ecclesie Laoniensis usque ad decem annos tunc proxime sequentes sub certis modo et forma tunc expressis uniri, annecti et incorporari permisit et toleravit, et propterea iuri sibi in eadem Vicaria seu ad illam quomodolibet competenti tacite cessit, quodque tempus unionis huiusmodi effluxit, vacaverit et vacat ad presens, ac volentes dictum Thadeum, qui ut asserit, de nobili Ducum genere ex utroque parente procreatus, et in XXII. sue etatis anno constitutus existit, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, ipsumque Thadeum ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, si quibus a iure vel ab homine ex quibusvis causis et occasionibus, et a quacumque etiam apostolica auctoritate in genere et in specie latis, inflictis et promulgatis quomodolibet irretitus existat, quo ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si dictus Thadeus prefatum Malaciam, quoad rectoriam supradictam dumtaxat, super premissis coram te accusare, seque in forma iuris inscribere voluerit, postquam illum accusaverit et se inscripserit, ut prefertur, vocatis eodem Malacia et aliis, qui fuerint evocandi, super relatis premissis, inquiras auctoritate nostra diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi ea repereris veritate subniti, prefatum Malaciam dicta rectoria auctoritate nostra similiter prives et amoveas realiter ab eadem, prout de iure fuerit faciendum. Et nihilominus si per diligentem examinationem eundem Thadeum ad hoc idoneum esse inveneris, super quo tuam conscientiam oneramus, rectoriam, que de iure patronatus laicorum existit, et cuius sedecim, si privationem et amotionem huiusmodi per te vigore presentium fieri contigerit, ut prefertur, sive per privationem et amotionem huiusmodi tunc ad Vicariam, cuius sex marcharum sterlingorum fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Thadeus etiam asserit, non excedunt, prefatas, sive ut premittitur sive aliis quibusvis modis, aut ex aliorum quorumcumque personis, seu dicta rectoria ex eo, quod prefatus Malacias illam per annum et ultra pacifice possidens, se non fecit, impedimento cessante legitimo, et nulla super hoc dispensatione obtenta, ad sacerdotium promoveri, aut per liberam resignationem eiusdem Malacie, vel alicuius alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico et testibus sponte factam, ipsaque rectoria ac Vicaria huiusmodi per constitutionem felicis recordat. Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipseque rectoria et Vicaria dispositioni apostolice specialiter vel generaliter reservate existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore

date presentium non sit in eis alias alicui specialiter ius quesitum, et quoad rectoriam predictam ad id dictorum patronorum accedat assensus, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato Thadeo auctoritate nostra conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eundem Thadeum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem rectorie et Vicarie, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendens inductum, amotis Malacia predicto et quibuslibet aliis illicitis detentoribus ab eisdem, ac faciens sibi de ipsarum rectorie et Vicarie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXI., quarto Idus Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXII.

Iudicibus, ut parochialem ecclesiam de Kelmor in praebendam canonicalem ecclesiae Kelmorensis constituant, eamque Cormaco Osyridean conferant. Reg. Tom. XVII. fol. 192.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Cormaco Magamrugan, et Cormaco Magranaill, ac Eugenio Orodocan Canonicis Ardakadensis ecclesie, salutem etc. Apostolice sedis providencia circumspecta ad illos sue liberalitatis gratiam extendit, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant, et circa ea, que ecclesiarum omnium, presertim Cathedralium, ac in eis divinis laudibus deditarum personarum favorem cum divini cultus augmento respiciunt et commoda, sollicitudinis sue partes favorabiliter interponit. Cum itaque, sicut accepimus, perpetuum beneficium, Rectoria terrarum ruralium ad mensam Episcopalem Kelmorensem non pertinens, totius parrochie parrochialis ecclesie de Kelmor Kelmorensis diocesis vacaverit, et vacet ad presens et tanto tempore vacaverit, quod de illius vere et ultime vacationis modo certa noticia non habetur, et eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii est ad dictam sedem legitime devoluta, licet dilecti filii Prior et Conventus Monasterii sanctorum Feyny et Taurini de Fonor, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti Midensis diocesis, illud absque aliquo iusto titulo sine iuris aminiculo per longum tempus detinent indebite occupatum; et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Cormaci Osyridean, Canonici Kelmorensis, Canonicatum dicte ecclesie Kelmorensis, in qua certus Canonicorum numerus esse dinoscitur institutus, quem ipse Cormacus de numero ipso existens obtinet, prebendam non habeat; et sicut eadem peticio subiungebat, si dictum beneficium in prebendam ecclesie Kelmorensis predicte erigeretur, et pro prebenda ipsius Canonicatus deputaretur, ipse Cormacus, qui nullos alios fructus annuos ratione dicti Canonicatus obtinet, et ipsum Canonicatum pro tempore obtinens decentius sustentari, et sedulius divinis in eadem ecclesia Kelmorensi insistere valeret: Nos dicto Cormaco, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, horum intuitu specialem gratiam facere, ac ad ea, per que in eadem ecclesia Kelmorensi cultus augeri valeat divinus, intendere volentes, ipsumque Cormacum, ut presentium dumtaxat consequatur effectum, ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine quavis etiam apostolica auctoritate latis et inflictis, quibus forsan quomodolibet irretitus habetur, dicta apostolica auctoritate absolventes et absolutum fore censentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus si vocatis Priore et Conventu prefatis, et aliis qui fuerint evocandi, beneficium predictum, quod sine cura est, et cuius fructus, redditus et proventus, deductis ex illis certa parte, que Episcopo Kelmorensi pro tempore existenti exhiberi consuevit, annuatim octo marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Cormacus asserit, non excedunt, quovis modo, aut ex cuiuscumque persona vacare reppereritis, illud etiam si dispositioni apostolice specialiter reservatum existat etc. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dicto Cormaco auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem beneficii iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendentes inductum, amotis exinde dictis Priore et Conventu, et quolibet alio illicito detentore, ac facientes dicto Cormaco de eiusdem beneficii fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Et nichilominus, si et postquam de expositis et subiunctis huiusmodi vobis legitime constiterit, et Venerabilis fratris nostri Episcopi Kelmorensis ad id accessit assensus, beneficium ipsum in prebendam dicte ecclesie Kelmorensis erigere, et pro prebenda Canonicatus prefati perpetuo deputare dicta auctoritate nostra curetis. Contradictores auctoritate nostra etc. Non obstantibus felicis recordationis Bonifaci pape VIII. etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXII. quinto Idus Iannarii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXIII.

Parochialis ecclesia de Dunovne unitur mensae episcopali Lismorensi. Reg. Tom. L. de Curia lib. I. fol. 79.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio circa ecclesiarum, presertim Cathedralium, earumque personarum statum, annuente Domino, prospere dirigendum curis pulsamur assiduis, ut his, que in ipsarum favorem et commodum provide concessa sunt, apostolici roboris firmitatem adiiciamus, necnon ad ea solicitudinem nostram dirigamus, per que personis ipsis valeat in suis necessitatibus subveniri. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Georgii Episcopi Lismorensis, alias Ergadiensis, nobis nuper exhibita pecio continebat, quod olim clare memorie Iacobus Scotorum Rex pie considerans, quod mense Episcopalis Ergadiensis alias Lismorensis fructus, redditus et proventus adeo tenues et exiles

erant, ut ex eis dictus Georgius Episcopus iuxta Episcopalis dignitatis decentiam statum suum commode tenere non posset, compatiensque paupertati mense Episcopalis Lismorensis alias Ergadiensis, parrochialem ecclesiam de Dunovne, de suo iure patronatus existentem, mense Episcopali Lismorensi alias Ergadiensi predicte in puram elemosinam perpetuo dedit et concessit, prout in quibusdam litteris autenticis dicti Regis desuper confectis plenius continetur. Quare pro parte dicti Georgii Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationi et concessioni huiusmodi robur apostolice confirmationis adiicere, ac dictam ecclesiam eidem mense imperpetuum unire, annectere et incorporare, aliasque super his oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis plenissime informati, huiusmodi supplicationibus inclinati donationem et concessionem huiusmodi ratas et gratas habentes, illas auctoritate apostolica ex certa scientia approbamus et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, et nichilominus dictam ecclesiam, cuius duodecim, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem mense, cuius centum et quadraginta librarum sterlingorum fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Georgius Episcopus asserit, non excedunt, tenore presentium auctoritate et scientia prefatis imperpetuum unimus, annectimus et incorporamus: Ita quod si dicta ecclesia vacat ex nunc, alioquin cedente vel decente moderno ecclesie ipsius Rectore, aut illam alias quomodolibet dimittente, liceat eidem Georgio Episcopo Lismorensi corporalem possessionem dicte ecclesie, iuriumque et pertinentiarum predictorum auctoritate propria libere et licite apprehendere et perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus et proventus in suos et dicte mense usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac nostra, per quam inter cetera volumus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, alioquin unio non valeret, ceterisque contrariis quibuscumque; Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolice sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem, et quecumque inde secuta ad dictam parrochialem ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso quod dicta parrochialis ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea nullatenus negligatur. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre approbationis, confirmationis, communitionis, supplectionis, unionis, annexionis, incorporationis et voluntatis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXII., pridie Nonas Marcii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXIV.

Abbati monasterii s. Thomae martyris de Aberbrothoc ord. s. Benedicti Sancti Andreae dioecesis conceditur, ne parochialium suarum ecclesiarum vicarios cuiuscunque dioecesis teneantur esse subiecti alteri episcopo, quam ipsius monasterii episcopo dioecesano. Reg. Tom. XVIII. fol. 275.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Ortano et Sancti Andree Episcopis, ac dilecto filio Abbati monasterii de Dunfermelyn Sancti Andree diocesis, salutem etc. Etsi quibuslibet personis et locis ecclesiasticis, ne indebitis molestiis afficiantur, ex assuete pietatis officio assistere teneamur: illis tamen magis adesse nos convenit, qui sub humilitatis spiritu sacre religionis habitu assumpto devotius et sedulius exhibeant altissimo famulatum. Sane dilectorum filiorum Abbatis et Conventus monasterii s. Thome martiris de Aberbroth(oc) ordinis s. Benedicti Sancti Andree diocesis conquestione percepimus, quod licet nonnulle parrochiales ecclesie diversarum aliarum diocesum ipsi monasterio canonice sint unite, fuerintque Abbates dicti monasterii, qui pro tempore extiterunt, ac Conventus huiusmodi in pacifica possessione dictarum ecclesiarum etiam tanto tempore, cuius contrarii hominum memoria non existit, ipsique Monasterio seu illius Abbati et Conventui per speciale privilegium concessum sit, quod ad congregationes synodales, que singulis annis semel in singulis diocesibus celebrantur, nisi dumtaxat ad synodum ordinarii Episcopi S. Andree comparere minime teneantur, cum habeant in singulis ecclesiis huiusmodi vicarios perpetuos per predictos Episcopos institutos, eisdem Episcopis obedientes, nichilominus nonnulli alii Episcopi, et locorum seu ecclesiarum huiusmodi unitarum ordinarii, ipsos Abbatem et Conventum occasione dictarum unitarum ecclesiarum variis exquisitis modis inquietare, necnon illarum fructus, redditus et proventus occasione capta, quod ipsi Abbas et Conventus eis obedientiam non prestant, vel ad synodum seu capitula sua non comparent, aut exactiones sive subsidia immoderata, et alia onera per ipsos Episcopos et locorum ordinarios, seu alios principes seculares imposita non solvunt, seu reparationi dictarum ecclesiarum etiam pro minima expensa per ipsos fortassis neglecta sequestrari faciunt: et quia ipsi Abbas et Conventus mandatis et sequestrationibus huiusmodi dictorum Episcoporum non parent, tam ipsos, quam eorum et dictarum ecclesiarum parrochianos decimatores, firmarios ac colonos laicos, decimarum debitores ipsi

monasterio, pro solutione debitorum et decimarum facta per eos excommunicant, et excommunicatos publice denuntiant, ac faciunt denuntiari in maximum Abbatis et Conventus ac monasterii predictorum preiudicium atque damnum. Quare pro parte ipsorum Abbatis et Conventus asserentium, quod grave et dispendiosum valde eis existit pro singulis querelis et molestiis, (que) per dictos Episcopos, qui apostolice sedi immediate subiecti fore dinoscuntur, eis inferuntur, ad sedem eandem habere recursum, quodque monasterium ipsum occasione premissorum plurimum deterioratum, et in suis redditibus diminutum existit, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis super hoc oportune providere paterna diligencia curaremus. Nos igitur, ad quos pertinet super his adhibere nostre diligencie curas, et taliter providere, quod unicuique privilegia illesa conserventur, et absque acceptione personarum iustitia ministretur, ipsique Abbas et Conventus eo devotius et quietius Domino deservire possint, quo magis a premissis inquietationibus et molestiis se noverint liberatos, huiusmodi quoque supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios omnibus et singulis Episcopis et locorum ordinariis, in quorum diocesibus ecclesie predicte consistunt, excepto dumtaxat Episcopo Sancti Andree eorum ordinario, sub excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque formidabilioribus, etiam pecuniariis Camere apostolice in subsidium christianorum contra Turcos applicandis penis, sententiis et censuris, quas contrafacientes ipso facto incurrere volumus et decernimus, auctoritate nostra districtius inhibeatis, ne de cetero Abbatem et Conventum seu monasterium, vel decimatores, colonos aut debitores huiusmodi occasione dictarum ecclesiarum, aut sequestrationum eorundem directe vel indirecte, publice vel occulte, seu quovis alio quesito colore molestare, vexare seu perturbare premissorum occasione, aut etiam ratione obedientie, que eorum ordinario dumtaxat prestari volumus, ipsarumque ecclesiarum fructus, redditus et proventus ab eorum Episcoporum iurisdictione eximimus, et perpetuo exemptos habere volumus et decernimus, sequestrare, aut eisdem Abbati et Conventui iniurias vel offensas irrogare, aut ipsos vel debitores predictos pro ipsorum decimarum suarum solutione excommunicare per se, vel alium seu alios quoquomodo presumant, dictique monasterii pro tempore existenti seu eius subpriori claustrali, vel alteri per eum deputando, quod pro debitis, fructibus et decimis predictis Episcoporum debitores, aut alios notarios bonorum monasterii predicti detentores, spoliatores et oppressores per censuras ecclesiasticas usque ad satisfactionem condignam coherceri, et satisfactione impensa absolvere possint, facultatem concedimus per presentes, eadem auctoritate concedatis. Et insuper omnes et singulas causas, quas Abbas et Conventus predicti contra Epos et ordinarios eosdem, tam coniunctim quam divisim, premissorum vel quavis alia occasione pro tempore movere voluerint, partibus convocatis, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, audiatis et appellatione remota debito fine decidatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Nos enim vobis et cuilibet vestrum inhibitiones, citationes et monitiones cuiuscumque, etiam per edictum publicum valvis affigendum, quotiens vobis visum fuerit, faciendi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, ac volumus et decernimus, quod inhibitiones, citationes et monitiones huiusmodi perinde illos, quos concernunt, arctent, ac si ille eis personaliter et presentialiter facte et insinuate fuissent. Non obstantibus felicis recordationis Bonifatii pape VIII. etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXI. septimo Idus Martii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXV.

Vicario et fratribus ord. Minorum de observantia in Hibernia quaedam reformatio per episcopum Aladensem facta confirmatur [conf. supra Nr. DCCCI. pag. 425.]. Reg. Tom. XVIII. fol. 245.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romani Pontificis providencia circumspecta ad ea libenter intendit, per que regularis observantie norma ubilibet vigeat et perseveret, ac fidelium devotio augeatur, animarumque saluti provideatur, et hiis, que propterea vigore litterarum nostrarum provide facta sunt, ut sublatis quibusvis obstaculis firma et illibata persistant, cum ab ea petitur, apostolici muniminis adiicit firmitatem. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum Neemie et Richardi de Ybernia ordinis fratrum Minorum professorum de observantia nuncupatorum nobis exposito, quod licet in provincia Ybernie multa essent eiusdem ordinis loca, nichilominus nulla nisi in uno dumtaxat debita iuxta ordinis observantium ritum observantia loco retinebatur; sed omnia loca predicta per huiusmodi ordinis fratres Conventuales aut non observantes regebantur et gubernabantur: Nos venerabili fratri nostro Episcopo Aladensi, eius proprio nomine non expresso, per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut si ita esse repperiret, prefatis Neemie et Richardo coniunctim et divisim quatuor eiusdem ordinis fratrum Conventualium loca per eos eligenda reformandi, illaque, ad id accedente fratrum in illis degentium voluntate, parte et assensu, ad observantiam debitam reducendi, ac in illis regularem observantiam iuxta ordinem, regulam et ritum observantium predictorum retinendi, ac sub obedientia generalis Vicarii ultramontani de observantia dumtaxat vivendi, et permanendi auctoritate apostolica licentiam et facultatem omnino largiretur. Et deinde sicut pro parte dilectorum filiorum Vicarii provincialis et fratrum ordinis Minorum de regulari observantia provincie Ybernie nobis nuper exhibita petitio continebat, licet bone memorie Bernardus Episcopus Aladensis, ad

ipsarum litterarum executionem procedens, illarum forma servata, tres conventus eiusdem ordinis in dicta provincia iuste et sancte, alias iuxta tenorem earundem litterarum reformaverit: et ad regularem observantiam reduxerint: nichilominus quidam fratres Conventuales eiusdem provincie, dei timore postposito, ac mandata apostolica postponentes, predictos fratres observantie, sicut premittitur, reformatos, quominus cum animi sui quiete vota sua Domino reddere ac Altissimo famulari possint, multipliciter perturbant et inquietant, nec non contra reformationem huiusmodi quandam frivolam appellationem minus debite ad nos et sedem apostolicam interposuerunt, in maximum ipsorum fratrum de observantia et Conventuum reformatorum huiusmodi preiudicium atque damnum. Quare pro parte Vicarii et fratrum de observantia predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut reformationi per dictum Episcopum facte pro illius subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictorum fratrum ritum et vitam laudabilem plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, reformationem per prefatum Episcopum factam, et illam concernentia omnia et singula, et inde secuta quecumque auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia confirmamus et approbamus, plenumque firmitatis robur obtinuisse et obtinere decernimus et declaramus, presentisque scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem: et insuper pro pace et quiete fratrum de observantia huiusmodi, eisdem fratribus Conventuatibus super predicta et quibusvis aliis frivolis appellationibus, et inquietationibus per ipsos fratres Conventuales contra reformationem huiusmodi interiectis, perpetuum silentium imponimus. Et nichilominus eidem Episcopo Aladensi per apostolica scripta mandamus, quatenus per se vel alium seu alios faciat reformata huiusmodi inviolabiliter observari, et non permittat, ipsos fratres de observantia contra huiusmodi reformata quomodolibet molestari. Contradictores etc. Non obstantibus constitutionibus etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, tertio Idus Martii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXVI.

Episcopo Aberdonensi confertur indultum beneficia ecclesiastica in sex anni mensibus alternativis conferendi. Reg. Tom. XXXIX. fol. 292.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Thome Epo Aberdonensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benevolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, per que personis ydoneis tibi servientibus, ac alias gratis et acceptis te valeas gratiosum exhibere et etiam liberalem. Horum igitur consideratione motu proprio, non ad tuam vel alicuius pro te nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed ex nostra mera liberalitate fraternitati tue omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, secularia vel quorumcumque ordinum regularia, etiam si Canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus vel Collegiatis, vel Prioratus seu Preposituree fuerint, ad tuam collationem, provisionem, presentationem, institutionem seu quamvis aliam dispositionem pertinentia, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, que quamdiu ecclesie Aberdonensi prefueris, in singulis Februarii et Aprilis, ac Iunii et Augusti, necnon Octobris et Decembris mensibus quandocumque vacare contigerit, personis ydoneis, etiam quecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia obtinentibus libere conferendi, et de illis etiam providendi, perinde ac si nostre et dicte sedis reservationes etiam speciales, nec non expectative gratie et littere nullatenus emanassent hactenus, nec in posterum emanarent, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium, et ex certa scientia concedimus facultatem. Non obstantibus supradictis nec non constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibuscumque aliis gratiis expectativis, nominationibus, seu nominandi facultatibus, reservationibus, prerogativis, indultis, ipsorumque omnium declarationibus, quibuscumque personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel condicionis aut nobilitatis fuerint, etiam si Legationis aut Vicariatus sedis apostolice fungantur officio, vel Archiepiscopali, Episcopali, Regali, Ducali, seu quavis alia ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, per nos vel sedem eandem etiam motu proprio et scientia similibus, et sub quibusvis verborum formis, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque melioribus et prohibitoriis clausulis, suspensionibus, decretis quibuscumque irritantibus, etiam talibus, que eorum derogationem de ipsis eisque totis tenoribus, nec non personarum, quibus concessa sunt, nominibus et cognominibus, ac si de verbo ad verbum specialis, individualis, specifica et expressa mentio, aut quevis alia expressio seu specificatio habenda foret, hactenus concessis, ac per nos vel dictam sedem concedendis, vel nisi in illis de tuo nomine et cognomine, ac gradu et loco, nec non presentium tenore de verbo ad verbum, non autem per generales aut alias importantes clausulas mentio fiat, in posterum concedendis, quibus omnibus et singulis, illis tamen quo ad illos menses in suo robore permansuris, quo ad premissa derogare intendimus, ac etiam similibus scientia et auctoritate tenore presentium derogamus, et pro nullis et infectis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod alia, quam dudum prelatis aliisque beneficiorum eccles. collatoribus super conferendis beneficiis etc. concessimus, facultate deinceps minime utaris. Et insuper etc. Nulli etc. nostre concessionis, derogationis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, quarto Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXVII.

Erectio parochialis ecclesiae de Hamilton in collegiatam de novo approbatur, et Georgio de Graham praepositura confertur. Reg. T. XVIII. f. 242.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Gratie sedis apostolice plenitudo ea, que pro divini cultus augmento, et ecclesiarum, ac in eis divinis laudibus deditarum personarum statu prospero dirigendo provide facta reperit, libenter validat et confirmat, et ad illos sue liberalitatis gratiam extendit, quos propria virtutum merita laudabiliter recommendant. Dudum siquidem felicis recordationis Nicolaopape V. predecessori nostro pro parte dilecti filiinobilis viri Iacobi domini de Hamylton, militis Glasguensis diocesis, inter alia exposito, quod antea ipse provide considerans, quod parrochialis ecclesia loci de Hamylton et diocesis predictorum, alias de Cadzow antiquitus nuncupata, cuius Rector pro tempore in ecclesia Glasguensi Decanus erat, per unicum Vicarium regi et gubernari consueverat, amplam haberet, prout habebat, parrochiam, et in illa habitatorum et incolarum multitudinem animarum, quodque cura huiusmodi commode per solum Vicarium exerceri, et eidem ecclesie debite deserviri non poterat, pio desiderio motus pro divini cultus augmento et cura huiusmodi commodius supportanda eidem parrochiali ecclesie, quam in Collegatam erigi, et in ea ultra illius Rectoriam, Preposituram pro uno Preposito, et sex Capellanias, pro totidem ydoneis Capellanis presbiteris institui, et creari affectabat, viginti libratas terrarum et annuorum reddituum infra suum dominium consistentium concesserat pariter et donaverat, et quatuor tunc expressas Capellanias, per suos antecessores fundatas, et de suo iure patronatus existentes, ipsis erigendis Capellaniis uniendis sponte concesserat: idem tunc predecessor supplicationibus eiusdem militis inclinatus, Episcopo Glasguensi, eius proprio nomine non expresso, suis dedit litteris in mandatis, ut de premissis et aliis sibi tunc subiunctis se diligenter informaret, et si per informationem huiusmodi ita esse reperiret, super quo suam conscientiam oneravit, parrochialem ecclesiam predictam in Collegiatam cum insigniis Collegialibus, aliisque partium illarum Collegiatis ecclesiis de iure vel de consuetudine debitis, pro una Prepositura, et sex Capellaniis ultra Rectoriam huiusmodi in ea quoque, postquam ipsas quatuor alias Capellanias univisset, ut prefertur, illius Vicarium in Prepositum et sex alios in Capellanos ad presentationem ipsius militis creare et instituere, necnon quatuor marchas sterlingorum eidem Rectori, eatenus ab eodem Vicario annuatim pensionis nomine debitas, pro eiusdem erigende Collegiate ecclesie oneribus commodius supportandis deputare et applicare, ac eidem militi pro se suisque heredibus, et successoribus ius patronatus, et presentandi personam ydoneam in Prepositum Episcopo Glasguensi pro tempore existenti, et per eundem Episcopum, et sex alias similes personas in Capellanos Preposito per ipsum in Capellanos, quotiens casus vacationis illarum accederet, instituendos in perpetuum concedere et donare curaret. Et deinde, sicut accepimus, Venerabilis frater noster Thomas Episcopus Candidecase, et dilectus filius Archebaldus Abbas Monasterii sancte Crucis de Edinburgh ordinis sancti Augustini S. Andree diocesis, quibus et eorum cuilibet bone mem. Willelmus, tunc Epus Glasguensis, ad earundem litterarum executionem, diversis reipublice negotiis prepeditus, procedere non valens, commisit totaliter vices suas, ad executionem ipsam procedentes, quia exposita et subiuncta huiusmodi invenerunt veritate subniti, eandem parrochialem ecclesiam in Collegiatam cum collegialibus insigniis, necnon iuribus, iurisdictionibus, preeminentiis, libertatibus, immunitatibus, honoribus et privilegiis, que aliis Collegiatis ecclesiis ubilibet infra Regnum Scotie competere noscebantur, erexerunt, Prepositumque, que inibi dignitas principalis esset, de fructibus, redditibus et proventibus Vicarie perpetue ipsius olim parrochialis, sic erecte ecclesie Preposito, qui Capitulo et Capellanis ipsius erecte ecclesie in honore et dignitate preponeretur, assignandam constituerunt et ordinaverunt, ad quam Prepositi ad militem ac successores et heredes predictos presentatio, ad Episcopum vero pro tempore Glasguensem institutio perpetuis futuris temporibus pertinerent, et ipse Prepositus solitam mansionem ipsius Vicarii, et curam animarum earundem haberet, et quatuor cappellaniis predictis, tunc designatis, eidem Collegiate ecclesie et eius mense Capitulari per eos unitis, annexis et incorporatis ex dote terrarum et reddituum annexorum, et quatuor Capellaniarum predictarum, sex Capellanias pro ipsis sex presbiteris Capellanis in dicta Collegiata ecclesia crearunt et ordinarunt, et devisionem fructuum, reddituum et proventuum inter eos fecerunt et ordinarunt. Quatuor vero marchas predictas eidem Vicario, quam primum in Prepositum institutus foret, remiserunt, ipsumque ab illarum protestatione, quas pro incumbentibus oneribus ipsius Collegiate ecclesie reservarunt, concesserunt, et in perpetuum deputarunt, penitus liberarunt, ac ius patronatus, et presentandi ad Preposituram et sex Capellanias prefatas illarum occurrentibus vacationum temporibus eisdem militi, heredibus et successoribus, instituendi vero in illis ad presentationes huiusmodi Epo Glasguensi et Preposito pro tempore existentibus prefatis, ut premittitur, reservarunt, nonnullaque statuta, ordinationes et formas pro felici directione erecte ecclesie, Prepositi et Capellanorum predictorum utilia et salubria fecerunt, ordinarunt et ediderunt, ac voluerunt et mandarunt firmiter observari, prout in eorundem predecessoris, et Episcopi Candidecase, et Abbatis litteris desuper confectis plenius continetur. Cum itaque orta postmodum inter dilectos filios Georgium de Graham, et Martinum Vaus clericos predicte et Aberdonensis diocesis super Prepositura predicta, ad quam per obitum olim ipsius ecclesie ultimi Vicarii seu Prepositi, aut post erectionem ipsam primo vacantem, Georgius per eundem militem verum dicte Preposituve patronum, et Martinus predicti per dilectum filium Thomam Vaus, dicte ecclesie Glas-

guensis Decanum, se respective presentatos fuisse canonice asserebant, prout dictus Georgius adhuc asserit, materia questionis, et causa huiusmodi per appellationem dicti Martini ad Romanam Curiam legitime introductam, et certo palatii apostolici causarum Auditori per nos commissam, et dictus Martinus liti et cause huiusmodi, ac omni sibi in dicta Prepositura, necnon Thomas Decanus prefati etiam omni sibi in presentatione ad eandem Preposituram, illius vacationis occurrente tempore, ac perceptione pensionis quatuor marcharum huiusmodi ab eodem Vicario, vel ad illas quomodolibet competentibus iuribus per dilectum filium Gilbertum de Rerich Canonicum Glasguensem, procuratorem eorum ad hoc ab eis specialiter constitutum, in manibus nostris sponte et libere cesserint, nosque cessiones ipsas duxerimus admittendas. Quare pro parte dicti militis nobis fuit humiliter supplicatum, ut singulis litteris predictis, ac erectioni, deputationi, liberationi, reservationibus, statutis et ordinationibus, ac aliis in eis contentis omnibus et singulis, pro illorum subsistentia firmiori robur nostre confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui nostris potissime temporibus cultum divinum augmentari, statumque omnium ecclesiarum, quarum cura nobis imminet generalis, et personarum earundem prosperari et feliciter dirigi intensis desideriis affectamus, statum etiam huiusmodi, quam ad nos harum serie advocamus, et litem ipsam penitus extinguimus, nec non earundem litterarum tenores presentibus pro expressis habentes, litteras ipsas ac erectionem, deputationem, liberationem, reservationes, statuta et ordinationes, ac alia in eis contenta, et inde secuta, omnia et singula auctoritate apostolica ratificamus, confirmamus et approbamus, ac presentis nostri scripti patrocinio communimus, ac supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, illa volumus et mandamus perpetuis temporibus inviolabiliter observari: et nichilominus de dicta Prepositura, que dignitas principalis, et curata, et de iure patronatus laicorum, ut premittitur, existit, cuius fructus, redditus et proventus duodecim librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritis, non excedunt, sive alias quovismodo aut ex alterius cuiuscumque persona, vel per liberam resignationem alterius de illa in Rom. Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, sive constitutionem fel. (recordationis) Iohannis pp. XXII. etiam predecessoris nostri, que incipit: Execrabilis, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque Prepositura dispositioni apostolice specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius etiam statum eisdem presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dicto Georgio eadem auctoritate apostolica conferimus, et de illa etiam providemus. Et nichilominus Venerabili fratri nostro Episcopo, et dilectis filiis Archidiacono Glasguensibus, aut Preposito ecclesie s. Iohannis Baptiste de Corstorfyn Sancti Andree diocesis, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios eundem Georgium, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Prepositure, iuriumque et pertinentiarum predictorum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, ammoto exinde quolibet illicito detentore, faciantque dictum Georgium, vel pro eo procuratorem predictum ad Prepositurам huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus constitutionibus etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXII. quarto Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXVIII.

Mariae reginae Scotiae unio cancellariae (de Soltre) ecclesiae cathedralis Sancti Andreae novo hospitali pauperum prope Edimbergum, ab ipsa erecto, conceditur. Reg. Tom. XIX. fol. 228.

Pius episcopus etc. Carissime in Christo filie Marie Regine Scotorum Illustri, salutem etc. Singularis devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobaris, non indigne meretur, ut his, que ad divini nominis laudem et gloriam, pauperum quoque et egenorum profectum atque animarum salutem pia sunt ordinatione disposita, ut continuis proficiant incrementis ac perpetua illibata persistant, apostolici muniminis adiiciamus firmitatem. Dudum siquidem pro parte tua nobis exposito, quod olim postquam felicis recordationis Nicolaus papa V. predecessor noster, ex certis causis tunc expressis, hospitale pauperum de Soltre Sancti Andree diocesis in unam dignitatem, Cancellariam nuncupatam, in ecclesia Sancti Andree de consensu quondam Alani Cant, ipsius hospitalis tunc Rectoris, per suas litteras auctoritate apostolica erexerat, ac de ipsa Cancellaria eidem Alano providerat, Cancellaria predicta, que de iure patronatus Regis Scotorum pro tempore existit, per obitum dicti Alani, qui usque ad ultimum vite sue dictam Cancellariam ipsam pacifice tenuit et possedit, ac tandem extra Romanam Curiam decessit, vacante, clare mem. Iacobus Scotorum Rex, verus, dum viveret, et unicus ipsius Cancellarie patronus, dilectum filium Iohannem Tyri clericum Sancti Andree diocesis, Bacallarium in decretis, ad Cancellariam ipsam sic vacantem Vicario Venerabilis fratris nostri Episcopi Sancti Andree in spiritualibus generali infra tempus legitimum presentaverat, ipseque Vicarius eundem Iohannem in Cancellarium eiusdem ecclesie ordinaria auctoritate instituerat, quarum quidem presentationis et institutionis vigore idem Iohannes Cancellariam predictam pacifice fuerat assecutus; ac subiuncto, quod tu ad laudem omnipotentis Dei unam Collegiatam ecclesiam cum hospitali pauperum prope burgum de Edymburg ex parte boreali dicte diocesis pro divini cultus augmento, ac Christi

pauperum et aliarum miserabilium personarum receptione et substentatione, de bonis tibi a deo collatis de novo fundaveras, ac egregio quodam opere construi et edificari feceras, et tam Carissimus in Christo filius noster Iacobus Scotorum Rex Illustris, cuius progenitores ipsum hospitale de Soltre ad usum Christi pauperum fundarunt, voluntates suorum progenitorum pro posse observari facere, quam tu, ut prefatum in Cancellariam erectum hospitale ad statum pristinum restitueretur, ipsique novo hospitali erecto incorporaretur, ferventer exoptabatis, prefatus quoque Rex ad hoc consensum prestare paratus existeret, et prout accepimus, ipse Iohannes in favorem dicte unionis, et ut etiam Cancellaria ipsa ad hospitale de Soltre, sicuti prius fuerat, reduceretur, eandem Cancellariam, quam obtinebat, sponte et libere resignare proponeret: Nos tuis in ea parte precibus inclinati, Episcopo Glasguensi, eius proprio nomine non expresso, per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut vocatis Episcopo Sancti Andree prefato, ac dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie Sancti Andree, et aliis, quorum interest, de premissis omnibus et singulis, eorumque circumstantiis universis auctoritate nostra se diligenter informaret, et si per informationem huiusmodi ita esse reperiret, ab ipso Iohanne vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto resignationem huiusmodi, si illam in suis manibus sponte facere vellet, auctoritate nostra ea vice dumtaxat reciperet et admitteret, eaque per ipsum recepta et admissa, Cancellariam ipsam, cum per resignationem ipsam vacaret, dummodo tunc non esset in ea alicui specialiter ius quesitum, ac prefati Regis ad id expressus assensus accederet, nomine dignitateque ipsius Cancellarie in ipsa ecclesia per eum suppressis et penitus extinctis, eodem hospitali de Soltre in statum pristinum reducto, illudque in omnibus iuribus et pertinentiis suis novo hospitali prefato eadem auctoritate perpetuo uniret, annecteret et incorporaret; ita quod liceret ex tunc Rectori dicti novi hospitalis per se, vel alium seu alios corporalem possessionem hospitalis de Soltre, iuriumque et pertinentiarum predictorum auctoritate propria apprehendere et perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus et proventus in substentationem pauperum et infirmorum, ac alias in utilitatem ipsorum hospitalium iuxta formam constitutionis pie memorie Clementis pape V. predecessoris super hoc in concilio Viennensi edite convertendos percipere, diocesani loci et cuiusvis alterius super hoc licentia minime requisita, prout in dictis litteris, in quibus quod Alanus Cant tunc ipsius hospitalis de Soltre Rector existeret, et illud in Cancellariam predictam erigi fecisset, expressum fuit, plenius continetur. Cum autem pro parte tua nuper nobis exhibita petitio continebat, Venerabilis frater noster Thomas modernus Episcopus Dunkeldensis, et non Alanus prefatus, dictam Cancellariam erigi procuraverit, ac tempore date litterarum earundem ecclesia prefata nondum in collegiatam totaliter erecta, neque sumptuosis structuris completa fuerit, ac prius dictus Iohannes resignationem ipsam in manibus prefati Epi Sancti Andree, et deinde eiusdem Epi Glasguensis fecerit, propter que de ipsarum litterarum viribus posset forsitan hesitari: Nos ne propter ea dicte littere de surreptione notari valeant, providere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate decrevimus, quod littere nostre predicte ac processus habiti per easdem, et quecunque inde secuta a data presentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus et per omnia, ac si in illis, quod Thomas et non Alanus erectionem predictam fieri procurasset, ac Iohannes prefati dictam resignationem in manibus prefati Episcopi Sancti Andree loci ordinarii primo ad effectum huiusmodi et subsequenter in ipsius Glasguensis Episcopi manibus fecisset, expressum extitisset, quodque tempore litterarum nostrarum earundem dictam ecclesiam totaliter expleta et in collegiatam ecclesiam erecta foret, nulla mentio facta fuisset. Non obstantibus premissis, ac omnibus illis, que in dictis litteris non obstare voluimus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Viterbii Anno etc. M.CCCC.LXII. quartodecimo Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXIX.

Iudicibus, ut Ioannem de Stanton monasterio s. Trinitatis Villaefontis s. Patricii ord. s. Augustini Tuamensis dioecesis praeficiant, amoto Thoma Oronayn eiusdem abbate. Reg. Tom. XXI. fol. 6.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Iohannis Evangeliste Tuamensis, et Rorico Oconrith ac Odoni Ornih Canonicis ecclesie Tuamensis, salutem etc. Ex suscepte servitutis offitio etc. Ad audientiam siquidem nostram dilecto filio Iohanne de Stantona clerico Tuamensis diocesis referente pervenit, quod dilectus filius Thomas Oronayn Abbas Monasterii sancte Trinitatis Villefontis s. Patricii ordinis s. Augustini predicte diocesis, suorum salutis et honoris immemor, ac Dei timore postposito, quamplura res et bona ad dictum Monasterium legitime spectantia et pertinentia dilapidare, ac in malos usus convertere, ac simonie vicium committere non expavit, ac super his et aliis diversis criminibus in partibus illis apud bonos et graves valde pernotatus et diffamatus habetur, in ipsius anime periculum, divine maiestatis offensam, religionis obprobrium dictique Monasterii detrimentum atque damnum, nec non aliorum pernitiosum exemplum et scandalum plurimorum. Nos igitur ipsum Iohannem a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine in eum in genere vel in specie quavis occasione vel causa latis, inflictis et promulgatis, quibus forsan quomodolibet innodatus vel irretitus existit, quoad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac attendentes, quod veris existentibus premissis, dictus Thomas regimine et administratione predicti Monasterii, cui preesse dinoscitur, reddidit se indignum, ac illi de gubernatore

secundum cor nostrum utili et ydoneo, per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, providere cupientes, nec non de meritis et ydoneitate dicti Iohannis, qui, ut asserit, de nobili genere ex utroque parente procreatus existit, et dudum non obstante defectu natalium propter sollemnitatis matrimonii dubium, quem pro eo, quod eius genitores ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent matrimonialiter copulari, postquam matrimonium ad invicem per verba de presenti contraxerant, et illud per carnalem copulam consumaverant, eodem Iohanne ex inde procreato ac, demum ipsi genitores ad invicem tercio gradu affinitatis attingentes auctoritate ordinaria ab invicem separati extiterant, patitur, clericali caractere rite insignitus fuit, quique una cum dilectis filiis Conventu ipsius Monasterii sub regulari habitu virtutum Domino famulari cupit, apud nos de religionis zelo, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum donis multipliciter commendati certam noticiam non habentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum eundem Iohannem, si alias sit ydoneus, et aliud canonicum non obsistat impedimentum, auctoritate nostra in predicto monasterio, sive in eo sit certus Canonicorum numerus sive non, recipiatis, et per vos vel alium seu alios recipi faciatis in Canonicum et in fratrem, sibique iuxta ipsius monasterii consuetudinem regularem habitum exhiberi, ac de communibus ipsius monasterii proventibus, sicut uni ex aliis ipsius monasterii Canonicis integre provideri, ipsumque ibidem sincera in Domino caritate tractari. Et nichilominus regularem professionem per eosdem Canonicos emitti consuetam ab ipso Iohanne, si eam in manibus vestris sponte et libere facere voluerit, auctoritate predicta recipiatis et admittatis. Et insuper si prefatus Iohannes eundem Thomam Abbatem super predictis relatis coram vobis accusare, seque in forma iuris inscribere voluerit, postquam eum accusaverit, et se infrascripserit, ut prefertur, vocatis ipso Thoma et aliis, qui fuerint evocandi, super eisdem relatis inquiratis dicta auctoritate nostra diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi ea inveneritis veritate subniti, prefatum Thomam regimine et administratione predictis eadem auctoritate nostra sententialiter privetis, et amoveatis realiter ab eisdem, prout de iure fuerit faciendum. Et nichilominus si privationem et amotionem huiusmodi per vos fieri contigerit, ut prefertur, de eiusdem Iohannis meritis et ydoneitate huiusmodi dicta auctoritate nostra vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi prefatum Iohannem ad regimen et administrationem predictam ydoneum esse repereritis, super quo vestras conscientias oneramus, de persona eiusdem Iohannis, postquam ordinem ipsum expresse professus fuerit, monasterio prefato, cuius fructus, redditus et proventus triginta marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Iohannes similiter asserit, non excedunt, sive per privationem et amotionem predictas tunc, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, sive per quondam Henrici Miccolini extra Romanam Curiam defuncti obitum, vel per liberam dilecti filii Cornelii Miccadagayn, olim dicti Monasterii Abbatum, aut alicuius alterius de regimine et administratione prefatis extra dictam Curiam, etiam coram Notario publico et testibus sponte factam cessionem vacet, et ex quavis causa ipsus dispositio ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore date presentium non sit ei alias de Abbate canonice provisum, auctoritate nostra prefata provideatis, ipsumque Iohannem illi preficiatis in Abbatem, curam, regimen et administrationem ipsius Monasterii eidem Iohanni in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo sibi a Conventu prefatis obedientiam et reverentiam debitas et devotas, nec non a dilectis filiis Vassallis, et aliis subditis ipsius monasterii debita et consueta servicia ac iura exhiberi. Contradictores etc. Et nichilominus si per vos de persona dicti Iohannis ipsi Monasterio provideri contigerit, sibi per aliquem Catholicum Antistitem gratiam et communionem dicte sedis habentem munus benedictionis impendi faciatis et procuretis. Volumus autem, quod propter hoc Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Tuamensi, cui ipsum monasterium ordinario iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiuditium generetur. Et insuper cum eodem Iohanne, ut eidem monasterio in Abbatem prefici illique preesse, ac ipsum in eisdem spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, nec non ad omnes etiam sacros presbiteratus ordines promoveri libere et licite valeat, defectu predicto ac Lateranensis concilii et aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus etc. non obstantibus. Datum Viterbii Anno etc. M.CCCC.LXII. tercio decimo Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXX.

Roberto Forstar providetur de canonicatu et praebenda in ecclesia Moraviensi. Reg. Tom. XIX. fol. 251.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Roberto Forstar clerico Sancti Andree diocesis, Magistro in artibus, salutem etc. Nobilitas generis, litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque Canonicatus ecclesie Moraviensis, et prebenda de Spine in eadem, quos dilectus filius David Stewart, clericus Moraviensis, tempore promotionis per nos facte de persona sua ad ecclesiam Moraviensem, tunc pastore carentem, obtinebat, prout obtinet, per promotionem huiusmodi, et munus consecrationis eidem electo impendendum vacare speretur: Nos volentes tibi, qui etiam in utroque iure Baccallarius, et ut asseris, de nobili et Baronum genere procreatus existis, Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus sedecim librarum ster-

lingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut eciam asseris, non excedunt, cum illos, ut premittitur, aut per lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti, sive alias quovismodo, preterquam per ipsius electi obitum vacare contigerit, conferendos tibi cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes Episcopo pro tempore existenti, et dilectis filiis Capitulo Moraviensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos Canonicatus et prebende predictorum collatio, provisio, presentatio, seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de illis contra reservacionem nostram huiusmodi disponere quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus quibuscumque statutis etc. Datum in Abbacia Sancti Salvatoris Clusine diocesis Anno etc. M.CCCC.LXII. sexto Nonas Iulii, anno IV.

DCCCXXI.

Mariae reginae Scotorum confirmatio fundationis hospitalis extra oppidum Edimburgense et erectionis in collegiatam ecclesiam Sancti Andreae dioecesis conceditur. Reg. Tom. XIX. fol. 258.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Inter multiplices curas, que nobis ex apostolatus officio censentur incumbere, illas libenter amplectimur, per quas in ecclesiis quibuslibet devote sollicitudinis studio benedicatur Altissimus, ac in hospitalibus et aliis piis locis pauperum et aliarum miserabilium personarum necessitatibus succurratur, nec non hiis, que propterea processisse comperimus, ut perpetuo illibata persistant, apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Sane pro parte dilecte in Christo filie nostre Marie Regine Scotorum Illustris nobis nuper exhibita peticio continebat, quod olim ipsa de propria salute recogitans, et ad caritatis opera, maxime circa egenos et pauperes, manus iuxta evangelica documenta extendens, dum adhuc clare memorie Iacobus II. Rex Scotorum vir eius ageret in humanis, quoddam hospitale pro susceptione pauperum et egenorum eorumdem extra opidum Regni de Edinbourgh Sancti Andree diocesis construi et edificari fecit, illudque dotavit, et successive boni operis fructum provida consideratione attendens, et ad maiora pietatis officia ferventius aspirans, iuxta hospitale predictum quandam insignem ecclesiam sive Capellam pro Collegio fundato, unius videlicet Prepositi et decem aut duodecim presbiterorum et clericorum inibi collegialiter, et perpetuo altissimo serviturorum erexit, ac ecclesiam predictam magnifico et sumptuoso opere continuavit, et quantotius illam, divina cooperante gratia, perficere intendit, nec non quandam bonam Baroniam, atque alias possessiones, census, annuos redditus et bona usque ad summam centum marcharum vel circiter in dotem eiusdem ecclesie assignavit, ac annuente Domino multo amplius in posterum dotem ipsam ampliare intendit. Cum autem felicis recordationis Nicolaus papa V. predecessor noster quoddam hospitale pauperum de Soltre nuncupatum dicte diocesis, quod de iure patronatus Regis Scotorum pro tempore existentis fore dinoscitur, et deformi ruine subiacebat, et in quo nulla hospitalitas servabatur, in Cancellariam ecclesie Sancti Andree per quasdam suas erigi primo, et deinde nos dictis rationabilibus causis tunc expressis, hospitale predictum, quod de iure patronatus prefati Regis existit, ad humiles supplicationes ipsius Regine, recisa unione et erectione Cancellarie huiusmodi, novo hospitali prefato per alias nostras litteras uniri mandavimus, prout in singulis litteris predictis, ac super illis decretis processibus dicitur plenius contineri. Pro parte carissimi in Christo filii nostri Iacobi moderni Regis Scotorum, ipsius Regine primogeniti, ac etiam prefate Regine nobis fuit humiliter supplicatum, ut fundacioni, dotacioni, annexioni et unioni predictis, ac eciam capelle de Othterogarte dicte diocesis, que similiter de iure patronatus prefati Regis existit, et cuius ac hospitalis de Soltre predicti fructus, redditus et proventus septuaginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, eidem hospitali ordinaria auctoritate unire, et pro eorum subsistencia firmiori robur apostolice confirmacionis adiicere, necnon ad abundantem cauthelam ecclesiam predictam in Collegiatam cum insigniis Collegialibus de novo erigere, et alias super hiis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, ac pauperum et miserabilium personarum commoda tota mente appetimus, huiusmodi supplicacionibus inclinati, fundacionem, dotacionem, uniones et annexiones predictas ratas habentes et gratas, eas et quecumque inde secuta auctoritate apostolica, tenore presentium, approbamus et confirmamus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerit in eisdem. Et nichilominus pro potioris cauthele suffragio eandem ecclesiam in Collegiatam cum insignibus collegialibus de novo erigentes, nec non quascumque oblaciones fidelium, que eidem ecclesie pro tempore obvenient, in eius fabricam et reparationem committendas fore decernentes, ipsius novi hospitalis Magistro sive Rectori moderno, et qui pro tempore erit, quod universis et singulis utriusque sexus fidelibus in eo pro tempore commorantibus, et decedentibus in eodem, necnon aliis in illo servientibus omnia et singula ecclesiastica sacramenta ministrare libere et licite valeat, plenam et liberam auctoritate presentium potestatem concedimus et facultatem, Non obstantibus constitucionibus et ordinacionibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis, approbacionis, supplectionis, erectionis, constitutionis et concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum in Abbacia Sancti Salvatoris Clusine diocesis Anno etc. M.CCCC.LXII. sexto Idus Iulii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXXII.

Iudicibus, ut Guillelmo Gordon de canonicatu ecclesiae beatae Mariae capellae regiae nuncupatae Sancti Andreae, et praebenda de Strabok in eadem provideant. Reg. Tom. XX. fol. 83.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Ovetensi et Aberdonensi Episcopis, et dilecto filio Guillelmo Fratour Canonico Aberdonensi, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Guillelmus Gordon, clericus Aberdonensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Guillelmi peticio continebat, quod dudum Canonicatu ecclesie beate Marie Capelle regie nuncupate Sancti Andree, et prebenda de Strabok in eadem, que de iure patronatus dilecti filii nobilis viri Alexandri Souderland, domini loci de Dauffoys Moraviensis diocesis, existunt, et quos quondam Georgius de Crethon, dicte ecclesie beate Marie Canonicus, dum viveret, obtinebat, per obitum dicti Georgii, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacantibus, dictus Alexander verus et unicus patronus dictorum Canonicatus et prebende, ac in pacifica possessione seu quasi iuris presentandi personam ydoneam ad illos, dum pro tempore vacant, existens, eundem Guillelmum ad ipsos Canonicatum et prebendam sic vacantes Venerabili fratri nostro Iacobo Episcopo Sancti Andree infra tempus legitimum presentavit: quodque, cum dictus Iacobus Episcopus a prefato Guillelmo, ut eum in Canonicum dicte ecclesie ad presentationem huiusmodi instituerct, pluries requisitus foret, ipse Episcopus eundem Guillelmum ad presentationem huiusmodi ad illos instituere contra iusticiam indebite recursavit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Guillelmus dubitet ex certis causis presentationem predictam viribus non subsistere, et sicut accepimus, dicti Canonicatus et prebenda adhuc, ut prefertur, vacare noscantur: Nos presentationem predictam ratam et gratam habentes, ac eam auctoritate apostolica admittentes, prefatoque Guillelmo, qui, ut asserit, de nobili et Comitum genere procreatus existit, premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus quadraginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Guillelmus Gordon etiam asserit, non excedunt etc. cum cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Guillelmo Gordon auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore etc. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum in Abbacia Sancti Salvatoris Clusine diocesis anno etc. M.CCCC.LXII. sextodecimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXXIII.

David electo Moraviensi conceditur, ut a quocumque maluerit antistite catholico munus consecrationis recipere valeat. Reg. Tom. XIX. fol. 314.

Pius episcopus etc. Dilecto filio David Electo Moraviensi, salutem etc. Cum nos nuper ecclesie Moraviensi, pastoris regimine destitute, de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati tibi, qui in manibus dilecti filii nostri Iohannis tituli sancti Martini in montibus presbiteri Cardinalis solitum prestitisti fidelitatis debite iuramentum, ut a quocumque malueris Catholico Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, adscitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Catholicis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere, valeas ac eidem Antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus eorumdem presentium tenore facultatem. Datum in Abbacia S. Salvatoris Clusine diocesis Anno etc. M.CCCC.LXII. sexto Kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXXIV.

Iudicibus, ut Andreae Lesly clerico Aberdonensi canonicatum ecclesiae Moraviensis et praebendam de Spyne in eadem conferant. Reg. Tom. XX. fol. 112.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Sancti Andree et Aberdonensi ac Anconitano Episcopis, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Andreas Lesly, clericus Aberdonensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem cum Canonicatus ecclesie Moraviensis et prebenda de Spyni in eadem, quos dilectus filius David Stewart, clerico Moraviensi, tempore promotionis per nos facte de persona sua ad ecclesiam Moraviensem, tunc pastore carentem, obtinuerat, prout obtinebat, per huiusmodi promotionem et munus consecrationis eidem Electo impendendum vacare sperarentur: Nos de illis quondam Roberto Forstar, cum vacarent, per alias nostras litteras sub certis modo et forma provideri mandavimus, prout in illis plenius continetur. Cum autem dictus Robertus, antequam ipsi Electo munus huiusmodi impensum foret, ad eorumdem Canonicatus et prebende per eundem Robertum possessione minime habita, apud sedem apostolicam fuerit vita functus, et propterea Canonicatus et prebenda predicti adhuc, ut prefertur, vacare sperentur: Nos volentes dicto Andree, qui, ut asserit, de Baronum

genere ex utroque parente procreatus existit, premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus viginti librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Andreas etiam asserit, non excedunt, cum illos, ut prefertur, per munus consecrationis dicto electo impendendum, aut lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti, seu alias quovismodo, preterquam per ipsius Electi obitum vacare contigerit, conferendos dicto Andree cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes Episcopo pro tempore existenti, et dilectis filiis Capitulo Moraviensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos ipsorum Canonicatus et prebende collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de illis contra reservationem nostram huiusmodi disponere quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, necnon fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios Canonicatum et prebendam predictos per nos, ut premittitur, reservatos, cum illos vacare contigerit, ut prefertur etc. cum dicti iuris plenitudine, ac omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eidem Andree auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendentes inductum, amoto quolibet detentore ab eisdem, ac facientes ipsum Andream, vel dictum procuratorem pro eo ad prebendam(?) huiusmodi in dicta ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo dicte ecclesie cum ipsius iuris plenitudine assignari, sibique de ipsorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus constitutionibus etc. Datum in Abbacia Sancti Salvatoris Clusine diocesis Anno etc. M.CCCC.LXII. tertio Kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXXV.

Iudicibus, ut Richardo Wyly de archidiaconatu ecclesiae Brechinensis provideant. Reg. Tom. XX. fol. 113.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Sancti Andree et Silvensi Episcopis, ac dilecto filio Officiali Aberdonensi, salutem etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Ricardus Wyly, presbiter Brechinensis diocesis, Magister in artibus, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Ricardi peticio continebat, quod olim ad audientiam felicis recordationis Calisti pape III. predecessoris nostri eodem Ricardo referente deducto, quod quondam Gilbertus Forster, olim Archidiaconus ecclesie Brechinensis, clericalibus decentia et mansuetudine prorsus abiectis, spirituque obstinatie ductus, in bone mem. Iohannem Episcopum Brechinensem manus ausu sacrilego in dicta ecclesia iniecerat temere violentas, et propterea excommunicationis sententia, in tales a canone generaliter promulgata innodatus, se divinis officiis immiscere presumpserat, in anime sue periculum, clericalis dignitatis obprobrium, ac plurimorum scandalum, perniciosum pariter exemplum. Idem predecessor attendens, quod si esset ita, predictus Gilbertus Archidiaconatu dicte ecclesie, quam tunc obtinuerat, reddiderat se indignum, ac volens dicto Ricardo gratiam facere specialem, voluit et concessit certo iudici dari in mandatis, ut si predictus Ricardus eundem Gilbertum super premissis coram ipso iudice accusare, seque in forma iuris inscribere vellet, postquam dictum Gilbertum accusasset, seque inscripsisset, ut prefertur, vocatis eodem Gilberto et aliis, qui forent evocandi, super premissis inquireret auctoritate apostolica diligentius veritatem: et si per inquisitionem huiusmodi ea inveniret veritate subniti, dictum Gilbertum eodem Archidiaconatu auctoritate prefata sententialiter privaret, et amoveret realiter ab eodem, prout de iure foret faciendum. Et nichilominus si privationem et amotionem predictas per ipsum iudicem fieri contingeret, dictum Archidiaconatum, sive per privationem et amotionem huiusmodi tunc, sive alias quovismodo vacaret, prefato Ricardo eadem auctoritate conferret et assignaret: dictoque predecessore, sicut domino placuit, rebus humanis exempto, et nobis divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumptis, ne dictus Ricardus voluntatis et concessionis huiusmodi pro eo, quod dicti predecessoris superveniente obitu littere apostolice super illis confecte non fuerant, frustaretur effectu, voluimus et auctoritate predicta decrevimus, quod prior voluntas et concessio huiusmodi ab illarum datis proinde suum sortirentur effectum, ac si super illis ipsius predecessoris littere sub data predicta confecte fuissent, quodque nostre super ipsis voluntate et concessione confecte littere ad probandum plene illas ubique sufficerent, nec ad id alterius probationis aminiculum requireretur. Et ulterius cum dictus Richardus, sicut asserebat, potentiam prefati Gilberti merito perhorrescens, cum infra civitatem Brechinensem seu dictam diocesim nequiret convenire secure, Officiali Sancti Andree, eius proprio nomine non expresso, eiusdem nostris dedimus litteris in mandatis, ut si dictus Richardus ipsum Gilbertum super premissis coram eodem Officiali accusare, seque in forma iuris inscribere vellet, postquam predictum Gilbertum accusasset seque inscripsisset, ut prefertur, vocatis eodem Gilberto et aliis, qui forent evocandi, super premissis inquireret auctoritate nostra diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi ea inveniret veritate subniti, dictum Gilbertum Archidiaconatu predicto eadem auctoritate nostra sententialiter privaret, et amoveret realiter ab eodem,

prout de iure foret faciendum: et si privationem et amotionem huiusmodi per ipsum Officialem fieri contingeret, eundem Archidiaconatum sive per privationem et amotionem huiusmodi tunc, sive alias quovis modo vacaret, eidem Ricardo auctoritate nostra prefata conferret, et assignaret iuxta priorem voluntatem et concessionem supradictas. Et cum dictus Ricardus vigore litterarum earundem Gilbertum prefatum super hoc petendo eum prefato Archidiaconatu sententialiter privari, et ab illo amoveri, ac ipsum Archidiaconatum sibi conferri et assignari coram dilecto filio Thoma Luderdel Officiali Sancti Andree fuisset ad iudicium evocari, et ipse Officialis in causa huiusmodi usque ad conclusionem inclusive inter partes ipsas processisset, prefatus Gilbertus minus veraciter pretendens, se ab eodem Ricardo super dicto Archidiaconatu indebite molestari, a confictis molestationibus huiusmodi ad sedem apostolicam appellavit, nosque causam appellationis huiusmodi dilecto filio Magistro Iohanni Didaci de Concha, Capellano nostro et causarum palatii apostolici Auditori audiendam commisimus, et fine debito terminandam: ipseque Auditor, perperam in huiusmodi causa procedens, diffinitivam pro ipso Gilberto et contra prefatum Ricardum sententiam promulgavit iniquam, a qua idem Ricardus ad sedem predictam appellavit, nosque causam ultime appellationis huiusmodi dilecto filio Magistro Iohanni de Cesarinis, etiam Capellano nostro et causarum dicti palatii Auditori audiendam commisimus, et fine debito terminandam. Cumque postmodum ab aliquibus assereretur, neutri dictorum Ricardi et Gilberti in dicto Archidiaconatu, seu ad illum ius competere, nos causam huiusmodi coram dicto Officiali pendentem advocantes, dicto Iohanni auditori concessimus dari in mandatis litteris super ipsa concessionis gratia non confectis, ut si sibi per eventum litis huiusmodi legitime constaret, neutrum Ricardi et Gilberti predictorum in ipso Archidiaconatu, seu ad illum ius habere, eundem Archidiaconatum sive per privationem eiusdem Gilberti per prefatum Epum per suam diffinitivam sententiam, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, auctoritate ordinaria propter iniectionem manuum huiusmodi factam, sive alias quovismodo vacaret, predicto Ricardo auctoritate nostra conferret et assignaret: ipseque Iohannes de Cesarinis Auditor postmodum in causa huiusmodi ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, inter partes dicitur processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Gilbertus adhuc in possessione dicti Archidiaconatus existens, lite huiusmodi coram eodem Iohanne de Cesarinis Auditore sic indecisa pendente, in castro Sancti Quirici Aretine diocesis, Romanam Curiam sequendo, fuerit vita functus: Nos statim cause huiusmodi, nec non omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que dictus Ricardus in quibuscumque ecclesiis sive locis, ex quibusvis etiam apostolicis dispensationibus obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos, ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, ipsamque causam earundem presentium serie ad nos advocantes, et litem huiusmodi penitus extinguentes, ac dictum Ricardum a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis, si quibus a iure vel ab homine latis irretitus fuerit, ad hoc dumtaxat, ut presentium consequatur effectum, auctoritate nostra predicta absolventes, et absolutum fore censentes, ac volentes eidem Ricardo premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios Archidiaconatum predictum, qui in ecclesia prefata dignitas, non tamen maior post pontificalem, existit, et cui cura imminet animarum, ac ad quem quis per electionem non assumitur, cuiusque fructus, redditus et proventus viginti librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Ricardus asserit, non excedunt, sive per dicti Gilberti privationem, aut illius seu quondam David Ydny obitus, sive alias quovismodo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem alicuius de illo extra predictam Curiam, etiam coram Notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Iohannis pape XXII. etiam predecessoris nostri, que incipit: *Execrabilis*, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipseque Archidiaconatus specialiter, vel per obitum Gilberti huiusmodi, aut ex eo, quod ipse, dum viveret, accolitus noster extitit, generaliter dispositioni apostolice reservatus existat, et super eo inter Ricardum et Gilbertum predictos, seu aliquos alios extra dictam Curiam lis, cuius statum eisdem presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in eo alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Ricardo auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Archidiaconatus, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes Ricardum vel pro eo procuratorem predictum ad Archidiaconatum huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus pie memorie Bonifatii pape VIII. etc. Datum in Abbatia S. Salvatoris Clusine diocesis Anno etc. M.CCCC.LXII. pridie Kalendas Augusti, Pont. nostri anno quarto.

DCCCXXVI.

Ioanni Stronge rectoria parochialis ecclesiae de Callan alias Ralbride Ossoriensis dioecesis confertur. Reg. Tom. XXI. fol. 186.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Cancellario ecclesie Waterfordensis, salutem etc. Dignum etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Io-

hannis Stronge Canonici Ossoriensis, Baccallarii in decretis, peticio continebat, quod olim postquam Rectoria parrochialis ecclesie de Callan alias Ralbride Ossoriensis diocesis, que de iure patronatus laicorum nobilium existit, per obitum quondam Iohannis Sandeir, ipsius ecclesie, dum viveret, Rectoris extra Romanam Curiam defuncti vacaverat, et dilectus filius Edmundus Lebotiller, tunc locumtenens dilecti filii nobilis viri Iacobi Comitis Ormeusis, ipso in remotis agente, ad quem dicte Rectorie ius presentandi personam ydoneam ad illam pro illa vice spectare dinoscebatur, eundem Iohannem Stronge ad dictam Rectoriam obtinendam Venerabili fratri nostro Thome Episcopo Ossoriensi infra tempus legitimum patronis laicis a iure concessum presentaverat, ipseque Episcopus ad presentationem huiusmodi dictum Iohannem Stronge in Rectorem dicte ecclesie auctoritate ordinaria instituerat, et dictus Iohannes Stronge presentationis et institutionis predictarum vigore possessionem pacificam dicte Rectorie assecutus fuerat: nichilominus tamen dilectus filius Patricius Purcel, qui se gerit pro clerico Cassellensis diocesis, falso asserens, eandem Rectoriam per obitum huiusmodi vacare, felicis recordationis Nicolaus papa V. predecessor noster, per suas certi tenoris litteras surrepticie impetratas, et ad dilectum filium Thesaurarium ecclesie Cassellensis, eius proprio nomine non expresso, directas, illam, nulla in eis facta mentione de institutione et presentatione, necnon possessione dicti Iohannis Stronge, dicto Patricio conferri, et de illa sibi provideri mandavit, ac dilectus filius Richardus Offian, Thesaurarius dicte ecclesie Cassellensis, executor in dictis litteris deputatus, prefatis surrepticiis litteris sibi minime presentatis, seu etiam per eum receptis, pretextu cuiusdam instrumenti tenorem ipsarum surrepticiarum litterarum continentis contra ipsum Iohannem Stronge inique et perperam in locis minus insignibus, virtute dicti instrumenti nulliter procedens, legitimas defensiones et exceptiones nomine ipsius Iohannis Stronge in causa processus huiusmodi allegatas admittere recusans, ipsamque Rectoriam dicto Patricio nulliter et de facto contulit, et providit etiam de eodem: ipseque Iohannes Stronge processus, ac collationis et provisionis dicto Patricio de facto factarum huiusmodi potentia laicali compulsus, eadem Rectoria illiusque possessione, in qua tunc erat, etiam de facto spoliatus fuit, ac Patricius prefatus se in dicta Rectoria similiter de facto intrusit, a quibus collatione et provisione Patricio factis, spolio, compulsione et intrusione predictis salvis ipsorum et dicti processus nullitate, ad dictam sedem appellavit. Et nichilominus ipse Patricius Rectoriam predictam potentia sua per quatuor annos et ultra possidendo, seu verius indebite detinendo, se non fecit impedimento legitimo cessante, nullaque dispensatione desuper obtenta, saltem canonice ad aliquem ex sacris ordinibus promoveri, propter que videns idem Episcopus in visitationibus suis eundem Patricium pro Rectore dicte Rectorie, non reputans illum contra se ad ostendendum ius, si quod in dicta Rectoria haberet, et litteras, virtute quarum dictam Rectoriam assecutus fuerat, ad certos diem et terminum competentes citari fecit et mandavit: quibus die et termino advenientibus idem Patricius nullum ius in dicta Rectoria competens ostendit: quapropter idem Episcopus dicta ordinaria auctoritate eidem Patricio in dicta Rectoria vel ad eam nullum ius competiisse, seu etiam competere decrevit et declaravit. Et propterea idem Patricius a nobis alias etiam surrupticias litteras pro eo, quod de presentatione, institutione, possessione et spolio dicti Iohannis subticuit, ad certum executorem in illis deputatum, qui ad illarum executionem nondum processit, impetravit, per quas eidem executori in nostris litteris deputato mandabatur, ut dictam Rectoriam inter cetera per non promotionem huiusmodi certis aliis modis vacationum adiectis dicto Patricio conferret, et provideret etiam de eadem: post quarum litterarum nostrarum impetrationem idem Patricius Rectoriam predictam sua nephanda potentia adhuc per duos alios annos vel circa, absque eo, quod legitimo cessante impedimento, nullaque canonica dispensatione desuper obtenta, se ad sacerdotium fecerit promoveri, detinuit, prout adhuc detinet, fructus, redditus et proventus percipiens ex eadem similiter de facto, licet in eadem Rectoria personalem residentiam non faciat, et quamquam de eadem facienda auctoritate ordinaria sepissime monitus et requisitus fuerit, penam privationis per statuta provincialia Dublinensis provincie, ac sinodalium Ossoriensis ecclesie eo ipso incurrendo. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, processus, collatio et provisio de facto Patricio facte, ac tam nostre, quam Nicolai predecessoris littere nullius roboris vel momenti existant, dictusque Iohannes dubitet presentationem, institutionem, collationem, admissionem, inductionemque sibi factas ex certis causis iuribus non subsistere, et sicut accepimus, dicta Rectoria adhuc, ut prefertur, et ex persona dicti Patricii vacare noscatur: Nos volentes eundem Iohannem Stronge, cum quo dudum, ut asserit, super defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, ut eo non obstante ad omnes etiam sacros ordines promoveri, et beneficium ecclesiasticum, etiam si curam haberet animarum, aut Canonicatus et prebenda, seu dignitas vel personatus, administratio vel officium in Cathedrali, etiam Metropolitana vel Collegiata ecclesiis foret, et ad dignitatem, personatum, administrationem vel officia huiusmodi consuevisset quis per electionem assumi, eique cura imminet animarum, si sibi alias cananice conferretur, recipere et retinere, illudque totiens quotiens placeret dimittere, et loco dimissi aliud simile vel dissimile beneficium ecclesiasticum etiam recipere et retinere valeret, apostolica fuit auctoritate dispensatum, apud nos de litterarum scientia, vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, discretioni tue, cum dictus Iohannes, ut etiam asserit, dicti Patricii po-

tentiam non immerito perhorrescens, cum in civitate et diocesi Ossoriensis super his nequeat convenire secure, per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis dicto Patricio et aliis, qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi premissa inveneris veritate subniti, et eundem Iohannem Stronge ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, tam nostras, quam Nicolai predecessoris litteras, necnon processus, collationem et provisionem de predicto Patricio factas, et quecumque inde secuta, irrites et annulles, nulliusque roboris vel momenti fuisse, illaque cassa, irrita, nulla et inania, nullumque ius ad eandem Rectoriam, nec in eadem competere, seu competiisse eidem Patricio decernas et declares, prout de iure fuerit faciendum, ipsumque, si necesse sit, sententialiter prives et amoveas realiter ab eadem, nec non presentationem, admissionem, collationem, institutionem et inductionem prefato Iohanni, ut premittitur, factas, similiter, prout de iure fuerit faciendum, auctoritate nostra confirmes et approbes. Et nichilominus Rectoriam predictam, cuius fructus, redditus et proventus quadraginta quatuor, ac Canonicatus Ossoriensis et prebende de Kalmanach, quorum etiam fructus duodecim marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Iohannes asserit, non excedunt, si aliquo modorum predictorum, seu etiam aliis, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu adhuc per obitum quondam Thome Fawte presbiteri, extra dictam Curiam defuncti, vel liberam resignationem Patricii predicti, seu alterius etc. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Iohanni auctoritate nostra conferas et assignes, inducens per te, vel alium seu alios eundem Iohannem, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Rectoris, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendens inductum, amoto exinde dicto Patricio et quolibet alio illicito detentore, ac faciens dicto Iohanni de ipsius Rectorie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Pientie Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, pridie Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXXVII.

Geraldus de Geraldinis canonicus Clonensis ecclesiis Corkagensi et Clonensi unitis in episcopum praeficitur. Reg. Tom. XXII. fol. 260.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Geraldo de Geraldinis Corkagensi et Clonensi Electo, salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum faciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Nuper siquidem Corkagensi et Clonensi invicem canonice unitis ecclesiis ex eo pastoris solatio destitutis, quod Venerabilis frater noster Iordanus in universali ecclesia tunc Corkagensis et Clonensis Episcopus ipsarum unitarum ecclesiarum regimini, cui tunc preerat, per dilectum filium Iohannem Electum Ardakadensem, procuratorem substitutum per dilectum filium Iohannem Ohedian Cassellensis et Ossoriensis ecclesiarum Archidiaconum, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris ex certis rationabilibus causis sponte cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam: Nos ad provisionem unitarum ecclesiarum earundem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere potuit, neque potest, pro eo quod nos dudum in nostri apostolatus primordiis provisiones omnium ecclesiarum tunc apud sedem apostolicam vacantium, et in posterum vacaturarum apud eam ordinationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ne ipse unite ecclesie prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eisdem unitis ecclesiis personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, ipsius Clonensis ecclesie Canonicum, in minoribus dumtaxat ordinibus constitutum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fidedignorum testimoniis percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eisdem unitis ecclesiis de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsarum unitarum ecclesiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et elargitur premia, confidentes, quod dirigente domino actus tuos, prefate unite ecclesie per tue industrie et circumspectionis studium fructuosum regentur utiliter et prospere dirigentur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipient incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas fideliter et prudenter, quod ipse unite ecclesie gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeant se commissas, tuque preter eterne retributionis premium nostram, ac dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXII. pridie Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCCXXVIII.

Richardo Wyly rectoria parochialis ecclesiae de Kynuell Sancti Andreae dioecesis confertur. Reg. Tom. XXIII. fol. 168.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Richardo Wyly perpetuo Vicario parrochialis ecclesie de Dunde Brechinensis diocesis, Magistro in artibus, salutem etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque Rectoria parrochialis ecclesie de Kyunell Sancti Andree diocesis, quam dilectus filius Patricius Graym Electus Brechinensis tempore promotionis, per nos facte de persona sua ad ecclesiam Brechinensem, tunc pastore carentem, obtinebat, prout obtinet, per promotionem huiusmodi, et munus consecrationis eidem Electo impendendum vacare speretur: Nos te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis causa vel occasione, et quacumque auctoritate latis, inflictis et promulgatis, et quibus forsan quomodolibet irretitus vel innodatus existis, quoad hoc dumtaxat, ut effectum presentium consequaris, auctoritate apostolica harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ac volentes tibi, cui, ut accepimus, dicte ecclesie Brechinensis vacatio, per proprium nuncium tibi destinatum, per octo dies ante quoscumque alios apud sedem apostolicam delata fuit, et ad cuius instanciam negocium provisionis de persona ydonea ad dictam ecclesiam Brechinensem tunc vacantem, dilecto filio nostro Petro tit. sancti Marci presbitero Cardinali, ad effectum ut de persona tua eidem ecclesie Brechinensi provideretur, commiseramus, premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate Rectoriam de Kyunell predictam, cuius fructus, redditus et proventus triginta librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, cum illam, ut premittitur, sive per lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti, aut alias quovis modo, preterquam per ipsius electi obitum vacare contigerit, conferendam tibi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Episcopo Sancti Andree, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos dicte Rectorie collatio, provisio, presentatio, seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de Rectoria prefata contra reservationem huiusmodi disponere quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et nichilominus Venerabili fratri nostro Episcopo Ortano, et dilectis filiis Abbati Monasterii Abbrebrothot Brechinensis diocesis, ac Officiali Sancti Andree motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios Rectoriam predictam, cum illam, ut premictitur, vacare contigerit etc. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi auctoritate nostra conferant, ac te vel procuratorem tuum nomine tuo in corporalem possessionem Rectorie, iuriumque et pertinentiarum predictorum inducant, et defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciant tibi de dicte Rectorie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXIII. quarto Kalendas Aprilis, Pont. nostri anno quinto.

DCCCXXIX.

Iudicibus, ut de pravis actis a coadiutore episcopi Corkagensis in ipsum commissis inquirant, eundem coadiutorem amoveant, et episcopum in pristinum statum reponant. Reg. Tom. XXIII. fol. 143.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Cassellensi, et Exoniensi ac Limiricensi Episcopis, salutem etc. Etsi cunctis ecclesiastici status personis, ne iniuriis afficiantur aut molestiis agitentur, seu fraudulenter aut dolose in eorum statu detrimenta paciantur, ex iniuncto nobis apostolice sedis servitutis officio, quantum nobis ex alto conceditur, deffensionis presidio assistere tenemur: Venerabilibus tamen fratribus nostris Episcopis efficacius tenemur adesse, ne per exquisitas et fraudulentas vias ab eorum ecclesiis indebite amoveantur, et alias ipsis per quospiam iniurie inferantur. Sane lamentabilis querela Venerabilis fratris nostri Iordani Episcopi Corkagensis et Clonensis ecclesiarum invicem canonice unitarum nostrum turbavit auditum, amaricavit et mentem. Exposuit siquidem nobis, quod dilectus filius Willelmus Roche, Archidiaconus Clonensis, minus veraciter asserens, quod prefatus Episcopus adeo senio confractus, et viribus ac visu destitutus existeret, quod nequiret propterea per se ipsum pastorale officium exercere, pretendensque nos prenominatum Willelmum eidem Iordano Epo in coadiutorem deputasse et assignasse, prefatusque Willelmus metas sue pretense potestatis excedens, fructus, redditus et proventus ad mensas Episcopales dictarum ecclesiarum spectantes apprehendit, et detinet de presenti indebite occupatos, aliosque varios excessus dicte pretense potestatis vigore commisit et perpetravit in multorum, presertim populorum et dominorum partium illarum scandalum, et ipsius Iordani Episcopi preiudicium non modicum et gravamen. Subsequenter vero quidam Geraldus de Geraldinis, qui se gerit pro clerico Clonensi, ipsius Iordani familiaris, perpendens eundem Iordanum Episcopum bonis omnibus fore destitutum, arbitratus forsan ipsum Iordanum Episcopum ob paupertatem iusticiam suam prosequi non valentem facile opprimi posse, diabolico seductus spiritu quedam pretensa instrumenta, in quibus idem Iordanus Episcopus, ut dicebatur, prefatum Geraldum et dilectum filium Iohannem Ohedian, Archidiaconum Cassellensem, ad cedendum regimini et administrationi dictarum ecclesiarum procuratores constituebat, falsificavit, et cum huiusmodi falsis in-

strumentis per dilectum filium Iohannem Electum Ardakadensem ab eodem Iohanne Archidiacono, ut dicebatur, substitutum, cessione in manibus nostris licet minus veraciter facta, et per nos admissa, ad cedendum regimini et administrationi dictarum ecclesiarum ipsis ecclesiis pastore, ut dicebatur, licet falso, carentibus, de persona sua provideri obtinuit, provisionisque huiusmodi vigore antedictum Iordanum a possessione regiminis et administrationis bonorum dictarum ecclesiarum expellere, et alias eum vexare et perturbare intendit. Quare pro parte Carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Anglie Illustris, ac dicti Iordani Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem Iordano Episcopo in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios de premissis omnibus et singulis auctoritate nostra vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi per vos faciendam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, ita esse repereritis, antedictum Willelmum a coadiutoria predicta amoveatis, et declaretis amotum, ipsumque et per eum deputatos ad reddendum et tradendum vobis computum de per eos receptis et administratis compellatis, fructusque superstantes eidem Iordano Episcopo restitui et assignari faciatis, ac ipsum Iordanum Episcopum in eum statum, in quo ante deputacionem pretensi coadiutoris existebat, reintegretis et reponatis. Et nichilominus ea, que super falsitate antedicta supradictorum instrumentorum repereritis, processum vestrum manu publico subscriptum, et sigillo alterius vestrum clausum et sigillatum nobis quantocius transmittere et destinare curetis, ut nos in premissis et circa ea procedere valeamus, iusticia mediante. Interim vero tam Willelmo quam Geraldo prefatis sub excommunicationis, suspensionis, interdicti ac privationis suorum beneficiorum omnium, que obtinent, et inhabilitacionis ad imposterum obtinenda, penis, quas monicione premissa, ipso facto secus faciendo incurrant, ac incurrisse decernimus, districtius inhibeatis, prout nos harum serie inhibemus, ne de dictis ecclesiis, illarumque bonis et administrationibus se intromittant, seu aliquis ipsorum se intromittat, nec vigore dictorum pretensarum litterarum aliquid faciant, nec idem Geraldus ad ulteriora procedat, aut se consecrari faciat, donec aliter per nos dispositum fuerit in predictis, ipsosque Willelmum et Geraldum ad comparendum coram nobis ad audiendam voluntatem nostram super hiis infra certum competentem terminum, per nos eis prefigendum, sub eisdem penis eadem auctoritate citare et monere curetis. Contradictores quoslibet et rebelles simili auctoritate, appellatione postposita, firmiter compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXIII. decimooctavo Kal. Maii, anno quinto.

DCCCXXX.

Archiepo Tuamensi, ut Bernardum Oheadra decanum ecclesiae Achadensis ab excessibus per eum patratis absolvat. Reg. Tom. XLII. fol. 321.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Tuamensi, salutem etc. Sedes apostolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum libenter se propiciam exhibet et benignam. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Bernardi Oheadra Decani ecclesie Akadensis peticio continebat, quod cum olim ipse quoddam Castrum tunc expressum, per Episcopum Akadensem in terris ecclesie Akadensis constructum, ac eidem Bernardo et aliis suis fratribus per eundem Epum de suorum Metropolitani et Capituli ecclesie Akadensis expresso consensu sub certo canone, sive pensione annua concessum, et post concessionem huiusmodi per quondam Iohannem Oheadra laicum, tunc sue gentis Capitaneum, eisdem Episcopo, Bernardo et fratribus violenter ablatum, necnon per plures annos ab eorundem(sic) Iohanne eiusque natis detentum, recuperare appeteret, quosdam armigeros pro capiendo Ruericum Oheadra, eiusdem Capitanei filium, ad effectum recuperandi dictum Castrum secum convocavit, eisque, ne dictum Ruericum, aut ex familiaribus suis aliquem mutilarent vel occiderent, expresse inhibuit: demum vero ad capiendum dictum Ruericum in manu sua gladium dumtaxat non evaginatum tenens, dictis armigeris associatus accedens, cum dicti armigeri et familiares eiusdem Ruerici, ipso Decano presente, pugnare cepissent, in ipso conflictu sive pugna per eosdem armigeros contra inhibitionem ipsius Decani duo laici interfecti et dictus Ruericus captus fuere: quem quidem Ruericum idem Decanus suis consanguineis custodiendum dimisit, eosque, ut a consanguineis et amicis dicti Ruerici ipsum tuerentur atque defenderent, exoravit, et muneribus invitavit. Cumque postmodum inter suos et eiusdem Ruerici consanguineos graves lites et guerre exorte, necnon homicidia assecuta fuissent, et deinde inter ipsum Decanum et Ruericum ac eorum consanguineos pace composita, rursus inter Bernardum et Ruericum predictos eorumque fautores guerra exorta extitisset, et idem Ruericus ad diripiendum et capiendum dictum Castrum cum suis consanguineis et amicis accessisset, illudque violenter expugnare et diripere moliretur, unus ex suis armigeris per quendam eiusdem Decani amicum, ipso Decano tunc illic existente, extitit interfectus. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, idem Decanus premissa pro eiusdem Castri et terrarum predictarum recuperatione, prout sibi ex concessione predicta videbatur, iusta ex causa fecerit, licet a quibusdam aliis contrarium asseratur, necnon armigeris suis predictis, ne aliquem mutilarent vel occiderent, expresse inhibuerit, ut prefertur, et ipse neminem manu propria mutilaverit vel occiderit, neque premissa quoad necem predictorum rata aut grata habuerit, aut alia arma detulerit, pro parte eiusdem Decani nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsum ab excessibus huiusmodi et peccatis suis omnibus absolventes, sibi, ut Decanatum dicte ecclesie,

necnon alia dignitates, officia et beneficia ecclesiastica, que obtinet, retinere, et quecumque alia similia aut dissimilia, etiam si dignitates in Cathedralibus, etiam Metropolitana, maiores seu principales, aut in Collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad illas ac personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisquo cura immíneat animarum, si sibi alias canonice conferantur, aut eligatur vel assumatur ad illa et provideatur de eisdem, recipere et retinere, necnon in susceptis per eum ordinibus ac etiam altaris ministerio, a quo interim pro sua devotione, et ne potestatem clavium absque declaratione seu dispensatione apostolica contempsisse diceretur, abstinuit, ministrare libere et licite valeat, ipsumque habilem et ydoneum, alio non obstante canonico impedimento, decernere et declarare, et quatenus expediens fuerit, super irregularitate et aliis premissis secum dispensare, omnemque inhabilitatis et infamie maculam per eum dicta occasione contractam abolere, ac ipsum in pristinum statum, antequam premissa fierent, restituere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque attendentes, quod dicte sedis clementia non consuevit petentibus veniam denegare, de premissis certam noticiam non habentes, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si ita est, eidem Bernardo in utroque foro provideas, prout sue saluti tibi videbitur expedire, iniuncta sibi pro modo culpe penitentia salutari, et aliis, que fuerint de iure iniungenda. Datum Tibure Anno etc. M.CCCC.LXIII. pridie Idus Iulii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCCXXXI.

Mauritius Macdomichayd confertur prioratus de Casdara ordinis sancti Augustini Elfinensis dioecesis. Reg. Tom. XXV fol. 272.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Decano et Preposito, ac Thome Machabrechun Canonico ecclesie Akadensis, salutem etc. Religionis zelus, nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Martinus Macdomichayd, Canonicus monasterii beate Marie de Insula Macuere ordinis s. Augustini Elphinensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, Nos inducunt, ut ea sibi favorabiliter concedamus, que suis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Thomas Obeathuachan, Prior dicti monasterii per Priorem gubernari soliti, ex certis causis animum suum moventibus Prioratum predictum coram Notario publico et nonnullis testibus fidedignis extra Romanam Curiam sponte et libere resignaverit: Nos, qui nuper per nos accepto, quod dilectus filius Wilialmus Marscarrayd Abbas monasterii eiusdem beate Marie de Casdara dicti ordinis Akadensis diocesis, proprie salutis immemor, Deique timore postposito, ac pudicitie laxatis habenis notorius fornicator existens, quandam mulierem in suam concubinam publice tenere, ac periurii reatum committere, nec non mala malis accumulando ipsius monasterii de Casdara, cuius iurium protector et defensor esse deberet, in eius fructibus, redditibus et proventibus sectionem seu divisionem facere, et ipsorum fructuum certam quotam dilecto filio Cornelio, olim dicti monasterii de Casdara Abbati, pactum in hoc symoniacum committendo, contra sacras sanctiones assignare non erubuerat, Nos attendentes, quod veris existentibus premissis, dictus Wilialmus regimine et administratione prefati monasterii reddiderat se indignum, ac cupientes eidem monasterio de Casdara de gubernatore secundum cor nostrum utili et ydoneo, per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeret, providere, per alias nostras litteras certis dedimus iudicibus in mandatis, quatenus ipsi vel duo aut unus ipsorum, si dictus Mauritius eundem Wilialmum super premissis relatis coram eis accurare, seque in forma iuris inscribere vellet, postquam illum accusasset et se inscripsisset, ut prefertur, vocatis dicto Wilialmo et aliis, qui forent evocandi, de eisdem relatis inquirerent auctoritate nostra diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi ea reperirent veritate subniti, eundem Wilialmum regimine et administratione predictis auctoritate prefata sententialiter privarent, et amoverent realiter ab eisdem, prout de iure foret faciendum. Et nichilominus si privationem et amotionem huiusmodi per eos dictarum litterarum vigore fieri contingeret, ut prefertur, de persona dicti Mauritii eidem monasterio de Casdara, sive per privationem et amotionem huiusmodi tunc, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona vacaret, eiusque provisio ex quavis causa ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineret, dummodo tempore date predictarum litterarum eidem monasterio de Casdara non esset de Abbate canonice provisum, auctoritate predicta providerent ipsumque illi in Abbatem preficerent, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in dictis litteris plenius continetur. Volentes prefato Mauritio, qui, ut asserit, de magnis nobilibus ex utroque parente procreatus extitit, ac per dilectos filios Conventum dicti monasterii de Insula Macuere, sperantes, quod propter potentiam et nobilitatem suam nonnulla possessiones et bona dicti monasterii per clericos et laicos usurpata recuperari poterunt, in eorum et dicti monasterii Priorem electus extitit, promissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, et ut in suis necessitatibus aliquod valeat suscipere relevamen, de alicuius subventionum auxilio providere, ipsumque Mauritium a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis in eum a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, quibus forsan quomodolibet irretitus existit, quo ad hoc, ut presentium dumtaxat consequatur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum, si ita est,

resignationem huiusmodi auctoritate nostra hac vice dumtaxat admittatis, eaque per vos admissa Prioratum predictum, cui cura imminet animarum, et cuius fructus, redditus et proventus viginti quatuor marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Mauritius etiam asserit, non excedunt etc. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato Mauritio, per eum quoad vixerit, tenendum, regendum et etiam gubernandum auctoritate nostra commendare curetis, ita quod liceat prefato Mauritio huismodi commenda durante de dicti Prioratus fructibus, redditibus et proventibus debitis et consuetis, illius supportatis oneribus, disponere et ordinare, sicuti illum pro tempore obtinentes de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et preciosorum mobilium dicti Prioratus sibi penitus interdicta etc. Datum Tibure Anno etc. M.CCCC.LXIII. tertio Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCCXXXII.

Iudicibus, ut David Weirc ecclesiam parochialem de Cleugubim Glasguensis dioecesis conferant. Reg. Tom. XXVI. fol. 21.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Grassensi, et dilectis filiis Sancti Andree ac Brechinensis ecclesiarum Archidiaconis, sal. etc. Nobilitas generis, litterarum scientia etc. super quibus apud nos dilectus filius David Weirc, Prepositus ecclesie sancti Mervotii de Methuen Sancti Andree diocesis, Magister in artibus, fide digno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia de Cleuguhim Glasguen. diocesis, quam quondum Robertus Tulloncb, illius Rector, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Roberti, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit et vecet ad presens: Nos volentes eidem David, qui ut asseritur, de nobili genere procreatus existit, premissorum meritorum suorum intuitu, nec non consideratione Carissimi in Christo filii Iacobi Scotorum Regis Illustris, asserentis se verum patronum, et in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi personam idoneam ad dictam parrochialem ecclesiam, cum pro tempore vacat, existere, eundem David dilectum suum animo non variandi nobis per suas litteras ad eandem parochialem ecclesiam, ut premittitur vacantem, obtinendam presentantis gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios parrochialiem ecclesiam predictam, cuius fructus, redditus et proventus sedecim librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam asseritur, non excedunt etc. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem David auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eumdem David etc. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXIII. sexto decimo Kalendas Octobris, Pont. nostri anno sexto.

DCCCXXXIII.

Mariae reginae Scotorum altare portatile et quaedam aliae gratiae spirituales conceduntur. Reg. Tom. XLIII. fol. 331.

Pius episcopus etc. Carissime in Christo filie Marie Regine Scotie Illustri, salutem etc. Preclare devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut votis tuis, illis presertim, que conscientie pacem et salutem anime respiciunt, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque in hac parte supplicationibus inclinati, ut sacerdos ydoneus secularis, vel cuiuscumque ordinis regularis, quem duxeris eligendum, confessionibus tuis diligenter auditis, pro commissis, dummodo talia non sint, propter que sit merito sedes apostolica consultanda, quotiens opus fuerit, debitam tibi absolutionem impendere, et penitentiam salutarem iniungere, nec non etiam in singulis sedi apostolice reservatis casibus, preterquam offense ecclesiastice libertatis, violationis interdicti a sede apostolica impositi, criminum heresis, offense, inhobedientie seu rebellionis in Romanum Pontificem vel sedem apostolicam, presbitericidii, offense personales in Episcopum vel alium prelatum, invadentium, depredantium, aut alias devastantium terras ecclesie Romane immediate subiectas propter censuras latas in die Cene Domini, ac etiam invadentium Romipetas, seu quoscumque alios ad Romanam Curiam venientes, semel dumtaxat debitam tibi absolutionem in forma ecclesie consueta similiter impendere, et etiam penitentiam salutarem iniungere, nec non confessor predictus vel alius, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contrita et ore confessa fueris, etiam semel dumtaxat in mortis articulo plenariam remissionem tibi in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia et ordinatione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistenti, auctoritate apostolica concedere valeat; quodque etiam tu altare portatile, quod tibi cum debita reverentia et honore habere liceat in locis ad hoc congruentibus et honestis, per huiusmodi ydoneum sacerdotem missas et alia divina officia in tua et familiarium tuorum presentia absque iuris alieni preiudicio celebrari, ac singulis diebus dominicis in loco, ubi ipsum altare tunc fuerit, aquam benedici facere libere et licite possis, etiam si ecclesiastico supposita fuerint interdicto, in illis clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, sed submissa voce, dummodo tu vel illi causam non dederitis interdicto, nec id tibi vel illis contigerit specialiter interdici, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, ita tamen quod id tibi, nec (et) sacerdoti taliter celebranti ad culpam nequeat imputari, proviso etiam quod parce huiusmodi posteriori concessione utaris, cum in altaris officio immoletur dominus noster Ihesu Christus, qui candor est lucis eterne, et propterea congruat hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce; quodque idem vel alius Confessor per te similiter

eligendus Eucharistiam, et alia ecclesiastica sacramenta, quotiens fuerit opportunum, tibi et familiaribus predictis sine iuris alieni preiudicio ministrare etiam libere et licite possit, Serenitati tue auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus: sic tamen, quod quo ad plenarie remissionis huiusmodi concessionem idem confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, etiam tibi in vita per te, si supervixeris, vel per alios, si forte tunc transieris, faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut prefertur. Et ne, quod obsit, propter huiusmodi gratiam sis aut reddaris proclivior ad illicita in posterum committenda, volumus, quod si hactenus in nos vel predecessores nostros Romanos Pontifices, aut in ipsorum mandatorum contemptum, seu in apostolice sedis vel ecclesiastice libertatis offensam aliqua commiseris, aut ex confidentia remissionis huiusmodi alia forte committeres, quo ad predicta remissio tibi nullatenus suffragetur: quodque per unum annum ratione dicte commissionis a tempore, quo presens nostra concessio ad tuam pervenerit notitiam, computandum, singulis sextis feriis, quibus iuxta remissionis huiusmodi concessionem ieiunare deberes, tres pauperes reficere tenearis, et si forte aliquibus ex eisdem feriis id facere non posses, aliis diebus anni insequentis restrictionem ipsam complere debeas, alioquin concessio remissionis huiusmodi dumtaxat nullius existat roboris vel momenti. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, Idibus Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.

DCCCXXXIV.

Iudicibus, ut David Fitzmoris rectoriam parochialis ecclesiae de Randbarad Artfertensis dioecesis conferant. Reg. Tom. XXVIII. fol. 258.

Pius etc. Dilectis filiis Priori Monasterii beate Marie de Raydgella per Priorem soliti gubernari Limiricensis diocesis, et Cancellario ac Geraldo Phil. de Geraldinis Canonico ecclesie Limiricensis, sal. etc. Vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius David Fitzmoris, Cancellarius ecclesie Artfertensis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, Rectoria parrochialis ecclesie de Randbarad Artfertensis diocesis ex eo, quod dilectus filius Gerardus Fitzmoris illam tunc certo modo vacantem canonice sibi collatam assecutus, ac per annum et amplius pacifice possidens, se non fecit, impedimento cessante legitimo, et nulla per eum super hoc canonica dispensatione obtenta, ad sacerdotium promoveri, vacavit et vacet ad presens: Nos volentes dicto David, cum quo dudum super defectu natalium, quem patitur, ut asserit, de diacono genitus et soluta, ut eo non obstante tenore quarundam litterarum nostrarum, per quas sibi de Cancellaria ecclesie Artfertensis, que inibi dignitas curata, non tamen post pontificalem maior existit, et ad quam non consuevit quis per electionem assumi, certo modo vacante provideri mandavimus, ut illam superiorum vigore litterarum, vel illa per eum dimissa, quodcumque aliud ecclesiasticum beneficium, etiam si curam haberet animarum, si sibi alias canonice conferretur, recipere et retinere, quodque etiam ad omnes sacros ordines promoveri valeret, gratiose dispensavimus, premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere, ipsumque a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis in eum a iure vel ab homine latis, et quibus forsan quomodolibet irretitus existit, quo ad hoc, ut presentium dumtaxat consequatur effectum, harum serie absolventes, et absolutum fore consentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios Rectoriam predictam, que de iure patronatus laycorum existit, et cuius fructus, redditus et proventus octo marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quomodolibet etc. vacet etc. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato David auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessessionem Rectorie, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes sibi de ipsius Rectorie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Senis Anno etc. M.CCCC.LXIII. quarto Idus Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

DCCCXXXV.

Archiepiscopo Cassellensi, ut Dermicium Yhiffirnan monasterio sanctae Mariae de Surio Cisterciensis ordinis Lismorensis dioecesis in abbatem praeficiat. Reg. Tom. XXX. fol. 18.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Cassellensi, salutem etc. Debitum officii nobis ex alto commissi requirit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias et monasteria solertiam adhibentes, ipsorum utilitatibus intendamus, eisque tales Rectores preficere studeamus, per quos spiritualiter et temporaliter, auctore Domino, continua suscipiant incrementa. Cum itaque, sicut accepimus, monasterium beate Marie de Surio Cisterciensis ordinis Lismorensis diocesis, cui quondam Patritius illius Abbas, dum viveret, presidebat, per obitum eiusdem Patritii Abbatis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, ad presens sit Abbatis regimine destitutum, licet dilectus filius Riccardus Londrus, qui se gerit pro clerico monasterii predicti, cuiusdam electionis de eo in Abbatem dicti monasterii sic vacantis, licet de facto, per dilectos filios eiusdem Conventus facte, et illius auctoritate ordinaria desuper similiter de facto subsecuta, confirmationis pretextu regimen et administrationem dicti monasterii de facto etiam occupaverit, illudque per annum et ultra, citra tamen bien-

nium, detinuerit, prout detinet indebite occupatum: Nos cupientes eidem monasterio, ne longioris vacationis exponatur incommodis, de persona utili et ydonea, per quam circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, provideri, ac de meritis et ydoneitatibus dilecti filii Dermitii Yhiffirnan, Monachi Monasterii sancte Crucis de Wolarlaund dicti ordinis Cassellensis diocesis, qui presbiter, et ut asserit, ordinem ipsum expresse professus existit, et cum quo dudum super defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et coniuncta, ut eo non obstante ad omnes etiam sacros ordines promoveri, et beneficium ecclesiasticum, etiam si ei cura imminet animarum, si sibi alias canonice conferretur, recipere er retinere libere et licite valeret, apostolica fuit auctoritate dispensatum, quique huiusmodi dispensationis vigore ad omnes ordines predictos rite promotus fuit, et cui apud nos de religionis zelo, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, certam noticiam ad hoc non habentes, ipsumque Dermitium a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis in eum a iure vel ab homine, etiam propter crimen symonie, aut alia quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, quo ad presentium per eum consequendum effectum dumtaxat, regula per nos in contrarium edita non obstante, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, fraternitati tue, cum ut ipse Dermitius asserit, super premissis non speret in civitate vel diocesi Lismorensi posse consequi iustitie complementum, per apostolica scripta mandamus, quatenus de meritis et ydoneitate Dermitii huiusmodi auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi eum, super quo tuam conscientiam oneramus, utilem et ydoneum ad regimen et administrationem dicti monasterii beate Marie fore, ac vocatis dicto Riccardo et aliis, qui fuerint evocandi, dictum monasterium beate Marie cum fructibus, redditibus et proventibus, qui quadraginta novem marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Dermitius etiam asserit, non excedunt, ut premittitur, aut alias quovis modo seu ex alterius cuiuscumque persona, aut per cessionem dilecti filii Florentii Ymulwill, seu alterius cuiusvis extra dictam Curiam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, vacare repereris, de persona dicti Dermetii eidem monasterio beate Marie, amoto exinde dicto Riccardo et alio quolibet illicito detentore, dummodo tempore date presentium non sit ei de Abbate canonice provisum, auctoritate nostra provideas, ipsumque illi preficias in Abbatem, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii sibi in spiritualibus et in temporalibus plenarie committendo etc. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Et quod ipse Dermitius grangiam de Colethe etc. dimittere teneatur. Dat. Ancone Anno etc. M.CCCC.LXIV. tertio Kalendas Augusti, Pont. nostri anno sexto.

DCCCXXXVI.

Providetur quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis et aliis gratiis.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Sancti Andree et Dunkeldensi ac Urbevetano Episcopis, salutem etc. Curent, ut Richardo Willy, presbitero Brechinensis diocesis, parrochialis ecclesia de Dunde eiusdem diocesis per obitum quondam Richardi Crag vacans, quamque Iohannes Thiri Rector parrochialis ecclesie de Lym Glasguensis diocesis indebite detinet, conferatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. 1458. decimoseptimo Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno primo. Reg. Tom. XLVII. fol. 2.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Dermicio Occurryn Archidiacono Lechglinensi, salut. etc. Confertur ipsi Archidiaconatus dicte ecclesie, quem quondam Donatus Omurhy obtinebat, necnon parrochialis ecclesia de Ymissyl, per obitum Bernardi Occurry vacans, eiusdem diocesis. Datum Mantue Anno etc. 1459. Id. Septembris, anno secundo. Reg. Tom. VI. fol. 150.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Archidiacono, Decano et Precentori ecclesie Imelacensis, sal. etc. Conferant Iohanni Ohedyan, clerico Cassellensi, beneficium ecclesiasticum primo vacaturum in Imelacensi diocesi. Dat. Mantue Anno etc. 1459. decimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno secundo. Reg. Tom. VIII. fol. 86.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Ortensi, et dilectis filiis Priori monasterii B. Marie de Killmoir-Nasynda, per Priorem soliti gubernari, Elphinensis diocesis, ac Malachie Omochan Canonico Elphinensi, salutem etc. Provideant Iohanni Offaynd Canonico Elphinensi de parrochiali ecclesia de Rilhtachinre Ardakadensis diocesis, de qua Iohannes Macgilasulich, veluti litterarum apostolicarum et sacre penitentiarie falsarius et mentitor publicus spoliatus fuerat. Datum Patrioli Senensis diocesis Anno etc. 1460. quarto Idus Iunii, Pont. nostri anno secundo. Reg. Tom. X. fol. 35.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Luce de Vivianis et Mauritio Omolmochary, ac Iohanni Ogoband Kelmorensis ecclesie Canonicis, salutem etc. Conferant Malachie Mackwhuarg clerico Ardakadensis diocesis Rectoriam terrarum ruralium, nuncupatam de Muntorcolays dicte diocesis, vacantem per obitum Cornelii Ofeargayl. Datum in Monasterio S. Salvatoris de Iliceto extra muros Senenses Anno etc. 1460. pridie Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno secundo. Ibidem fol. 58.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii de Deir, et Priori Prioratus de Monymusk Aberdonensis diocesis, ac Cancellario ecclesie Aberdonensis, sal. etc. Provideant Georgio Monyxenuy clerico S. Andree diocesis de canonicatu et prebenda de Monymusk nuncupata in ecclesia Aberdonensi, quos Iohannes Mirton obtinuerat. Datum Senis Anno etc. 1460. septimo Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo. Ibidem fol. 154.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Brechinensi et Marsicano Epis, ac dilecto filio Priori

ecclesie S. Andree, salutem etc. Conferant Thome Lewingston in universali ecclesie Dunkeldensi Epo parrochialem ecclesiam Carnisinule alias de Kyrckyner Candidecase diocesis, eidem iam per Nicolaum pp. V. collatam, quamque Patritius Lokard presbiter Glasguensis diocesis indebite detinet. Datum Senis Anno etc. 1460. quinto Idus Aprilis, Pont. nostri anno secundo. Reg. Tom. XI. fol. 309.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Epo Grassensi, et dilectis filiis Wilhelmo de Elphinston Canonico ecclesie Glasguensis, ac Officiali Glasguensi, salutem etc. Conferant Gilberto de Rerik, Rectori parrochialis ecclesie de Drounok Glasguensis dioc. perpetuam Vicariam ecclesie parrochialis de Drunfreis dicte diocesis, vacantem per obitum Georgii de Scoriswordc. Datum Macereti Senensis diocesis Anno etc. 1460. Nonas Maii, Pontificatus nostri anno secundo. Reg. Tom. XVII. fol. 14.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii de Pasleto Glasguensis diocesis, et Cancellario ecclesie Carnotensis, ac Officiali Glasguensi, sal. etc. Provideant Thome de Murhede clerico Glasguensis diocesis, qui Andree Episcopi Glasguensis nepos existit, et Bononie actu studet, de Canonicatu et prebenda de Castiltaris vulgariter nuncupata ecclesie Glasguensis, quos Guillelmus Walteri ipsius ecclesie Canonicus obtinebat. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. 1460. quinto Kalend. Novembris, Pont. nostri anno tertio. Reg. Tom. XI. fol. 72.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Sancti Andree et Brechinensi Episcopis, ac dilecto filio Decano ecclesie s. Walburgis Furnensis Morinensis diocesis, sal. etc. Conferant Iohanni Wyly, presbitero Brechinensis diocesis, perpetuam Vicariam parrochialis ecclesie de Forg Aberdonensis diocesis, vacantem per obitum Willelmi Gorden in Rom. Curia defuncti. Datum Tibure Anno etc. 1461. x. Kal. Septembris, anno tertio. Reg. Tom. XV. fol. 153.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Ortano, et dilectis filiis Moraviensis et Aberdonensis ecclesiarum Decanis, salutem etc. Conferant Andree Lyell, Rectori ecclesie de Blare Dunkeldensis dioc., in decretis Bacallario, thesaurariam ecclesie Aberdonensis, vacantem per obitum Henrici Rind. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. 1460. xiv. Kal. Aprilis, anno tertio. Reg. Tom. XVI. fol. 190.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Thadeo Maccomiayc alias Ofihallay, monacho Monasterii beate Marie de Buellio Cisterciensis ordinis Elphinensis diocesis, salutem etc. Ut non obstante defectu natalium (de soluto et soluta in secundo gradu coniunctis genitus), aliquod beneficium ecclesiasticum ad collationem sui Abbatis pertinens accipere possit. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc. 1460. xvii. Kal. Novembris, anno tertio. Reg. Tom. XVII. fol. 22.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Roberto Pennwen Clerico Sancti Andree diocesis, salutem etc. Conferuntur eidem canonicatus et prebenda de Glasgu nuncupata in ecclesia Glasguensi, vacantes per obitum Thome Perawen. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. 1461. vi. Idus Octobris, Pont. nostri anno quarto. Reg. Tom. XVI. fol. 124.

Pius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Brechinensi et Candidecase Episcopis, ac dilecto filio Archidiacono ecclesie Trecorensis, salutem etc. Conferant Iohanni Seres, presbitero Brechinensis diocesis et Preposito ecclesie de Monyboyll Glasguensis diocesis, parrochialem ecclesiam de Lamygton Glasguensis diocesis, ad collationem nobilis viri Willelmi Bahedi de Lamygton pertinentem, quam Willelmus Wodinam, ecclesiam parrochialem de Lunde S. Andree diocesis dimittens, obtinuerat. Dat. Tibure Anno etc. 1461. vi. Kal. Octobris, anno quarto. Ibidem fol. 18.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii s. Iohannis Evangeliste Tuamensis, et Dermitio Oscara ac Thome Macbressim Canonicis ecclesie Tuamensis, sal. etc. Conferant Mylero Bremchram, clerico Tuamensis diocesis, parrochialem ecclesiam de Dunmor eiusdem diocesis, qua Thadeus Ohauli, alias Ohanin, propter dilapidationem aliaque crimina spoliatus fuerat. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. 1461. tertio Kal. Martii, Pontificatus nostri anno quarto. Reg. Tom. XVIII. fol. 24.

Pius episcopus etc. Dilecto filio nostro Iacobo Keunedei, Decano decanatus Dernok nuncupati ecclesie Cathanensis, in artibus Magistro, salut. etc. Confertur ipsi dictus decanatus, per obitum Patritii Fresale vacans. Dat. Pientie Anno etc. m.cccc.lxii. vi. Kalend. Septembris, Pont. nostri anno quarto. Reg. Tom. XX. fol. 239.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Alano Kaernynynen, perpetuo Vicario de Treffgondery in ecclesia Laoniensi, Magistro in artibus, salutem etc. Confertur ipsi dicta Vicaria, quam Cristoforus Carpentary, nuper apud oppidum S. Quirici Pientine diocesis, a civitate Pientina, in qua pro tempore Curia Romana residebat, per duas dietas distans, diem vite sue clausit extremum, obtinuerat. Datum Piencie Anno etc. m.cccc.lxii. Pridie Kal. Septembris Pont. nostri anno quinto. Ibidem fol. 304.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis s. Trinitatis et s. Iohannis Evangeliste Tuamensium Monasteriorum Abbatibus, ac Dermitio Maccassarlay Canonico Tuamensi, salutem etc. Preficiant Iohannem Ornurchu, presbyterum Tuamensis diocesis, Monasterio s. Michaelis de Mayo ordinis s. Augustini eiusdem diocesis in Abbatem, expulso Malachia Ovinlanaill eiusdem Abbate propter sua demerita. Datum Rome apud S. Petrum Anno m.cccc.lxii. nono Kal. Maii, Pont. nostri anno quinto. Reg. Tom. XXI. fol. 109.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati beate Marie de Flumine Dei, et Priori s. Iohannis in Ierusalem de Kyllheneayd per Priorem soliti gubernari monasteriorum Midensis diocesis, salutem etc. Conferat Willialmo Offertgayl, clerico Ardakadensis diocesis, Rectoriam terrarum de Terranto, sive parrochialem ecclesiam de Cluoncorpi Elphinensis diocesis, amoto Iohanne Omachan eiusdem Rectore. Datum Macereti Senensis diocesis Anno etc. m.cccc.lxiii. iv. Kal. Martii, anno v. Reg. Tom. IX. fol. 305.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati monasterii de Insula sancti Molansyd ordinis sancti Augustini Lismorensis diocesis, et Thesaurario ac Thome Ofhachanayn Canonico ecclesie Lismorensis, salutem etc. Conferant Iohanni Okeallayd alias Maigillaruag presbitero Clonfortensis diocesis Archidiaconatum in ecclesia Corkagensi, quo David Miach merito spoliatus fuerat. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXIII. VII. Kal. Aprilis, Pont. nostri anno quinto. Reg. Tom. XXIV. fol. 88.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Decano et Archidiacono ecclesie Cluonfertensis, salutem etc. Conferant Iohanni Chavyn, clerico Cluonfertensis diocesis, Rectoriam parrochialis ecclesie de Dundayre eiusdem diocesis, amoto David de Burgo alias Otybayn eiusdem Rectore. Datum Tibure Anno etc. M.CCCC.LXIII. pridie Nonas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto. Reg. Tom. XXV. fol. 167.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati monasterii Apostolorum Petri et Pauli de Forgio alias de Clar, et Decano ac Donato Ograda Canonico ecclesie Laoniensis, salutem etc. Conferant Nicolao Ofayt, perpetuo Vicario parrochialis ecclesie de Kyltroinhyr Clonfertensis diocesis, Canonicatum et prebendam de Kylmen in ecclesia Tuamensi, quos Edmundus de Burgo indebite detinebat. Datum Tibure Anno etc. M.CCCC.LXIII. quarto Idus Iulii, Pontificatus nostri anno quinto. Reg. Tom. XXV. fol. 150.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Decano et Archidiacono, ac Mauritio de Geraldinis Canonico ecclesie Lismorensis, salutem etc. Conferant Dermitio Macgyllapadryg, clerico Laoniensis diocesis, Canonicatum et prebendam de Cluoindagat in ecclesia Laoniensi, quibus Donatus Maccray merito spoliatus fuerat. Datum Tibure Anno etc. M.CCCC.LXIII. VII. Kalend. Septembris, Pontificatus nostri anno quinto. Reg. Tom. XXVII. fol. 78.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Donaldo Magillipadrig Clerico Limiricensis diocesis, salutem etc. Confertur ipsi Canonicatus et prebenda de Tampolmonin in ecclesia Limiricensi, quorum fructus viginti marcharum sterlingorum non excedunt, et quos Matheus Electus Laoniensis tempore suae promotionis obtinebat. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno M.CCCC.LXIII. XVI. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno sexto. Reg. Tom. XXVII. fol. 68.

EPISTOLAE PAULI PP. II.

DCCCXXXVII.

Iudicibus, ut erectionem ecclesiae s. Aegidii in oppido Edimburgiensi in collegiatam per eiusdem oppidi magistratus factam auctoritate apostolica confirment. Reg. Tom. VII. fol. 13.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Candidecase, et dilecto filio Abbati Monasterii sancte Crucis extra muros de Edynburgh Sancti Andree diocesis, salutem etc. In eminenti specula militantis ecclesie constitutus Romanus pontifex, beati Petri celestis Clavigeri successor, pervigilis more pastoris sue prudentie oculis universum orbem terrarum, ac nationum in eo degentium qualitates paterna consideratione discutiens, ac examinans diligenter, ex iniuncto sibi desuper pastoralis officii onere ecclesiarum omnium venustatem appetens et exquirens, quasdam exaltat et sublevat, ac ad maioris titulum dignitatis attollit, ut ex hoc locus alias populositate, reliquisque ad humane vite commodum necessariis celeber et insignis videatur merito illustrandus, ac per erectionis ministerium ecclesiis ipsis titulus sublimioris excellentie augeatur pariter et decoris: pia quoque et salubria fidelium vota, ex quibus divini cultus speratur augmentum, salusque proveniat animarum, pii patris affectione prosequitur, ac paternis favoribus confovet, et ut optatum sortiantur effectum, opem libentius et operam attentius impertitur. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prepositi, Balivorum et Consulum laicorum ac Universitatis opidi de Edynburgh Sancti Andree diocesis petitio continebat, ipsi provide considerantes opidum predictum, in quo modernus Rex Scotorum, et quamplures Episcopi, Abbates, et alii proceres Regni Scotie ut plurimum residere consueverunt, inter alia Regni predicti opida populositate celebre et insigne esse, ac ad illud multitudinem populi eiusdem Regni confluere, parrochialemque ecclesiam s. Egidii dicti opidi, que de iure patronatus eiusdem Regis existit, in suis fructibus, redditibus et proventibus satis habundare, et in illa ecclesiasticarum personarum inibi divinis laudibus insistentium numerum, benedicente domino, auctum fore, de consensu dicti Regis ad Omnipotentis Dei eiusque genitricis Marie ac aliorum Sanctorum, presertim dicti sancti Egidii laudem, gloriam et honorem, necnon pro eiusdem opidi venustate et decore, Regisque predicti, progenitorum et Epōrum Sancti Andree, qui fuerunt pro tempore, precipue bo. mem. Iacobi olim Sancti Andree Episcopi, et nonnullorum

eiusdem Regni procerum, ceterorumque Christifidelium defunctorum animarum salute ecclesiam predictam in Collegiatam ecclesiam, cum iuribus et insigniis Collegialibus, ibique unam Prepósituram pro uno Preposito, et duo officia, Sacristiam videlicet et Ministerium chori, ac quatuordecim prebendas distinctas pro totidem Canonicis fundarunt et erexerunt, licet de facto, necnon inter cetera, quod dicta Prepositura ibidem dignitas principalis esset; quodque Prepositus dicte ecclesie pro tempore existens perpetuum Vicarium, qui illius parrochianorum animarum curam exercere valeret, Sacrista vero predictus unum clericum secularem ecclesie et Vicario antedictis servientem, Minister autem chori huiusmodi unum Bidellum, singula eidem officio incumbentia, que ministro chori pro tempore existenti ex honestate sacerdotali non congruunt, exercentem, eorum sumptibus tenere, nec non ipse nonnulla et dictus Prepositus cetera alia onera eidem ecclesie dietim incumbentia subire, ac dictus Sacrista organa et campanas eiusdem ecclesie suis sumptibus pulsari facere, omniaque alia ad officium Sacristie de iure vel consuetudine spectantia gerere, ipseque et ceteri Canonici predicti in eadem ecclesia quotidie celebrare, necnon eorum ac Prepositi ac Ministri chori predictorum sumptibus quatuor pueros per aptiorem ex Canonicis predictis pro tempore existentem erudiendos sustentare tenerentur; quodque Vicarius, Sacrista et Minister chori predicti, suis culpis et demeritis exigentibus, ad nutum Prepositi et Capituli dicte ecclesie amovibiles essent, voluerunt et ordinarunt similiter de facto, ac pro Prepositi, Sacriste, Canonicorum et aliorum predictorum sustentatione congruos et sufficientes redditus, ac eorum quotidianis distributionibus certas possessiones seu annuos redditus deputarunt et assignarunt, nec non erectionem, fundationem, voluntatem, ordinationem et deputationem predictas a Venerabili fratre nostro Patritio Episcopo Sancti Andree ordinaria auctoritate confirmari et approbari fecerunt etiam de facto, prout in instrumento et litteris predicti Episcopi desuper confectis dicitur plenius contineri. Cum autem premissa viribus non subsistant, pro parte Prepositi, Balivorum, Consulum et Universitatis predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsos in tam pio et salubri proposito confoventes, eis super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cultus eiusdem intensis affectibus exquirimus ubilibet incrementum, pium propositum huiusmodi plurimum in domino commendantes, ac sperantes maximum ex premissis eisdem fidelibus profectum emersurum fore, huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum de predictis omnibus et singulis vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi illa fore vera reppereritis, ecclesiam predictam in Collegiatam ecclesiam cum iuribus, insigniis Collegialibus, ibique Preposituram et officia ac prebendas huiusmodi, ut prefertur, et totidem inibi Canonicatus de novo erigere et fundare; quodque dicta Prepositura ibidem dignitas principalis sit, ac Prepositus eundem Vicarium, Sacrista Clericum, nec non Minister chori predicti Bidellum huiusmodi, ut premittitur, tenere, ac ipse et dictus Prepositus onera antedicta respective subire, dictusque Sacrista organa et campanas huiusmodi pulsari facere, et alia ad officium Sacristie huiusmodi spectantia, ut prefertur, exercere, ipsique et ceteri Canonici prefati in eadem ecclesia quotidie celebrare, eorumque ac Prepositi et Ministri chori predictorum sumptibus eosdem pueros erudiendos, ut premittitur, sustentare teneantur; quodque Vicarius, Sacrista et Minister chori predicti, eisdem culpis et demeritis exigentibus, ad nutum Prepositi et Capituli predictorum amovibiles existant, etiam de novo statuere et ordinare, nec non deputationem et assignationem redditaum et distributionum earundem, ut premittitur, factas et prout eas concernunt, omnia et singula in Instrumento et litteris predictis contenta, et quecunque quoad hoc inde secuta dumtaxat etiam de novo confirmare et approbare, ac presentis scripti patrocinio communire, omnesque et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplere auctoritate nostra curetis, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Marcum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, VIII. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCXXXVIII.

Iudicibus, ut Thomam Clinton (alias Clintonen) in possessione decanatus ecclesiae Dublinensis tueantur. Reg. Secret. Tom. VI. fol. 284.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Midensi, et dilectis filiis Sancti Petri prope Trun ac Sancti Iohannis de Naas Midensis et Darensis diocesum Monasteriorum per Priores gubernari solitorum Prioribus, salutem etc. Humilibus supplicum votis libentius annuimus, eaque favoribus prosequimus oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Thome Clinton Canonici Dublinensis peticio continebat, quod olim Decanatu ecclesie Dublinensis per obitum quondam Philippi Nozzigis ipsius ecclesie Decani extra Romanam Curiam defuncti vacante, dilecti filii Canonici dicte ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt et etiam debuerunt electioni futuri ipsius ecclesie Decani commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut est moris, convenientes in unum, nonnulli ex eis, saniorem partem representantes, prefatum Thomam sufficientem et idoneum, adhibitis iuris solemnitatibus, in eorum et dicte ecclesia Decanum per viam scrutinii elegerunt, et dictam electionem solemniter publicarunt; alii vero Canonici eiusdem ecclesie in dilectum filium Iohannem Alleyn, qui se gerit pro Canonico dicte ecclesie, scientes ipsum indignum fore ad obtinendum Decanatum antedictum, direxerunt vota sua: et licet idem Thomas electionem de Iohanne factam huiusmodi nullam decerni, et electionem de se factam per Venerabilem fratrem nostrum Michaelem Archiepum Dublinensem auctoritate

ordinaria confirmari petierit, tamen idem Archiepiscopus electionem dicti Iohannis confirmavit, quamvis de facto, et deinde ipsum Thomam pro eo, quod confirmationi huiusmodi, prout nec tenebatur, acquiescere recusavit, excommunicationis sententia innodavit, ipsumque mandavit et fecit excommunicatum publice nunciari Thomam similiter et de facto: unde idem Thomas sentiens ex hiis indebite se gravari, ad sedem apostolicam appellavit, et nobis postmodum humiliter supplicavit, ut ipsum ab eadem sententia ad cautelam absolvi mandare, et causam appellationis huiusmodi aliquibus probis viris in partibus illis committere, et alias sibi in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, vocatis dicto Iohanne et aliis, qui fuerint evocandi, eidem Thome, si hoc humiliter petierit, recepta tamen prius ab eo cautione ydonea super eo, quo excommunicatus habetur, quod si excommunicationis sententiam vobis constiterit in eum fore latam, vestris et ecclesie parebit mandatis, absolutionis beneficium huiusmodi ad cautelam, si et prout iustum fuerit, auctoritate nostra hac vice dumtaxat impendatis: super aliis vero auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonia perhibere etc. Datum Rome apud Sanctum Marcum Anno etc. M.CCCC.LXVIII. quarto Kalendas Octobris, Pont. nostri anno quinto.

DCCCXXXIX.

Ecclesiae collegiatae beatae Mariae de Dunglas Sancti Andreae dioecesis perpetua vicaria parochialis ecclesiae de Enerwyk dictae dioec. unitur. Reg. Tom. XV. fol. 27.

Paulus episcopus etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii de Drybrugh, et Iohanni de Otterburn Preposito ecclesie de Meffen Sancti Andree diocesis, salutem etc. Ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio circa ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum quarumlibet statum in melius, dante domino, prosperandum curis intendentes assiduis, illa libenter oportune provisionis impendimus auxilia, que ad divini cultus inibi propagationem profectura fore conspicimus, et per que personis ipsis congrue pro earum necessitatibus proveniant facultates. Sane pro parte dilectorum filiorum Prepositi et Capituli ecclesie beate Marie loci de Dunglas S. Andree diocesis nobis nuper exhibita peticio continebat, quod fructus, redditus et proventus mense Capitularis ipsius ecclesie, quam dilectus filius nobilis vir Alexander Home miles, dominus dicti loci, ex magno devotionis fervore suis sumptibus et expensis in Collegiatam fundavit, illamque pro octo Canonicis et nonnullis aliis beneficiatis dotavit, sint adeo tenues et exiles, quod ex illis Canonici et beneficiati predicti se commode sustentare, nec non eidem ecclesie, prout deceret, congrue deservire non possunt. Et sicut eadem peticio subiungebat, si perpetua Vicaria parrochialis ecclesie de Enerwyk dicte diocesis mense predicte uniretur, annectaretur et incorporaretur, ex hoc Canonici et beneficiati antedicti non modicum reciperent sublevamen, ipsique prefate ecclesie cum illius divini cultus augmento congruentius deservirent. Quare pro parte Prepositi, Capituli et Alexandri predictorum, quod mense sexaginta, Vicarie vero predictarum duodecim librarum sterlingorum fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut Vicariam predictam eidem mense perpetuo unire, annectere et incorporare, et alias eis super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis, quorum interest, de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi ita esse repereritis, Vicariam predictam, etiam si illa post datam presentium, et ante unionem per vos vel alterum vestrum faciendam huiusmodi vacare contigerit, seu actu quovis modo, aut ex cuiuscumque persona vacet, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dicte mense eadem auctoritate in perpetuum uniatis, incorporetis et annectatis, ita quod cedente vel decedente moderno ipsius parrochialis ecclesie Vicario, seu alias Vicariam ipsam quomodolibet dimittente, liceat Preposito et Capitulo predictis corporalem Vicarie, iuriumque et pertinentiarum predictorum possessionem propria auctoritate libere apprehendere, ac illius fructus, redditus et proventus in suos ac ecclesiarum predictarum usus et utilitatem convertere, et perpetuo retinere, diocesani loci et dilecti filii Abbatis Monasterii de Pasleto ord. s. Benedicti Glasguensis diocesis pro tempore existentis, ad cuius presentationem Vicaria predicta, dum pro tempore vacat, pertinere dinoscitur, nec non cuiusvis alterius super hoc licentia minime requisita. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem, et quecumque inde secuta ad Vicariam predictam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit

in nostris litteris mentio specialis: proviso quod propter unionem huiusmodi Vicaria predicta debitis non fraudetis obsequiis, nec animarum cura in ea negligatur, aut ipsius bona alienentur. Nos enim, si unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi per vos aut alterum vestrum vigore presentium fieri contigerit, ut prefertur, ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Rome apud S. Marcum Anno etc. M.CCCC.LXVIII. quarto Nonas Octobris, Pont. nostri anno quinto.

DCCCXL.

Willialmo Ydonhyn monasterio de Surio Cisterciensis ord. Lismorensis dioecesis in abbatem praeficitur. Reg. Tom. VIII. fol. 43.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Precentori ecclesie Lismorensis, salutem etc. Sollicite considerationis etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Wilialmi Ydonhyn monachi Monasterii de Surio Cisterciensis ordinis Lismorensis diocesis peticio continebat, quod cum olim ipse contra dilectum filium Dermitium Ohysfyrnayn monachum, tunc Abbatem dicti Monasterii, certas ad Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Lismorensem directas apostolicas litteras impetrasset, per quas inter cetera mandabatur eidem, ut constituto sibi sub certa tunc expressa forma, quod dictus Dermitius nonnulla tunc expressa excessus et crimina perpetrasset, ipsum Dermitium regimine et administratione dicti Monasterii sententialiter privaret, et amoveret realiter ab eodem, prout de iure foret faciendum, et si privationem et amotionem huiusmodi per eum fieri contingeret, de persona ipsius Willialmi eidem Monasterio provideret, ipsumque illi in Abbatem preficeret: necnon expeditis eisdem litteris diutius, Willialmus eas ad partes illas per quendam nuntium deferri curaret, dictus Dermitius, intellecta huiusmodi impetratione, predictas litteras eidem nuntio in itinere, et in Regno Anglie tunc existenti violenter abstulit seu auferri fecit; sed docto pro parte ipsius Wilialmi de subtractione litterarum predictarum, ac de illarum continentia et effectu coram prefato Epo, idem Epus dictum Dermitium ad instantiam ipsius Wilialmi, ac si ipse littere sibi presentate fuissent, ad certos diem et locum auctoritate apostolica citavit. Postmodum vero causam huiusmodi dilecto filio Thome Oflatwayn Canonico Lismorensi in totum subdelegavit, ac ipse Canonicus probatis legitime coram eo subtractione litterarum predictarum et earum substantiali forma, ac vocatis vocandis, et probatis probandis iuxta ipsarum litterarum tenorem et formam, et ut ipse Wilialmus credit, servatis servandis eundem Demetrium propter huiusmodi crimina regimine et administratione predictis per suam diffinitivam sententiam privavit et amovit realiter ab eisdem, necnon de persona ipsius Wilialmi, cum quo per easdem litteras super defectu natalium, quem patitur de Abbate dicti ordinis genitus et soluta, ut non obstante eidem Monasterio prefici et preesse libere et licite valeret, dispensatum fuerat, eidem Monasterio providit ipsumque illi prefecit in Abbatem, eumque in corporalem possessionem vel quasi regiminis et administrationis predictorum induxit: a qua quidem sententia et nonnullis confictis gravaminibus, ut falso asserebat, sibi pereundem Canonicum in processu dicte cause ante sententiam ipsam illatis, dictus Dermitius ad sedem apostolicam appellavit, cuique appellationi etiam ab ipsa sententia per eundem ad sedem predictam, ut prefertur, emisse postea renuntiavit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, dictus Wilialmus dubitet provisionem et prefectionem de persona sua eidem Monasterio, ut predicitur, factas ob defectum presentationis originalium litterarum ex certis aliis causis viribus non subsistere, et sicut accepimus, dictum Monasterium adhuc, ut prefertur, vacare noscatur: Nos cupientes eidem Monasterio, ne longe vacationis exponatur incommodis, de persona utili et ydonea, per quam circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, provideri, ac de meritis et ydoneitate dicti Wilialmi, qui, ut asserit, ordinem ipsum expresse professus existit, et pro vero dicti Monasterii Abbate in partibus illis reputatur, fructus eiusdem percipiendo, cuique apud nos de religionis zelo, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, certam notitiam non habentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis dicto Dermitio et aliis, qui fuerint evocandi, de meritis et ydoneitate ipsius Wilialmi eadem auctoritate diligenter te informes, et si per informationem huiusmodi ipsum ad regimen et administrationem ipsius Monasterii utilem et ydoneam esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, de persona ipsius Wilialmi prefato Monasterio, cuius fructus redditus et proventus septuaginta marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Willialmus etiam asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovismodo, aut ex alterius cuiusque persona vacet, etiam si eius dispositio ex quavis causa ad sedem predictam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore date presentium non sit ei alias de Abbate canonice provisum, eadem auctoritate provideas, ipsumque Wilialmum illi preficias in Abbatem, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium ac pretiosorum mobilium dicti Monasterii sub penis in quadam super hoc a nobis edita constitutione contentis sibi penitus interdicta, curam, regimen et administrationem dicti Monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ei a dilectis filiis Conventu obedientiam et reverentiam congruentes, nec non Vassallis et aliis subditis ipsius Monasterii consueta iura et servitia sibi ab eis debita exhiberi. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Volumus autem, quod idem Antistites etc. ab eo nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite recipiat iuramentum etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, duodecimo Kalend. Februarii, Pont. nostri anno quinto.

DCCCXLI.

Iudicibus, ut monasterio sancti Brogani de Motalia ordinis sancti Augustini Lismorensis dioecesis Roricum Ycamayn eiusdem canonicum in abbatem praeficiant. Reg. Tom. VII. fol. 253.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Ortano, et dilectis filiis ... Decano, Iohanni Oboryn Canonico ecclesie Lismorensis, salutem etc. Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instantia, ut opem et operam impendamus, quod singulis ecclesiis et monasteriis, ne diutine vacationis incommoda substineant, de salubris provisionis remedio celeriter consulatur. Dudum siquidem felicis recordationis Pius papa II., predecessor noster, provisiones omnium monasteriorum per assecutionem aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque secularium et regularium apostolica auctoritate factam tunc vacantium, et inantea vacaturorum ordinationi et dispositioni sue reservavit, decernens ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et deinde monasterio sancti Brogani de Motalia ordinis sancti Augustini Lismorensis diocesis ex eo, quod dilectus filius Thadeus Onutrissa Prior prioratus sancte Catherine Waterfordensis dicti ordinis, tunc prefati monasterii Abbas, prioratum predictum tunc certo modo vacantem apostolica sibi auctoritate collatum extitit pacifice assecutus, Abbatis regimine destituto, et de illo per dictum Pium predecessorem aliter non disposito, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Rorici Ycamayn Canonici dicti monasterii petitio continebat, Carissimus in Christo filius noster Eduardus Rex Anglie Illustris eundem Roricum ad prefatum monasterium sic vacans, asserens hoc tunc ex consuetudine vel privilegio sibi competere, Venerabili fratri nostro Episcopo Lismorensi presentavit, ipseque Episcopus presentationem huiusmodi admittens, eundem Roricum in Abbatem dicti monasterii instituit, prefatusque Roricus presentationis et institutionis huiusmodi vigore prefatum monasterium per quinque menses vel circa tenuit et possedit, fructus exinde percipiendo: postea dictus ordinarius se de predictis informans quendam Mauritium Oronayn, qui se gerebat pro Canonico dicti monasterii, tanquam illicitum detentorem ipsius monasterii ab eodem realiter amovit, idemque Episcopus reservationis et decreti predictorum forsan ignarus, de persona ipsius Rorici etiam prefato monasterio sic vacante auctoritate ordinaria providit, ipsumque illi prefecit in Abbatem, ac predictus Roricus provisionis et prefectionis huiusmodi vigore possessionem vel quasi regiminis et administrationis bonorum dicti monasterii extitit assecutus, et illi per annum et duos menses vel circa prefuit, prout prees pacifice de presenti, fructus percipiens similiter ex eodem, licet de facto, benedictionis munere postea alias rite sibi impenso. Cum autem secundum premissa presentatio et admissio, sive institutio, provisio et prefectio huiusmodi viribus non subsistunt, et propterea monasterium ipsum adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, et tanto tempore vacaverit, quod eius provisio iuxta statuta generalis Concilii est ad sedem apostolicam legitime devoluta, nullusque de illius provisione preter nos, qui, dicto Pio predecessore, sicut domino placuit, ab hac luce subtracto, declaravimus ecclesias et monasteria, que idem Pius predecessor dispositioni sue, ut prefertur, reservaverat, remansisse et remanere per huiusmodi reservationem et decretum affecta, nullumque de illis preter Romanum pontificem disponere potuisse sive posse quoquomodo, decrevimus irritum et inane, quicquid secus contingeret attemptari, hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione, declaratione et decretis obsistentibus supradictis: nos eidem monasterio sancti Brogani, ne longe vacationis subiaceat detrimentis, de persona secundum cor nostrum utili et ydonea, per quam circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, provideri (volentes), ac de meritis et ydoneitate ipsius Rorici, apud nos de religionis zelo, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque virtutum meritis multipliciter commendati, certam notitiam non habentes, ipsumque Roricum a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine latis seu promulgatis, quibus forsan quavis occasione vel causa innodatus vel irretitus existit, quo ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum premissorum occasione contractam penitus abolentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum de meritis et ydoneitate prefati Rorici auctoritate nostra vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi ipsum Roricum ad regimen et administrationem dicti monasterii sancti Brogani utilem et ydoneum esse reppereritis, super quo vestras conscientias oneramus, de persona dicti Rorici eidem monasterio, cuius fructus, redditus et proventus quadraginta marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Roricus etiam asserit, non excedunt, sive ut premittitur sive alias quovis modo, aut per obitum quondam Mauritii Ykeallayd olim ipsius monasterii Abbatis extra predictam Curiam defuncti, aut ex alterius cuiuscumque persona vacet, etiamsi ex quavis alia causa eius provisio ad eandem sedem specialiter vel generaliter pertinet, dummodo tempore date presentium non sit ei de Abbate canonice provisum, auctoritate nostra provideatis, ipsumque illi preficiatis in Abbatem, curam, regimen et administrationem dicti monasterii sancti Brogani sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ei a dilectis filiis Conventu dicti monasterii obedientiam et reverentiam congruentes, necnon a Vassallis et aliis subditis suis consueta servitia et iura exhiberi, Contradictores per censuram ecclesiasticam etc. Non obstantibus constitutionibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexage-

simo octavo, pridie Nonas Februarii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCCXLII.

Collegio Sancti Salvatoris in oppido Sancti Andreae conceduntur privilegia studii generalis eiusdem oppidi circa promovendos ad gradus academicos. Reg. Tom. VIII. fol. 160.

Paulus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex pastoralis officii debito, quo universo orbi astringimur, ad ea, per que scientie margarita acquiritur, et errorum turbines procul pelluntur, libenter intendimus: et ut ad honoris gradus provehi volentes facilius ad illos convolent, omnem gravedinem tollimus, et in hiis libenter adhibemus ministerii nostri partes. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Decani et Capituli ecclesie sancti Salvatoris Sancti Andree peticio continebat, quod inter alia collegia Regni Scotie Collegium eiusdem ecclesie egregium ac notabile reputatur, in quo Theologia continue legitur, et ibidem legentes et studentes fructus in partibus illis, in quibus antiquus humani generis hostis certas hereses seminavit, afferunt salutares, et necessarii existunt ad confundendas et extirpendas huiusmodi hereticas opiniones: Quare pro parte eorundem Decani et Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, quod in loco Collegii, qui ad hoc liber sit, de cetero lectiones et auditiones pro forma ad gradus in Theologia et in artibus requisite fieri, et volentes promoveri ad licentie sive magisterii gradus tam in Theologia, quam in artibus huiusmodi iuxta consuetudinem Universitatis studii Sancti Andree temptari et examinari, et per Prepositum Collegii eiusdem cum electis per eum quoad hoc obligatis Magistris examinatoribus ad secretum, et fidele iudicium ad gradum licentie et magisterii digni videlicet recipi, et indigni repelli possint secundum examinantium conscientias, nec promoti sive promovendi pro tempore alibi, quam in eodem Collegio bursas solvere consuetas compellantur, consuetudinibus eiusdem Universitatis facultatis artium etiam iuramento vallatis non obstantibus, statuere, decernere et ordinare perpetuo de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui intensis desideriis scientias huiusmodi ubique florere, et cunctos in eis studentes a quibuscumque gravaminibus relevare nostris temporibus appetimus, tam promotores quam promovendos pro tempore ab observatione iuramentorum per eos occasione premissorum prestitorum, et prestandorum harum serie absolventes, et absolutos fore denuntiantes, huiusmodi supplicationibus inclinati hac perpetuo valitura constitutione statuimus, decernimus et etiam ordinamus, quod huiusmodi locus Collegii de cetero liber censeatur, et ibidem lectiones et auditiones pro scientia ad gradus Theologie et artium requisite per Magistros dicti Collegii fieri, necnon ad huiusmodi gradus volentes provehi per eos examinari, et per Prepositum et suos coelectos dictis examinatoribus presentari, indigni repelli, et digni admitti, gradusque sibi conferri possint, super quibus examinantium omnium conscientias oneramus, nec tales promovendi secundum Universitatis predicte consuetudines alibi, quam in eodem Collegio bursas solvere consuetas compellantur, absque tamen Cancellarii et aliorum, quorum interest, preiudicio. Non obstantibus constitutionibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXVIII. quinto Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCCXLIII.

Thomae Scot lepra tacto conceditur facultas sibi constituendi coadiutorem in perpetua vicaria parochialis ecclesiae de Pemponch Glasguensis dioecesis. Reg. Tom. VIII. fol. 76.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Thome Scot Canonico Monasterii Sarcinemoris Premonstratensis ordinis Glasguensis diocesis, salutem etc. Religionis zelus, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tuis humilibus et honestis votis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod tu lepra tactus, et oculorum lumine privatus existis, adeo quod per te ipsum perpetuam Vicariam parrochialis ecclesie de Pemponch eiusdem diocesis, quam obtines, non potes amplius gubernare, et illi, prout decet, deservire: Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi, quod ydoneum sacerdotem secularem vel dicti ordinis regularem in tuum coadiutorem per te, quoad vixeris, ponendum et amovendum, qui Vicariam predictam regat atque gubernet, eligere et deputare possis, concedere, aliasque tibi et predicte Vicarie statui super hoc opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes te premissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, huiusmodi supplicationibus inclinati tibi, quod donec vixeris, ydoneum possis eligere et deputare presbiterum secularem vel dicti ordinis regularem in tuum coadiutorem per te ad nutum tuum ponendum et amovendum, qui dictam Vicariam in spiritualibus et temporalibus regat et gubernet, et illi deserviat, ac omnia faciat, ordinet et disponat, que ad officium coadiutoris de iure vel consuetudine pertinent, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia indulgemus, ac plenam et liberam concedimus facultatem. Non obstantibus constitutionibus etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, quinto Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCCXLIV.

Iudicibus, ut episcopo Clonfertensi licentiam fratribus ord. Minorum de observantia conventum fratrum Minorum Conventualium relictum conferendi concedant. Reg. Tom. X. fol. 14.

Paulus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Dublinensi, et Episcopo Dunensi, ac dilecto filio Cancellario ecclesie Ossoriensis, sal. etc. Inter ceteros ordines in agro dominico plantatos sacrum ordinem beati Francisci gerentes in visceribus caritatis, ad ea ex pastorali officio nobis divina dis-

positione commisso libenter intendimus, per que ordo ipse ad laudem dei et exaltationem fidei Catholice ubilibet reflorescat, et votivis semper preficiat incrementis, ipsiusque ordinis persone, sublatis perturbationibus atque dispendiis, devotam et sedulam possint altissimo reddere famulatum. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Cornelii Episcopi Clonfertensi, ordinis fratrum Minorum professoris, nobis nuper exhibita peticio continebat, quod infra provinciam Ybernie predicti ordinis sunt quamplures domus Conventuales, quarum multi fratres tunc existentes ob melioris vite frugem, relictis eisdem domibus, ad alias domos dicti ordinis regularis observantie transiverunt, et in eis per aliqua tempora fuerunt commorati: nunc autem pie considerantes, quod de observantia sunt tot persone, quod ipsorum loca vix eis sufficiant, et ipsi de cetero, propter alias litteras pacis et concordie inter viventes in regulari observantia et Conventuales dicti ordinis per nos concessas, amplius ulteriora loca Conventualium sub pena excommunicationis impetrare non possunt, et similiter fratres [et] Conventuales habent multa loca et paucas personas, ita quod in aliquibus civitatibus et honestis villis etiam muratis, et aliis aliunde in locis huiusmodi vix reperiuntur sex vel quinque, aliquando tres vel duo, aliquando unus vel nullus, et sic nonnulla loca de locis huiusmodi Conventualium per eos relicta, vel alia quamplurima, in quibus ipsi nullam residentiam tanquam Conventuales habuerunt, tam in spiritualibus quam in domorum edificiis maxime detrimenta substinere, et in maxima ipsorum parte ad terram cecidisse, et propterea fidelium multorum devotiones tepescere noscuntur, ipsi fratres ferventi devotione ducti cupiunt ad eadem loca per eos sic relicta, vel ad alia secundum quod discretioni Ministri provincialis eiusdem provincie videbitur expedire, sub obedientia dicti provincialis Ministri redire, ac in eis devotum et sedulum iuxta ordinem regularem et ritum sub regulari observantia viventium domino reddere famulatum, ita tamen quod ipsi, qui nunc sunt, et postmodum pro tempore fuerunt, sub obedientia Ministri provincialis omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prerogativis, concessionibus, indulgentiis et indultis, quibus ceteri ordines de observantia tam ultra quam citra montani quomodolibet potiuntur et gaudent et utuntur, ipsi potiri, gauderi et uti auctoritate apostolica possint et valeant. Verum quia eis hoc non licet absque incursu pene excommunicationis sententie, obstantibus litteris apostolicis, ideo pro parte tam Episcopi, quam nonnullorum de ipsis fratribus nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis, quod absque predicte excommunicationis vel alterius ecclesiastice censure, seu pene incursu ad predicta loca sic per eos relicta, vel alia per Ministrum dicte provincie ipsis deputanda sub Ministri provincialis obedientia dumtaxat reverti, et inibi sub regulari observantia vivere, ac privilegiis huiusmodi gaudere possint, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut domus provincie huiusmodi ordinis predicti restaurentur, et ad regularem observantiam reducantur, ac inter illarum fratres quies et tranquillitas firmentur et conserventur, ac de premissis nobis expositis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam, vocatis quorum interest, vobis de premissis legitime constiterit, fratribus eisdem dicte provincie, quod eis liceat absque excommunicationis vel alterius ecclesiastice censure, seu pene incursu ad predicta loca sic per eos relicta, vel alia per Ministrum eiusdem provincie ipsis deputanda, et sub Ministri provincialis obedientia dumtaxat reverti, et inibi sub regulari observantia vivere, ita quod fratres ipsi non sub Vicario dicte regularis observantie, sed sub provinciali Ministro predicte provincie de cetero existant. Quodque omnes et singuli fratres in prefatis domibus pro tempore commoraturi omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prerogativis, concessionibus, indulgentiis et indultis, quibus ceteri ordines de observantia, tam ultra quam citra montani, [quibus] gaudent et utentur, etiam gaudeant et utantur de consensu Ministri provincialis et nonnullorum fratrum utriusque partis, quorum interest, auctoritate nostra concedatis et indulgeatis, decernentes ex tunc omnes et singulos processus, sententias, censuras et penas, quos et quas contra tenorem presentium forsan haberi vel promulgari, nec non omnia, que secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter forsan attemptari contigerit, irrita et inania nulliusque existere firmitatis. Non obstantibus litteris nostris predictis, et sancte memorie Martini V. et Eugenii IIII., nec non aliorum etc. privilegiis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio presentibus habenda foret, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum. Anno etc. M.CCCC.LXVIIII. decimoseptimo Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCCXLV.

Iudicibus, ut Thadeo Isullynayn et Mauritio Stake clericis quasdam decimas et alia bona prioratus s. Catherinae Waterfordensis dioecesis sub annuo censu concedant. Reg. Tom. X. fol. 13.

Paulus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Cassellensi et Episcopo Clonensi, ac Precentori ecclesie Clonensis, salutem etc. Romanum decet Pontificem votis illis gratum prestare assensum, per que tam ecclesiis, quam ecclesiasticis personis utiliter et salubriter valeat provideri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Thadei Isullynayn, et Mauritii Stake clericorum Clonensis et Artfertensis diocesum peticio continebat, quod in predictis ac Corkagensi et Laoniensi diocesibus sunt quamplures decime et possessiones, ac alia bona immobilia ad Prioratum Monasterii sancte Catherine ordinis sancti Augustini, per Priorem soliti gubernari, Waterfordensis diocesis, vel ad eius mem-

bra legitime spectantia, clericis secularibus ad firmam concedi solita, que per nonnullos clericos seculares quampluribus annis occupata fuerunt et occupantur de presenti, non curantes huiusmodi firmam seu annuas pensiones Priori dicti Monasterii temporibus debitis cum integritate persolvere: unde Thadeus et Mauritius prefati cupiunt possessiones, decimas et bona huiusmodi a manibus dictorum occupatorum recuperare, et illa illesa conservare, prefatoque Priori maiores annuos redditus seu annuos census persolvere, dummodo decime, possessiones et bona huiusmodi eis coniunctim, quoad vixerint, concedantur pariter et assignentur. Quare pro parte ipsorum Thadei et Mauritii nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis decimas, possessiones et bona predicta sub maiori annuo censu, quam concessa fuerint dictis occupatoribus, concedi et assignari mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis certam noticiam non habentes, ac decimarum, possessionum et bonorum predictorum qualitates, quantitates et valores, nec non occupatorum eorundem nomina, cognomina et qualitates, et quot annis illa occupaverint, presentibus pro expressis haberi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam vocatis occupatoribus predictis, et aliis, qui fuerint evocandi, vobis summarie, simpliciter et de plano, sine strepita et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, de premissis omnibus et singulis legitime constiterit, decimas, possessiones et bona huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis Thadeo et Mauritio prefatis coniunctim, quoad vixerint, pro maiori annuo censu, sive annua pensione ipsi Monasterio seu illius Priori pro tempore existenti, quam concessa fuerint occupatoribus antedictis, persolvendo seu persolvenda, dummodo ad hoc dicti Prioris expressus accedat assensus, auctoritate nostra concedatis, amotis exinde occupatoribus antedictis, facientes eisdem Thadeo et Mauritio, aut eorum procuratori, ad hoc ab eis specialiter constituto, de fructibus, redditibus et proventibus possessionum, decimarum, et bonorum huiusmodi integre responderi. Contradictores etc. Non obstantibus fel. record. Bonifatii pp. VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXVIIII. septimo Idus Maii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCCXLVI.

Ioannes Capello de Verona ex ordine Servorum beatae Mariae iurium, fructuum etc. camerae apostolicae debitorum in Hibernia collector constituitur. Reg. Officior. Tom. I. fol. 272.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Capello de Verona ord. Servorum beate Marie, Nuntio nostro, ac iurium, fructuum, reddituum et proventuum Camere nostre apostolice per totam Hiberniam ubilibet debitorum et debendorum Collectori, salut. etc. Ex fideli et solicita ac diligenti providentia, probitate quoque circumspecta, aliisque virtutum donis, quibus personam tuam novimus insignitam, presumimus, quod ea, que tibi commiserimus, solerti diligentia et fidelitate exequeris. Hinc est, quod nos de tua probitate plurimum confidentes in domino, te in Armachana, Dublinensi, Cassellensi et Tuamensi provintiis, earumque civitatibus et diocesibus, ac per totam Hiberniam ubique locorum cum omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, que singulis Collectoribus predecessoribus tuis concesse per nos, aut predecessores nostros extiterunt, Nuntium apostolicum, ac fructuum, proventuum, reddituum et censuum, aliorumque iurium et proventuum quorumcunque nobis et Romane ecclesie ac Camere apostolice debitorum et debendorum Collectorem, et generalem receptorem usque ad sedis apostolice et nostrum beneplacitum facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes alios et singulos huiusmodi iurium, fructuum et proventuum Collectores, Succollectores et receptores in prefatis provintiis, civitatibus et diocesibus per nos, aut nostra seu predecessorum nostrorum vel quacumque alia auctoritate deputatos, et commissiones super huiusmodi Collectorie et receptorie officiis eis sub quavis verborum forma per dictam sedem aut alia auctoritate factas penitus revocando, ipsosque Collectores, Succollectores et receptores ab eorum officiis et commissionibus amovendo, ac tenore presentium privamus et amovemus, tibi nichilominus per te vel alium seu alios, clericos dumtaxat fide et facultatibus ydoneos, nostro et Camere predicte nomine a quibuscunque Prelatis, Collegiis, Capitulis, Conventibus ecclesiarum aut Monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus locis, exemptis et non exemptis, ordinum quorumcunque, et etiam laicalibus personis, nec non Universitatibus, Regibus, Reginis, Marchionibus, Ducibus, Comitibus, Principibus aliisque Nobilibus ac Comitatibus civitatum, castrorum, terrarum, villarum et aliorum locorum quorumcunque omnes et singulas pecuniarum summas ac bonorum quantitates, etiam si bona huiusmodi confiscata fuerint, necnon fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum collatorum et inantea conferendorum, ac omnia et singula alia iura nobis et ecclesie ac Camere predictis in provintiis, civitatibus et diocesibus huiusmodi quacunque ratione vel causa debita seu debenda, et ad nos ac easdem ecclesiam et Cameram nunc et imposterum pertinenda, necnon ab aliis, qui beneficiis olim possessis, debitis Camere non solutis, dimissis ad alia beneficia quecunque, etiam si pontificalia sint, convolaverint, et quecunque, quotcunque et qualiacunque, communibus et minutis servitiis duntaxat exceptis, petendi, levandi, exigendi et recipiendi, rationes quoque et computa a quibuscunque Collectoribus, Succollectoribus et receptoribus, necnon Inquisitoribus heretice pravitatis et officialibus aliis per dictam Cameram in provintiis, civitatibus et diocesibus predictis deputatis personis aliis, in quantum negotia et utilitatem Camere memorate concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque, si necesse fuerit, compellendi et coercen-

di, ac per eos recepta etiam petendi, exigendi et recipiendi, et de receptis dumtaxat quietandi, liberandi et penitus absolvendi, nec non Contradictores alios quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis aut conditionis vel preeminentie existant, etiam si Pontificali, Regali, aut alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate prefata per censuram ecclesiasticam, bonorumque suorum sequestrationem et personarum arrestationem, ac alia iuris remedia oportuna, appellatione postposita et penitus remota, pro tanto, quod nulli quovis quesito colore possint se contra solutionem debitorum predictorum et contra alia premissa pretextu cuiuscunque appellationis se muniri, compellendi et compescendi, ac etiam excommunicationis et alias censuras et sententias in eos, ac alios non solventes tibi iura et debita ipsarum ecclesie et Camere, ut prefertur, per te vel alium seu alios nostro et dicte Camere nomine latas et promulgatas, si eorum contumacia id exegerit, quotiens opus fuerit, aggravandi, et alias contra eos sententias promulgandi, necnon quoscunque tibi vel eidem officialibus iniuriantes, seu te vel dictos officiales impedientes, aut negotia dicte Camere in aliquo directe vel indirecte, publice vel occulte perturbantes eadem auctoritate procedendi, prout ordo iuris et rationis exegerit, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum personaliter coram nobis, aut Camerario nostro infra certum et competentem terminum per te eis prefigendum citandi, et si opus fuerit, auxilium brachii secularis ac ordinariorum et ordinum religiosorum quorumcunque, et personarum ecclesiasticarum exemptarum et non exemptarum invocandi, sententias quoque excommunicationis, suspensionis et interdicti contra inobedientes, contumaces et rebelles tam per predecessorem seu predecessores tuos inibi Collectores, Succollectores et eorum substitutos, quam per te deputatos latas et ferendas, cum ad obedientiam debitam veniant, tollendi et suspendendi, ipsosque ab ipsis, iniunctis eis pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, auctoritate predicta in forma ecclesie consueta, prius tamen satisfacto de hiis, in quibus Camere tenebantur, aut de satisfaciendo sufficiente cautione vel obligatione prestita et recepta, absolvendi, et cum ipsis super irregularitate, si quam ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerunt, eadem auctoritate, eis prius ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, a suorum executione ordinum suspensis, dispensandi, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifatii pape VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimonono, pridie Idus Iulii, Pont. nostri anno v.

DCCCXLVII.

Ecclesia collegiata sancti Aegidii in oppido Edimburgensi, petente rege Scotorum, una cum suo clero ab iurisdictione episcopi Sancti Andreae eximitur et sanctae sedi immediate subiicitur. Reg. Tom. XII. fol. 99.

Paulus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Etsi universe orbis ecclesie, ac in illis divinis obsequiis mancipate persone apostolice sedi, que divina institutione super ipsas ordinarie potestatis obtinet principatum, subesse dinoscantur: aliquas tamen interdum de sue auctoritatis plenitudine sedes ipsa specialius sibi subdit, sic eas illarumque res et bona a cuiuslibet alterius iurisdictione prorsus eripiens, ut nullum nisi Romanum Pontificem, et quem sedes predicta ad id specialiter duxerit deputandum, Superiorem et dominum recognoscant, ipsas quodam singulari privilegio liberas penitus et exemptas de cetero fore censendo. Dudum siquidem pro parte Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris, ac dilectorum filiorum Prepositi, Balivorum, Consulum et Universitatis opidi de Edynburg Sancti Andree diocesis nobis exposito, quod opidum ipsum iuxta alia opida Regni Scotie insigne et populosum erat, et in illo quampluries Prelati et alii Proceres et Magnates illarum partium residerent, prout resident de presenti, nec non ad ipsum opidum nationum diversarum mundi partium multitudo confluit copiosa, quodque parrochialis ecclesia sancti Egidii opidi memorati inter ceteras parrochiales partium earundam famosa et honorabilis erat: Nos ecclesiam ipsam in Collegiatam ecclesiam, in eaque unam Prepositnram, que inibi dignitas principalis existeret, et quam plura Canonicatus et prebendas, necnon officia et alia beneficia ecclesiastica ereximus et creavimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut pro parte Regis, Prepositi, Balivorum, Consulum et Universitatis eorundem nobis nuper oblata peticio continebat, idem Rex, qui in opido antedicto ut plurimum residet, ad ecclesiam ipsam, utpote sui intuitu insignitam, singularem gerat devotionis affectum, eamque ac personas inibi divinis laudibus insistentes pluribus immunitatibus et privilegiis decorare intendat: pro parte Regis, Balivorum, Prepositi, Consulum et Universitatis predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro ipsius ecclesie venustate et decore, ne immunitates et privilegia ipsa per Venerabilem fratrem nostrum Patricium, et successores suos pro tempore existentes Epos S. Andree passim infringi contingat, eam ab omni superioritate et dominio Episcoporum eorundem, ad instar nonnullarum aliarum Collegiatarum ecclesiarum Regni prefati, eximere et liberare, ac ipsorum desiderio annuere, et alias super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum ac personarum earundem statum absque alicuius agitationis perturbatione cupimus in pacis ac quietis amenitate letari, ipsarumque profectus et commoda intensis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, tam ecclesiam prefatam, quam dilectos filios modernos et pro tempore existentes Prepositum singulosque Canonicos, Capellanos, Vicarios, chorarios, presbiteros et alios quoscumque clericos, etiam dignitates, personatus, administrationes vel officia, seu alia beneficia ecclesiastica in eadem ecclesia obtinentes, una cum eorum familiaribus continuis commensalibus, ipsisque ac eidem ecclesie servientibus, presentibus

et futuris, nec non predictorum ac ecclesie antedicte bonis et rebus aliis quibuscumque, etiam extra eandem ecclesiam ubilibet existentibus, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, superioritate et visitatione predicti, ac successorum pro tempore existentium Episcoporum S. Andree, eorumque Vicariorum, Officialium, Commissariorum et aliorum quorumlibet, iurisdictionem ordinariam in ecclesiam et alios predictos de iure, vel consuetudine exercere valentium, prorsus eximimus, et totaliter perpetuo liberamus, ac sub b. Petri atque nostra et dicte sedis protectione suscipimus, ita quod ratione contractus, sive delicti aut rei, de quo ageretur, Episcopi, Vicarii, Officiales, Commissarii et alii predicti, aut quevis alia persona secularis, regularis, ecclesiastica vel mundana, quacumque prefulgeat dignitate, nullam in eos omnes et singulos, ac res et bona predicta iurisdictionem, potestatem, visitationem, exactionem aut superioritatem valeant quomodolibet exercere, seu predictos omnes et singulos quoquomodo molestare, sed coram eadem sede eiusque Legatis vel subdelegatis dumtaxat de iusticia respondere teneantur, decernentes ex nunc omnes et singulos processus, ac excommunicationis, suspensionis et interdicti aliasque sententias, censuras et penas in eandem ecclesiam aut predictos, vel eorum quemlibet per Epos, Vicarios, Officiales, Commissarios et alios prefatos, seu eorum aliquem forsan ferendos et promulgandos irritos et inanes, ac nullius roboris vel momenti existere. Preterea dicto Preposito, ut Canonicos, Capellanos et alios predictos ad residendum in eadem ecclesia, ac illi in divinis obsequiis cum condecentibus et honestis habitibus tam in choro quam alibi, prout eis ordinatum fuerit, etiam per subtractionem seu retentionum fructuum, reddituum et proventuum Canonicatuum et prebendarum, ac dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, nec non aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, que in illa obtinent, serviendum compellere, quodque vagantes, inhonestos, dissolutos, et ad id rebelles et inobedientes sententiis, censuris et penis ecclesiasticis oportunis corrigere, et mulctare libere et licite valeat, concedimus per presentes, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus tamen, quod Prepositus, Canonici et Capitulum dicte ecclesie pro recognitione exemptionis huiusmodi Camere apostolice in vigilia beatorum Petri et Pauli Apostolorum unam unciam auri puri annuatim solvere teneantur. Nulli ergo etc. nostre exemptionis, liberationis, susceptionis, constitutionis, concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXX. pridie Kal. Maii, Pontificatus nostri anno sexto.

DCCCXLVIII.

Archiepiscopo Cassellensi, ut episcopum Corkagensem et Clonensem contra molestationes Willelmi Roche tueatur. Brev. Tom. XII. fol. 48.

Paulus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Cassellensi, salutem etc. Quamvis sancte memorie Pius II. immediatus predecessor noster, prematura deliberatione perhabita consistorialiterque, ut fieri solet, Venerabilem fratrem Geraldum Corkagensi et Clonensi ecclesiis invicem canonice unitis, tunc certo modo vacantibus, in Episcopum prefecerit et pastorem, prout in ipsius predecessoris litteris desuper confectis plenius continetur, ipseque Geraldus Episcopus debitam diligentiam instantiamque fecerit pro possessione dictarum ecclesiarum debite assequendum, sicut fidedigna relatione percepimus: hactenus eam assequi non potuit, quodam Willelmo Roche sub pretextu, quod predessori dicti Geraldi coadiutor datus fuerit, eamque occupante, et indebite detinente, cum favore quoque, ut dicitur, fraternitatis tue, quod quamvis vix adduci possimus, ut de te credamus: nichilominus animadventes, quod talis occupatio non solum in dicti Geraldi Epi damnum preiuditiumque redundat, verum etiam in lesionem iustitie, dei offensam, apostolice Camere non mediocrem iacturam, diminutionemque honoris huius apostolice sancte sedis tendit, nulla ratione intendimus tollerare. Quocirca fraternitati tue in virtute sancte obedientie, ac suspensionis a divinis pena mandamus, quatenus pro nostra et dicte sedis reverentia, pro iusticie debito, honoreque tuo omnem favorem auxiliumque oportunum prefato Geraldo Episcopo impendere debeas ad possessionem huiusmodi assequendam et pacifice retinendam: ipsum vero Willelmum occupatorem, quem ex nunc ab omni dictarum ecclesiarum administratione fuisse et esse suspensum decernimus ac declaramus, per censuras ecclesiasticas et alia iuris oportuno remedio ad reddendam rationem de administratis dicto Episcopo cogas atque compellas, ac ab huiusmodi occupatione desistere facias, mandando omnibus et singulis, cuiuscumque status, gradus vel conditionis existant, ac eidem Willelmo in premissis auxilium, consilium vel favorem prestare presumant directe vel indirecte, sub pena excommunicationis late sententie, quam ipso facto controfaciendo incurrant. Id si egeris, ut confidimus, facies rem professioni honorique tuo convenientem, ac nobis gratissimam: si minus, quod absit, succenseremus tibi, et alia opportuna remedia adhiberemus. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis domini M.CCCC.LXX. quarto Idus Decembris, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCCXLIX.

Regi Scotiae Guillelmus Fergusii collector decimarum et aliorum proventuum commendatur. Brev. Tom. XII. fol. 86.

Carissimo in Christo filio nostro Iacobo
Scotorum Regi Illustri.

Paulus PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Deputavimus dilectum filium Willelmum Fergusii, Archidiaconum Laudonie in ecclesia Sancti Andree, fructuum Camere apostolice in isto tuo Regno Scotie collectorem, prout ex litteris nostris sibi desuper a nobis concessis plenius continetur. Ut autem commodius debita exigere possit, que his presertim temporibus propter multas impensas incum-

bentes nobis in factis fidei pluribus indiget, hortamur serenitatem tuam in domino affectuosissime, ut eidem Willelmo, quotiens opus fuerit, assistere velis, ut tuis favoribus adiutus debita predicta exigere valeat, in quo facies rem serenitate tua dignam, nobis vero gratissimam. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xi. Ianuarii 1471. Pontificatus nostri anno septimo.

DCCCL.

Eidem regi Scotiae super provisione abbatum de Abbrebroth et de Melros. Brev. Tom. XII. fol. 141.

Carissimo in Christo filio nostro Iacobo Scotorum Regi Illustri.

Paulus PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Per dilectum filium Robertum Bakadire nuntium, ac per litteras tue serenitatis accepimus desiderium tuum esse, ut dilectum filium Richardum Guther, confessorem eiusdem tue serenitatis, in Abbatem Monasterii de Albebroth (sic) sancti Thome martiris ordinis sancti Benedicti, a Conventu ipsius Monasterii electum et per Capitulum Sancti Andree confirmatum, nos quoque confirmare vellemus. Nos re diligenter considerata, cum videremus non posse cum honore huius sancte sedis et nostro eo modo tuo desiderio satisfieri, quia idem Episcopus nullum ad id habuit facultatem, inivimus aliam viam et meliorem et honestiorem. Nam de Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio eundem Richardum ipsi Abbatie prefecimus in Abbatem, non per modum confirmationis, sed nove provisionis, prout in litteris apostolicis desuper confecti plenius continetur. Contingente insuper vocatione Abbatie de Melros Glasguensis diocesis, eandem prefato Roberto nuntio tuo, qui pro honore tue serenitatis diligenter instíterat, et quem bonis moribus ac virtutibus preditum esse accepimus, etiam de Venerabilium fratrum nostrorum consilio contulimus. Voluimus hec maiestati tue nota facere, ut intelligas tuas petitiones magni a nobis fieri. Erit igitur tue sapientie et equitatis huiusmodi nostris provisionibus omni opportuno favore assistere, ut debitum sortiantur affectum. Dat. Rome apud Sanctum Petrum etc. die xi. Aprilis 1471. Pontificatus nostri anno septimo.

DCCCLI.

Eidem regi, ut Addunlop laico Glasguensis dioecesis in recuperandis haereditariis suis bonis, quibus inique spoliatus fuerat, praesto esse velit. Brev. Tom. XII. fol. 278.

Carissimo in Christo filio nostro Iacobo Regi Scotorum Illustri.

Paulus PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Pium et debitum caritatis existimamus officium, omnibus Christifidelibus iustum favorem nostrum implorantibus paterne annuere, illis vero precipue, qui iniuria affecti aut vim passi maiori necessitate premuntur. Cum itaque dilectus filius Addunlop, laicus Glasguensis diocesis, asserens se bonis et hereditate paterno a quibusdam Iohanne Posset milite, ac Constantino Dunlop consanguineis suis impie et inique eiectum, ignominiaque et calamitate affectum, supplicari nobis nuper humiliter fecerit, ut eum tue serenitati, coram qua ius suum contra invasores occupatoresque huiusmodi prosequi desiderat, commendatum facere dignaremur: Nos eius honestis supplicationibus inclinati, ac cupientes, si ita sit, iustum ipsius serenitatis tue super bonorum recupatione sibi adesse presidium, eandem serenitatem in domino plurimum exhortamur, ut ipsum Addunlop cum his nostris litteris venientem benigno favore suscipiens commendatum, ab omni iniuria et violentia protegas, et ei ad bona paterna recuperanda prout iustum fuerit, opem feras, quod nobis erit pergratum. Datur Rome apud Sanctum Petrum etc. die xxvi. Maii 1471. Pontificatus nostri anno septimo.

EPISTOLAE SIXTI PP. IV.

DCCCLII.

Episcopatus Sancti Andreae in Scotia archiepiscopali dignitate decoratur. Reg. Tom. IX. fol. 43.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Triumphans pastor eternus, gloriosa sanctorum traditione patrum, ut suum salvaret populum, decretis in monte colloquiis eruditionis sanctissime, inter alia misteria promisit, quod ignis in altari sacerdotis confoveretur officio, et ut sine intermissione combureret, ligna ei subicere illius non cessaret ministerium studiosum. Altare quippe dei cor fidelis habetur cuiuslibet, in quo ipsius ardor ignis indesinenter expetitur, quo velut flamma ardentis incendatur caritatis: sancta vero et immaculata, quam pastor ipse, adveniente temporis plenitudine, eius unigeniti gloriosissimi aspersione sanguinis fundari, consecrari et eternabiliter stabiliri censuit, ecclesia, ignis eiusdem sacri flaminis splendore vestita, quos

regeneravit in Christo ipsius caritatis nexu, et compage fideles stringit universos, et ecclesias alias suas tanquam adolescentulas ignis eiusdem confovet ardoribus, et scintillis adornat caritatis. Nos itaque illius summi directione pastoris, qui ecclesie et fidelium eorumdem nostre commisit insufficientie curam, nosque, licet immeritos, in ipsius montis verticem ad summum sacerdotis pontificium conscendere voluit, huiusmodi instructi documentis, easdem ecclesias earumque pastores, in partem sollicitudinis consilii celestis dispositione vocatos, incaritatis visceribus ardentius complectentes, nostros continue diffundimus cogitatus, ut easumm opere nostri ministerii dona congeramus, per que ecclesiarum earumdem et illis presidentium prelatorum occurratur dispendiis et necessitatibus provideatur accommode, ipseque ecclesie invicem caritatis nexu coniuncte votive prosperitatis incrementa suscipiant. Sane cum in inclito Regno Scotie, in quo quamplurime Cathedrales insignes ecclesie fore noscuntur, nulla Metropolitana ecclesia esse diceretur, ac propterea opportere ipsius Regni incolas pro singulis querelis, quas contra locorum ordinarios proponere pro tempore volunt, et appellationibus, quas in illorum Curiis gravati interponunt, non sine maximis periculis, incommodis et expensis ad Romanam Curiam recurrere, aut eorum iura indiscussa relinquere, contingereque interdum causas ipsas ad forum vetitum deduci, ac in illo tractari, et eosdem ordinarios ob Metropolitani defectum Romaneque Curie distantiam liberiorem aggravandi et excedendi impune potestatem se habere putantes, ad illicita procliviores existere, et excessus ac crimina, que per Metropolitanum in eorum provinciis puniri sunt solita, in Regno prefato ut plurimum impunita remanere, et Venerabilem ecclesiam Sancti Andree dicti Regni inter alias eiusdem Regni ecclesias insignem et famosam, ac celebri civitate et ampla diocesi, in qua Carissimus in Christo filius noster Iacobus Rex Scotie, et eius predecessores Scotie Reges, qui pro tempore fuerunt, cum eorum Curia ut plurimum residentiam facere soliti sunt, agro ac irriguo circumdatam, Cleri quoque et populi venustate decoratam, ac Metropolitica prelatione merito dignam existere: Nos premissis propositis in Consistorio coram nobis, Venerabili fratri nostro Rodorico Episcopo Albanensi, sancte Romane ecclesie Vicecancellario, ut de premissis se diligenter informaret, et que reperiret, referret, duximus committendum. Cum itaque postmodum Rodoricus Episcopus et Vicecancellarius retulerit nobis et Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus se de premissis informasse, et per huiusmodi informationem repperisse ea omnia vera esse: Nos ad ecclesias, prelatos universosque incolas dicti Regni, quos non immerito gerimus in visceribus caritatis, paterne dirigentes considerationis intuitum, ac sperantes, quod qui bonorum est largitor omnium, et prout vult sua disponit dona gratiarum, dirigente domino, erectio Archiepiscopalis sedis in Regno prefato ad prelatorum, ecclesiarum, secularumque personarum per ipsum universum Regnum consistentium edificationem de virtute in virtutem, tranquillum quoque et prosperum sub timore domini confovendum statum mutue caritatis vicissitudine fructus dietim afferet ampliores, ipsique prelati et persone tanto apostolicam sedem, in qua celestis Clavigeri Apostolorum principis successores existimus, puris iugiter corde et animo venerari, et pro illius votivis successibus opem et operam accuratioribus studiis impendere debeant efficaces, quanto sedem ipsam de eorum statu prospero et tranquillo solertius cogitare cognoverit; ex premissis et nonnullis aliis ad hoc animum nostrum inducentibus causis, matura super hiis cum eisdem fratribus nostris deliberatione prehabita, deque illorum consilio et assensu, ac apostolice potestatis plenitudine ad omnipotentis Dei totiusque celestis curie laudem et gloriam, ac orthodoxe fidei exaltationem, universalis ecclesie, divinique cultus augmentum et animarum salutem ecclesiam prefatam, et sedem Episcopalem Sancti Andree in Metropolitanam, et sedem Archiepiscopalem totius Regni prefati auctoritate prefata, presentium tenore, erigimus, ac Metropolitane dignitatis et Archiepiscopalis honoris titulo de specialis dono gratie decoramus pariter et insignimus, eique Glasguensem et Dunkeldensem ac Aberdonensem, necnon Moraviensem, Brechinensem quoque et Dumblanensem, ac Rossensem et Katanensem, necnon Candidecase ac Lismorensem et Sodorensem sive Insularum, ac Orkadensem ecclesias Regni prefati cum earum civitatibus et diocesibus, iuribus ac pertinentiis universis, totumque Regnum prefatum pro eius provincia Archiepiscopali, et earumdem ecclesiarum prelatos pro eius suffraganeis, ac civitatum et diocesum predictarum personas quaslibet pro suis provincialibus assignamus, ac perpetuo quoad Archiepiscopalia iura subicimus, et subiectas esse volumus per presentes: ita quod ipse Archiepiscopus Sancti Andree in prefato Regno, et singulis illius civitatibus et diocesibus predictis ius Metropoliticum et Archiepiscopale sibi vindicet, ipsique Glasguensis et Dunkeldensis ac Aberdonensis, necnon Moraviensis, Brechinensis quoque et Dumblanensis, ac Rossensis et Katanensis, necnon Candidecase et Lismorensis, et Sodorensis sive Insulanus, ac Orkadensis Episcopi pro tempore existentes eidem Archiepiscopo Sancti Andree ut eorum Metropolitano et Archiepiscopo ad omnia et singula obligentur, et sint astricti, ad que suffraganei suis Metropolitanis tenentur, et obligati existunt secundum canonicas sanctiones, nec non Venerabili fratri nostro Patricio Episcopo Sancti Andree et successores sui Sancti Andree presulibus, qui pro tempore erunt, pallium et crucem insigne plenitudinis pontificalis officii et Archiepiscopalis dignitatis assignanda fore, ecclesiamque ipsam Sancti Andree Metropolitanam, et prefatum modernum et, qui erunt pro tempore Sancti Andree presules, predictos Archiepiscopos Sancti Andree censeri, et perpetuis futuris temporibus nuncupari et nominari debere, Archiepiscopalia et Metropolitica insignia gerere, iura,

iurisdictiones, ac omnia et singula, que Metropolitani in eorum civitatibus, diocesibus et provinciis de iure facere et exercere possunt, facere, gerere et exercere, exequi et administrare posse, dicta auctoritate decernimus, volentes et prefata auctoritate statuentes, quod Archiepiscopus et ecclesia Sancti Andree prefati, necnon dilecti filii ipsius ecclesie Sancti Andree Capitulum omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et indultis apostolicis, et aliis quibuslibet potiantur et gaudeant, quibus Archiepiscopi ecclesieque Metropolitane, et earum Capitula uti possunt quomodolibet et gaudere de consuetudine vel de iure, quodque suffraganei predicti, et eorum Clerus et populus prefato Archiepiscopo eorum Metropolitano congruentes exhibeant reverentiam et honorem, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dñice M.CCCC.LXXII. sextodecimo Kal. Septembris, Pont. nostri anno primo.

Sixtus etc. Venerabilibus fratribus Glasguensi et Dunkeldensi ac Aberdonensi, necnon Moraviensi, Brekinensi quoque et Dumblanensi, ac Rossensi et Katanensi, necnon Candidecase ac Lismorensi, et Sodorensi seu Insularum, ac Orkadensi Episcopis suffraganeis ecclesie Sancti Andree, salut. etc. Hodie ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus ecclesiam Sancti Andree in Scotia sedem Episcopalem in Metropolitanam, et sedem Archiepiscopalem totius Regni Scotie de Venerabilium fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica ereximus, ac Metropolitane dignitatis et Archiepiscopalis honoris titulo decoravimus pariter et insignivimus, eique omnes et singulas, quibus preesse dinoscimini, ecclesias Regni prefati cum earum civitatibus et diocesibus, ac iurisdictionibus et pertinentiis universis, totumque Regnum prefatum pro eius provincia Archiepiscopali, vosque pro eius Suffraganeis, et civitatum et diocesum predictarum personas quaslibet pro suis provincialibus assignavimus, et perpetuo quoad Archiepiscopalia iura subiecimus, et decrevimus Venerabili fratri nostro Patricio Episcopo Sancti Andree, et successoribus suis Sancti Andree Presulis, qui pro tempore forent, pallium et crucem in signum plenitudinis pontificalis officii et Archiepiscopalis dignitatis assignanda fore, ecclesiamque ipsam Sancti Andree Metropolitanam, et prefatum modernum, et qui forent pro tempore Sancti Andree Presules, Archiepiscopos Sancti Andree censeri, ac perpetuis futuris temporibus nuncupari et nominari debere, Archiepiscopalia et Metropolitica insignia gerere, iura, iurisdictiones, ac omnia et singula, que Metropolitani in eorum civitatibus, diocesibus et provinciis de iure facere et exercere possunt, exequi et administrare posse, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca fraternitatibus vestris per apostolica scripta mandamus, quatenus predicto Patricio Archiepiscopo tanquam Metropolitano et Archiepiscopo vestro humiliter intendentes, ac in hiis, que ad Archiepiscopalia iura pertinent, exhibentes ei obedientiam et reverentiam debitas et devotas, eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter, et efficaciter adimplere curetis: Alioquin sententiam, quam idem Patricius Archiepiscopus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

Sixtus etc. Dilectis filiis Sancti Andree, Glasguensis, et Dunkeldensis ac Aberdonensis, necnon Moraviensis, Brekinensis quoque et Dumblanensis, ac Rossensis et Katanensis, necnon Candidecase ac Lismorensis, et Sodorensis seu Insularum, ac Orkadensis ecclesiarum Capitulis, salutem etc. Hodie ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus ecclesiam Sancti Andree in Scotia sedem Episcopalem in Metropolitanam, et sedem Archiepiscopalem totius Regni Scotie de Venerabilium fratrum nostrorum consilio etc. ut supra, excepto quod ubi dicitur decoravimus pariter et insignivimus, eique omnes et singulas, debet tolli quibus preesse cognoscimini; tunc sequitur ecclesias vestras, in aliis sequentibus debet poni prefati Regni cum earum civitatibus et diocesibus; et etiam post ubi dicitur pro eius provincia Archiepiscopali, additur et earumdem aliarum ecclesiarum prelatos pro eius suffraganeis etc. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Patricium Archiepiscopum tanquam Metropolitanum et Archiepiscopum vestrum grato admittentes honore, et in hiis, que ad Archiepiscopalia iura pertinent, exhibentes ei obedientiam et reverentiam debitas et devotas, eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter, et efficaciter adimplere curetis: Alioquin sententiam, quam idem Patricius Archiepiscopus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

Sixtus etc. Dilectis filiis Clero Glasguensis et Dunkeldensis ac Aberdonensis, necnon Moraviensis, Brechinensis quoque et Dumblanensis, ac Rossensis et Katanensis, necnon Candidecase, ac Lismorensis et Sodorensis seu Insularum, ac Orkadensis civitatum et diocesum totius Regni Scotie, salutem etc. Hodie ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus etc. ut supra. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Patricio Archiepiscopo tanquam Metropolitano et Archiepiscopo vestro in hiis, que iura Archiepiscopalia concernunt, humiliter intendentes, ac exhibentes sibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, eius salubria monita et mandata suscipiatis devote, et efficaciter adimplere curetis. Alioquin etc. ut supra. Datum ut supra.

Sixtus etc. Dilectis filiis populo Glasguensis et Dunkeldensis ac Aberdonensis, necnon Moraviensis, Brechinensis quoque et Dumblanensis, ac Rossensis et Katanensis, necnon Candidecase, ac Lismorensis et Sodorensis seu Insularum, ac Orkaden-

sis civitatum et diocesum totiusque Regni Scotie, salutem etc. Hodie ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus ecclesiam Sancti Andree in Scotia sedem Episcopalem in Metropolitanam, et sedem Archiepiscopalem totius Regni Scotie de Venerabilium fratrum nostrorum consilio etc. ut supra. Quocirca Universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem Patricium Archiepiscopum tanquam Metropolitanum et Archiepiscopum vestrum grato admittentes honore, exhibeatis eidem in hiis, que Metropolitici et Archiepiscopalis iuris sunt, obedientiam et reverentiam debitas et devotas: ita quod ipse in vobis devotionis filios, et vos in eo per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis etc. Datum ut supra.

Sixtus etc. Carissimo in Christo filio Iacobo Scotorum Regi Illustri, salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum prelatis opportuni favoris presidium, et honor debitus impendatur. Hodie siquidem ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus ecclesiam Sancti Andree in Scotia etc. ut supra. Cum autem, fili Carissime, sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro Regis eterni gloria venerari: Serenitatem tuam Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Patricium Archiepiscopum, et commissam sibi Archiepiscopalem sedem Sancti Andree predictos habens pro nostra et sedis apostolice reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos benigni favoris auxilio prosequaris, quod idem Archiepiscopus per tue auxilium gratie in eiusdem Archiepiscopalis sedis regimine facilius proficere valeat, ac tibi exinde a Deo perennis vite premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

DCCCLIII.

Mensae archiepiscopali Sancti Andreae unitur prioratus de Petyveyane ord. s. Augustini eiusdem dioecesis. Reg. Tom. X. fol. 314.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Universalis ecclesie regimini, licet immeriti, disponente domino, presidentes, ad ea libenter intendimus, per que ecclesiis, presertim metropolitanis insignibus, ac eis presidentibus personis, quas in partem sollicitudinis pastoralis evocavit Altissimus, ne suscepte dignitatis decus rerum defectus obnubilet, de congrue provisionis auxilio succurratur. Dudum felicis recordationis Paulus papa secundus, predecessor noster, Prioratum de Petyveyne, sive de Maya, ordinis sancti Augustini Sancti Andree diocesis cum omnibus iuribus et pertinentis suis, ex certis tunc expressis causis, mense Archiepiscopali, tunc Episcopali, Sancti Andree ad vitam dumtaxat Venerabilis fratris nostri Patricii Archiepiscopi, tunc Episcopi, Sancti Ardree uniri, annecti et incorporariri mandavit, certo desuper excutore demandato: ac voluit, quod cedente vel decedente ipso Patricio Archiepiscopo, tunc Episcopo, unio, annectio et incorporatio predicte dissolute forent, ipseque prioratus in pristinum statum reverteretur, et per eandem dissolutionem vacare censeretur eo ipso, prout in litteris ipsius predecessoris desuper confectis plenius continetur. Et deinde, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Patricii Archiepiscopi peticio continebat, earumdem litterarum executor predictus ad illarum executionem procedens, earum forma servata, unionem, annexionem et incorporationem fecit antedictas, ipseque Patricius Archiepiscopus tunc Episcopus illarum vigore dicti prioratus, iuriumque et pertinentiarum predictorum possessionem extitit assecutus, ac illam ex tunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet de presenti pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, pro eo quod nos nuper ex certis rationabilibus causis ecclesiam Sancti Andree in Metropolitanam totius Regni Scotie duximus erigendam, expediat, quod non solum ipse Patricius, sed etiam successores sui Archiepiscopi Sancti Andree, qui pro tempore erunt, iuxta Archiepiscopalis dignitatis decentiam maiora onera et expensas perferant, quam ante erectionem predictam perferre soliti forent, presertim in retinendo secum unum Episcopum, qui eis in regimine et administratione Archiepiscopalis iurisdictionis suffragetur, ac suffraganeos et provinciam suam Archiepiscopalem cum decenti numero servitorum visitet, habeatque mensa Archiepiscopalis predicta redditus suos in diversis locis Regni prefati, et pro illorum defensione necesse sit varios perferre labores, speretque prefatus Patricius Archiepiscopus, quod si unio, annexio et incorporatio predicte in perpetuum extenderentur, successores sui predicti ex redditione dicti prioratus pro perferendis oneribus predictis aliquod reciperent sollevamen: ac propterea pro parte dicti Patricii Archiepiscopi asserentis, quod dictus prioratus conventualis non est, et cellula seu cappella ecclesie prefate nuncupatur, et quod illius fructus, redditus et proventus centum librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, fuit nobis humiliter supplicatum, ut unionem, annexionem, et incorporationem predictas in perpetuum extendere, aliasque in premissis eorumdem successorum suorum necessitati huiusmodi oportune consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum valorem beneficii, cui unio fieri peteretur, alioquin unio non valeret, et quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, et idem voluimus observari in confirmationibus unionum iam factarum, fructuum, redditum et proventuum dicte mense verum annuum valorem presentibus pro expresso haberi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras predictas predecessoris prefati, et illarum vigore factas unionem, annexionem et incorporationem preditas de dicto prioratu dicte mense auctoritate apostolica tenore presentium in perpetuum extendimus et prorogamus, ac volumus et

eiusdem Patricii Archiepiscopi successoribus, qui pro tempore erunt, Archiepis S. Andree prefata auctoritate concedimus, quod ipsi successores perpetuis futuris temporibus dicti prioratus, iuriumque et pertinentiarum predictorum corporalem possessionem propria auctoritate continuare, et eiusdem prioratus fructus, redditus et proventus in suos et mense usus et utilitatem convertere, ac perpetuo retinere possint, cuiusvis licentia super hoc minime requisita, in omnibus per omnia perinde ac si predecessor prefatus prioratum ipsum prefate mense non ad vitam dicti Patricii Archiepiscopi, sed perpetuo dicte mense uniri, annecti et incorporari mandasset, et illarum vigore prioratus ipse eidem mense non ad vitam dicti Patricii dumtaxat, sed perpetuo canonice unitus, annexus et incorporatus fuisset, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Non obstantibus eiusdem predecessoris et nostra voluntate predictis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Monasterii, vel alterius loci regularis, a quo forsan prioratus ipse dependeat, et illius ordinis iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ac omnibus illis, que idem predecessor in dictis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Proviso quod propter prorogationem et extensionem predictas dictus prioratus debitis non fraudetur obsequiis, sed illius congrue supportentur onera consueta. Nulli ergo etc. nostre extensionis, prorogationis, voluntatis, concessionis et constitutionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo cccc.lxxii. undecimo Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCCLIV.

Mensae archiepiscopali Sancti Andreae uniuntur quaedam ecclesiae parochiales Reg. Tom. XII. fol. 16.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Universalis ecclesie regimini, licet immeriti, disponente Domine, presidentes, ad ea libenter intendimus, per que ecclesiis, presertim metropolitanis et illis presidentibus personis, quas in partem sollicitudinis pastoralis evocavit Altissimus, ne suscepte dignitatis decus rerum temporalium defectus obnubilet, de congrue provisionis auxilio succurratur. Cum itaque nos nuper ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus ecclesiam Sancti Andree sedem Episcopalem in Archiepiscopalem, et Metropolitanam totius Regni Scotie erexerimus, et Metropolitana dignitate decoravimus, expediatque propterea, ut Venerabilis frater noster Patricius modernus, et qui pro tempore erit Archiepiscopus Sancti Andree, iuxta Archiepiscopalis dignitatis decentiam maiora onera et expensas perferat, quam ante erectionem predictam, et sicut exhibita nobis nuper ex parte dicti Archiepiscopi peticio continebat, mensa Archiepiscopalis habeat redditus suos in diversis locis prefati Regni, pro quorum defensione expediens est varios perferre labores, sperat quoque prefatus Archiepiscopus, quod si de Lessuade et de Tonygam, ac de Fortewyot, nec non de Unchbryok et de Tannades, ac de Fedyrckery, et de Kynuell locorum Sancti Andree diocesis parrochiales ecclesie, in prediis et locis temporali dominio ipsius ecclesie Sancti Andree subiectis consistentes, mense Archiepiscopali prefate perpetuo unirentur et incorporarentur, ipse et pro tempore existens Archiepiscopus, excrescentibus propterea redditibus suis, commodius onera predicta perferre, et iuxta Archiepiscopalis dignitatis exigentiam decentius se sustentare, ac ad bonorum predictorum defensionem facilius vacare posset: fueritque propterea pro parte ipsius Archiepiscopi nobis humiliter supplicatum, ut parrochiales ecclesias predictas, quarum insimul ducentarum et quadraginta librarum sterlingorum fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, dicte mense Archiepiscopali unire, annectere et incorporare, aliasque sibi et pro tempore existenti Archiepiscopo Sancti Andree in premissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum valorem beneficii, cui unio fieri petitur, alioquin unio non valeret, et quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, fructuum, reddituum et proventuum dicte mense veros annuos valores presentibus pro expressis habentes, ipsius Archiepiscopi in hac parte supplicationibus inclinati, parrochiales ecclesias predictas prefate mense Archiepiscopali auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, reservata tamen super cuiuslibet earumdem parrochialium ecclesiarum fructibus, redditibus et proventibus predictis congrua portione, per ipsum Archiepum moderanda, pro perpetuo Vicario in qualibet ex eisdem parrochialibus ecclesiis predictis instituendo, de qua se sustentare et Archiepiscopalia iura persolvere, ac alia ei incumbentia onera perferre possit: ita quod cedentibus vel decedentibus earumdem parrochialium ecclesiarum modernis rectoribus, seu illas alias quomodolibet dimittentibus, liceat ipsi Archiepiscopo Sancti Andree pro tempore existenti per se, vel alium seu alios earumdem parrochialium ecclesiarum simul vel successive, prout quisque earum rector cesserit vel decessit, seu dimiserit, bonorum, iurium et pertinentiarum predictorum possessionem propria auctoritate apprehendere, et illorum fructus, redditus et proventus in suos et dicte mense Archiepiscopalis usus utilitatemque convertere, et perpetuo retinere, cuiusvis licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus voluntate nostra predicta, ac aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolice sedis, vel legatorum eius litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet

sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem, et quecumque inde secuta, etiam si illarum executionem prosequentes essent in assecutione beneficiorum sub eis comprehensorum, quacumque antelationis prerogativa muniti ad predictas parrochiales ecclesias volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo etc. nostre unionis, annexionis, incorporationis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXII. quarto Kal. Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCCLV.

Archiepiscopo Sancti Andreae subiiciuntur quaedam monasteria et ecclesiae suae dioecesis, sublata eisdem exemptione, qua antea gaudebant. Reg. Tom. XII. fol. 180.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex Ihesu Christi in terris Vicarius, cui ecclesiarum et Monasteriorum omnium cura celitus commissa est, emergentium negotiorum causas, et ecclesiarum et Monasteriorum eorumdem qualitates diligenter attendens, ea que a sede apostolica in magnum evidensque alicuius iuris preiudicium interdum reperiuntur emanasse, in statum debitum deliberatione provida reducit, prout secundum deum ac locorum et temporum conditiones in domino conspicit salubriter expedire. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Patritii Archiepi S. Andree nobis nuper exhibita peticio continebat, quod Abbas seu Prior Monasterii de Calco ordinis s. Benedicti Sancti Andree diocesis pro tempore existens, pro eo quod Monasterium predictum ab ordinaria iurisdictione est exemptum, liberiorem sibi facultatem excedendi concessam fore existimans, de bonis dicti Monasterii pro suis nutu et voluntate, alias quam decet, disponit, ac crimina et excessus committit, et suis creditoribus quando et prout sibi videtur et non alias satisfacit, in dicti Monasterii et cum ipso Abbate pro tempore contrahentium detrimentum, animo periculum, perniciosum exemplum et scandalum plurimorum: et quod si Abbas seu Prior Monasterii sancte Crucis ordinis sancti Augustini prefate diocesis exemptionem eiusdem Monasterii a felicis recordationis Paulo papa II. predecessore nostro impetrata, qua nondum usus est, uti vellet, ex illius usu similes mali effectus resultare possent: quodque olim bone memorie Iacobus Episcopus Sancti Andree immediatus predecessor eius Collegiatam ecclesiam sancti Salvatoris prope palatium Archiepiscopale Sancti Andree fundavit, et de Rectoriis nonnullarum parrochialium ecclesiarum, in prediis et possessionibus mense Archiepiscopalis, tunc Episcopalis, S. Andree sitis, Sancti Andree diocesis, ad liberam collationem Sancti Andree pro tempore existentis Episcopi pertinentium, competentibus redditibus pro sustentatione personarum eam dotavit: et quod ipse Patritius postmodum attendens, quod ecclesia sancti Egidii in Edinburgo dicte diocesis in loco insigni sita erat, et in ea propter mare intermedium inter eam et civitatem Sancti Andree officiales tenebat, et sinodalem convocationem magne partis dicte diocesis facere solitus erat, eandem ecclesiam sancti Egidii in Collegiatam erexit, ac collegialibus iure et insignibus decoravit: quod propterea ab omni honestate alienum videtur, quod sancti Salvatoris a predecessore tam prope palatium fundata et dotata, ac ipsius ecclesie sancti Salvatoris prorsus in oculis ipsius Archiepiscopi Sancti Andree pro tempore existentis quotidie degentes, et per ipsum, ut prefertur, decorate s. Egidii ecclesie predicte, ab ipsius Archiepi Sancti Andree pro tempore existentis iurisdictione et superioritate, ut illarum persone asserunt, sint exempte, et impetratio exemptionum huiusmodi, si qua facta apparet, ex ingratissimo fonte processisse merito dici potest. Spes quoque verisimilis sit, sicut eadem peticio subiungebat, quod si utriusque Monasteriorum, et sancti Salvatoris et sancti Egidii ecclesiarum huiusmodi exemptiones predicte revocarentur, Abbates seu Priores Monasteriorum, et sancti Salvatoris ac sancti Egidii ecclesiarum huiusmodi Prepositi, Canonici et persone religiosam et honestam, ac rerum statui convenientem vitam ducere, bona Monasteriorum et sancti Salvatoris ac sancti Egidii ecclesiarum conservare, ac alias ab illicitis abstinere, et que debent eorum creditoribus exolvere, nec non eisdem sancti Salvatoris et s. Egidii, ac prefatorum Monasteriorum ecclesiis in divinis deservire, ac per exempla boni operis Christifideles ad religionem et devotionem Monasteriorum, et sancti Salvatoris ac sancti Egidii ecclesiarum huiusmodi allicere curarent, et laicorum, quibus exemptiones predicte, dum propter illas pro singulis querelis per eos contra Abbates, Priores, Prepositos, Canonicos et personas huiusmodi proponendis ad sedem prefatam recurrere necessitaverit, murmurandi et obloquendi occasionem prestant, murmurationibus huiusmodi verisimiliter obviaretur. Nos, qui nuper eandem ecclesiam S. Andree in Metropolitanam ereximus, et pro tempore existenti Archiepiscopo omnes Cathedrales ecclesias Regni Scotie et eorum Prelatos iure Metropolitico subiecimus, considerantes quod absurdum videretur, ut predicta Monasteria et ecclesie ab eius iurisdictione exempta forent, exemptionum predictarum et litterarum desuper confectarum tenores et compendia, ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro expressis habentes, ipsius Archiepiscopi in hac parte supplicationibus inclinati, easdem exemptiones ac litteras desuper confectas quorumcumque verborum formam habentes auctoritate apostolica, et ex certa nostra scientia revocamus, cassamus et irritamus ac annullamus, et pro infectis haberi volumus, Monasteriaque ac sancti Salvatoris

et sancti Egidii ecclesias huiusmodi, et illorum Abbates seu Priores, Prepositos, Canonicos et personas in pristinum et eum statum, in quo erant, antequam eximerentur, reponimus, restituimus et plenarie reintegramus, ac volumus et eidem Archiepiscopo Sancti Andree pro tempore existenti, ut Monasteria et sancti Salvatoris ac sancti Egidii ecclesias huiusmodi, ipsorumque Abbates, Priores, Conventus et Monachos, nec non sancte Crucis Canonicos, et prefatarum sancti Salvatoris ac sancti Egidii ecclesiarum Prepositos, Capitula et Canonicos, ac tam Monasteriorum, quam earumdem ecclesiarum personas alias, res et bona quecumque visitare, et in eos omnimodam iurisdictionem et merum ac mixtum imperium, superioritatem et auctoritatem ordinariam, sicut ante exemptionem huiusmodi, exercere libere et licite valeat in omnibus et per omnia, perinde ac si Monasteria et sancti Salvatoris, ac sancti Egidii ecclesie huiusmodi nunquam exempta fuissent, eadem auctoritate concedimus: et nichilominus Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Antibarensi, et dilectis filiis de Driburg et de Belmerynch Monasteriorum Abbatibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum prefato, et pro tempore existenti Archiepiscopo in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, ac per se vel alium seu alios premissa, ubi et quando expedire videbitur, sollempniter publicantes, faciant Patricium, et pro tempore existentem Archiepum predictum pacifica possessione revocationis, cassationis, concessionis, repositionis et restitutionis predictarum gaudere, non permittentes eum seu eos, quo minus ordinaria iurisdictione et superioritate, ac mero et mixto imperio predictis uti possint seu possit, pretextu exemptionum huiusmodi, aut alias quomodolibet impediri. Contradictores etc. Nulli ergo etc. nostrarum revocationis, cassationis, irritationis, annullationis, repositionis, restitutionis, reintegrationis, concessionis, mandati et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXII. quarto Kal. Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCCLVI.

Alisona Hom monasterio de Northberwyk Cisterciensis ord. S. Andreae dioec., reiecta Elisabetha Forina, praeficitur. Reg. Tom. XIV. fol. 110.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Brechinensi, salut. etc. Suscepti cura regiminis etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecte in Christo filie Alizone Hom, monialis Monasterii de Northberwyk Cisterciensis ord. S. Andree diocesis, peticio continebat, quod olim postquam quondam Mariota de Ransay, tunc Abbatissa prefati Monasterii, Priorissa vulgariter nuncupata, dum viveret, regimini et administrationi dicti Monasterii presidente, et in gravi egritudine constituta ex certis causis animum suum moventibus regimini, et administrationi dicti Monasterii in manibus dilectarum in Christo filiarum Conventus eiusdem Monasterii sponte et libere cesserat, alique ex monialibus ipsius Monasterii, non tamen sanior pars, cessione huiusmodi apostolica vel ordinaria auctoritate non admissa, ac iuris ordine pretermisso, illico et clandestine dilectam in Christo filiam Elizabettam Forinam monialem prefati Monasterii in earum Abbatissam, alias Priorissam elegerunt: prefata quoque Mariota post cessionem per eam factam huiusmodi infra duodecim horas ex tunc extra Romanam Curiam diem clausit extremum. Postmodum vero alter ex Vicariis Venerabilis fratris nostri Patricii Archiepiscopi Sancti Andree premissa sentiens, ad prefatum Monasterium se transtulit, et eisdem monialibus ad eligendum inibi futuram Abbatissam, seu Priorissam auctoritate ordinaria diem prefixit. Que quidem moniales die huiusmodi adveniente, et vocatis illis qui voluerunt, potuerunt, et debuerunt electioni huiusmodi interesse, maior pars earumdem monialium vota sua in prefatam Alizonam, etiam tunc in vicesimonono sue etatis anno constitutam, et ordinem ipsum expresse professam direxerunt, illamque in earum et prefati Monasterii Abbatissam seu Priorissam elegerunt, ipsaque Alizona electioni de se facte huiusmodi, illius sibi presentato decreto, consensit, et illam per prefatum Vicarium confirmari, seque in illius Abbatissam seu Priorissam prefici, necnon munus benedictionis sibi impendi obtinuit, ac electionis, confirmationis et presentationis huiusmodi vigore possessionem regiminis et administrationis bonorum eiusdem Monasterii apprehendens, illi ex tunc prefuit, prout preest de presenti. Cum autem electio, confirmatio et prefectio ac impensio huiusmodi secundum premissa viribus non subsistant, et sicut accepimus, Monasterium ipsum adhuc, ut prefertur, vacare noscatur: Nos volentes eidem Monasterio secundum cor nostrum de persona utili et ydonea, per quam circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, provideri, ac de meritis et ydoneitate ipsius Alizone, que, ut asserit, de nobili genere procreata, et ut prefertur, ordinem ipsum expresse professa, ac in eodem vicesimonono suo etatis anno constituta existit, apud nos de religionis zelo, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum donis multipliciter commendata certam notitiam non habentes, ipsamque Alizonam a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, quibus quomodolibet innodata forsan existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutam fore censentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de huiusmodi meritis et ydoneitate prefate Alizone auctoritate nostra te diligenter informes, et si per eandem informationem ipsam Alizonam ad regimen et administrationem ipsius Monasterii utilem et ydoneam esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, de persona eiusdem Alizone prefato Monasterio, cuius fructus, redditus et proventus centum librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut dicta Alizona similiter asserit, non excedunt, sive

ut premittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per cessionem vel resignationem aut obitum eiusdem Mariote, vel alicuius alterius de illa extra prefatam Curiam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam vacet, etiam si ex quavis causa illius provisio ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore date presentium non sit eidem Monasterio de Abbatissa vel Priorissa canonice provisum, auctoritate nostra provideas, ipsamque illi preficias in Abbatissam seu Priorissam, curam, regimen et administrationem ipsius Monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo eidem Alizone a prefatis Conventu obedientiam et reverentiam congruentes, necnon a dilectis filiis universis Vassallis et aliis subditis eiusdem Monasterii consueta servitia et iura exhiberi. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Tibure Anno etc. M.CCCC.LXXIII. sexto Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCCLVII.

Capella regia B. Mariae in civitate Dunclinensi erigitur in collegiatam, unito eidem prioratu de Coldingham ord. s. Benedicti S. Andreae dioecesis. Reg. Tom. XII. fol. 188.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Guillelmo Episcopo Ostiensi, salutem etc. Ex superne providentia maiestatis in suprema militantis ecclesia specula constitutus Romanus pontifex, circa ecclesiarum et aliorum locorum ecclesiasticorum quorumlibet sue cure commissorum profectum, venustatem et decorem, et ut in ipsis ecclesiis et locis divinus cultus augeatur, prout ex debito pastoralis officii sibi commissi incumbit, Catholicorum Regum exposcit devotio, et id in domino salubriter expedire conspicit, diligenter intendit, et ut illa, que ab eo emanarunt, sublatis quibusvis dispendiis, optatum sortiantur effectum providet oportune: ad illos quoque gratiam sue liberalitatis extendit, qui sibi et apostolice sedi grata devotionis obsequia impendunt, et quos ad id virtutem merita multipliciter reccommendant. Dudum siquidem fel. recordationis Pius papa II. predecessor noster dilectum filium Iohannem Pincher, tunc Priorem prioratus de Coldingham ord. sancti Benedicti Sancti Andree diocesis, prioratu predicto, Cellula nuncupato, antiquitus per Reges Scotorum fundato, et competentibus redditibus, ac certo temporali dominio pro decenti sustentatione decem et octo monachorum dotato, et succedente tempore prioratus ecclesie Dunclinensi dicti ordinis civitatis Dunclinensis, tunc in amicitia et quiete Regis Scotorum existentis, de ipsorum Regum consensu, ita ut ab ecclesia predicta dependeat, submisso seu unito et annexo, et tunc ad tam miserabilem statum deducto, quod in eo duo monachi dumtaxat residebant, propter certa gravia crimina tunc expressa, et statum dicti Regis concernentia, ac etiam ut futuris, que exinde formidabantur exoriri, scandalis obviaretur, privari et ab illo amoveri, prefatamque unionem prioratus ecclesie Dunclinensi, nunc in Anglia, factam revocari, et ipsum prioratum de Coldingham in pristinum statum reponi, ac in eventum huiusmodi prioratum ipsum dilecto filio Magistro Patritio Hom Archidiacono Thendalie in ecclesia Glasguensi, notario nostro, per eum quoad viveret tenendum, regendum et gubernandum, ita quod, debitis et consuetis ipsius prioratus de Coldingham supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare valeret, per suas litteras commendari mandavit: quarum quidem vigore litterarum dictus Patritius possessionem dicti prioratus de Coldingham assecutus, illum per certos annos in huiusmodi commendam pacifice tenuit et possedit. Et deinde pro parte Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris nobis exposito, quod fructus, redditus et proventus Capelle sue Regie Beate Marie Virginis Sancti Andree diocesis erant adeo tenues et exiles, quod persone in eadem Capella in divinis deservientes ex illis se sustentari, et onera eis incumbentia perferre commode nequibant, quodque si dictus prioratus de Coldingham, suppressis in illo dignitate prioratus et ordine predictis, eidem Capelle uniretur, annecteretur et incorporaretur, persone predicte decentius se sustentare, et onera predicta commodius perferre valerent. Nos ipsius Regis in ea parte supplicationibus inclinati, tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut de premissis te informares, et si ita esse repereris, super quo tuam conscientiam oneravimus, de consensu quorum intererat dignitatem et ordinem huiusmodi supprimeres et extingueres, ac prioratum de Coldingham predictum dicte Capelle unires, prout in singulis litteris predictis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Regis petitio continebat, in predictis tuis litteris expressum fuerit, quod dictus prioratus de Coldingham Conventualis non erat, cum ex premissis deprehendatur, quod saltem habitu conventualis existat, et propterea a nonnullis asseratur predictas nostras litteras posse de surreptione notari, et sicut accepimus, idem Patritius Hom predicte commende ad effectum unionis huiusmodi cedere, ac Venerabilis frater noster Patritius Archiepus Sancti Andree, pro indemnitate sue mense Archiepalis habita debita recompensa, eidem unioni consentire proponant et intendant, prefatusque Iacobus Rex pro divini cultus augmento prioratum ipsum de Coldingham in collegiatam ecclesiam cum uno Decanatu et aliquibus canonicatibus et prebendis apostolica auctoritate erigi ferventer exoptet: pro parte dicti Regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsum prioratum de Coldingham in collegiatam ecclesiam, Capellam Regiam de Coldingham nuncupandam, cum omnibus et singulis collegialibus insigniis, in eaque decanatum, qui inibi dignitas principalis existat, et decentem numerum Canonicorum et prebendarum ex aliis dicti prioratus de Coldingham bonis erigere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque votis prelibati Regis in hac parte satisfacere cupientes, predictasque nostras litteras perinde ac si in illis de premissis omnibus et singulis plena

et expressa mentio facta fuisset, valuisse et valere decernentes, ac omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que idem Patritius Hom etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competet, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, redditum et proventuum veros annuos valores, ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, ipsumque Patritium Hom a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus vel irretitus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, dictoque Patritio Hom, qui, ut asserit, Archidiaconatum Thendalie in ecclesia Glasguensi, qui inibi dignitas non tamen maior post pontificalem existit, ac parrochialem ecclesiam de Kervigton dicte diocesis inter cetera obtinet, apud nos de vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, necnon propter grata devotionis obsequia, que nobis et predicte sedi hactenus (impendit), et adhuc sollicitis studiis impendere non desinit, horum intuitu specialem gratiam facere volentes, circumspectioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad ipsarum nostrarum litterarum ulteriorem executionem procedens, cessionem huiusmodi ac predicto Patritio Hom, vel eius procuratore legitimo, si illam in tuis manibus sponte et libere facere voluerit, ut prefertur, auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipias et admittas, eaque per te recepta et admissa de consensu dicti Patritii Archiepiscopi, absque tamen preiudicio aliorum, si qui sint interesse pretendentium, suppressionem et extinctionem facias antedictas, data prius per te de bonis dicti prioratus de Coldingham ab illo dimembrandis dicte mense Archiepiscopali debita recompensa pro iuribus, in quibus premissorum occasione damnificari videretur, ac suppressione et extinctione huiusmodi factis, etiam per alium vel alios si tibi videbitur patere, bonorum ipsius prioratus de Coldingham, dicte Capelle pro sustentatione Capellanorum predictorum perpetuo applices, appropries, ac prioratum ipsum in Collegiatam ecclesiam, Capellam Regiam de Coldingham nuncupandam, cum huiusmodi collegialibus insigniis, et in ea unum Decanatum, qui inibi dignitas principalis sit, et condecentem numerum Canonicatuum et prebendarum ex aliis dicti prioratus bonis erigas, de ipsoque Decanatu sic a primitiva sua erectione vacante prefato Patritio Hom provideas, necnon ius patronatus et presentandi ordinario loci personam ydoneam ad prefatum Decanatum, dum illum vacare contingerit in futurum, prefato Regi et successoribus suis pro tempore existentibus Scotorum Regibus reserves auctoritate memorata, sic tamen quod pro tempore presentata persona infra semestre a die presentationis de se facte novam provisionem a sede predicta obtineat, et totaliter expeditum recipiat, Alioquin presentatio ipsa cum pro tempore inde secuta viribus non subsistant. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXIII. tertio Nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

DCCCLVIII.

Thomas episcopus Aberdonensis una cum clero suo ab omni iurisdictione archiepi S. Andreae eximitur, et sedi apostolicae immediate subiicitur. Reg. Tom. XXXVIII. fol. 244.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Aberdonensi, salut. etc. Sincere devotionis affectu, quem ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobaris, ac tuarum virtutum grandia merita nos inducunt, ut votis tuis, illis presertim, per que persone tue et tibi subditorum paci et quieti oportune consulitur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod licet ecclesia tua Aberdonensis ab eius primeva institutione, quemadmodum alie Regni Scotie Cathedrales eccl. et earum Prelati, fuerit Romane ecclesie nullo medio subiecta; nichilominus Venerabilis frater noster Patritius Archiepus Sancti Andree te et Prelatos aliosque tibi subiectos, necnon ecclesiam tuam huiusmodi pretextu certorum privilegiorum per eum a sede apostolica, ut asserit, impertitorum sibi subiectos fore, ac in vos iurisdictionem Metropoliticam habere minus veraciter asserit, et quamquam tu a premissis ad sedem predictam appellaveris, tamen tam pro eo, quia senio confectus es, quam ex certis aliis rationabilibus causis grave admodum tibi existat cum dicto Patritio Archiepo premissorum occasione litigare: Quare tam pro parte Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris, quam tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut ne presertim temporibus tuis privilegia, iura et libertates dicte ecclesie tue pereant, super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, te et ecclesiam tuam predictam, ac Prelatos et subditos tuos tam ecclesiasticos, quam seculares in civitate et dioc. Aberdonensi constitutos, quamdiu vixeris, ab omni iurisdictione, superioritate, auctoritate, dominio et potestate Patritii predicti, et qui erunt interim Archiepi Sancti Andree, eorumque Vicariorum et officialium auctoritate apostolica tenore presentium eximimus et totaliter liberamus, ac nobis et eidem sedi immediate subiectos fore decernimus: ita quod Archiepiscopus, Vicarii et officiales predicti in vos, seu aliquem vestrum, quamdiu vitam duxeris in humanis, iurisdictionem, superioritatem, auctoritatem, dominium vel potestatem exercere, aut excommunicationis, suspensionis, interdicti aliasve sententias, censuras et penas promulgare nullo modo possint, decernentes ex nunc omnes et singulos processus et sententias, censuras et penas, quos et quas per Archiepiscopum, Vicarios vel officiales predictos contra exemptionem et liberationem huiusmodi haberi vel promulgari, necnon quicquid secus per quoscumque quavis auctoritate fieri vel attemptari contigerit, nullius exi-

stere roboris vel momenti. Non obstantibus etc. Nulli etc. nostre exemptionis, liberationis, constitutionis, decreti et derogationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXIII. sextodecimo Kal. Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCCCLIX.

Annus Iubileeus, Angliae et Hiberniae iam concessus, etiam regno Scotiae ad instantiam eiusdem regis et episcopi Glasguensis conceditur. Reg. Tom. XXVIII. fol. 42.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Pastoris eterni, qui pro salute gregis dominici se in primis immolare non abnuit, vices quamvis immeriti gerentes in terris, circa gregem ipsum nobis commissum, quem indefessa sollicitudine cupimus in loco pascue collocari, extendentes paterne considerationis intuitum, eo celerius singulorum fidelium occurrimus animarum periculis, eosque apostolicis prosequimur indulgentiarum et remissionum favoribus, quo eos veluti nostros et Romane ecclesie filios in visceribus gerimus caritatis. Dudum siquidem Bonifacius papa VIII., predecessor noster, de fratrum suorum consilio voluit et decrevit, quod omnes, qui Anno incarnationis dominice Millesimotricentesimo, et quolibet anno Centesimo ex tunc in antea sequuturo ad Basilicas Apostolorum de Urbe accederent reverenter, et illas, si Romani, ad minus triginta, si vero peregrini aut forenses, quindecim continuis vel interpollatis, saltem semel in die, vere tamen penitentes et confessi personaliter visitarent, suorum omnium peccatorum remissionem et veniam obtinerent. Et deinde sancte memorie Clemens papa VI., etiam predecessor noster, ad annum quinquagesimum provida moderatione reducens statuit, quod omnes Christifideles, qui Basilicas predictas et Lateranensem ecclesiam de quinquaginta in quinquaginta annis certo modo tunc expresso devote visitarent, eandem peccatorum suorum veniam consequerentur. Postmodum vero Gregorius XI. similiter predecessor noster, ut visitantes prefati ad effectum consequende indulgentie predicte etiam ecclesiam beate Marie Maioris de Urbe visitare tenerentur, ordinavit. Cumque postea Urbanus VI. in sua obedientia nuncupatus annum huiusmodi quinquagesimum ad tricesimum sextum reduxisset, et pie memorie Martinus pp. V. similiter predecessor noster, eiusdem Urbani reductionem huiusmodi approbasset, et successive bone mem. Nicolaus papa V., etiam predecessor noster, ex certis rationabilibus causis tunc expressis, de fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, annum Iubilei huiusmodi ad annum vigesimum quintum provida moderatione reduxit, ac voluit, statuit et decrevit, quod de singulis vigintiquinque annis in vigintiquinque annos annus Iubileus predictus celebrari deberet, et in vigilia Nativitatis dñi nostri Ihesu Christi proxime preteriti tunc futuri inchoaret, et quod universi Christifideles, qui anno huiusmodi durante Basilicas, Lateranensem et beate Marie Maioris ecclesias predictas, statutis ab eodem Bonifacio predecessore predictis diebus, devote visitarent, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones consequerentur, quas idem Bonifacius et alii predecessores prefati anno Iubilei huiusmodi Basilicas, ecclesiasque predictas visitantibus devote concesserant per quasdam primo, et deinde nos, qui, dicto Paulo predecessore, sicut Deo placuit, sublato de medio, fuimus divina clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, per alias nostras litteras eiusdem Pauli predecessoris ordinationem, voluntatem et statutum, ac omnia et singula in eisdem suis litteris contenta de Venerabilium fratrum nostrorum consilio approbando, similiter statuimus et ordinavimus, quod annus Iubileus predictus cum eisdem indulgentiis et remissionibus plenariis peccatorum in dicta vigilia proxime preteriti tunc futuri festi Nativitatis domini nostri Ihesu Christi incipere, et successive continuare deberet, prout in singulis litteris predictis plenius continetur.

Cum autem, sicut fidedigna relatione accepimus, Carissimus in Christo filius noster Iacobus Scotorum Rex Illustris, et Venerabiles fratres nostri Episcopi, ac dilecti filii Duces, Comites, Barones, Nobiles, et quamplures alii utriusque sexus persone, Incole et habitatores Regni Scotorum, ecclesiastici, etiam religiosi et seculares devotissimi quidem et affecti, ac cupidi salutis suarum animarum et indulgentiarum Urbis, tam qui anno huiusmodi Iubilei durante Basilicas, et alias de Urbe predictas ecclesias pro consequenda indulgentia et remissione huiusmodi, ab eodem Paulo predecessore concessa, et a nobis innovata, libenter visitarent, si senio, debilitate corporis, inopia, impotentia, divinorum humanorumque obsequiorum, vel aliorum negotiorum occupatione non detinerentur, nec non guerrarum turbines, viarum discrimina, longam itineris distantiam, maris pericula, aeris intemperiem, aliosque sinistros eventus non formidarent, quam etiam, qui nullo impedimento detenti, Basilicas et ecclesias ipsas visitare hactenus non proposuerunt, nec proponere intendunt, cupiant alias indulgentiarum Iubilei huiusmodi fieri participes: Nos, qui cunctorum Christifidelium animarum salutem intensis desideriis affectamus, consideratione etiam prefati Iacobi Regis nobis super hoc humiliter supplicantis, ut tam eorumdem Episcoporum, Ducum, Comitum et Baronum, quam aliarum utriusque sexus personarum, Incolarum et habitatorum predicti Regni, et aliorum ad illud confluentium, quos idem Iacobus Rex caritatis et devotionis fervore prosequitur, et aliorum Christifidelium animarum saluti salubrius consulatur, providere volentes, prefati Iacobi Regis consideratione huiusmodi inducti, ipsos Iacobum Regem, Episcopos, nec non Duces, Comites, Barones, Nobiles, Incolas et habitatores Regni huiusmodi, et alios quoscumque, forenses et extraneos, ad dictum Regnum confluentes, quos eorum exigentibus sincere devotionis affectu et integra fide, quibus eandem Rom. ecclesiam revereri ostenderunt, gerimus in visceribus caritatis, favoribus gratiosis ac indulgentiarum remissionibus

prosequi cupientes: Volumus et apostolica auctoritate presentium tenore statuimus et ordinamus, quod ille ex Iacobo Rege, Episcopis, nec non Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Incolis et habitatoribus predictis, et aliis ad dictum Regnum confluentibus Christifidelibus utriusque sexus, tam ecclesiasticis quam secularibus eiusdem Regni, et cuiusvis alterius ibidem confluentes, qui vere penitentes et confessi a vigilia festi beatissime Trinitatis, usque ad octavam diem mensis Novembris proxime futurorum inclusive in eisdem Regis dominiis se reppererint, vel ex quavis causa ad ipsa dominia interim declinaverint, et maiorem ecclesiam Glasguensem, si cives Civitatis Glasguensis, per tres continuos vel interpolatos, si vero forenses fuerint, per unum diem saltem devote visitaverint, et ibidem ter septem psalmos penitentiales cum letaniis, aut sexagies dominicam orationem cum angelica salutatione devote dixerint, ac in subsidium sancte Cruciate, ac pro fidei orthodoxe exaltatione, et ipsius ecclesie Glasguensis subsidio, iuxta eorumdem et singulorum aliorum Christifidelium etiam utriusque sexus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis et preeminentie fuerint, qualitates et exigentiam, videlicet quorum bona ad valorem trecentorum florenorum auri de Camera, vel ad tricentas marchas Regni Scotie quinque, et quorum ad ducentos, sive ad ducentas marchas predictas tres, et quorum ad centum florenos sive marchas huiusmodi duos, quorum ad quinquaginta florenos sive marchas unum, et quorum non ad quinquaginta ascendunt, medium florenum, vel dimidiam marcham dent, et qui aliquam summam predictarum solvere non poterunt, iuxta facultatum suarum possibilitatem et conscientie arbitrium elemosinam, sive certam pecuniarum quantitatem, sive summam in archa sive capsa per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Glasguensem, et dilectos filios Archidiaconum ecclesie Glasguensis, ac officialem Glasguensem ad hoc deputandos in eadem ecclesia Glasguensi realiter et cum effectu in pecunia numerata pie erogaverint, vel etiam qui adeo pauperes extiterint, quod nichil penitus erogare possint, dummodo semel dumtaxat dictam ecclesiam iuxta formam superius datam, ut premittitur, devote visitaverint, eandem prorsus plenam anni predicti Iubilei indulgentiam et peccatorum remissionem, ac cum Altissimo reconciliationem omnimodam consequantur, quam consequerentur, si presenti anno Iubilei Romam proficiscerentur, et statuto quindecim dierum tempore Apostolorum Basilicas, et Lateranensem, ac beate Marie Maioris ecclesias Urbis predictas iuxta Pauli predecessoris prefati et nostram ordinationem predictam visitarent.

Et ut fideles ipsi huiusmodi indulgentie possint fieri participes, Episcopo et Archidiacono ac officiali predictis, quibus in hac parte plenam et liberam facultatem concedimus deputandi auctoritate nostra in dicta ecclesia Glasguensi eum numerum presbiterorum secularium, vel religiosorum ydoneorum, de quo eis et cuilibet ipsorum videbitur, ad audiendum eorumdem Christifidelium pro indulgentia huiusmodi consequenda ad ecclesiam ipsam Glasguensem, in qua deputati fuerint, confluentium confessiones, et illos amovendi, et loco ipsorum alios ponendi, et numerum primum augendi et diminuendi, secundum quod eis videbitur expedire, et eisdem presbiteris secularibus et religiosis, quos per Episcopum, Archidiaconum et officialem predictos ad id deputati fuerint, aut deputari contigerit usque ad (?) mensium predictorum proxime futurorum immediate sequentium, eorumdem fidelium confessione diligenter audita, pro commissis per ipsos fideles excessibus, criminibus et peccatis quibuslibet, etiam censuris ecclesiasticis tam a iure quam ab homine latis et inflictis, etiam si talia forent, propter que esset sedes apostolica merito consulenda, eis absolutionis beneficium impendendi, et penitentiam salutarem iniungendi, necnon acta per eos commissa quecunque in alia opera pietatis, aut in opus sancte Cruciate predicte commutandi, plenam et liberam auctoritate predicta tenore presentium concedimus facultatem.

Et ut illi, qui peregrinari, et ecclesiam predictam Glasguensem pro consequenda indulgentia huiusmodi commode et honeste visitare non poterunt, utpote infirmi, decrepiti, divinisque et humanis servitiis penitus mancipati, effectu non careant indulgentie memorate: Volumus, quod huiusmodi aut aliis quibusvis impedimentis ecclesiam ipsam Glasguensem visitare impediti, vere tamen penitentes et confessi, ubilibet psalmos et orationes predictas dicentes, et elemosinam, sive pecuniarum summam, et quotam huiusmodi iuxta formam predictam in capsa sive archa predicta, ut prefertur, poni facientes, eandem anni Iubilei huiusmodi indulgentiam consequantur, ac si ecclesiam ipsam Glasguensem personaliter visitarent, liceatque prefato Episcopo Glasguensi pro talibus impedimentis in singulis locis, de quibus sibi videbitur, confessores deputare ydoneos, qui erga impeditos eosdem eadem, qua alii confessores predicti erga visitantes dictam ecclesiam Glasguensem auctoritate funguntur, fungantur.

Rursus quia facile contingere posset aliquos dubitare, in quo genere personarum, de quibus supra expressum fuit, pro consequenda indulgentia predicta sint, et nonnullos esse dubios vel incertos, an eorum impotentia, infirmitas vel servitii occupatio sit adeo excusabilis, notabilis et legitima, quod iuxta premissa ad predictam visitationem faciendam astringi non debeant, ut indulgentiam huiusmodi consequantur, sed pro illa consequenda sufficiat eis quantitatem aliquam ex premissis iuxta eorum conditionem in dicta capsa seu archa poni facere: volumus et auctoritate prefata eisdem Epo Glasguensi concedimus per presentes, quod tam ipse, et cui vices suas super hoc in genere vel specie duxerit committendas, quam confessor, qui tales dubios et incertos predictos, ut prefertur, adierint, possint eis huiusmodi dubitationes, prout eorum statui et indemnitati, animarumque saluti et conscientie quieti ac paci salubrius expedire recognoverint, dilucidare et declarare,

ac si super visitanda ecclesia Glasguensi huiusmodi dubitarent, eosdem ad visitandam huiusmodi ecclesiam penitus impotentes existere, etiam declarare: Ita quod ipsi dubii et eorum animis incerti iuxta declarationem huiusmodi certiores efficere, quo ad effectum consecutionis indulgentie memorate, pro vere penitentibus et visitantibus, solvendo tamen prius aliquam ex summis sive taxis predictis modo premisso, habeant, Proviso, quod Confessor prefatus eisdem impedimentis loco visitationis huiusmodi alia iniungat opera pietatis, et ut oblationes huiusmodi fideliter conserventur, et illarum tertia pars in fabricam ecclesie predicte Glasguensis, residuum vero in fidei prefate subsidium huiusmodi, et non in aliam causam convertantur.

Volumus, quod Episcopus et Archidiaconus ac officiales predicti capsam sive archam predictam cum tribus clavibus clausam teneant, quarum quilibet eorumdem unam ab alia diversam penes se habeat, et quidquid ex dicta capsa sive archa extrahi continget, illud per fideles et boni nominis personas notari debeat, et ex collectis pecuniis huiusmodi ipsi ecclesie Glasguensi, in qua oblationes predicte facte fuerint, tercia parte dimissa, residuum in premissam sancte Cruciate causam dumtaxat convertendum sub pena excommunicationis late sententie, quam quascumque personas ipsas pecunias in alios quam supradictos usus convertentes ipso facto incurrere volumus, fideliter ad Cameram apostolicam predictam transmittere procurent: et si forsan super premissorum executione, et litterarum presentium interpretatione aliqua dubia exorirentur, eiusdem Episcopi Glasguensis, qui de mente et intentione nostra in premissis plene informatus existit, declarationi stare debere declaramus. Preterea quia difficile esset ipsas presentes litteras ad loca quecumque, in quibus expediens foret, deferre, volumus, quod earumdem litterarum transumpto duorum notariorum subscriptione, et dicti Episcopi sigillo munito eadem prorsus fides detur, que daretur presentibus litteris, si essent exhibite vel ostense. Presentibus post octavam diem Novembris minime valituris. Nulli ergo etc. nostri statuti, ordinationis, concessionis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXV. quarto Idus Februarii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCCLX.

Iohanni Stak episcopo Artfertensi innovantur litterae suae provisionis, datis eidem insuper conservatoribus contra suos molestatores. Reg. Tom. XXVIII. fol. 248.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Dignitatum omnium culmen etc. Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Pius papa II. predecessor noster de persona Venerabilis fratris nostri Iohannis Stak Episcopi, tunc Electi, ecclesie Artfertensis, tunc per obitum bone memorie Mauritii Epi Artfertensis pastoris solatio destituta, facta super vacatione dicte ecclesie per bone memorie Iacobum tituli sancte Anastasie presbiterum Cardinalem in consistorio secreto, ut moris est, relatione diligenti, de fratrum suorum consilio per suas litteras providerat, ipsumque Iohannem eidem ecclesie in Episcopum prefecerat et pastorem, curam et administrationem dicte ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: ipseque Iohannes super provisione et presentatione huiusmodi, litteris iuxta stilum Curie per omnia officia, etiam in Camera apostolica sufficienter expeditis, possessionem regiminis et administrationis dicte ecclesie acceperat, Venerabili fratre nostro Iohanne Pigg in universali ecclesia Epo, tunc in minoribus ordinibus constituto, falso referente, dictam ecclesiam adhuc per obitum prefati Mauritii vacare, idem predecessor provisionis et presentationis de persona dicti Iohannis Stak tunc immemor, ad falsam relationem huiusmodi Venerabili fratri nostro Philippo Episcopo Portuensi, tunc tituli sancti Laurentii in Lucina presbitero Cardinali, ut de vacatione dicte ecclesie, ac de meritis et ydoneitate prefati Iohannis Pigg se informaret, et in consistorio secreto referret, commisit: qui super hiis examinatis quampluribus testibus tunc, ut asserebatur, fidedignis, et alias in premissis exacta adhibita diligentia, quia testes predicti prefatam ecclesiam per obitum dicti Mauritii adhuc vacare, tacita provisione et presentatione dicti Iohannis Stak, deposuerant, idem Pius predecessor ad relationem dicti Philippi Episcopi prefate ecclesie Artfertensi tanquam vacanti de persona dicti Iohannis Pigg de fratrum eorumdem consilio duxit auctoritate apostolica providendum, preficiendo eundem Iohannem Pigg eidem ecclesie in Episcopum et pastorem: et successive dictus Iohannes Pigg, sua ambitiosa cupiditate frustratus, possessionem regiminis et administrationis dicte ecclesie, que revera non vacabat, minime assecutus vigore litterarum desuper confectarum, eidem Iohanni Stak Episcopo perturbationes et molestias accumulare satagens, certum procuratorem ad cedendum regimini et administrationi dicte ecclesie, falso asserens illi se preesse, constituit, qui postquam apostolico conspectui se presentavit, super cessione sua huiusmodi atque provisione de persona dilecti filii Philippi Stak, tunc in minoribus constituti, eidem ecclesie facienda, causam et examen Venerabili fratri nostro Guillelmo Episcopo Ostiensi per nos, aliter de premissis non informatos, committi obtinuit: et postquam dictus Guillelmus Episcopus in premissis adhibita diligentia, que in talibus adhiberi consuevit, et examinatis testibus, ac facto processu solenniter et diligenter, in consistorio secreto relationem fecit, ut moris est. Nos ad relationem veram cessionem predictam admittentes, de persona dicti Philippi Stak, tunc in minoribus constituti, de fratrum nostrorum consilio duximus auctoritate apostolica providendum, preficendo dictum Philippum eidem ecclesie, sic, ut presumebatur, vacanti, in Episcopum et pastorem, prout in diversis litteris tam dicti predecessoris, quam nostris desuper confectis hec omnia plenius continentur. Postmodum vero dictus Iohannes Stak Epus, qui per eundem Philippum in sua pacifica possessione

multipliciter perturbatus et molestatus extitit, et super molestationibus, perturbationibus et aliis premissis querelam coram nobis humiliter exponi fecit, Nosque causam doli et fraudis huiusmodi, et aliorum premissorum prefato Guillelmo Episcopo ad instantiam dicti Iohannis Stak Episcopi commisimus audiendam et fine debito terminandam, qui citationem ad partes contra dictum Philippum decrevit, que executioni demandata extitit. Et demum cum prefatus Iohannes Stak Episcopus nuper ad Romanam Curiam accesserit personaliter, nobisque alias de fraude Iohannis Pigg et Philippi predictorum, ac aliis premissis fidedignis relatibus innotuerit, volentes super hiis more pii patris, et prout ex officio pastorali nobis convenit, de salubri remedio providere, ipsumque Iohannem Stak Episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, et attendentes, quod dictus Iohannes Stak Episcopus prefate ecclesie longo tempore prefuit, et senio confectus existit, post deliberationem quam super hiis cum dictis fratribus nostris habuimus diligentem, litteras tam Iohannis Pigg, quam Philippi pretensarum provisionum et presentationum huiusmodi cum omnibus et singulis inde secutis auctoritate apostolica, et ex certa scientia revocamus, cassamus et annullamus, et tanquam per suppressionem veritatis, et expressionem falsitatis a nobis et dicto predecessore emanatas, immo verius extortas, nullius roboris vel momenti fuisse, et esse decernimus et declaramus, dictoque Philippo super hiis perpetuum silentium imponimus. Et nichilominus statum cause huiusmodi presentibus pro expresso habentes, illamque ad nos harum serie advocantes, et litem ipsam penitus extinguentes, provisionem et presentationem de persona dicti Iohannis Stak per dictum Pium predecessorem eidem ecclesie, ut premittitur, factas, et impensionem muneris consecrationis, et possessionis adeptionem, necnon collationes quorumcumque ordinum et sacramentorum quibusvis personis, alias tamen capacibus, et etiam collationes et provisiones quorumcumque Canonicatuum et prebendarum ac dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quibusvis personis per eundem Iohannem Stak Episcopum factas, ac omnia et singula inde secuta auctoritate apostolica et ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis approbamus, et viribus perpetuo subsistere debere decernimus per presentes, supplentes omnes et singulos defectus tam iuris quam facti, aut alterius cuiuscumque solennitatis, si qui forsan intervenerunt in eisdem. Preterea Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Cassellensi, et Limiricensi et Lismorensi Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se, ve laliam seu alios eidem Iohanni Stak Epo Artfertensi pro nostra et apostolice sedis reverentia efficacis defensionis auxilio assistentes, ipsumque in pacificam possessionem dicte ecclesie reducentes, reponentes et conservantes, non permittant ipsum Iohannem Stak per Philippum et quoscumque alios, quocumque nomine censeantur, etiam virtute litterarum apostolicarum super regimine et administratione dicte ecclesie, quoad vixerit, molestari, seu quomodolibet perturbari, facientes sibi nichilominus per Philippum et alios molestatores de omnibus et singulis damnis, iacturis, expensis et interesse eidem Iohanni Stak factis et irrogatis integre satisfieri. Contradictores etc. Invocato etc. Non obstante etc. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, revocationis, cassationis, annullationis, decreti, declarationis, impositionis, advocationis, extractionis, approbationis, suppletionis et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Idibus Martii M.CCCC.LXXV. Pontificatus nostri anno quinto.

DCCCLXI.

Episcopo Glasguensi, ut cum Iacobo Hamylton et Maria Stewart super matrimonio dispenset. Bullar. divers. Tom. VI. fol. 297.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Glasguensi, salutem etc. Oblate nobis pro parte Iacobi Hamylton laici, et dilecte in Christo filie Marie Stewart mulieris tue diocesis petitionis series continebat, quod olim Iacobus non ignorans, et Maria predicti ignorans se triplici tertio et quarto, ac simplici tertio affinitatis gradibus ex eo provenientibus, quod quondam Eufemia dum vixit ipsius Iacobi uxor, et dicta Maria tertio et quarto consanguinitatis gradibus sibi invicem attinebant, quodque idem Iacobus duas, quarum quelibet tertio et quarto, et unam aliam mulieres, que tertio consanguinitatis gradibus cum dicta Maria coniuncte erant, actu fornicario carnaliter cognoverat, invicem fore coniunctos, et quod dictus Iacobus cum quadam alia muliere prefate Marie tertio et quarto consanguinitatis gradibus attinente sponsalia contraxerat, matrimonium inter se per verba, alias legitime, de presenti publice in facie ecclesie contraxerunt, illudque carnali copula consumarunt, et prolem binam successive exinde procrearunt. Cum autem Iacobus et Maria predicti, obsistentibus affinitatis et publice honestatis iusticie ex premissis provenientibus impedimentis, in dicto matrimonio remanere nequeant, dispensatione apostolica super hoc non obtenta; et sicut eadem petitio subiungebat si divortium fieret, gravia inter consanguineos, affines et amicos eorumdem Iacobi et Marie scandala exoriri possent: pro parte Iacobi et Marie predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut dicto Iacobo de absolutionis debite beneficio a sententia excommunicationis, quam premissorum occasione incurrit, sibique ac eidem Marie de oportune dispensationis gratia providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui inter fideles singulos pacis et concordie commoda libenter procuramus, ac scandalis quantum cum deo possumus obviamus, ex premissis et certis aliis nobis expositis causis huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis

specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus eundem Iacobum, si hoc humiliter petierit, a prefata excommunicationis sententia auctoritate nostra, hac vice dumtaxat, absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis sibi inter cetera sub virtute iuramenti per eum prestandi, quod decetero talia non committat, nec ea committentibus prestabit auxilium, consilium vel favorem, necnon pro modo culpe, etiam occasione incestus huiusmodi, sibi et dicte Marie penitentia salutari, et aliis que de iure fuerint iniungenda, et nichilominus, si dicta Maria propter hoc rapta non fuerit, cum eisdem Iacobo et Maria, ut impedimentis predictis et quibusvis aliis, infra tamen tertium gradum inter eos forsan existentibus, non obstantibus in dicto matrimonio remanere libere et licite valeant, eadem auctoritate dispenses, susceptam predictam, et exinde suscipiendam prolem legitimam decernendo. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, septimo Kal. Maii, Pontificatus nostri anno quinto.

DCCCLXII.

Nuntio apostolico, ut de excessibus archiepiscopi Sancti Andreae inquirat et referat. Reg. Tom. XXXVII. fol. 109.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Huseman decretorum doctori, Decano ecclesie sancti Patrocli Suzaciensis Coloniensis diocesis, Notario et Nuntio et Commissario nostro, salutem etc. Etsi prelatorum subditorumque ordinis clericalis, quos antiquus hostis eo magis sollicitat, quo eorum vite et statui ardentius emulatur, excessus reprimere et castigatione debita punire exigente iusticia intendamus: ne tamen multorum clamor aut querela vulgaris premat, insontes viros, providos et discretos, litterarum scientia et virtutibus preditos ex multis electos pro inquirendis et verificandis obiectis ad diversas mundi partes, quemadmodum expedire conspicimus, destinare curamus, ut tandem veritate comperta suos pena complectantur auctores, et ipsorum exemplo delinquendi aditus ceteris precludatur. Dudum siquiquidem cum gravis Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris, ac dilectorum filiorum Capituli maioris ecclesie, Cleri quoque et Universitatis civitatis et diocesis Sancti Andree in Scotia adversus Venerabilem fratrem nostrum Patritium Archiepiscopum Sancti Andree super irregularitate, simonia, blasfemia, scandalo et aliis multis gravibus atque enormibus criminibus, excessibus et delictis per ipsum, ut ferebatur, hactenus perpetratis, quodque ipsius ecclesie et mense sue Archiepisopalis bona prodigaliter dilapidaret et dissiparet, et in huiusmodi criminibus perseveraret, in dies repetitis vicibus atque temporibus querela nobis delata fuisset, et humiliter supplicatum, ut super premissis indemnitati ecclesie, mense, Capituli, Cleri et Universitatis predictorum iustitie ministerio providere paterna diligentia dignaremur: Nos, qui etsi super premissis pro rerum et temporis qualitate sufficienter informati fuissemus, volentes tamen super eis effici certiores, dilectis filiis nostris Stephano tituli sancti Adriani, et Iohanni tituli sancte Praxedis presbiteris, et Francisco sancte Marie nove diacono Cardinalibus in secreto Consistorio nostro commisimus atque mandavimus, ut super premissis se summarie informarent, et que per informationem huiusmodi vera esse reperirent, in Consistorio simili nobis fideliter referre curarent. Qui quidem Cardinales super hiis fidedignorum ecclesiasticorum virorum attestationibus receptis, compertoque eundem Patritium Archiepiscopum super irregularitate et aliis delictis, criminibus et defectibus notatum fore, nec non desuper contra ipsum famam publicam laborare, demum nobis super hiis relationem fecerunt fidelem, Nosque indemnitati ipsius ecclesie, prout temporis qualitas exigebat, quantotius prospicere cupientes, de ipsorum et aliorum Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio Coadiutorem, cuius ope dicta ecclesia Sancti Andree preservaretur a noxiis, eidem Patritio Archiepiscopo dandum duximus ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum, et consistorialiter tribuendum, prout in aliis nostris inde confectis licteris plenius continetur. Verum quia tam Regis, quam Capituli, Cleri et Universitatis predictorum asserentium eiusdem Archiepiscopi insolentias, simonias, inquietationes, dementias atque molestias amplius equanimiter ferre non posse, absque suorum periculo animarum et scandalo plurimorum, querele graviores propterea non cessarunt, quinimo vigebant in dies: Nos attendentes, quod scupulo non caret societatis occulte, qui manifeste facinori desinit obviare, et ne delicta remaneant impunita, ac ut scandala a populo Dei submoveantur, et ceteris aliis similibus respersis excessibus cedat in exemplum, volentes nostri Creatoris, qui, descendam, inquit, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, imitari doctrinam, etiam ex debito officii nostri pastoralis, te, qui etiam noster et apostolice sedis Notarius existis, de cuius probitate, scientia, fidelitate, aliisque virtutibus gerimus in domino fiduciam specialem, ad Regnum Scotie pro inquirenda, discutienda et examinanda veritate premissorum aliorumque quorumcumque criminum, defectuum, excessuum, scandalorum et delictorum, nec non vite meritis et demeritis eiusdem Patritii, ac statu ecclesie supradicte, et aliis omnibus et singulis, que in premissis et circa ea inquirenda, discutienda et examinanda fuerint, cum plena et omnimoda potestate, iurisdictione et auctoritate qualibet oportuna presentialiter destinamus. Tu igitur commissum tibi onus inquisitionis huiusmodi prompta devotione suscipiens, ad Regnum predictum quantotius studeas te conferre, et habens pre oculis solum Deum, vocatisque dicto Patritio Archiepiscopo et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis omnibus et singulis, ac aliis instructionibus per nos tibi datis latius expressis, eorumque circumstantiis universis auctoritate nostra et sedis apostolice, etiam ex mero offitio, et si expediens fuerit, summarie, simpliciter et de plano,

sine strepitu et figura iudicii, sola veritate inspecta, inquiras diligentius veritatem, et que per inquisitionem huiusmodi repereris veritate subniti, per Notarium seu Notarios legales in scriptis fideliter redigi facias, eaque postmodum, dicta inquisitione completa, ac omnibus et singulis in premissis et circa ea rite peractis, ad nos seu successorem nostrum in eodem Consistorio referenda quantotius reportare procures, ut nos seu successor noster deinde una cum fratribus supradictis statui eiusdem ecclesie Sancti Andree, prout in Domino conspexerimus expedire, utiliter providere, ac eidem Patritio secundum quod iustitia suadebit, suis exigentibus demeritis, penam condignam infligere possimus. Ut autem inquisitionis negotium predictum, ac omnia alia et singula per nos tibi iniuncta celerius et commodius exequi et expedire valeas, Nos tibi eundem Patritium Archiepiscopum, atque omnes alios et singulos, quos negotium huiusmodi concernit, si tutus ad eos vel eorum aliquos non pateret accessus, per edictum publicum locis publicis affigendum, de quibus verisimilis coniectura existat, quod ad ipsorum citatorum notitiam verisimiliter pervenire valeat, citandi, monendi et requirendi, ac omnia alia et singula in premissis, et circa ea tibi commissa necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, statuendi, et exequendi, Contradictores quoque et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, eadem auctoritate compellendi, coercendi, ac etiam puniendi, auctoritate presentium plenariam et liberam tibi, quavis appellatione postposita, concedimus facultatem. Non obstante etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXVI. Nonis Decembris, Pontificatus nostri anno sexto.

DCCCLXIII.

Patricius archiepiscopus Sancti Andreae dignitate episcopali a pontifice privatur. Reg. Tom. XL. fol. 223.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Grave gerimus et molestum, cum sinistra nobis de quibusvis personis ecclesiasticis referuntur: sed in prelatorum excessibus eo gravius provocamur, quo damnabilius eorum culpe remanent incorrepte, cum trahatur a subditis facilius quod ab eis agitur in exemplum. Dudum siquidem cum gravis Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris, ac dilectorum filiorum Capituli ecclesie Clerique et Universitatis studii, ac populi civitatis et diocesis Sancti Andree in Scotia adversus Venerabilem fratrem nostrum Patritium Archiepiscopum Sancti Andree super irregularitate, simonia, blasfemia, scandalo et aliis multis gravibus atque enormibus excessibus et delictis per ipsum, ut ferebatur, hactenus perpetratis, quodque ipsius ecclesie et mense sue Archiepiscopalis bona prodigaliter dilapidaret et dissiparet, et in huiusmodi criminibus perseveraret, in dies repetitis vicibus atque temporibus querela nobis delata fuisset, et humiliter supplicatum, ut super premissis indemnitatibus ecclesie, mense, Capituli, Cleri, Universitatis et populi predictorum iustitie ministerio providere paterna diligentia dignaremur: Nos tunc etsi super premissis pro rei et temporis qualitate sufficienter informati fuissemus, nichilominus volentes super eis effici certiores, dilectis filiis nostris Stephano tituli sancte Marie in Transtyberim, et Iohanni tituli sancte Praxedis presbiteris, ac Francisco sancte Marie nove diacono Cardinalibus in secreto consistorio nostro commisimus et mandavimus, ut super premissis se summarie informarent, et que per informationem huiusmodi vera esse reperirent, in consitorio simili nobis fideliter referre curarent. Cumque Cardinales prefati, super hiis fidedignorum ecclesiasticorum virorum attestationibus receptis, nobis et aliis fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus in consistorio fideliter retulissent, reperire eundem Patritium Archiepiscopum super irregularitate, et aliis delictis, criminibus et defectibus notatum fore, necnon desuper contra ipsum famam publicam laborare: ut indemnitati ipsius ecclesie, prout temporis qualitas exigebat, quantocius prospiceremus, de ipsorum et aliorum fratrum nostrorum predictorum consilio dilectum filium Guillelmum Schenes Archidiaconum dicte ecclesie coadiutorem, cuius ope dicta ecclesia Sancti Andree preservaretur a noxiis, eidem Patritio Archiepiscopo per quasdam dandum duximus ad nostrum et sedis apostolice beneplacitum. Et quia tam Regis quam Capituli, Cleri et populi ac Universitatis predictarum asserentium eiusdem Archiepiscopi insolentias, simonias, inquietationes atque molestias amplius equanimiter ferre non posse, absque suorum periculo animarum et scandalo plurimorum, querele graviores propterea non cessabant, quinimmo vigebant in dies: Nos tunc attendentes, quod scrupulo non caret societatis occulte, qui manifesto facinori, cum possit, desinit obviare, ne delicta huiusmodi remanerent impunita, ac ut scandala a populo dei summoverentur, et ceteris aliis similibus respersis excessibus illius provincie cederet in exemplum, nostri creatoris, qui, descendam, inquit, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, imitando doctrinam, ex debito nostri pastoralis officii dilectum filium Magistrum Iohannem Husman Decanum ecclesie sancti Patrocli Susaciensis Coloniensis diocesis, Decretorum Doctorem, Notarium nostrum, de cuius probitate, scientia, fidelitate, aliisque virtutibus gerebamus, prout gerimus, in domino fiduciam specialem, ad Regnum Scotie pro inquirenda, discutienda et examinanda veritate premissorum aliorumque quorumcumque criminum, defectuum, excessuum, scandalorum et delictorum, necnon vite meritis et demeritis eiusdem Patritii, ac statu ecclesie supradicte, et aliis omnibus et singulis, que in premissis et circa ea inquirenda, discutienda et examinanda fuerint, cum plena et omnimoda potestate, iurisdictione et auctoritate quomodolibet oportuna destinavimus, eique mandavimus per alias nostras litteras, ut commissum sibi onus inquisitionis huiusmodi prompta devotione suscipiens, ad Regnum predictum quantocius studeret

se conferre, et habens pre oculis solum Deum, vocatisque dicto Patritio Archiepiscopo, et aliis qui fuerant evocandi, super premissis omnibus et singulis ac aliis instructionibus per nos sibi datis latius expressis, eorumque circumstantiis universis auctoritate nostra et sedis apostolice, etiam ex mero officio, et si expediens foret, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola veritate inspecta, inquiret diligentius veritatem, et que per inquisitionem huiumodi repeririet veritate subniti, per Notarium seu Notarios legales in scriptis fideliter redigi faceret, eaque, postmodum dicta inquisitione completa, ac omnibus et singulis in premissis et circa ea rite peractis, ad nos in eodem consistorio referenda quantocius reportare procuraret, ut nos deinde una cum fratribus supradictis statui eiusdem ecclesie Sancti Andree, prout in Domino conspiceremus tunc expedire, utiliter providere, ac eidem Patritio, secundum quod iustitia suaderet, suis exigentibus demeritis, penam condignam infligere possemus. Et ut ipse Decanus inquisitionis negotium predictum, ac omnia alia et singula per nos sibi iniuncta celerius et commodius exequi et expedire valeret, sibi omnia et singula in premissis et circa ea sibi commissa necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, statuendi, decernendi et exequendi plenariam et liberam, quavis appellatione postposita, concessimus facultatem, prout in singulis litteris predictis plenius continetur. Postmodum vero prefatus Decanus et Notarius noster ad Regnum predictum se contulit, et iuxta sibi per nos factam commissionem et instructiones predictas, postquam super premissis diversos tractatus et colloquia cum prefato Patritio personaliter habuisset, super huiusmodi delictis et aliis quamplurimis gravibus et enormibus criminibus, excessibus et delictis per eundem Patritium commissis, et de quibus ipse Patritius erat publice diffamatus, contra eundem Patritium ad inquisitionem descendit, et super singulis ipsius inquisitionis capitulis eundem Patritium interrogavit, et ut veritatem repeririet, servatis omnibus terminis substantialibus et aliis que fuerunt observanda, testes quamplurimos desuper examinavit, instrumenta et iura ad premissorum liquidationem facientia perquisivit, responsiones et assertiones eiusdem Patritii, dicta et attestationes testium per eum examinatorum, ut prefertur, instrumentorum huiusmodi tenores, et quecumque per eum gesta in premissis et circa ea in publicam formam manu publicorum et autenticorum Notariorum redigi fecit, ac demum requisito dicto Archiepiscopo, an aliquid ultra dicere et allegare et coram eo producere, et in huiusmodi processu inseri vellet, eoque monito, ut infra tunc expressum per ipsum Decanum sibi prefixum terminum competentem per se, vel suum legitimum procuratorem nostro conspectui se presentaret, visurus per nos in causa et causis huiusmodi ad ulteriora, etiam ad diffinitivam sententiam procedi, processum ipsum clausit et sigillavit, illumque sic clausum et sigillatum ad Romanam Curiam detulit, et nobis fideliter presentavit, Nosque tunc Venerabili fratri Guillelmo Episcopo Ostiensi Camerario nostro, et prefatis Stephano et Francisco Cardinalibus commisimus, ut processum huiusmodi aperirent, et illius ritum et ordinem, ac que in eo continebantur, nobis in consisterio referrent. Qui vocato dicto Patritio per audientiam litterarum contradictarum, processum ipsum aperuerunt, et cuncta in illo contenta diligentissime et accurate rimantes, que in eo continebantur, fideliter retulerunt, constatque liquido ex processu huiusmodi et contentis in eo, eundem Patritium ecclesiam Sancti Andree predictam male, detestabiliter et minus debite gubernasse, et erga illius subditos ecclesiasticos et seculares, colonos quoque et redditarios, necnon doctores, magistros, et scolares universitatis Sancti Andree nimia sevitia tirannice usum fore, et proinde illorum et dicte ecclesie statum plurimum lesisse et annichilasse, litteras nostras apostolicas ausu temerario rasisse et falsificasse, mandata nostra apostolica sprevisse, illisque obedire, ut tenebatur, publice et expresse recusasse, censuras ecclesiasticas in eum diversimode latas et rite promulgatas contempsisse, et illis ac diversis aliis excommunicationum, suspensionum et interdicti sententiis innodatum in illarum et clavium ecclesie contemptum missas, etiam trinas singulis diebus, celebrasse quasi per annum, in illisque insorduisse, et insordescere de presenti, irregularitatem contrahendo, simonie labem sepius et diversimode cum diversis personis, et circa diversorum beneficiorum collationes commisisse, maledicentia quoque, opprobria, detractiones, blasphemias et iniuriosa verba contra hanc sacrosanctam sedem et auctoritatem nostram apostolicam, etiam in dicti Decani iudicis et commissarii presentia, tam iudicialiter quam extra, multis et notabilibus personis astantibus, sepe et sepius protulisse, se ipsum papam a Deo electum, et ab angelo ad reformandam ecclesiam coronatum falso et turpiter ac crudeliter appellando, et quod peius est, pro tali etiam sese de facto gerendo et reputando, et ad ea, que nobis et huiusmodi sancte sedi dumtaxat in signum specialis preeminentie resumpta sunt, manus temere extendendo, legatos scilicet, ut ipse asserit, ad diversas mundi partes destinando, ac prothonotarios creando, ecclesie Rossensi in partibus illis tunc vacanti de persona cuiusdam Iacobi Werk asserti presbiteri, dilecti filii Comitis Insularum Capellani, providendo, indulgentias quoque per nos et predecessores nostros, asserens illas ob questum pecuniarum concessas, preter eas, que ad festum corporis Christi concesse existunt revocando, et hiis similia dicendo et faciendo heresis et scismatis crimina diversimode contraxisse, et periurii reatum incurrisse, aliaque quamplurima gravissima et nefanda excessus et crimina perpetrasse, et in hiis omnibus pertinacem, obstinatum et incorrigibilem esse, obdurare et persistere, ac super illis in partibus illis publice notatum et diffamatum, ac ulterius sine magno scandalo cleri et populi in prelatura dicte ecclesie Sancti Andree tolerari non posse. Nos igitur attenden-

tes, quantum ex hiis nostro et apostolice sedis honori ac Archiepiscopali dignitati et ordini, non sine damnanda exempli pernicie, derogetur, licet pro premissis Patritium predictum secundum penas iuris communis, et canonicas sanctiones depositum degradatumque Curie possemus et deberemus tradere seculari, et aliis in eum gravioribus penis adnimadvertere, iuris tamen rigorem misericordia, mansuetudine, ac apostolice sedis pietate temperantes, divino succensi zelo, de referentium et aliorum fratrum nostrorum predictorum consilio et assensu prefatum Patritium hereticum, scismaticum, falsarium, simoniacum et irregularem, blasphemum et excommunicatum, periurum, aliisve criminibus predictis irretitum Archiepiscopali dignitate prefate ecclesie Sancti Andree, ac ecclesia ipsa, illiusque in spiritualibus et temporalibus regimine et administratione, ac commendis quibuscumque, omni quoque pontificali, sacerdotali, ac aliorum sacrorum ordinum dignitate, executione et officio auctoritate apostolica presentium tenore privamus et deponimus, ac amovemus realiter ab eisdem, prefatosque Capitulum, Clerum et populum civitatis et diocesis predictarum, necnon spirituales personas earumdem, universos quoque cuiuscumque gradus, religionis, seu dignitatis existunt, ac vassallos dicte ecclesie Sancti Andree ab omni eidem Patritio debita obedientia, fidelitate et iuramento dicta auctoritate absolvimus et liberamus, ac eidem Patritio, ne de cetero pro Archiepiscopo Sancti Andree et persona pontificali officio fungente se gerat, ac Capitulo, Clero et populo prefatis et aliis quibuscumque, ne ipsum Patritium iam pontificali officio privatum in Archiepiscopum Sancti Andree habeant, teneant, aut reputent, seu nominent, neve illi tanquam Archiepiscopo et pontificali officio fungenti obediant vel assistant, sub excommunicationis late sententie pena, motu, scientia et auctoritate predictis districte precipiendo mandamus, eundemque Patritium, ne in opprobrium Archiepiscopalis dignitatis et pontificalis officii, a quibus depositus est, per civitates et Curias Principum aut loca alia vagabundus et profugus vadat, aut turbas concitandi, vel scandala suscitandi facultatem habeat, sed de premissis et aliis suis excessibus ac peccatis penitentiam agat, ad standum perpetuo in aliquo monasterio, vel alio loco sub perpetua clausura eisdem motu, scientia et auctoritate, ac de eorumdem fratrum consilio condemnamus. Et ne Capitulum, Clerus, populus et Vassalli prefati valeant de premissis ignorantiam allegare, Venerabilibus fratribus nostris Brechinensi et Archadensi Episcopis, ac dilecto filio Cancellario ecclesie Aberdonensis per hec apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios presentes litteras publicent et insinuent in universa diocesi et provincia Sancti Andree. Contradictores etc. Nulli ergo etc. nostre privationis, depositionis, admonitionis, absolutionis, liberationis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXVII. quinto Idus Ianuarii, Pont. nostri anno septimo.

DCCCLXIV.

Hospitali ecclesiae de Lesuarde (alias Lessuarde) S. Andreae dioecesis quaedam indulgentiae conceduntur. Reg. Tom. XLII. fol. 127.

Sixtus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet ex debito summi pontificis offitii nobis desuper iniuncti circa piorum locorum profectus nos deceat intentos existere: hospitalium tamen, et ad illa confluentium, et de bonis sibi a Deo collatis pie erogantium, ac in eis decedentium pauperum et aliarum personarum omnium commodo et utilitati tanto nos potioribus studiis insistere convenit, quanto ipsorum pauperum miserabili conditione pensata, id eis et confluentium eorumdem animarum saluti in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Magister Robertus Blakadir Rector parrochialis ecclesie de Lesuard Sancti Andree diocesis, Notarius noster, apud ecclesiam ipsam ordinare intendat unum hospitale in honorem omnipotentis Dei et beate Marie Virginis pro receptione pauperum infirmorum, languidorum et aliorum miserabilium personarum ad illud pro tempore confluere volentium, et iam desuper a nobis per alias nostras litteras licentiam obtinuerit, sintque ad constructionem et conservationem hospitalis huiusmodi, et hospitalitatis in eo Christifidelium suffragia plurimum oportuna: Nos cupientes, ut fideles ipsi ecclesiam predictam eo libentius congruis frequentent honoribus, et ad hospitalis constructionem et conservationem, observandamque in eo hospitalitatem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo exinde inibi dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam predictam a vesperis vigilie proxime futuri festi Assumptionis eiusdem Virginis Marie, usque ad vesperas diem festum ipsum immediate sequentis devote visitaverint, et ad constructionem dicti hospitalis, hospitalitatemque inibi observandam iuxta suorum confessorum consilium manus porrexerint adiutrices, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam, ac cum Altissimo reconciliationem, quam consequi poterant visitantes Apostolorum predictorum et alias Urbis Basilicas in Anno Iubilei proxime decurso, misericorditer in Domino elargimur: et ut confluentes prefati ad predictam ecclesiam pro huiusmodi indulgentia consequenda, et etiam in eodem hospitali pro tempore decedentes conscientie pacem et animarum suarum salutem, Deo propitio, facilius consequi valeant, eidem Roberto, et pro tempore existenti Rectori dicte ecclesie deputandi aliquos presbiteros seculares, vel quorumvis ordinum religiosos scientia, moribus, etate et munditia ydoneos in sufficienti numero, de quo eis videbitur, et deputatos amovendi, ac alios eorum loco suffragandi totiens quotiens eis videbitur, qui sic deputati durante tempore indulgentie predicte et quatuor diebus immediate precedentibus confluentium ad eandem ecclesiam pro huiusmodi indulgentia conse-

quenda apud illam, preterquam in casibus sedi apostolice reservatis, necnon unum alium presbiterum secularem vel religiosum, etiam ydoneum, ut prefertur, qui pro tempore decedentium in dicto hospitali, confessionibus diligenter auditis, pro commissis per eos quibuscunque criminibus, excessibus et delictis, etiam si talia forent, propter que sedes predicta esset merito consulenda, ac ab omnibus censuris et penis ecclesiasticis, quas quomodolibet incurrissent, eisdem confluentibus de absolutionis beneficio provideant, et decedentibus plenam, quam consequi poterant anno predicti Iubilei visitantes Basilicas predictas Urbis, indulgentiam et remissionem, ac cum Altisimo reconciliationem impendant, et penitentiam iniungant salutarem, facultatem concedimus, presentibus quo ad visitantes decurso dicto sequenti die post proximum festum predictum minime, quo autem ad decedentes in hospitali predicto perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si visitantibus dictam ecclesiam, aut ad dicti hospitalis constructionem, et illius ac hospitalitatis in eo conservatione huiusmodi manus porrigentibus adiutrices, et decedentibus inibi, aut alias aliqua alia indulgentia inibi imperpetuum vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes nostre lictere nullius existant roboris vel momenti. Quodque illa, que visitantes prefatam ecclesiam pro consequenda indulgentia predicta eidem ecclesie obtulerint, pia suffragia per unum per Robertum, et aliud per fructuum et proventuum Camere Apostolice in partibus illis debitorum Collectorem, seu per Cameram ipsam deputandos probos viros ecclesiasticos fideliter colligantur, et illorum tertia pars per eundem Collectorem seu per Cameram duputandum Camere prefate in fide Catholice subsidium contra Turchos exponenda transmictatur: residuum vero in utilitatem dicti hospitalis, prout prefato Roberto expedire videbitur, et non aliam causam omnino convertatur. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXVIII. pridie Nonas Aprilis, Pont. nostri anno septimo.

DCCCLXV.

Erigitur prope ecclesiam parochialem de Lesuarde Sancti Andreae dioecesis hospitale sub invocatione beatae Mariae Consolationis de Lesuarde. Reg. Tom. XLI. fol. 124.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancte Romane ecclesie, quam Dei filius Ihesus Christus auctor ipse pietatis instituit, regimini presidentes, pia et salubria fidelium vota, per que Christi pauperibus et egenis miserabilibusque personis subveniri conspicimus, pii patris affectione prosequimur. Sane pro parte dilecti filii Magistri Roberti Blakadir rectoris parrochialis ecclesie de Lesuarde Sancti Andree diocesis, Notarii nostri, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse proposuit apud ecclesiam predictam, quam inter alia obtinet, ordinare unum hospitale ad honorem omnipotentis Dei et beate Marie Virginis, sub invocatione beate Marie Consolationis de Lessuarde, pro pauperibus, peregrinis, infirmis, languidis et aliis miserabilibus personis ad illud declinare volentibus inibi recipiendis. Quare pro parte dicti Roberti nobis fuit humiliter supplicatum, ut ei ordinandi ibidem hospitale huiusmodi, et que necessaria fuerint pro conservanda hospitalitate in illo, licentiam et facultatem concedere, et quod ipse et pro tempore existens Rector dicte ecclesie annis singulis de ipsius ecclesie fructibus, redditibus et proventibus, qui centum et quinquaginta librarum monete illarum partium valorem annuum, ut idem Robertus asserit, transcedunt, viginti libras similes dicto hospitali et illius pro tempore Rectori pro servanda inibi hospitalitate decenti et divini cultus in cappella seu ecclesia dicti hospitalis conservatione et augmento solvere teneatur, statuere et ordinare, ac ipsum hospitale cum hactenus ad illius opus oblatis, et que acquiri continget imposterum, bonis, fructibus, redditibus et proventibus ac pauperibus, servitoribus, cappellanis et ceteris ministris eius, qui pro tempore erunt, sub nostra et apostolice sedis protectione suscipere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur pium et laudabile, ac apud Deum meritorium dicti Roberti, qui apud nos et sedem apostolicam orator per Carissimum in Christo filium nostrum Iacobum Scotorum Regem Illustrem destinatus existit, propositum predictum plurimum in Domino commendantes, huismodi supplicationibus inclinati, dicto Roberto construi et edificari faciendi unum hospitale huiusmodi apud dictam ecclesiam, in loco ad hoc apto et ydoneo sub invocatione predicta beate Marie Consolationis de Lesuarde pro pauperibus, infirmis, peregrinis, languidis, et aliis miserabilibus personis ad illud declinare volentibus inibi recipiendis, et que eidem Roberto necessaria seu quomodolibet oportuna videbuntur, pro prospero et felici regimine hospitalis eiusdem et hospitalitate inibi servanda, eiusve perpetuatione statuendi et ordinandi, ac per eum pro tempore statuta et ordinata modificandi, mutandi, et ex toto cassandi, totiens quotiens sibi videbitur, auctoritate apostolica presentium tenore licentiam concedimus et etiam facultatem: ac quod ipse Robertus, et qui pro tempore ecclesiam predictam obtinebit, de ipsius ecclesie fructibus, redditibus et proventibus predictis viginti libras monete predicte hospitali et illius administratori seu rectori predictis annuatim solvere teneatur in premissas causas convertendas, eadem auctoritate statuimus et ordinamus, ipsumque hospitale cum eisdem acquisitis et acquirendis bonis, fructibus, redditibus et proventibus, ac pauperibus, servitoribus, cappellanis et ceteris ministris eius, qui pro tempore erunt, sub beati Petri et sedis predicte protectione eadem auctoritate recipimus, et a quorumcumque superioritate et iurisdictione prefata auctoritate penitus et omnino eximimus, ac totaliter liberamus, ita quod etiam ratione delicti, vel contractus, aut rei de qua agetur, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipsa consistat, coram alio quam sede prefata et eius delegatis, ac presentium litterarum executoribus nequeant conveniri. Non obstan-

tibus felicis recordationis Innocentii pape IIII. predecessoris nostri, que incipit: Volentes, et aliis apostolicis constitutionibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre concessionis, constitutionis, ordinationis, receptionis, exemptionis et liberationis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXVII. quinto Idus Martii, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCCLXVI.

Dantur executores et conservatores hospitali B. Mariae de Lesuarde nuper erecto. Reg. Tom. XLI. fol. 126.

Sixtus episcopus etc. Dilectis filiis Archidiacono Landavie maioris, et beate Marie ac sancti Salvatoris Prepositis ecclesiarum Sancti Andree, salutem etc. Hodie dilecto filio Magistro Roberto Blakadir Rectori parrochialis ecclesie de Lesuarde Sancti Andree diocesis, Notario nostro, construi et edificari faciendi apud predictam ecclesiam unum hospitale sub invocatione beate Marie Consolationis de Lesuarde pro pauperibus, infirmis, peregrinis, languidis et aliis miserabilibus personis ad id declinare volentibus inibi recipiendis, et que eidem Roberto necessaria seu quomodolibet oportuna viderentur, pro prospero et felici regimine hospitalis eiusdem, et hospitalitate inibi servanda eiusve perpetuatione statuendi et ordinandi, ac per eum pro tempore statuta et ordinata modificandi, mutandi et ex toto cassandi, totiens quotiens sibi videretur, facultatem sibi concessimus: ac quod dictus Robertus, et qui pro tempore ecclesiam predictam obtineret, de illius fructibus, redditibus et proventibus viginti libras monete illarum partium hospitali predicto, et illius Rectori pro tempore existenti annuatim solvere teneretur in premissas causas convertendas, statuimus et ordinavimus, ac ipsum hospitale cum ei acquisitis et acquirendis bonis, fructibus, redditibus et proventibus, ac pauperibus, servitoribus, capellanis et ceteris ministris eius, qui pro tempore essent, a quorumcumque superioritate et iurisdictione penitus et omnino exemimus, ita ut dumtaxat coram sede apostolica et eius delegatis, aut nobis et non aliis possent conveniri, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios premissa, ubi et quando expedierit, et super hoc fueritis requisiti, solemniter publicantes, faciatis eidem hospitalis eiusque Rectori viginti libras huiusmodi per Robertum et successores predictos integre persolvi, et etiam assignari, ac que dictus Robertus duxerit ordinanda circa dictum hospitale inviolabiliter observari perpetuis futuris temporibus, necnon hospitale ipsum cum predictis bonis, fructibus, redditibus et proventibus, ac pauperibus, servitoribus, cappellanis et ceteris ministris eius, ut prefertur, exemptis, qui pro tempore erunt, exemptione huiusmodi pacifice gaudere, non permittentes eos contra dicte exemptionis tenorem per quoscumque indebite molestari, movendasque contra eosdem sic exemptos causas quascumque pro tempore per quoscumque audiatis, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem etc. Non obstantibus omnibus, que in dictis litteris volumus non obstare, aut si quibusvis communiter vel divisim a sede prefata indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mensionem. Contradictores etc. Datum ut supra.

DCCCLXVII.

Ecclesiae sancti Salvatoris Sancti Andreae dioecesis adiungitur canonicatus cum praebenda in ecclesia parochiali de Lesuarde erigenda. Reg. Tom. XLI. fol. 123.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Cunctis orbis ecclesiis, disponente Domino, presidentes, circa illarum, presertim Collegiatarum, statum et decorem libenter intendimus, easque sic cupimus utilis nostre provisionis ope dirigi, quod ecclesie ipse, auctore Domino, felicibus proficiant incrementis. Sane pro parte dilecti filii Magistri Roberti Blakadir Rectoris parrochialis ecclesie beate Marie de Lesuarde Sancti Andree diocesis, Notarii nostri, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod si in ecclesia sancti Salvatoris Sancti Andree, ultra numerum Canonicatuum et prebendarum in eadem existentium, unus Canonicatus et ex dicta parrochiali ecclesia una prebenda erigerentur, sibique conferrentur, ac statueretur, quod illos pro tempore obtinens de ipsius parrochialis ecclesie in prebendam erecte fructibus, redditibus et proventibus masse communi quotidianarum distributionum dicte ecclesie sancti Salvatoris quinque marcas monete Scotie anno quolibet solvere teneretur, et quod nullus Canonicatum et prebendam predictos, cum in futurum alias quam per ipsius Roberti resignationem simplicem, vel ex causa permutationis, si de illis sibi provideatur, vacabunt, obtinere possit, nisi in altero iurium doctor aut licentiatus foret, id ad decorem et venustatem ipsius ecclesie s. Salvatoris cum divini cultus augmento cederet. Quare pro parte dicti Roberti nobis fuit humiliter supplicatum, ut Canonicatum et prebendam huiusmodi in ipsa ecclesia sancti Salvatoris erigere, et quod illos pro tempore obtinens quinque marcas monete huiusmodi dicte mense communi distributionum annuatim persolvere, per doctorem seu licentiatum in altero iurium dumtaxat obtinendas, possint, statuere et ordinare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum quarumlibet decorem et venustatem adaugeri intentis desideriis affectamus, huiusmodi prefati Roberti, qui etiam per Carissimum in Christo filium nostrum Iacobum Scotorum Regem Illustrem ad nos et sedem predictam orator destinatus, et ut asserit, de nobili genere ex utroque parente procreatus existit, supplicationibus inclinati, in dicta ecclesia sancti Salvatoris

unum Canonicatum, et ex dicta parrochiali ecclesia ac omnibus iuribus et pertinentiis suis unam prebendam auctoritate apostolica tenore presentium erigimus et creamus, et quod illos pro tempore obtinens quinque marcas monete predicte prefate communi mense de illarum fructibus, redditibus et proventibus annis singulis solvere teneatur, nullusque in futurum illos, cum alias quam per resignationem simplicem, aut ex causa permutationis prefati Roberti, si sibi, de illis, ut intendimus, provideri contingat, vacaverint, obtinere possit, nisi in altero iurium doctor aut licentiatus fuerit, eadem auctoritate statuimus et ordinamus. Non obstante felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etc. Nulli ergo etc. nostre erectionis, creationis, cautionis et ordinationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXVII. sextodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo.

DCCCLXVIII.

Roberto Blakadir canonicatus cum praebenda in ecclesia de Lesuarde nuper erecta confertur. Reg. Tom. XLI. fol. 127.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Roberto Blakadir Canonico ecclesie s. Salvatoris Sancti Andree, Notario nostro, salut. etc. Grata devotionis obsequia, que nobis hactenus impendisti, et adhuc solicitis studiis impendere non desistis, necnon vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam etiam fidedignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas, ceteraque beneficia ecclesiastica apud sedem apostolicam vacantia, et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum Canonicatus et de Lesuarde nuncupata prebenda, ex parrochiali ecclesia B. Marie de Lesuarde, quam tunc obtinebas, ad tui supplicationem per nos hodie erecta prebenda ecclesie sancti Salvatoris Sancti Andree, ab ipsorum erectione apud sedem predictam vacaverint, et vacent ad presens, nullusque de illis preter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis: Nos volentes tibi, qui, ut asseris, de nobili genere ex utroque parente procreatus, et per Carissimum in Christo filium Iacobum Scotorum Regem Illustrem orator ad nos et sedem predictam destinatus existis, premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, teque a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, nec non omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores, ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus quadragintaquinque librarum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, sic a sui erectione, ut prefertur, vacantes cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam etc. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, collationis, provisionis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXVII. XVI. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo.

De e. ar. Decano et Archidiacono Dunkeldensis, ac Preposito beate ..... Sancti Andree ecclesiarum.

DCCCLXIX.

Episcopo Artfertensi conservatores contra quosdam nobiles suae dioecesis bona episcopatus invadentes conceduntur. Bull. divers. Tom. XI. fol. 470.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Effrenata insolentia perversorum nesciens abstinere a vetitis, nec debito modo gaudere concessis, offitium excitat presidentis ad debita antidota preparanda, per que eius salubri provisione illi eorum temerariis ausibus omnino repressis, et alii ipsorum exemplo perterriti per semitam mandatorum incedere, ac in lege Domini meditare studeant, nec non coepiscoporum nostrorum, quos pastoralis offitii solicitudo continua perurget, indemnitatibus, prout decens et congruum est, salubriter consulatur. Nuper siquidem non sine grandi mentis nostre displicentia ad nostrum pervenit auditum, quod licet Venerabilis frater noster Philippus Episcopus Artfertensis, qui regimini et administrationi ecclesie Artfertensis preesse dinoscitur, in regimine et administratione predictis cum summa integritate et honestate, singulaque mature et graviter disponendo, exemplarem vitam exhibendo, iustitiam ministrando, subditorum mores reformando, excessus reprehendendo, iura et iurisdictiones ecclesie sue defendendo, conservando et ampliando, ac saluti animarum populi sibi commissi invigilando, et alia multa bona opera in Dei honorem continuo exhibendo se commendabiliter habuerit et habeat, ita quod coram Deo et in conspectu hominum laudem et commendacionem plurimam promereri noscatur: tamen quidam iniquitatis filii et filie, et presertim Iacobus Comes Dessimonie, et Thadeus princeps etiam Dessimonie et Donaldus eius frater, ac Thomas Fismoris Capitaneus de Fismoris, necnon Edmundus et Robertus ac Iohannes eiusdem Thome filii, et Iohannes Ochomichuri Capitaneus de Ochomichur, et Cornelius eius filius, necnon Iohannes de Geraldinis miles de Cherrigia, ac Mauricius et Nicolaus, necnon Richardus et Edmundus et Gerardus, necnon

Iacobus dicti Iohannis de Geraldinis nati, et David Macnicsayn de Geraldinis, et Io. de Mura et Iohannes eius filius, ac Odo Ocharin et Richardus eius filius, ac Thadeus Odonochu Capitaneus de Odonuchu, nec non Ochaynus Capitaneus de Ochayn, ac Auora Thadei, et Morina Donaldi Dessimonie, et Auora Thome ac Iohanna Iohannis Ychonuchuyn, ac Helena Iohannis de Geraldinis, et Iohanna de Mauritii, ac Elina David, et Elina Iohannis de Mura, necnon Elena Odonis prefatorum respective uxores, necnon singulorum predictorum fratres et filii, eorumque adherentes et sequaces et complices, fructus, redditus et proventus mense Ep̄alis Artfertensis occuparunt et detinuerunt, prout occupant et detinent de presenti indebite, ac fecerunt et faciunt, ac facturi et operaturi formidantur coniectura verisimili, quominus idem Philippus Episcopus regiminis et administrationis ac bonorum et iurium dicte ecclesie liberam, quietam et pacificam possessionem assequi, et illam continuare possit. Nos itaque attendentes, quod si in reprimendis transgressorum insolentiis nervus ecclesiastice discipline tepescat, eorum voluntas sit laxior et pronior ad peccandum, et exemplum impunitatis periculosius in alios derivatur, transgressorum predictorum temerarios ausus refrenare, et ut idem Philippus Episcopus pacificam possessionem regiminis et administrationis dicte ecclesie, ac bonorum eiusdem assequi et continuare valeat, providere cupientes, equitate et iustitia nobis id suadentibus, omnes et singulos supradictos occupatores, et occupatrices et impedientes, et alias utriusque sexus tam ecclesiasticas, etiam ordinum quorumcumque Mendicantium regulares, quam laicales personas, cuiuscumque status, gradus, ordinis, nobilitatis, preeminentie vel conditionis existant, etiam si Archiep̄ali, Episcopali, Ducali, vel quavis ecclesiastica seu mundana prefulgeant dignitate, ubicumque existant, quorum nomina et cognomina haberi volumus presentibus pro expressis; arrendatarios preterea et feudatarios, vassallos, emphiteotas, censuarios et reddituarios mense Episcopalis Artfertensis, ac eius possessionum et bonorum quorumcumque colonos, fictuarios seu conductores, ac ipsorum procuratores, ad quorum notitiam presentes littere per earum insinuationem, vel etiam per famam publicam pervenerint, sub infrascriptis sententiis, censuris et penis, quas eo ipso, quo contrafecerint, se noverint incursuros, auctoritate apostolica tenore presentium requirimus et monemus, eisque in virtute sancte obedientie districtius precipiendo mandamus, quatenus ipsi et eorum quilibet infra triginta dierum spatium post habitam de presentibus notitiam computandorum, quorum decem pro primo, decem pro secundo, et reliquos decem dies pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica eis et eorum cuilibet assignamus, Artfertensem ecclesiam eiusque regimen et administrationem, illiusque bona, iurisdictiones et iura quecumque cum fructibus inde perceptis prefato Philippo Episcopo, vel eius procuratori legitimo integre et libere, omni excusatione et exceptione semotis, dimittant, illorumque possessionem vacuam et expeditam consignent; occupatores vero et detentores ac impedientes nominatos et alios quoscumque quorumcumque bonorum mobilium et immobilium ac iurium mense Episcopalis Artfertensis prefate, et raptores fructuum et proventuum eorumdem, ut illa eidem Philippo Ep̄o vel dictis procuratoribus restituant, et scientes revelent, ac prestantes illis ad premissa auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte a prestatione auxilii et favoris huiusmodi realiter et cum effectu desistant, alioquin dicto termino elapso in eos, qui quomodolibet culpabiles fuerint in premissis, ac monitioni et mandatis nostris huiusmodi non paruerint, ex nunc prout ex tunc excommunicationis et anathematis sententiam auctoritate predicta earumdem tenore presentium ferimus et promulgamus, a qua nullus eis nisi Romanus Pontifex, seu prefatus Philippus Episcopus, vel cui tunc id specialiter duxerit committendum, preterquam in mortis articulo constitutis, absolutionis beneficium valeat impartiri: lapso autem prescripto termino, omnes et singuli supradicti, qui in contumaciam et contemptum mandatorum apostolicorum excommunicationis et anathematis sententiam, ut prefertur, incurrerint, si eam per alios triginta dies immediate sequentes animo, quod absit, sustinuerint indurato, possessionem regiminis et administrationis ecclesie Artfertensis, ac castrorum et fortalitiorum illius ipsi Philippo Episcopo realiter assignata non fuerit, Nos ex nunc prout ex tunc, lapsis aliis triginta diebus eisdem, civitates, castra, fortalitia atque loca alia, in quibus ipsi sic excommunicati et anathematizati fuerint, vel ad que illi declinaverint, et in quibus per triduum stare permissi fuerint, eadem auctoritate ecclesiastico supponimus interdicto, ita ut preter solennes dies, nec tunc nisi clausis ianuis, excommunicatis, anathematizatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis et submissa voce misse et alia divina officia celebrari valeant. Et insuper ipsis et aliis triginta diebus elapsis, illos ex predictis monitis tam ecclesiasticis quam secularibus, qui eisdem mandato et monitioni contravenerint, vel eis efficaciter non paruerint, dignitatibus, personatibus, administrationibus et officiis, ac canonicatibus et prebendis, necnon benefitiis aliis ecclesiasticis cum cura et sine cura, secularibus ac regularibus, que in dicta Artfertensi et aliis ecclesiis, necnon Monasteriis, Prioratibus et locis ecclesiasticis obtinent, ac feudis, privilegiis et bonis que a Romana et Artfertensi predictis et aliis ecclesiis, Monasteriis et locis ecclesiasticis quibuslibet quomodolibet obtinent, seu imposterum obtinebunt, etiam ex nunc prout ex tunc simili auctoritate privamus, et ab illis realiter amovemus, ac privatos et amotos, necnon ad illa et quecumque alia beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda inhabiles esse volumus, decernimus et declaramus: illi autem ex premissis omnibus, qui eadem sententia innodati erunt, et qui illam animo indurato per quatuor primo, et deinde per quatuor alios dies sustinuerint, post primorum aggravati, et post aliorum quatuor

dierum huiusmodi decursum reaggravati eo ipso sint, et esse censeantur, quos dilecti filii Capitulum Artfertenses cunctis dominicis, aliisque festivis diebus post missam et vesperas, pulsatis campanis, et candellis accensis, ac in terram proiectis et demum extinctis, cum illis solemnitatibus que contra totaliter aggravatos et reaggravatos observari solite sunt, etiam cum vexilli crucis erectione, et trina lapidum eiectione excommunicatos, anathematizatos et interdictos solemniter denuncient et declarent, omnesque fideles ex tunc ipsis taliter anathematizatis, excommunicatis, aggravatis, reaggravatis alimenta cuncta necessaria ministrare denegent, ut compuncti corde ad ecclesie unitatem satisfactione previa revertantur, et a nobis vel dicto Philippo Epo Artfertensi suppliciter postulent de premissis sibi plenam reconciliationis gratiam exhiberi. Hortamur preterea et requirimus Venerabiles fratres nostros Iohannem Archiepiscopum Cassellensem, cui prefata ecclesia Artfertensis metropolitico iure subiecta est, ac Laoniensem et Limiricensem, necnon Lismorensem et Waterfordensem, Clonensem, Ymelacensem et Corkagensem Episcopos, reliquosque tam ecclesiasticos quam seculares illarum partium Prelatos, Principes, Barones, Milites et Marescallos, Gubernatores, Baillivos et dominos, ac omnes et singulos Scutiferos et Nobiles, ipsorumque officiales et inferiores personas, eis quoque pro reverentia, quam quilibet eorum gerit ad sedem apostolicam, sub penis predictis, quas alias eo ipso incurrant, districte precipiendo mandamus, quatenus dicto Philippo Episcopo Artfertensi, vel procuratori suo in adipiscenda ecclesie Artfertensis et eius bonorum possessione, et recuperandis ac percipiendis illius fructibus, redditibus et proventibus pro posse assistant, eique omnem favorem impendant. Ceterum, ut presentium litterarum tenor ad notitiam monitorum predictorum facilius pervenire valeat, volumus et mandamus illas vel earum transumptum autenticum manu publici Notarii subscriptum, et alicuius ecclesiastici Prelati sigillo munitum in valvis ipsius Artfertensis, vel alicuius alterius vicine ecclesie civitatis et diocesis, oppidorum, villarum et locorum, de quibus prefato Philippo Epo Artfertensi vel ab eo deputando videbitur affigi, nec non per eos et quoscumque Abbates, Priores, Conventus, Guardianos et religiosos, ac alias personas ecclesiasticas cuiuscumque ordinis, etiam exemptas, qui super hoc pro parte dicti Philippi Artfertensis Episcopi requisiti fuerint, in eorum ecclesiis solenniter publicari et populis predicari, quas vel quod post diem affixionis huiusmodi perinde dictos monitos arctare volumus, ac si eis intimate personaliter extitissent. Mandamus insuper Archiepiscopo, Episcopis, Capitulis, Abbatibus, Prioribus, Conventibus, Guardianis, religiosis ac personis ecclesiasticis sub penis predictis, quas alias eo ipso incurrant, ut dictas licteras vel earum transumpta publicent et predicent, cum, ut prefertur, requisiti fuerint, nec quisquam audeat publicationem seu predicationem huiusmodi sub earundem penarum incursu aliquatenus impedire: illarum vero transumptis manu publici notarii subscriptis fidem indubiam volumus ubilibet adhiberi. Contradictores etc. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur etc. Nulli ergo etc. nostre requisitionis, monitionis, mandati, assignationis, promulgationis, privationis, annotationis, inhabilitationis, constitutionis, declarationis, decreti, hortationis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, v. Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno octavo.

DCCCLXX.

Guillelmus abbas beatae Mariae de Lera praeficitur ecclesiae Ardakadensi in episcopum. Reg. Tom. LXIII. fol. 35.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Guillelmo Electo Ardakadensi, sal. etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Ardakadensi regimini ecclesie Ardakadensis presidente, Nos cupientes ipsi ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et idoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Iohannis, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, vacante, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Abbatem Monasterii beate Marie de Lera, alias de Graviardo Cistercensis ordinis Ardakadensis diocesis, de Baronum genere procreatus, cui apud nos de nobilitate generis, litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, te ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, quoad hoc, ut de persona tua eidem ecclesie provideri, tuque illi in spiritualibus et temporalibus preficici (sic) in Epum et pastorem, provisioque et prefectio nostra huiusmodi alias suum debitum sortiatur effectum, auctoritate apostolica tenore presentium absolvimus, et absolutum fore decernimus, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie de eorumdem fratrum consilio auctoritate predicta provi-

demus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Et insuper tibi, ut a quocumque malueris Catholico Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Catholicis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno M.CCCC.LXXVIII. pridie Nonas Augusti, Pontificatus nostri anno octavo.

Simili modo ... Archiepiscopo Armachano.

DCCCLXXI.

Hospitali de Dunglas Sancti Andreae dioecesis quaedam conceduntur indulgentiae. Bull. divers. Tom. XVII. fol. 156.

Sixtus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Licet ex debito summi pontificatus officii nobis desuper iniuncti circa piorum locorum profectus nos deceat esse intentos, hospitalium tamen, et in eis degentium pro tempore pauperorum aliarumque miserabilium personarum commodo et utilitati, animarumque saluti, ac eorumdem hospitalium, ex quibus eedem persone vite sustentacionem suscipiunt, bonorum conservationi tanto nos potioribus studiis et remediis convenit insistere, quanto personarum earumdem conditione pensata id conspicit in Domino salubrius expedire. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Alexander Hom, miles de Hom et Dunglas Sancti Andree diocesis locorum dominus, postquam zelo devotionis accensus in dicto loco de Dunglas unam ecclesiam Collegiatam cum institutione unius Prepositure pro uno Preposito, et quarumdam Capellaniarum perpetuarum pro certis Capellanis in eadem suis sumptibus et expensis ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et gloriosissime Virginis Marie construi et edificari fecerat, illamque pro Preposito et Capellanis predictis dotaverat, etiam postmodum simili devotione ductus, cupiensque sibi ex terrenis bonis immarcessibiles thesauros in celestibus comparare, unum hospitale in eodem loco de Dunglas prope predictam ecclesiam collegiatam pro receptione et sustentatione pauperorum et aliarum miserabilium personarum cum erectione unius Capelle inibi, sub invocatione eiusdem gloriosissime Virginis Marie ac beati Iohannis Baptiste, dictis suis sumptibus et expensis construi et edificari fecerit, ac dictum hospitale pro sustentatione et alimento personarum predictarum de bonis sibi a Deo collatis dotaverit: Nos pium et laudabile, necnon apud ipsum Deum plurimum meritorium opus huiusmodi in Domino commendantes, ac cupientes dictum hospitale, quod dictus Alexander, ut etiam accepimus, etiam ampliare proponit, et ad quod tam ipse Alexander, quam etiam dilectus filius Iohannes Edwardi ipsius ecclesie Prepositus gerunt singularem devotionis affectum, necnon eiusdem hospitalis bona, ne in sinistros, sed dictarum personarum usus et utilitatem convertantur, manuteneri et conservari, ac volentes etiam eisdem personis, que in dicto hospitali seu infra illius septa decedere contigerit, spiritualis thesauri donum impartiri, de eiusdem omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, quos deinceps perpetuis futuris temporibus in dicto hospitali, aut infra illius septa ab hac luce migrare continget, plenariam remissionem omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, in mortis articulo dumtaxat concedimus et elargimur: ac volumus, quod omnes et singuli cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, qui hospitalis et Capelle huiusmodi fundacionem, erectionem et dotacionem impedire vel perturbare, necnon fructus, census, redditus et proventus, domus, possessiones, res et bona, ac iura quecumque spiritualia et temporalia eiusdem hospitalis occupare, aut illa seu eorum fructus, redditus et proventus huiusmodi in alios quam dictarum personarum in dicto hospitali degentium, aut ad illud recurrentium usus convertere presumpserint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua et tamdiu excommunicati maneant, donec a perturbatione et impedimento, ac occupatione huiusmodi destiterint, et de oblatis et occupatis satisfactionem condignam impenderint, nec ab alio quam Romano pontifice, preterquam in mortis articulo constituti, absolutionem ab huiusmodi excommunicationis sententia obtinere possint. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. nostre concessionis, elargitionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo, Nonis Augusti, Pontificatus nostri anno nono.

DCCCLXXII.

Archiepiscopo Casseliensi, ut Waterfordenses ad recipiendum Nicolaum episcopum Lismorensem compellat. Reg. Tom. LXXX. fol. 21.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Cassellensi, salutem etc. Ad personam Venerabilis fratris nostri Nicolai Lismorensis et Waterfordensis Episcopi, nobis et apostolice sedi devotam, paterne dirigentes considerationis intuitum, illa sibi libenter concedimus, per que sibi iniuste obsistentium elata cervice digna correctione calcata, possessionem regiminis et administrationis bonorum ecclesiarum suarum assequi, eaque frui pacifice valeat pariter et gaudere. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai petitio continebat, quod licet nos dudum, matura deliberatione prehabita, consistorialiter, ut fieri solet, de persona dicti Nicolai Lismorensi et Waterfordensi ecclesiis invicem canonice unitis, tunc ex eo quod Venerabilis frater noster Iohannes in universali ecclesia, tunc Lismorensis et Waterfordensis Episcopus, regimini et administrationi dictarum unitarum ecclesiarum, quibus tunc preerat, per certum tunc procuratorem suum, ad id ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte et libere cesserat, pastoris solatio destitutis providerimus, ipsumque eisdem unitis ecclesiis in Epum prefecerimus et

pastorem, ac licet ipse Nicolaus possessionem regiminis et administrationis bonorum Lismorensis ecclesie predicte extiterit assecutus, ac dilectos filios Decanum, Capitulum, Clerum maiorem et populum, ac Vaxallos ecclesie predicte, ac civitatis et diocesis Waterfordensis, ut ipsum Nicolaum in patrem et pastorem animarum suarum reciperent eiusque monitis parerent, requisiverit: Decanus tamen, Capitulum, Clerus, populus et Vaxalli predicti, et presertim dilectus filius Iacobus Risse et Iohannes Bottiller layci, dicte civitatis cives, falso asserentes cessionem predictam factam non fuisse, ac dictum Nicolaum Anglicanam linguam non intelligere, nec intelligibiliter loqui, ipsum Nicolaum in Episcopum et pastorem recipere recusarunt, prout recusant, in ipsius Nicolai Episcopi gravamen et iacturam, ac dicte sedis vilipendium. Nos igitur attendentes, quod assercio huiusmodi plus facti et malitie, quam iuris et equitatis habeat, ac nolentes premissa conniventibus oculis tollerare, prefati Episcopi in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus, et in virtute sancte obedientie, ac suspensionis a divinis pena mandamus, ut Decanum, Capitulum, nec non Clerum, populum, illarumque singulares personas, ac Iacobum et Iohannem laycos, et Vassallos huiusmodi ad recipiendum eundem Nicolaum in Waterfordensem Episcopum, ac animarum suarum patrem et pastorem, eiusque salutaribus monitis et mandatis parendum, necnon ad omnes et singulos fructus, redditus et proventus per eos seu quoscumque alios ex mensa Episcopali Waterfordensi, a tempore provisionis et prefectionis predictarum citra, perceptos dicto Nicolao tradendum, ac de cetero de fructibus, redditibus et proventibus dicte mense Epalis Waterfordensis respondendum, per censuram ecclesiasticam, et alia iuris remedia auctoritate nostra, appellatione postposita, compellas, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis etc. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXII. pridie Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri anno duodecimo.

DCCCLXXIII.

Robertus electus ab ecclesia Aberdonensi ad Glasguensem transfertur et in episcopum praeficitur. Reg. Tom. LXXXIV. fol. 255.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Offitii nostri debitum exposcit, cum illius in terris geramus vices, qui est hostium vite, per quod nisi quis intraverit, fur esse censetur et latro, eorum cohercere audaciam, qui ad gregis dominici regimen anelantes aliunde quam per hostium ingredi moliuntur: quod enim veri Pastoris offitium geret, qui ut lupus ingreditur, aut quomodo regimini preerit, qui missus non fuerit, sed invaserit? Eapropter ne a nobis in hoc apostolatus culmine presidentibus, ad quos totius dominici gregis cura principaliter pertinet, mala populorum regiminis in extremo iuditio ratio requiri possit, convenit, ut huiusmodi personarum protervie, spiritualis mucrone gladii salubriter occurramus. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Glasgensi regimini Glasguensis ecclesie presidente, Nos cupientes dicte ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie, cum vacaret, nostre et dicte sedis dispositioni et ordinationi ea vice dumtaxat duximus reservandam, decrevimusque irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et deinde dicta ecclesia per obitum dicti Iohannis, qui extra Romanam Curia diem clausit extremum, vacante, dilectum filium Robertum Glasguensem, tunc Aberdonensem, Electum a vinculo, quo Aberdonensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, eum ad dictam ecclesiam Glasguensem transtulimus, ipsumque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Glasguensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, dictus Electus dubitet, ne dilectus filius Georgius Carmichell Thesaurarius dicte ecclesie Glasguensis, quem dilecti filii Capitulum Glasguenses in Episcopum Glasguensem contra reservationem et decretum predicta elegisse asserunt, quamvis de facto, se pro Electo Glasguensi de cetero gerere, ac regiminis et administrationis ac bonorum dicte ecclesie Glasguensis possessionem vel quasi detinere, neve Capitulum prefati et dilecti filii Clerus, populus et Vassalli ac feudatarii dicte ecclesie Glasguensis dictum Georgium pro Electo Glasguensi nominare, tenere et reputare presumant, ac eidem Roberto ut eorum Patri et Pastori et Electo Glasguensi reverentiam et obedientiam debitas et devotas, Vassalli quoque et feudatarii predicti consueta servitia et iura sibi per eos debita exhibere recusent: nos volentes, prout nostro incumbit offitio, huiusmodi ausibus congruentibus remediis obviare, ac illos qui translationi et prefectoni predictis forsan erunt rebelles comprimere, iustitia debito suadente, motu proprio, non ad dicti Roberti Electi, vel alterius pro eo nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, Georgium et Capitulum predictos, reliquasque personas in dignitate constitutas, et singulos Canonicos, perpetuos Vicarios, aliosque beneficiatos dicte ecclesie Glasguensis quocumque nomine censeantur, et parrochialium ac aliarum ecclesiarum civitatis et diocesis Glasguensis Rectores, et inibi perpetuos beneficiatos, omnesque alios et singulos quocunque nomine apppellentur, et quacumque prefulgeant dignitate, qui terras, villas et loca ad dictam ecclesiam Glasguensem pertinentia quovis titulo, homagio aut iurisdictione tenent et custodiunt, pro quibusvis personis cuiuscumque dignitatis aut excellentie, etiam Ducalis, Marchionalis, Comitalis, necnon omnes alios et singulos eorumdem locorum positos et deputatos, et ponendos ac deputandos, reliquos quoque eorumdem fortilitiorum ac quorumcumque aliorum locorum dicte ecclesie Glasguensis custodes et detentores, nec non omnes et singulos milites, nobiles, cives, in-

colas civitatis et diocesis Glasguensis, aliasque personas ecclesiasticas secolares et religiosas, etiam exemptas, ac laicos cuiuscumque preeminentie, dignitatis, status, gradus et nobilitatis existant, etiam si Archiepiscopali, Abbatiali, Ducali, et alia quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate prefulgeant; Vassallos preterea et emphitheotas, reddituarios et decimatores mense Episcopalis Glasguensis, ac eius possessionum et bonorum quorumcumque colonos seu conductores, ad quorum notitiam presentes nostre littere per earum insinuationem, vel etiam per alium modum legitimum pervenerint, sub excommunicationis, anathematis in singulos, ac privationis dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, canonicatuum, prebendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum secularium et regularium, que in dicta ecclesia Glasguensi vel alibi qualitercumque obtinent, necnon feudorum et rerum emphiteoticarum, que ab ipsa ecclesia Glasguensi obtinent, ac interdicti in Capitulum et ecclesiam Glasguensem huiusmodi sententiis, censuris et penis, quas alias se noverint incursuros, auctoritate apostolica tenore presentium requirimus et monemus, eisque districte precipiendo mandamus, quatenus ipsi et quilibet eorum, videlicet Georgius sic, ut premictitur, pro Electo Glasguensi se non gerat, nec illi eum pro tali teneant seu reputent, sed infra sex dierum spatium post habitam de presenti notitiam computandorum, quorum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos dies pro tertio et peremptorio termino tam Georgio quam Capitulo, Clero et populo et aliis predictis monitione canonica assignamus, eundemque Robertum Electum vel procuratorem suum infra eundem terminum ad possessionem corporalem regiminis et administrationis eiusdem Glasguensis ecclesie, illiusque bonorum temporalium et spiritualium libere admittant et admitti faciant, curamque et administrationem ipsius ecclesie Glasguensis in spiritualibus et temporalibus libere exercere permittant, necnon illius castra et bona quecumque cum fructibus inde perceptis, ac alii in eorum loco positi et ponendi, custodesque et detentores predicti loca eiusdem ecclesie Glasguensis et fortalitia prefata, que tenent, infra eundem terminum dimittant, illorumque possessionem vacuam et expeditam procuratori dicti Roberti Electi assignent, vel fideliter omni dolo et fraude cessantibus consignari faciant, et de illis se de cetero absque ipsius Roberti Electi voluntate nullatenus intromittant; Capitulum vero, Canonici, et alie persone in dignitate constitute, Beneficiati, Rectores, et Officiales, Milites, Nobiles, Cives, Incole, Castellani et alie persone predicte, ut eidem Roberto Electo, et nulli alteri, ut vero eorum Episcopo obediant pariter et intendant, quos omnes a iuramentis fidelitatis, si qua quibusvis personis ad fortilitorum custodiam positis prestitissent, per presentes absolvimus, et absolutos esse censemus, quinimo prefato Roberto Electo teneri, eique obedientiam et reverentiam, ac Episcopalia iura, necnon redditus et proventus ad Episcopalem mensam Glasguensem pertinentes exhibere procurent: alioquin si ipse Georgius et alii quicumque, custodesque predicti eadem fortilitia, que tenent, vel teneri faciunt, seu in tenendo auxilium vel consilium prestant, infra eundem terminum non restituerint cum effectu, ac Capitulum et alii moniti prefati eundem Robertum Electum non admiserint, Vassalli autem, censuarii, reddituarii, coloni, decimatores et redditunm conductores predicti Roberto Electo prefato non responderint, vel si alicui predictorum, ne ei respondeat, auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte prestare presumpserint, nos in eundem Georgium, necnon Capitulum, Canonicos, aliosque monitos predictos, qui monitioni et mandato huiusmodi non paruerint, ex nunc prout ex tunc, lapso prescripto termino, excommunicationis et anathematis sententiam auctoritate et scientia predictis tenore presentium ferimus et promulgamus, a qua nullus eis preterquam Romanus Pontifex, vel cui ipse id specialiter committendum duxerit, preterquam in mortis articulo constitutis, absolutionis beneficium valeat impertiri. Si vero, lapso prescripto termino, Georgius, Capitulum et alii benefiaiati predicti premissa non adimpleverint, ipsosque et alii moniti, qui in contumaciam et contemptum mandatorum apostolicorum excommunicationis sententiam, ut prefertur, incurrerint, illam per sex alios dies animo, quod absit, sustinuerint indurato, possessioque regiminis et administrationis ecclesie Glasguensis, ac fortilitiorum, castrorum, locorum et villarum predictorum procuratori vel procuratoribus ipsius Roberti Electi realiter assignata non fuerit: Nos ex nunc prout ex tunc, lapsis eidem aliis sex diebus, ecclesiam et civitatem Glasguensem, necnon omnes circumvicinas ecclesias et monasteria exempta, ac etiam castra, fortilitia ac loca, in quibus per triduum stare permissi fuerint, auctoritate et scientia predictis ecclesiastico supponimus interdicto, ita ut nisi clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis et summissa voce misse valeant in illis celebrari, etiam pretextu cuiusvis privilegii personis, ordinibus, vel locis concessi. Et insuper ipsis aliis sex diebus elapsis, nos illos ex Georgio, singularibus personis Capituli, necnon Canonicis et Beneficiatis, ac Rectoribus predictis, qui eisdem monitioni et mandato contravenerint, vel illis efficaciter non paruerint, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, Canonicatibus, prebendis, parrochalibus ecclesiis, aliisque beneficiis ecclesiasticis, que in dicta ecclesia Glasguensi vel alibi ubilibet obtinent, seu etiam tunc obtinebunt, etiam ex nunc prout ex tunc auctoritate et scientia predictis privamus, et ab illis realiter amovemus, necnon privatos et amotos, ac ad illa et quecumque alia beneficia ecclesiastica imposterum obtinenda inhabiles esse absque aliqua alia declaratione desuper facienda decernimus et declaramus, ac dicta beneficia per privationem huiusmodi vacantia per illorum ordinarios collatores, nisi dispositioni apostolice generaliter reservata fuerint, personis idoneis conferri posse volumus. Preterea si, quod

absit, tanta fuerit predictorum protervia, ut infra octo ex tunc proxime sequentes dies possessionem regiminis, administrationis et bonorum dicte ecclesie Glasguensis non dimiserint, aut quominus ipse Robertus Electus illam dictaque fortilitia nancisci possit, directe vel indirecte impediverint, vel impediri fecerint: nos in eum eventum, similiter ex nunc prout ex tunc, Capitulum dicte ecclesie Glasguensis ad aliam (ecclesiam) infra dictam diocesim consistentem, de qua prefato Roberto Electo vel procuratori suo videbitur, transferimus, omnesque dignitates obtinentes, Canonicos et beneficiatos dicte ecclesie Glasguensis ad translatam ecclesiam huiusmodi se sub premissis penis transferre volumus, et quod inibi divina celebrent officia, et resident personaliter in eadem, et cunctos actus capitulares faciant eis, expresse mandamus, ita ut similes actus capitulares alibi facere non teneantur, et nullius sint roboris vel momenti, et illi qui divinis officiis inibi interfuerint distributiones cotidianas et alia emolumenta dicte ecclesie Glasguensis, prout in illa percipere consueverant, integre percipiant. Illi vero, qui ex contemptu vel absque causa legitima cum eodem Capitulo se transferre neglexerint, non modo distributionibus et redditibus huiusmodi careant, sed etiam tanquam rebellionis et inobedientie ac perditionis filii non immunes benefitiis, que in dicta ecclesia obtineant, qualiacumque sint, eo ipso privati extant. Volumus insuper, quod in eadem (ecclesia) sic translato Capitulo persone in dignitate constitute ac Canonici dicte ecclesie Glasguensis, et alii, ad quos pertinet, prefatum Robertum Electum ad possessionem regiminis et administrationis dicte ecclesie Glasguensis admittere possint et teneantur. Illos autem ex premissis omnibus, qui eisdem sententiis innodati essent, illas animo indurato sustinebunt, post eorumdem octo dierum decursum eo ipso sint et censeantur esse auctoritate apostolica declarati, aggravati, reaggravati, ac maledictionis eterne, quam Deus misit Dathan et Abiron, quos terra vivos absorbuit, damnationem incurrere, quos ipsi Capitulum singulis dominicis aliisque festivis diebus post missam et vesperas, pulsatis campanis, candelis accensis et in terram proiectis atque extinctis, cum illis solemnitatibus, que contra tales aggravatos observari solite sunt, etiam cum vexillo crucis et trina lapidum proiectione solemniter denuncient, donec compuncti corde ad ecclesie unitatem satisfactione previa reversi a nobis, vel a Romano Pontifice pro tempore plenam reconciliationis gratiam meruerint obtinere. Hortamur etiam Venerabiles fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, reliquosque tam ecclesiasticos quam seculares illarum partium, Principes, Duces, Comites, Barones ipsorumque officiales, eisque pro reverentia, quam quilibet eorum gerit ad sedem predictam, districte precipiendo mandamus, ne eidem Georgio vel alicui alteri in premissis auxilium, consilium vel favorem prestent, sed eidem Roberto Electo faveant, pareant et adhereant. Si enim, quod non putamus, aliqui eorum convenerint, sciant se vigore presentium Episcopi suspensionis a divinis penam, ceteri vero excommunicationis sententiam eo ipso incursuros. Ceterum, ut presentium litterarum tenor ad notitiam monitorum huiusmodi facilius pervenire valeat, volumus, et sub excommunicationis pena mandamus, illas vel eorum transumptum manu publici notarii subscriptum per quamcumque ecclesiasticam personam ad hoc requisitam in valvis eiusdem ecclesie Glasguensis, si commode fieri poterit, sin autem in alio Roberto Electo commodo loco dicte diocesis, vel aliis diocesibus vicinioribus affigi, unde verisimilis coniectura existat illarum notitiam ad predictos monitos posse de facili pervenire, necnon per quosdam alios Abbates, Priores, Conventus, Guardianos et Religiosos cuiuscumque ordinis etiam mendicantium, aliasque personas, que super hoc pro parte dicti Roberti Electi, ut premittitur, fuerunt requisiti, in eorum ecclesiis et monasteriis solemniter publicari, ac etiam ad populum predicari, quas post diem affixionis huiusmodi perinde dictos monitos arctare volumus, ac si eis personaliter intimate extitissent. Illarum vero transumpto manu publici notarii subscripto, necnon alicuius in ecclesiastica dignitate constituti, vel alicuius Episcopi officialis sigillo sigillato fidem indubiam volumus ubilibet adhiberi. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibuscumque privilegiis vel indultis predictis monitis, vel eorum alicui per sedem apostolicam in genere vel in spetie concessis, quorumcumque tenorum existant, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino etc. nostre requisitionis, monitionis, mandati, assignationis, absolutionis, promulgationis, suppositionis, privationis, constitutionis, declarationis, translationis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXIII. Idibus Aprilis, Pontificatus nostri anno duodecimo.

DCCCLXXIV.

Iudicibus, ut caplulo Dublinensl decimas, quas fratres prioratus de Kylmayaan Dublinensis diocesis indebite occupant, restitui curent. Reg. Bull. divers. Tom. XVII. fol. 302.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Darensi, et dilectis filiis ecclesie Christi Dublinensis ac sancti Petri iuxta Trym Midensis diocesis prioratuum Prioribus, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Decani et Capituli ecclesie Dublinensis peticio continebat, quod cum alias dilecti filii Iacobus Ketyng Prior, et Robertus Lawles frater prioratus de Kylmaynan hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani Dublinensis diocesis quasdam decimas tunc expressas, ad Decanum et Capitulum prefatos legitime spectantes, indebite occupassent, ipsosque Decanum et Capitulum pacifica possessione vel quasi iuris percipiendi decimas huiusmodi, in qua tanto tempore, cuius contrarii non est memoria, extiterant et tunc existebant, contra iusticiam spoliassent, ac decimas predictas eisdem Decano et Capitulo

restituere, aut cum eis super illis amicabiliter concordare, super hoc pro parte Decani et Capituli predictorum legitime requisiti, indebite recusassent, pro parte eorumdem Decani et Capituli, sententium ex premissis indebite se gravari, ad sedem fuit apostostolicam appellatum, et nobis humiliter supplicatum, ut appellationis predicte, et post illam forsan attemptatorum et innovatorum, nullitatisque omnium per Iacobum et Robertum prefatos in preiudicium Decani et Capituli predictorum circa premissa gestorum, ac principalis negotii huiusmodi causas aliquibus probis viris in partibus illis committere, et alias eis super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, vocatis Iacobo et Roberto prefatis, ac aliis qui fuerint evocandi, auditis hinc inde propositis, etiam de principali negotio huiusmodi cognoscentes legitime, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem etc. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostris, quibus cavetur etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno etc. M.CCCC.LXXXIII. quinto Nonas Maii, Pontificatus nostri anno duodecimo.

DCCCLXXV.

Comiti Dessimoniae confirmatur iuspatronatus super prioratu B. Mariae de Belloloco ord. s. Augustini Artfertensis dioecesis. Reg. Tom. XCIX. fol. 47.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Iacobo Comiti Comitatus Dessemonie Artfertensis diocesis, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et sedem apostolicam gerere comprobaris, non indigne meretur, ut illa tibi favorabiliter concedamus, per que tibi, posteris ac successoribus tuis honor accedere possit, ac iura tua, sublatis quibusvis dubietatibus, illesa serventur. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet tu et Comites Comitatus Dessemonie Artfertensis diocesis pro tempore existentes a tanto tempore citra, cuius contrarii hominum memoria non existit, semper in possessione vel quasi iuris patronatus Prioratus Monasterii per Priorem soliti gubernari beate Marie de Belloloco ordinis sancti Augustini Artfertensis diocesis, qui Conventualis existit, ac cui cura imminet animarum, et ad quem consuevit etiam quis alias per electionem assumi, fueritis, prout adhuc estis de presenti; tamen quia de iure patronatus huiusmodi aliter quam per continuatam possessionem predictam propter tantam temporis longitudinem docere non potes, dubitas desuper molestari posse tempore procedente: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi posterisque ac successoribus tuis in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ius suum unicuique servari cupimus illesum, te a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ius patronatus huiusmodi tibi tuisque posteris ac successoribus dicti Comitatus Comitibus pro tempore existentibus, prout illud hactenus habuisti, auctoritate apostolica tenore presentium approbamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, approbationis, confirmationis et communitionis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum, Anno etc. M.CCCC.LXXXIII. quarto Idus Maii, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

DCCCLXXVI.

Datur littera patens Roberto episcopo Glasguensi. Reg. Bull. divers. Tom. XVII. fol. 290.

Sixtus episcopus etc. Universis etc. salut. etc. Cum Venerabilis frater noster Robertus Episcopus Glasguensis, qui pro nonnullis suis, ac Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris peragendis negotiis ad sedem apostolicam accessit, et illis iam, ut optabat, peractis ad Regnum Scotie reverti desideret: Nos cupientes eundem Episcopum cum comitiva, sociis, famulis, equis, salmis, rebus et bonis suis omnibus in eundo et redeundo plena ubique securitate, ac favorabili tractatione gaudere, Universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur in domino, subditis vero nostris, et gentium armorum capitaneis et conductoribus ubicumque ad nostra et Romane ecclesie stipendia militantibus districte precipiendo mandamus, quatenus dictum Episcopum cum comitiva, sociis, famulis equestribus et pedestribus usque ad numerum duodecim, salmis, valisiis, arnesiis, rebus et bonis omnibus predictis per nostra et vestra territoria etc. dummodo mercimonii causa non portentur etc. Presentibus post annum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXIII. tertiodecimo Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno duodecimo.

D. de Viterbio.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VIII.

DCCCLXXVII.

Parochialis ecclesia s. Nicolai in oppido Galvye Enachdunensis dioec. erigitur in collegiatam. Reg. Bull. Tom. IV. fol. 82.

Innocentius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Super gregem dominicum nostre divinitus vigilantie creditum vigilis speculatoris officium, prout desuper conceditur, extendentes, ad ea libenter intendimus, per que divinus augetur cultus, et salus provenire speratur animarum: et hiis, que propterea provide emanasse comperimus, ut eo firmius illibata permaneant, quo fuerint maiori robore solidata, libenter nostri adiicimus muniminis firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum universorum parrochianorum parrochialis ecclesie sancti Nicolai ville Galwye Enachdunensis diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Venerabilis frater noster Donatus Archiepiscopus Tuamensis, qui ecclesie Enachdunensi Tuamensi ecclesie perpetue unite preesse dinoscitur, olim attente considerans, parrochianos dicte ecclesie sancti Nicolai modestos et morigeratos homines esse, et in ipsa villa muris seu menibus circumicta habitantes, eisdem moribus, quibus montani et silvestres homines illarum partium utebantur, non uti, ac propter impetrationes, que super Vicaria dicte ecclesie sancti Nicolai, per Vicarios in antea solite gubernari, a prefate silvestris et montane nationis hominibus quotidie fiebant, in tantum vexari, quod secundum decentiam, ritum et modum Anglicanum, quem incole prefati et eorum predecessores servare ab antiquo soliti erant, officia divina audire et ecclesiastica sacramenta percipere non poterant, et ab illis indoctis hominibus perturbabantur, nonnunquam bonis spoliabantur et interficiebantur, nonnullaque alia damna et incommoda personarum et rerum sustinere cogebantur, et maiora, nisi eis celeri remedio succurretur, in futurum perferre verisimiliter formidabant; provida super hoc deliberatione prehabita, ad ipsorum parrochianorum supplicationem ecclesiam predictam sancti Nicolai in Collegiatam, et in illam Collegium unius custodis et octo presbiterorum ordinaria auctoritate erexit et ordinavit, et pro illorum substentatione fructus, redditus et proventus predicte Vicarie ad dimidiam quartam, quam servitores dicte ecclesie sancti Nicolai a dilectis filiis Abbati et Conventu Monasterii Collisvictorie Cisterciensis ord. Tuamensis diocesis per longum tempus habere consueverant, nonnulla quoque bona, redditus, terras, decimas, iura et servitia tunc expressa per ipsum Archiepiscopum, et quosdam ex dictis parrochianis provide considerantes, quod premissa ad decentem sustentationem quatuor ex dictis presbiteris vix sufficere poterant, ad hunc effectum dicte ecclesie sancti Nicolai donata et oblata, ac que per aliquos ex eisdem parrochianis donari contingeret in futurum, mense Capitulari dicte ecclesie sancti Nicolai applicavit et appropriavit, ac ad eandem ecclesiam sancti Nicolai pleno iure pertinere voluit; necnon Vicariam parrochialis ecclesie sancti Iacobi de Baleynclair dicte Enachdunensis diocesis de consensu Vicarii eiusdem ecclesie sancti Iacobi pro sustentatione custodis et octo presbiterorum predictorum in ipsa ecclesia s. Nicolai vivere volentium perpetuo univit, annexuit, et incorporavit. Et quod dicta ecclesia sancti Nicolai sic ut premittitur in collegiatam erecta, non per unum Vicarium, sed per dictos octo presbiteros sive Vicarios morigeratos, virtuosos et doctos, et per unum Guardianum sive custodem Anglicanum ritum et modum in divinorum celebratione recte tenentes de cetero regeretur et gubernaretur, quodque ipsi presbiteri per superiorem prepositum, vel maiorem et ballivos, ac pares ville predicte, prefato Guardiano sive custodi dicti collegii presentarentur, et per ipsum guardianum sive custodem tamquam Vicarii curam animarum insolidum gerentes confirmarentur, ipseque guardianus sive custos ad presentationem predictorum superiorum sive maioris et (sanioris) partis singulis annis removibilis per ipsos Vicarios institueretur, ac post institutionem huiusmodi factam Guardianus ipse super omnes dictos Vicarios et parrochianos potestatem haberet, ac curam exerceret animarum, eadem auctoritate ordinavit, prout in quibusdam litteris autenticis dictique Archiepiscopi sigillo munitis plenius dicitur contineri. Quare pro parte parrochianorum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut erectioni, donationi, applicationi, appropriationi, unioni, annexioni et incorporationi, voluntati et ordinationi predictis pro eorum subsistentia firmiori robur nostre confirmationis adiicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus diligimus augmentum, et dudum inter alia voluimus, quod petentes ecclesiastica beneficia aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem fructuum, reddituum et proventuum beneficii, cui unio fieri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, et idem observaretur in unionum iam factarum confirmationibus, fructuum, reddituum et proventuum Vicarie dicte ecclesie sancti Nicolai et illius collegii, ac aliarum donationum et obligationum huiusmodi verum annuum valorem, necnon ultime vacationis dictarum Vicariarum ecclesiarum sanctorum Nicolai et Iacobi modos, ac litterarum erectionis, donationis, appropriationis, applicationis, unionis, annexionis et incorporationis, et volun-

tatis predictarum tenorem presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem, donationem, applicationem, appropriationem unionem, annexionem, incorporationem, voluntatem et ordinationes predictas, ac prout illas concernunt, omnia et singula in dictis litteris contenta, et inde secuta quecumque auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus et approbamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplemusque omnes et singulos defectus tam iuris quam facti, etiam alterius cuiuscumque sollemnitatis omisse, si qui forsan intervenerint in eisdem, et pro potioris cautele suffragio ecclesiam predictam sancti Nicolai in collegiatam, in ea unam custodiam pro uno Guardiano sive custode, qui inibi ut caput, et octo perpetuas Vicarias pro totidem presbiteris, qui inibi ut membra cum dicto custode Capitulum constituant cum communi sigillo, archa sive bursa, mensa et aliis collegialibus insigniis, dicta auctoritate apostolica de novo sine preiudicio alicuius erigimus, ac Vicariam predictam ecclesie sancti Iacobi, cui cura imminet animarum, et cuius fructus, redditus et proventus sex marcharum sterlingorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut parrochiani predicti asserunt, non excedunt, quovismodo aut ex cuiuscumque persona vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque Vicaria ecclesie sancti Iacobi dispositioni apostolice specialiter reservata existat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem ecclesie sancti Nicolai de novo perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, quodque ecclesia predicta sancti Nicolai sic in collegiatam erecta iuxta dicti Archiepiscopi ordinationem predictam per octo presbiteros morigeratos, virtuosos et doctos, Anglicanum ritum et morem in divinorum celebratione observare solitos, perpetuis futuris temporibus regatur et gubernetur, et illius presbiteri predicti per superiorem prepositum, vel maiorem et ballivos ac pares dicte ville Guardiano sive custodi predicto pro tempore presentari, et per ipsum Guardianum in perpetuos presbiteros sive Vicarios(......) ad presentationem ipsam in Guardianum pro illo anno inibi deputari et institui debeat, et habeat ipse Guardianus post obtentam institutionem suam durante anno, pro quo electus seu institutus fuerit, super omnes dicte ecclesie sancti Nicolai presbiteros seu Vicarios, ac parrochianos potestatem, et ipsorum ac parrochianorum predictorum curam exerceat animarum, eadem auctoritate statuimus et ordinamus, ac ius patronatus et presentandi Guardianos, presbiteros predictos in Vicarios instituendos, et Guardianum presbiteris sive Vicariis per eos instituendis prefatis superiori preposito sive maiori, ballivis ac paribus dicte ville pro tempore existentibus imperpetuum prelibata auctoritate concedimus, iure tamen aliarum parrochialium ecclesiarum et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Non obstantibus priori voluntate nostra predicta ac constitutionibus etc. Nulli ergo etc. Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXX.quarto, sexto Idus Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCCLXXVIII.

Georgio episcopo Dunkeldensi datur littera passus. Reg. Secret. Tom. II. fol. 223.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Universis etc., salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Georgius Episcopus Dunkeldensis, continuus commensalis noster, pro nostris et apostolice sedis ac suis peragendis necessariis negociis ad diversas mundi partes habeat sepe numero se conferre: Nos cupientes eundem Episcopum, quem motu proprio, non ad ipsius vel alicuius alterius pro eo nobis super (hoc) oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate, etiam quamdiu a Romana Curia absens erit, omnibus et singulis ac illis prorsus similibus gratiis, favoribus, exemptionibus et indultis, quibus alii prelati palatini continui commensales nostri in palacio nostro, et circa personam nostram residentes utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, perinde in omnibus et per omnia, et sine alia differentia ac omni fictione cessante, ac si de numero prelatorum domesticorum et apud personam nostram residentium esset, frui, uti, potiri et gaudere posse et debere, auctoritate apostolica tenore presentium volumus, decernimus et declaramus, cum comitiva sua, sociis, familiaribus, equis, salmis, valisiis, bogetis, rebus et bonis suis omnibus in eundo, stando et redeundo plena ubique securitate et immunitate ac favorabili tractacione gaudere, Universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur in Dño, subditis vero nostris et gentium armigerorum Capitaneis ac conductoribus ubique ad nostram et Romane ecclesie stipendia militantibus districte precipiendo mandamus, quatenus eundem Georgium Episcopum cum comitiva, sociis et familiaribus equestribus et pedestribus suis usque ad numerum sex, necnon equis, salmis, valigiis, bogetis, rebus et bonis predictis, dummodo illa mercimonii causa non adducantur, per nostra et vestra territoria, ac in vestris provinciis passus, portus, pontes, barcas, et loca quelibet tam per terram quam per aquam etc. usque permittatis inferri etc. Presentibus ad biennium dumtaxat duraturis. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXIIII. XV. Kalendas Decembris, Pont. nostri anno primo.

DCCCLXXIX.

Ecclesia parochialis de Athuaryg Tuamensis dioecesis in collegiatam erigitur. Reg. Tom. VI. fol. 97.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam Romani Pontificis in sede Petri divina disponente clementia presidentis in hiis, que divini cultus augmentum et ecclesiarum presertim statum prosperum et felicem concernunt, pia et continua versatur intentio: idcirco ecclesiarum ipsarum statum et formam in melius sepe commutat,

auget, erigit et reformat, prout matura consideratione prehabita rebus, temporibus et locis id conspicit in Domino salubriter expedire. Sane pro parte dilecti filii Iohannis de Burgo Canonici Tuamensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum Venerabilis frater Donatus Archiepiscopus Tuamensis provide considerans, quod si parrochialis ecclesia opidi de Athuaryg Tuamensis diocesis, que in loco satis populoso sita erat, et cuius animarum cura parrochianorum per Vicariam perpetuam exercebatur, et in qua Rectoria et una perpetua Vicaria, que de iure patronatus laicorum existunt, fore noscuntur, et quas prefatus Iohannes ex concessione et dispensatione apostolica sub uno et eodem tecto obtinebat, prout obtinet, in Collegiatam ecclesiam cum personis seu clericis secularibus, qui inibi divina officia celebrarent, et unum Capitulum una cum Guardiano seu Custode, qui foret pro tempore, facerent, et privilegiis aliarum Collegiatarum ecclesiarum gauderent, devotio parrochianorum et aliorum fidelium erga prefatam ecclesiam in dies magis augeretur, et cultus divinus inibi susciperet incrementum, et in decorem tenderet, ac dicti opidi non modicam venustatem: ipse Archiepiscopus ex premissis et aliis rationabilibus causis tunc animum suum moventibus, ad honorem Omnipotentis Dei et beate Marie Virginis, sub cuius vocabulo dicta parrochialis ecclesia fundata existit, ecclesiam ipsam ordinaria auctoritate in Collegiatam cum Guardianatu seu custodia presentis Guardiani seu Custodis, qui inibi sit caput, et octo presbiterorum numero pro membris, que inibi cum Guardiano seu Custode unum Capitulum cum aliis preheminentiis et insigniis Collegiatarum ecclesiarum, salvo regimine ipsius Iohannis Rectoris in Guardianatu seu Custodia, quamdiu viveret, provida deliberatione prehabita erexit, ac Rectoriam et Vicariam predictas, omnesque decimas, que infra confines et terminos parrochie dicte parrochialis ecclesie, prout in longitudine et latitudine se extendit, percipiuntur, fructusque, redditus et proventus ipsam ecclesiam concernentes ad ius et proprietatem dicte Collegiate ecclesie voluit, statuit et decrevit perpetuo pertinere, ac Rectoriam et Vicariam predictas, dictosque fructus, decimas et proventus Guardianatui seu Custodie, ac mense capitulari dicte erecte ecclesie eadem auctoritate perpetuo univit, annexuit, incorporavit, applicavit et appropriavit, ita quod ad gubernationem, administrationem et dispositionem Guardiani seu Custodis, et ipsius ac presbiterorum dictam ecclesiam deservientium substentationem cedere deberent. Quodque prefatus Iohannes dictus Guardianus vel Custos nuncuparetur, et possessionem erecti Guardianatus huiusmodi, prout ante fecerat Rectorie et Vicarie predictarum administrationem, continuare posset et deberet, et quod tales presbiteri per patronum et prepositum ballivum et pares opidi de Athuaryg, vel prepositum ballivum et pares ex donatione patroni eidem Guardiano presententur, et per eum tanquam Vicarii curam animarum in solidum gerentes instituantur et confirmentur, et quod Guardiano ipso moderno cedente vel decedente, ad presentationem predictorum patroni, prepositi ballivi et ceterarum parium personarum dicti opidi, vel ad presentationem prepositi ballivi et parium ex donatione patroni, si eum ius suum eis donare contingat, singulis annis removibilis, per ipsos Vicarios Guardianus vel Custos instituatur, ac post institutionem huiusmodi factam Guardianus ipse super omnes Vicarios potestatem haberet, ac super eos in parrochianos curam principalem, et ceteri presbiteri in solidum Vicarii curam exerceant animarum, similiter ordinavit, prout in dicti Archiepiscopi litteris, quarum tenorem, ac erecte ecclesie fructus, ac Rectorie et Vicarie predictarum ultimarum vacationum modos hic haberi volumus pro expressis, plenius dicitur contineri. Quare pro parte tam dicti Iohannis, quam dilecti filii Thome Berymesayn, dicte ecclesie patroni, nobis fuit humiliter supplicatum, ut erectioni, voluntati, statuto, decreto, ordinationi, unioni, annexioni et incorporationi, applicationi ac appropriationi prefatis, nec non omnibus et singulis in dictis litteris contentis, pro illarum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, ac alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum statum augeri, nostris presertim temporibus, plurimum letamur in Dño, et ad hoc favores nostros libenter impartimur, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem dicte ecclesie in Collegiatam cum Guardianatu seu custodia pro uno Guardiano seu Custode pro capite, et numero octo presbiterorum secularium pro membris Collegii cum aliis insigniis collegialibus, ac voluntatem, statutum, decretum, ordinationem, unionem, annexionem, incorporationem, applicationem et appropriationem decimarum, et aliorum fructuum ac proventuum predictorum, ac prout illa concernunt, omnia alia et singula in litteris dicti Archiepiscopi contenta, auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus et approbamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplemusque omnes et singulos defectus tam iuris quam facti, si qui forsan intervenerint in eisdem, et nihilominus pro potiori premissorum robore ecclesiam predictam in Collegiatam cum Guardianatu seu custodia pro Guardiano seu Custode, qui inibi sit caput, et presbiterorum seu Vicariorum numero huiusmodi, que inibi membra cum dicto Guardiano seu custode Capitulum constituant, cum communi sigillo, archa sive bursa, mensa et aliis collegialibus insigniis, iuribus, oneribus et honoribus ad instar aliarum Collegiatarum ecclesiarum ad honorem omnipotentis Dei et beate Virginis Marie, sine alicuius alterius preiudicio, de novo erigimus, nec non Guardianatui seu custodie Rectoriam et Vicariam predictas, omnesque decimas, que infra confines et metas dicte parrochie percipiuntur, mense capitulari eiusdem Collegii perpetuo unimus, annectimus, incorporamus, applicamus et appropriamus, ita quod liceat Guardiano seu Custodi, et personis ipsius erecte ecclesie per se, vel alium

seu alios decimarum, fructuum et proventuum predictorum possessionem auctoritate propria apprehendere, et perpetuo retinere, cuiusvis licentia super hoc minime requisita, quod prefatus patronus, ac heredes et successores sui pro tempore existentes, prepositus ballivus dicti opidi, vel prepositus ballivus et pares ex donatione iuris patronatus tam ad Guardianatum seu custodiam, quam loca presbiterorum huiusmodi, quotiens illa pro tempore vacare contigerit, personas idoneas nominare et presentare, ipseque Guardianus vel Custos presentatos in perpetuos Vicarios in eodem Collegio ad presentationem eandem instituere, Guardianus vero sive Custos prefati per eosdem ¡patronum, prepositum ballivum et pares annis singulis removibilis esse debeat, et semper novus Guardianus sive Custos eisdem presbiteris sive Vicarios presentari, et per ipsos presbiteros sive Vicariis ad presentationem ipsam inibi deputari et institui debeat, et habeat ipse Guardianus post obtentam institutionem anno durante, pro quo institutus fuerit, super omnes dicte ecclesie Vicarios potestatem, et ipsorum ac parrochianorum ipsius ecclesie curam exerceat animarum, ac eius patronatus et presentandi Guardiano presbiteros predictos in Vicarios instituendos, et Guardianum presbiteris per eos similiter anno quolibet instituendum, prefatis patrono, preposito ballivo et paribus dicti opidi, vel preposito ballivo et paribus dicti opidi pro tempore existentibus ex donatione iuris patronatus, si eis patronus ius suum donare voluerit, concedimus et reservamus, iure parrochialis ecclesie et cuiusvis alterius in omnibus semper salvo. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac nostra, per quam dudum inter alia voluimus et ordinavimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum valorem annuum tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri peteretur, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, et similiter in confirmationibus unionum iam factarum servari volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, approbationis, communitionis, suppletionis, erectionis, unionis, annexionis, incorporationis, appropriationis, applicationis, constitutionis, concessionis et reservationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXIIII. Nonis Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

DCCCLXXX.

Ioannes Dummore praeficitur ecclesiae Limiricensi in episcopum. Brev. Tom. XX. fol. 401.

Dilectis filiis Decano et Capitulo ecclesie Limiricensis

Innocentius PP. VIII. Dilecti filii, salutem etc. Dudum ecclesia Limiricensi, cui bone memorie Thomas Episcopus Limiricensis, dum viveret, presidebat, per obitum ipsius Thome, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris regimine destituta, Nos bone memorie Ricardum Stakpoll electum Limiricensem, tunc in XXIIII. vel circa sue etatis anno constitutuum, administratorem in spiritualibus et temporalibus dicte ecclesie, donec XXVII. dicte etatis annum attingeret, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio constituimus et deputavimus, ac ex tunc de persona sua eidem ecclesie providimus, ipsumque illi preficimus in Episcopum et pastorem. Et deinde prefato Ricardo possessione vel quasi regiminis et administrationis, ac bonorum dicte ecclesie per eum non habita, et durante dicta administratione apud sedem apostolicam vita functo, dictaque ecclesia adhuc per obitum ipsius Thome vacante: Nos eidem ecclesie sic vacanti de persona dilecti filii Iohannis Dummore, Decretorum Doctoris, Canonici Exoniensis, nunc Episcopi vestri, de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providimus, ipsumque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris, quas ad vos cum presenti Brevi transmittimus, plenius continetur. Et licet dudum alie littere nostre super provisione et prefectione Iohannis huiusmodi expedite fuissent, ipseque Iohannes easdem litteras ad partes illas, ut possessionem vel quasi regiminis et administrationis ac bonorum predictorum illarum vigore assequeretur, transmisisset, nihilominus casu fortuito littere ipse simul cum nuncio in mari submerse et deperdite fuerunt. Unde dictus Iohannes pro adipiscenda huiusmodi possessione alias litteras duplicatas usque nunc mittere non potuit. Et cum dictus Iohannes, qui unus ex prelatis nobis assistentibus, ac Carissimi in Christo filii nostri Henrici Anglie Regis Illustris apud nos procurator et orator existit, arduis in Romana Curia occupatus negotiis ad partes illas ad presens proficisci nequeat, et propterea Venerabilem fratrem nostrum Edimundum Episcopum Clocorensem, in tota Hibernia fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum collectorem, suum in spiritualibus et temporalibus generalem Vicarium constituerit cum potestate recipiendi omnes et singulos fructus, redditus et proventus mense Episcopalis Limiricensis, qui a tempore illius vacationis obvenerint, et recipiendi computa, rationes et reliqua tam a vobis, quam a quibuscumque Vicariis sive administratoribus bonorum dicti Episcopatus, sede Episcopali vacante, qualitercumque deputatis, qui fructus huiusmodi receperunt: discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Edimundum, et quemcumque alium per eundem Iohannem litteris suis, seu instrumento publico deputandum Vicarium debito honore prosequentes, eius vel eorum salubria monita et mandata reverenter suscipiatis, et efficaciter adimplere curetis, ac de omnibus fructibus, redditibus, proventibus iuribus et obventionibus dicte mense, etiam qui a tempore illius vacationis obvenerunt, ut prefertur, et in futurum obvenient, sibi cum effectu respondeatis, ac quilibet vestrum in solidum respondeat, ac a dictis Vicariis sive administratoribus, sede vacante,

deputatis plenarie et integre responderi faciatis. Alioquin sententiam, quam idem Edimundus, sive alii deputandi et creandi in posterum Vicarii rite tulerint in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. Rome etc. die VIII. Iulii 1485. Pontificatus nostri anno primo.

Archipo Cassellensi super eodem argumento.

DCCCLXXXI.

Legato sedis apostolicae, ut pacem inter Iacobum regem Scotiae et regnicolas omnimodis reconciliet. Reg. Secret. Tom. III. fol. 448.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Iacobo Episcopo Imolensi, ad Carissimum in Christo filium nostrum Iacobum Scotorum Regem Illustrem, illiusque Regnum, provincias, villas, civitates et dominia nostro et apostolice sedis cum plenaria potestate Legati de latere Commissario et Oratori, salutem etc. Illius, qui pacis est auctor, et per quem Reges regnant, vices meritis licet insufficientibus gerentes in terris, illa, que ad pacem et obedientiam sunt, precipue inter Catholicos Reges et subditos, supernis desideriis amplectimur, et paterna caritate, ut perpetuo persistant, favorabiliter prosequimur, ac illis apostolici muniminis robur efficaciter et libenter apponimus: turbatores vero pacis et obedientie, cuius possessione nil suavius nichilque dulcius esse potest, ne impium eorum propositum nimium invalescat, sed ab illo, si non virtutis amore, metu tamen pene retrahantur, ecclesiastico mucrone procellimus, ut etiam ceteri eorum exemplo perterriti a perniciosis actibus se abstineant, et ad inobedientiam in suos Principes non audeant prosilire. Sed etsi in aliqua parte orbis terrarum pacem et obedientiam vigere, ac turbationum et dissidiorum fomenta evelli desideremus, id profecto in Regno Scotie eo ferventius fore exoptamus, quo Reges illius, ac etiam Regnicole, postquam ubera sancte matris ecclesie suggere inceperunt, in ipsius obedientie constantia firmius perseverarunt, nec a Catholice fidei rectitudine aliquo tempore deviarunt.

Sane dudum, dum in minoribus essemus constituti, et etiam postquam divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti fuimus, probata experientia cognovimus, modernas provisiones ecclesiarum etiam Cathedralium dicti Regni non cum ea quiete et concordia processisse, prout antiquis temporibus processerant, admirantes unde ista ita ecclesie et Regno damnosa provenire possent; nam sic ad ecclesias ipsas promoti et promovendi, vel alii pro eis, cum in Romana Curia presentes sunt, asserunt Carissimum in Christo filium nostrum Iacobum Scotorum Regem Illustrem cuiuslibet eorum promotionem affectare, ac sibi favores suos impendere; cum ita esse impossibile sit, et quandoque contrarium experientia edocuit, et perquirentes more boni patris, qui filiorum discordias omni studio extirpare desiderat, ac periti medici, qui ut infirmitati congruentem medelam adhibere possit, infirmitatis originem et qualitatem perquirunt, reperimus per relationem fidedignorum, quod ea occasione precipue eveniunt, quod nonnulli Regnicole in Regem et in statum eius cervicem erigere non erubuerunt, ac etiam ex multis inter Regnicolas initis conspirationibus et confederationibus, ex quibus bella, seditiones, turbationes, homicidia, agrorum depopulationes, hominum captivitates et alia mala innumera exorta fuere, et non solum ecclesia laniatur, Dei cultus diminuitur et contemnitur, sed iustitia non ministratur, totumque Regnum depauperatur et destruitur: de quibus summe ex intimis et non absque magna nostre mentis amaritudine condoluimus, et precipue quod in tantum Regem ac nobilissime et antiquissime familie Regie domus Scotorum, que plura tempora etiam ante Christi adventum ibidem dominata est, talia hoc tempore a quibusdam subditis suis perpetrata existunt. Nichilominus intelleximus, quod operante divina clementia premissa omnia quasi sedata sunt bonitate Regis, qui a Deo et piissima matre Maria semper Virgine a tot malis liberationem recognoscens, more veri Christiani ac sua innata benignitate prefatis offensoribus suis indulsit, ac libere et sponte tales illatas iniurias condonavit et remisit, ac de illis oblitus est, atque ita tales offensores amore et affectione prosequitur, ac si nunquam talia contra ipsum perpetrata fuissent, illius vestigia imitatus, qui etiam pro suis persecutoribus exoravit: quam remissionem plurimum in Domino commendamus, illamque approbamus et paterna caritate amplectimur, obsecrantes per viscera misericordie domini nostri Ihesu Christi Regem ipsum, ac Regni Prelatos et Principes, ac alios omnes Regnicolas quocumque nomine nuncupatos, ut pacem et concordiam amplecti et observare, ac a discordiis et desidiis, que mala omnia parturiunt, totis conatibus abstinere studeant, ac laudabiles et suavissimos fructus, quos parturit concordie et obedientie dulcedo, suis animis gustent, quos si gustaverint, nunquam ad dissidia prosilient.

Et quia Romanus Pontifex, totius gregis dominici pastor universalis, de Regibus et Principibus legitimis debet ex debito pastoralis officii specialem curam habere, ac auctoritatem apostolicam pro eis penitus exercere, et maxime pro dicto Rege et eius stirpe, que Christo Redemptori nostro et sedi apostolice semper fidelissima fuit, ut eo facilius Rex ipse suo Regno subvenire, illiusque universali ecclesie, sicut solitus est ac ex consuetudine Regia tenetur, valeat, ac eius in dicto Regno regimini successores pro tempore similiter valeant, et ut Dei cultus manuteneatur et augeatur, animarum periculis obvietur, et bonum totius Regni reparetur et procuretur, necnon conspirationibus, confederationibus aliisque premissis oportune provideatur et obvietur, motu proprio et ex certa scientia, non ad ipsius Regis, vel alterius pro eo desuper oblate petitionis instantiam, sed ex nostra mera et libera voluntate, ac de fratrum nostrorum consilio, et assensu unanimi sacrosancte Romane ecclesie Cardinalium hortamur in Christo, et rogamus prefatum Iacobum Regem

Scotorum Illustrem, filium Carissimum, per viscera misericordie domini nostri Ihesu Christi, ut tales concessas indulgentias, more Regio, ratas habeat atque gratas, et nunquam contraveniat aliquo quesito colore vel causa: hortamur etiam et monemus omnes et singulos ecclesiasticos et prelatos, etiamsi Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, vel alia quacumque prefulgeant dignitate, sive regulares, sive seculares, exemptos et non exemptos, cuiuscumque gradus, Duces, Comites, Barones, Nobiles, Dominos quocumque nomine nuncupatos, Cives, Burgenses, Universitates quascumque, et universaliter omnes et singulos subditos et Regnicolas, ut sub dicti Regis obedientia et fidelitate, ac successorum suorum legitimorum iuxta dictum Apostoli « Regibus obedite » maneant, nunquam contraveniant aliquo quesito colore vel causa, ac ut ex fidelitatis debito tenentur, fideliter perseverent, et quod se ut homines veri et fideles emendent et non perseverent ut demones, sed ab omni conspiratione et confederatione ac inobedientia in statum Regium penitus desistant, ita quod quemadmodum Rex Scotorum hominum, et non terre ut alii, specialiter nominatur, ita per subditorum veram obedientiam et fidelitatem in veritate et in facto eorum Rex prefulgeat et sit, quod tales perseverando in malis non velint hoc tempore nomen infidelitatis adipisci, cum eorum maiores et ipsi semper fuerint fidelissimi, et ita fuisse bene merito glorientur. Preterea de fratrum predictorum consilio et assensu constituimus et ordinamus, ne quis Regnicola ex predictis audeat imposterum contra Regem vel eius statum verbo aut facto rebellionem quovis tempore facere vel tractare, vel aliquid contra inferre vel inferri facere, vel manus in personam ipsius Regis vel suorum familiarium aut eius successorum legitimorum in Regno mittere per se, vel per quoscumque alios etiam extraneos, vel contrafacientes quoquomodo manutenere et adiuvare, vel se eis associare, aut cum eis publice vel occulte participare, vel ipsos aut eorum bona ad dictorum malignantium utilitatem receptare, vel eis panem, vina, cervisiam, blada, carnes, pisces, vel alia ad victum facientia, aut equos, homines, currus, arma quecumque, navigia, pecunias, merces vel alias res eis quoquomodo concedere, vel quod alii concedant permittere non audeat nec presumat, ymo debeat prohibere iuxta posse, nec in predictis, vel aliquo predictorum et infrascriptorum prestent auxilium, consilium vel favorem tacite vel expresse, directe vel indirecte, quodque aliqui ex Regnicolis nullas conspirationes, confederationes vel coniurationes inter se ipsos vel aliis extra Regnum, cum sint omni iure prohibite, et in animarum suarum periculum, ac Dei et Regie Maiestatis offensam et scandalum plurimorum fiant, nec exercitus vel conventicula facere vel arma assumere, nisi de mandato Regis expresso. Nos enim tales coniurationes, confederationes, conspirationes et pacta factas et faciendas, facta et facienda ex quibuscumque coloribus et causis, penis quibuscumque, iuramentis et vinculis roboratas et roborata, ex nunc prout ex tunc dissolvimus, irritamus et annullamus, et ita esse nullas et nulla ipso iure decernimus, declaramus et diffinimus: et ne aliquis Regnicola ex predictis, spretis dictis nostris exhortationibus et monitionibus, constitutionibus ac ordinationibus, audeat aliquo tempore contravenire in predictis vel aliquo predictorum, aut aliquid contra ea vel eorum aliquod temerarie attemptare vel innovare, sed timore penarum abstineat et retrahatur, quicumque de predictis in aliquo predictorum contravenerit, omnibus infrascriptis ipso iure subiaceant penis. Nam si civitas aliqua, villa vel burgus, aut aliqua alia Universitas vel Collegium quocumque nomine nuncupatum fuerit, ipso iure ecclesiastico supponimus interdicto, cum omnibus locis sibi subditis vel adherentibus, et nichilominus privetur ipso iure et ipso facto omnibus libertatibus, privilegiis, immunitatibus realibus et personalibus sub quacumque verborum forma concessis a sede apostolica, vel Regali celsitudine, vel aliis quibuscumque, et ipsius subditos et obligatos ipso iure solutos esse decernimus, et ex nunc prout ex tunc absolvimus et liberamus ab huiusmodi fidelitatibus, obligationibus et iuramentis: principales vero factiosi in dicta universitate vel universitatibus et eorum descendentes infrascriptis subiaceant penis, si Archiepiscopus, Episcopus, Abbas vel quivis alius ecclesiasticus regularis vel secularis, exemptus et non exemptus, sit ipso iure excommunicatus, et a regimine et administratione ecclesie sue, seu Monasterii remotus et privatus, (si) Dux, Comes, Baro vel quivis dominus vel primatus, vel quivis alius Regnicola, illius villas, loca et dominia similiter ecclesiastico supponimus interdicto strictissime observando, et nichilominus Ducatu, Comitatu, Baronia, quovis dominio et bonis ipso facto et ipso iure priventur, et sine alia declaratione privatus existat, et in sententiam excommunicationis ipso facto incidat.

Ceterum statuimus et ordinamus, quod si aliquis ita innodatus in mortis articulo a dicta fuerit sententia absolutus, licet super hoc sit satis de iure provisum, ne autem aliquis pretextu iuris ignorantie se valeat excusare, volumus et declaramus, quod taliter absolutus, nisi postquam ad convalescientiam pervenerit, de iniuriis et aliis illatis damnis ipsi Regi, vel aliis pro eius Regia Maiestate intervenientibus restitutionem et satisfactionem fecerit, in eandem excommunicationis sententiam ipso facto incidat, communionem cum tali contrafaciente, et participationem quamlibet omnibus Christifidelibus ex nunc prout ex tunc sub simili excommunicationis pena interdicimus et omnino prohibemus: ita quod nullus eisdem pactis, confederationibus, consiliis, favoribus, vel quovis alio modo eis assistere, seu assistentibus consilium vel favorem dare presumat, et qui contrafecerit, ipsum infamem et inhabilem perpetuo esse et remanere decernimus, ita quod non possit condere testamentum, vel aliquam aliam ultimam voluntatam, nec aliquis valeat ei ex testamento, vel ab intestato, neque ipse aliis quovis modo succedere. Insuper nullus ei teneatur vel cogatur in aliquo negotio vel cau-

sa, sed ipse aliis respondere, nullusque ei in aliquibus negotiis patrocinetur vel possit procurare, neque ipse ad patrocinandum aliis admittatur, nec ad deponendum testimonium quovis negotio contra aliquos, vel ad alios legitimos actus, sed alii bene contra eum admittantur.

Volumus etiam et decernimus, quod si tabellio fuerit, vel alius, cui de iure vel alias daretur fides, nullo modo ei decetero vel eius scripturis credatur, sed cum suo auctore damnato damnate reputentur. Si vero iudex fuerit, nulla causa ad eius auditorium deferatur, neque sententie eius valeant, vel processus, et si aliqua privilegia, immunitates, libertates reales et personales sub quacumque forma verborum, vel quevis alia habeat vel tenere noscatur, ex nunc prout ex tunc ipso iure privetur, et si in feudum vel emphiteosim, vel aliquo quocumque titulo aliqua dominia, terras, domos vel quecumque alia bona habeat, vel beneficia aut officia, seu dignitates ecclesiasticas vel mundanas sub quocumque nomine nuncupatas obtineat, ipso iure sit eis penitus privatus, possintque ex tunc ipse dignitates, officia et beneficia, tanquam per privationem huiusmodi vacantia a te, seu a quocumque alio ad id potestatem habente libere et licite impetrari, et ipse et sui descendentes usque ad tertium gradum inclusive ad omnes dignitates, administrationes, officia et beneficia ecclesiastica vel mundana sub quovis nomine habita et habenda ipso iure reddantur inhabiles et priventur, concedentes liberam facultatem et potestatem illis, ad quos dicta feuda et alia bona predicta quovis iure pertinent, propria auctoritate et sine aliqua alia auctoritate et solemnitate capiendi, et de eis disponendi, secundum quod eis melius magis expediens videbitur faciendum, et si infra terminum unius mensis a die declarati delicti inchoandum de dictis bonis seu rebus non disposuerit, ille, cui pertinent, de illis pro illa vice tantum (non) amplius disponere possit, sed reserventur dispositioni superioris laici, si ecclesiasticus fuerit dispositioni apostolice sedis. Et nichilominus a dictis penis tales ita involuti et puniti, preterquam a Romano Pontifice, non possent absolvi, nec aliqualiter ab aliquo alio cum eis dispensari, et quicquid contra predicta vel aliquod predictorum attemptabitur, ipso iure nullius sint roboris vel momenti et careant omnino robore firmitatis.

Demum quia predictis delictis condigna pena reperiri non potest, bona mobilia ipsorum delinquentium occupantibus fidelibus dumtaxat ex nunc prout ex tunc concedimus pleno iure, immobilia vero eorum superioribus eodem iure confiscamus, personas vero ipsorum capientibus damus in perpetuam servitutem, fiant eorum domus deserte, et non sint, qui habitent in eis, dentur cuncta eorum edificia in ruinam, et ut perpetuam eorum delinquentium notam infamie edificiorum perpetua ruina testentur, nullo unquam tempore reparentur. Obedientes vero et fideles Regie Corone (alias Regie Maiestati) etsi obedientia talis et fidelitas ad cumulum bonorum temporalium glorieque eterne meritum eis valeant, Nos tamen auctoritate Dei omnipotentis, cuius vices gerimus in terris, benedicimus, et nos et hanc sedem offerimus eis fore liberales et gratiosos: porro cum nos pro parte Regis et Regni ac Archiepiscoporum et Episcoporum et aliorum ecclesiasticorum, Ducum, Baronum aliorumque Regnicolarum predictorum premissa omnia fecerimus, statuerimus et ordinaverimus, et has presentes nostras litteras desuper concesserimus, de fraternitatis tue probitate, integritate, prudentia et bonitate, aliisque virtutum meritis, quibus personam tuam Altissimus illustravit gratiarum muneribus, plurimum in Domino confidentes, firmam spem fiduciamque tenentes, quod tu a Deo tibi concessa industria eisdem Regi et Regno, illiusque Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Baronibus aliisque Regnicoli predictis valde perutilis eris, ac etiam fructuosus, matura semper deliberatione cum eisdem fratribus prehabita, fraternitatem eandem de fratrum eorumdem consilio unanimi ad dictum Iacobum Regem Illustrem, illiusque Regni provincias, civitates, villas et dominia pro pace et quiete Regis et Regnicolarum predictorum nostrum et apostolice sedis Commissarium et Oratorem cum plena potestate legati de latere presentialiter duximus destinandum: et ut in premissis per te exequendis, dirigendis et sedandis negociis optima assit facultas, tibi per te vel alium seu alios premissa omnia et singula, prout superius enarrantur, ac litteras huiusmodi, ne de ipsorum aliquo valeat aliquis ignorantiam allegare, in aliqua, quam malueris, Cathedrali ecclesia dicti Regni auctoritate apostolica vice nostra publicandi, intimandi, insinuandi et notificandi, necnon penas predictas et earum quamlibet, prout melius in domino expediens fraternitati tue videbitur, mutandi, moderandi, augendi et corrigendi, ac in quibuscumque articulis premissis aliter statuendi et ordinandi, deformata reformandi, indirecta dirigendi, et nichilominus contradictores quoslibet et rebelles per predictas et alias censuras et penas ecclesiasticas, et quecumque alia iuris et iustitie remedia dicta auctoritate compellendi, omniaque alia in premissis et contra ea necessaria, seu quomodolibet oportuna faciendi et exequendi, quibuslibet privilegiis, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, sub quacumque verborum forma vel expressione concessis, que nulli, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, preeminentie vel ordinis existat, in hac parte volumus suffragari, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem pariter et auctoritatem. Nos enim ex nunc prout ex tunc omnes et singulas sententias, censuras et penas, quas rite tuleris in contradictores quoslibet et rebelles, nec non quecumque omnia et singula, que per te in premissis et circa ea, ac eorum quodlibet, et alias ultra facultatem tibi concessam, super quibus tibi plenarie committimus vices nostras, fieri et exequi contigerit, ratas et rata, atque gratas et grata habebimus, ac faciemus ex eorumdem fratrum unanimi assensu, ac si consistorialiter facte et facta

forent, Deo propitio et auctore, inviolabiliter observari. Non obstantibus constitutionibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, Nonis Augusti, Pont. nostri anno primo.

DCCCLXXXII.

Roberto episcopo Glasguensi, ut in diocesi sua subsidium caritativum exigere possit. Reg. Secret. Tom. IV. fol. 542.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Roberto Episcopo Glasguensi, salutem etc. Exigit tue devotionis affectus, quo nos et Romanam revereris ecclesiam, ut petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Cum itaque tu pro prosecutione tue translationis de ecclesia Aberdonensi, cui olim preeras, ad ecclesiam Glasguensem tunc vacantem, grandia subieris onera expensarum, et propterea nonnullis mercatoribus et aliis personis, a quibus pecunias per te propterea expositas mutuo habuisti, in magna pecunie summa obligatus existas: Nos attendentes, quod divisa in partes onera levius perferuntur, et equum reputantes et congruum, quod persone ecclesiastice tuarum civitatis et diocesis Glasguensis tecum huiusmodi onera partiantur, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut a Cathedralis et Collegiatarum ecclesiarum Capitulis, ac Monasteriorum, Prioratuum et aliorum religiosorum locorum quorumlibet ordinum, etiam Cluniacensis et Cisterciensis, Abbatibus, Prioribus et Conventibus civitatis et diocesis predictarum, nec non ab omnibus et singulis personis ecclesiasticis secularibus et ordinum quorumcumque regularibus, etiam a tua ordinaria iurisdictione exemptis et sedi apostolice immediate subiectis, beneficia ecclesiastica in eisdem civitate et diocesi obtinentibus, caritativum subsidium, iuxta Capitulorum, Conventuum et beneficiorum eorumdem facultates et consuetudinem, in huiusmodi subsidii exactione ab aliis non exemptis servari solitam, in eisdem pro suis ecclesiis et terris mortificatis et ecclesiis in dictis civitate et diocesi consistentibus, non solum semel dumtaxat, sed etiam si semel solutum ad totalem exonerationem non sufficiat, etiam iterato semel petere et exigere, et eos ad illius solutionem per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia compellere libere et licite valeas, auctoritate apostolica, presentium tenore concedimus. Et nichilominus Venerabili fratri nostro Epo Dumblanensi, et dilectis filiis Precentori ecclesie Segobricensis ac officiali Glasguensi per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios faciant auctoritate nostra tibi, vel tuo procuratori tuo nomine iuxta huiusmodi concessione nostre tenorem a predictis Capitulis, Conventibus et personis, etiam exemptis, infra competentem terminum, eorum arbitrio moderandum, huiusmodi subsidium non solum semel, sed etiam, si illud ad integram debitorum solutionem non sufficiat, iterato semel in alio anno integraliter persolvi. Contradictores etc. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, mandati et concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo, pridie Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

Eidem Episcopo conceditur primi anni medietas omnium fructuum beneficiorum in civitate et diocesi Glasguensi. Datum ut supra.

DCCCLXXXIII.

Iudicibus, ut de vita, moribus, morte et miraculis Margaritae quondam reginae Scotiae se informent et referant. Reg. Secret. Tom. I. fol. 515.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Sancti Andree, et Episcopo Glasguensi, ac dilectis filiis Electo Aberdonensi, necnon Abbati Monasterii sancte Crucis Sancti Andree diocesis, salutem etc. Ut corda fidelium in sui amorem Rex celestis accendat, et incredulos in credibiles convertat ad fidem, sanctos suos gloriosis quotidie magnificat et innumeris decorat miraculis: devotiores enim Christifideles redduntur Altissimo, dum electos eius post huiusmodi vite exitum felicem virtutibus vident coruscare. Cum itaque, sicut pro parte Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris nobis nuper oblata petitio continebat, clare memorie Margarita quondam Regina Scocie, dum in humanis ageret, pie vixerit in hoc seculo, viam salutis docendo verbis pariter et exemplis, cumque presentis vite cursum feliciter consumasset, Altissimus eam multis miraculis illius meritis et intercessione, ut pia fidelium devotio inconcusse credit, operando decoraverit, quo fit, ut innumerosa multitudo Christifidelium Regni Scocie illius animam inter beatissimos spiritus receptam et collocatam fore firmiter dicant, predicent et affirment, ac illius nomen et memoriam pura fidei sinceritate venerentur, eamque aliorum sanctorum et sanctarum Dei cetui ab Altissimo aggregatam illorum cathalogo in militanti ecclesia merito etiam aggregari debere arbitrentur. Quare pro parte prefati Regis, et universorum fere Prelatorum et procerum dicti Regni eiusdem Regine meritis et miraculis huiusmodi, ac mira multitudinis fidelium eorumdem sollicitudine compulsorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eandem Reginam, concurrentibus ad id requisitis vite sanctimonia, meritis, et miraculis, iuxta ritum et consetudinem Romane ecclesie sanctorum cetui numero et cathalogo de fratrum nostrorum consilio aggregare, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, cum non deceat apud homines eam ignotam relinquere, quam merita sanctam ostendunt et miracula, de premissis certam noticiam non habentes, ac volentes in certis festinos, et lentos in dubiis inveniri, Regis, Prelatorum et procerum pre-

dictorum in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestre, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, auctoritate apostolica tenore presentium committimus et mandamus, quatenus vos vel tres seu duo vestrum de premissis, et aliis requisitis iuxta Romane ecclesie ritum et consuetudinem in sanctorum Canonizatione generalem fieri solitam diligentem, et rei magnitudine accuratam inquisitionem, instante fidei catholice, si quis in Regno predicto fuerit, alioquin per vos auctoritate nostra ad hoc specialiter deputando procuratore, et super articulis per eundem procuratorem coram vobis producendis faciatis auctoritate nostra predicta, ac omnia et singula, que inveneritis, manu fidelium et publicorum notariorum ad id per vos assumendorum in scriptis fideliter redigi, conscribi et annotari facere dicta auctoritate nostra curetis, ac nobis vestris sigillis clausa et sigillata remittatis et referatis, ut habita vestra relatione fideli ad requisitam et solitam specialem sanctimonie vite dicte Regine, miraculorum, quibus Regina ipsa in vita et post mortem claruisse universus fere populus ipsius Regni tenet, credit et affirmat, aliorumque necessariorum ad canonizationem (canonicam) huiusmodi inquisitionem de fratrum nostrorum s. Rom. ecclesie Cardinalium consilio procedere, et eiusdem Canonizationis negocium, prout Altissimus inspiraverit et fuerit faciendum, prosequi libere et licite valeamus. Interrogatoria, super quibus persone fidedigne et omni exceptione maiores per vos auctoritate nostra recipi et examinari debent, sunt infrascripta, videlicet: An clare memorie Margarita olim Regina Scocie fuerit christiana fidelis catholica, irreprehensibilis vite verbo, re et facto, et an pro tali et ut talis fuerit habita, tenta, nominata et reputata. An ipsa Regina fuerit de legitimo matrimonio procreata, et pro tali et ut talis habita, tenta, nominata et reputata. An secundum ordinationes et instituta sancte matris ecclesie baptizata et confirmata, ac etiam toto tempore, quo in humanis egit, maxime honestatis extiterit. An laudabilis vite, ac sanctitate et doctrina optimisque moribus pollens extiterit, et pro tali et ut talis habita, tenta, nominata et reputata. An assidue in orationibus erga Deum et sanctos eius vacaverit, et sancte meditationis extiterit. An eadem Margarita Regina fuerit virgo, vel pro virgine, seu saltem continente habita, tenta et reputata. An ipsa Margarita Regina, dum vixit, alia bona fecit, et sic, interrogentur, que bona fecit, et si eius facultates in cibos pauperum Christi erogaverit. An assiduis temporibus confiteretur sacerdoti, et cui sacerdoti, et an Sacramentum Eucharistie cum maxima devotione assumaret, ac Missas et alia divina officia devotissime audiret, divinumque officium continuo diceret, et illud dicere nullatenus intermitteret, et an continuo divinis officiis interesset. An infirmis et miserabilibus personis in eorum necessitatibus subveniret, et alia opera misericordie exerceret. Quas vestes, seu quas pannos inducebat, et qualiter, et quibus pannis induta ibat. An esset nimium loquax, vel parca et rara in loquendo, et an verba ociosa ex proposito unquam locuta fuerit. An in suis infirmitatibus et tribulationibus, quas tempore eius vite passa fuit, paciens fuerit, et illas libenti animo sustinuerit. An importunos sustinuerit, et iniuriantibus sibi iniurias remiserit, et pepercerit. An petentibus auxilium et consilium preberet. An unquam populo sibi commisso verbum Dei predicaret, vel saltem ad bene agendum et Dei precepta servandum hortaretur, eisque preciperet et mandaret, et alia faceret, que ad ipsam tanquam Reginam spectabant et pertinebant. An unquam de aliqua re inhonesta, turpi, vel non permissa fuerit diffamata. An adversantes et invicem odiosos, ac inimicos ad pacem et veram concordiam reduxerit, vel saltem reducere quesiverit. An eadem Margarita toto tempore, quo in humanis egit, et usque ad eius obitum, virtuose et laudabiliter, et absque fama alicuius note sive macule vixerit, et vitam laudabilem duxerit. An tempore eius obitus fuerit pro optima aut bona muliere tenta, nominata et reputata. An ante eius obitum, aut post eadem Margarita fuerit de aliquo crimine vel vicio, aut aliquibus operibus diffamata, et si sic, interrogentur, de quo seu de quibus, et a quibus, ubi, quotiens et quando. An eadem Margarita Regina tempore, quo vivebat, signa miraculosa fecerit, et si sic, interrogentur, que et quibus personis illa signa suis promerentibus meritis Deus ostenderit. An post eius obitum eadem Margarita Regina aliqua miracula, aut signa miraculosa fecerit, aut potius omnipotens Deus in personas dicte Margarite devote se recommendantes miracula, et res miraculosas operata est, et a quanto tempore citra, et si sic, interrogentur de miraculis et miraculosis rebus. An eadem Margarita Regina post eius obitum continuo, et ab omnibus, presertim Incolis loci, in quo corpus eius requiescit, et aliis districtualibus, et convicinis eiusdem pro optima et bona muliere, et laudabilis vite habita, tenta, nominata et reputata fuerit. An eadem Margarita Regina a nonnullis annis citra pro sancta, vel pro beata habita, tenta, nominata et reputata fuerit. An etiam quamplurime et innumerabiles persone ad locum, ubi et in quo eadem Margarita sepulta est, tanquam ad sanctam et in Altissimi gratia existentem, pro obtinendis graciis continuo vadant, et ad eam tamquam ad sanctam vel beatam preces porrecte et orationes dicte fuerint, et hodie porrigantur et dicantur, et alia signa extrinseca facta fuerint, et fiant, que veris et indubitatis sanctis facere licet, et est permissum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo, quarto Nonas Iunii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCCCLXXXIV.

Iudicibus, ut hospitale B. Mariae prope villam de Abodour Dunkeldensis dioecesis sororibus tertii ordinis s. Francisci de poenitentia nuncupati assignent pro educatione pauperum. Reg. Tom. XXVIII. fol. 166.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Dunkeldensi, et dilectis filiis Abbati monasterii sancti Columbe Dunkeldensis diocesis, ac Archi-

diaco ecclesie Dunkeldensis, salutem etc. Inter universa opera divine beneplacita voluntati fundare cenobium, in quo prudentes virgines accensis lampadibus obviam exeunt Christo sponso, ac gratum et debitum exhibeant ei famulatum, non minimum reputamus, cum in eo divinis laudibus glorificetur Altissimus, et per innocentis vite merita gloria eterne beatitudinis acquiratur: et propterea piis desideriis devotarum personarum, que affectant cenobia ipsa fundare, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis, et que propterea provide processisse dicuntur, cum a nobis petitur, nostri mandamus roboris munimine sollidari. Sicut pro parte dilectarum in Christo filiarum Isabelle et Iohanne Wucht, ac Francisce Enesan necnon Iohanne Dirsse sororum tertii ordinis beati Francisci de penitentia nuncupati petitio continebat, quod dilectus filius Iohannes Scot Canonicus monasterii Insule sancti Columbe ordinis sancti Augustini Dunkeldendensis diocesis Rector seu Magister, et fundator Hospitalis pauperum sancte Marie Virginis prope villam de Abodour dicte diocesis, provide considerans, quod si sorores dicti tertii ordinis introducerentur in Regno Scotie, in quo usque tunc non fuerunt, exinde mulieribus dicti Regni et sub regularibus institutis eiusdem tertii ordinis divinis vacare possint beneplacitis, suarumque animarum saluti consulendi occasio et commoditas tribueretur, de consensu nobilis viri Iacobi Comitis de Morray, a quo Hospitale ipsum de orto, agris terrarum per tunc Regem Scotorum mortificatarum dotatum fuisse, Hospitale predictum cum capella, ortis, agris, iuribus, bonis et pertinentiis suis prefatis nominatis sororibus pro earum et aliarum sororum dicti tertii ordinis, que inibi pro tempore habitare vellent, perpetuis usu et habitatione donavit et concessit, prout in quibusdam publicis instrumentis et autenticis litteris desuper confectis plenius dicitur contineri: ipseque nominate sorores donationis et concessionis huiusmodi vigore hospitale ipsum pro earum et aliarum sororum eiusdem tertii ordinis inibi pro tempore habitare volentium perpetuis usibus et habitatione receperunt et extunc inhabitarunt. Quare pro parte earundem sororum nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni et donationi ac amortisationi huiusmodi pro earum subsistentia firmiori nostre confirmationis robur adiicere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui libenter laudabilia gesta tuemur, et ut optatum sortiantur effectum, interponimus sollicitudinis nostre partes, de premissis certam notitiam non habentes, ipsasque Isabellam Wucht ac Iohannam Dirsse et Franciscam, ac quamlibet earum a quacumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate vel irretite existant, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, ac instrumentorum et litterarum huiusmodi tenores presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam vocatis dictis Canonico et Comite, ac pauperum sindico in partibus illis, et aliis, qui fuerint evocandi, de premissis vobis legitime constiterit, sine preiudicio cuiuscumque concessionem et donationem ac amortisationem predictas, et prout eas concernunt, omnia et singula in dictis instrumentis et litteris contenta, ac inde secuta quecumque auctoritate nostra approbetis et confirmetis, suppleatisque omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, et in eodem Hospitali nomen et titulum Hospitalis, et omnia iura hospitalitatis dicta auctoritate penitus et omnino supprimatis et extinguatis, et amortisatione ac suppressione predictis per vos factis, eiusdem Hospitalis structuras et edificia cum illius capella, ortis, agris et aliis bonis predictis, necnon facultatem structuras et edificia predicta reformandi et ampliandi cum dormitorio, refectorio et claustro, ad instar aliarum domorum sororum dicti tertii ordinis in Gallicanis et Flandrie partibus consistentium, eisdem nominatis sororibus, et earum ordini predicto pro eis et aliis sororibus dicti ordinis, que inibi pro tempore habitare voluerint, dicta auctoritate perpetuo largiamini, concedatis et donetis, et eidem domui ac prefatis et aliis eiusdem domus pro tempore sororibus dictam Isabellam, quoad vixerit, in Magistram dicta auctoritate preficiatis, domumque ipsam et illius pro tempore Magistra et sorores cure, directioni, institutioni et reformationi Vicarii fratrum provincie Scotie ordinis fratrum Minorum de observantia nuncupatorum pro tempore existenti, eidemque Vicario, ut eidem Magistre et sororibus de confessore ydoneo provideat, easque dirigat et informet, qualiter divinis vacare debeant beneplacitis, dicta auctoritate precipiatis, ac quod ipse Vicarius eadem prorsus in domum prefatam et eius Magistram pro tempore, et sorores potestate et facultate fungatur, qua similes vicarii in domibus similibus et earum Magistris et sororibus earum cure commissis fungantur, fungi debeat. Et dicta Isabella, et pro tempore existente Magistra dicte domus decedente, aut in manibus sororum eiusdem regimini dicte domus cedente, illa ex sororibus eiusdem domus quam alie illius sorores pro tempore existentes, seu earum maior et sanior pars duxerint eligendam iuxta dicti tertii ordinis instituta, eiusdem domus, quoad vixerit, Magistra existat, et obtenta sue electionis confirmatione a Vicario predicto, libera administratione et ea preeminentia, auctoritate, superioritate ac potestate etiam in corrigendo sorores in eadem domo fungi possit, quibus Magistre similium domorum in regno Francie et provincia Flandrie consistentium in earum domibus funguntur: quodque ipsa Isabella, et que pro tempore inibi erit Magistra, ut caput cum sororibus eiusdem domus Conventum inibi constituant, cum communi archa sive bursa, sigillo et aliis conventualibus insignibus, et in communi ac particulari proprium habere non prohibeantur. Liceatque eidem Isabelle, et

pro tempore existenti Magistre dicte domus puellas et alias mulieres seculum fugientes, et cupientes sub regularibus institutis dicti tertii ordinis Altissimo famulari, in sorores in eadem domo recipere, et illis habitum regularem iuxta dicti tertii ordinis consuetudinem exhibere, necnon ab illis professionem regularem per sorores dicti tertii ordinis emitti solitam, si illam in eiusdem Isabelle et pro tempore existentis dicte domus Magistre sponte emittere voluerint, admittere, et tam ipsi Magistre, quam ea permittante sororibus pro tempore in dicta domo degentibus puellas ex honestis parentibus ortas litteris et bonis artibus instrui volentes in domo ipsa retinere et instruere. Et quod dicto Vicario eas visitare, et electionem Magistre confirmare recusante, loci ordinarius apostolica auctoritate electionem huiusmodi, si canonice fuerit, confirmare debeat, eadem auctoritate statuatis et ordinetis, faciatisque domum, magistram et sorores eiusdem concessione, statuto et ordinatione, ac eis huiusmodi concessis privilegiis et indultis pacifice potiri et gaudere. Contradictores etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXVII. nono Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno tertio.

DCCCLXXXV.

Robertus episcopus Glasguensis una cum suo clero et dioecesi ab omni iurisdictione archiepiscopi Sancti Andreae eximitur, et sanctae sedi immediate subiicitur. Reg. Tom. XXXV. fol. 29.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Roberto Episcopo Glasguensi, salutem etc. Exigentibus meritis tue devotionis, que ad nos et apostolicam sedem gerere comprobaris, inducimur, ut illa tibi favorabiliter concedamus, per que tam tue quam dilectorum filiorum Capituli ecclesie, necnon Cleri et etiam religiosorum quorumcumque tuarum civitatis et diocesis Glasguensium, officialiumque et familiarium tuorum oportune consuli possit. Sane, sicut accepimus, inter te et Venerabilem fratrem nostrum Willelmum Archiepiscopum Sancti Andree, Primatem et legatum natum, post vestrum a Romana Curia, ad quam pro prestanda nobis et dicte sedi obedientia pro parte Carissimi in Christo filii nostri Iacobi Scotorum Regis Illustris oratores veneratis, discessum diverse contentiones et lites exorte fuerunt. Nos igitur, qui dum tu et dictus Archiepiscopus apud nos constituti essetis, prefato Archiepiscopo, ne te et ecclesiam ac civitatem et diocesim tuas predictas quovis modo molestare deberet, vive vocis oraculo mandavimus, teque et ecclesiam ac civitatem et diocesim predictas tunc etiam eodem vive vocis oraculo exemimus, scandalis, que evenire possent, cum aliter de mandato et executione nostris predictis non constet, obviare, ac quieti et tranquillitati tue ac ecclesie predicte consulere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantia, sed de nostra mera liberalitate te et ecclesiam, civitatem et diocesim, ac Capitulum et Clerum, etiam religiosos prefatos, Canonicos quoque et personas ecclesie predicte, nec non Vicarios, officiales, officiarios et familiares tuos, illorumque bona, que impresentiarum possident, et in futurum, prestante Domino, poterunt iustis modis adipisci, quamdiu dicte ecclesie prefueris, sub beati Petri et sedis predicte atque nostra protectione auctoritate apostolica, et ex certa scientia tenore presentium suscipimus, ac ab omni iurisdictione, correctione, dominio, visitatione, superioritate et potestate prefati Willelmi et pro tempore existentis predicti, ac aliorum ordinariorum quorumlibet, et illorum Vicariorum, officialium, locumtenentium et iudicum quorumcumque, etiam ratione offitii legationis et primatialis dignitatis huiusmodi, nec non ab omni onere procurationum auctoritate et scientia prefatis prorsus et irrevocabiliter eximimus et totaliter liberamus, ac eidem sedi immediate subiicimus, ita quod Willelmus et pro tempore existens Archiepiscopus, et alii ordinarii, officiales, vicarii, iudices et locumtenentes prefati etiam ratione domicilii, delicti, contractus vel rei de qua ageretur, ubicumque domicilium habeant, committatur debitum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, nullam in te, Capitulum, Canonicos, personas, cleros, religiosos, vicarios, officiales, officiarios et familiares tuos predictos, ac bona huiusmodi iurisdictionem, correctionem, superioritatem, dominium et potestatem exercere, aut excommunicationis, suspensionis et interdicti seu quasvis alias sententias, censuras et penas nullatenus presumant: sed tu in quibuscumque causis et negotiis de te conquerentibus coram sede prefata, et eius delegatis dumtaxat in quacumque instantia etiam appellationis in iustitia respondere; Capitulum vero et alii prefati coram te in prima, et delegatis prefatis in ulteriori instantia stare iuri teneantur: decernentes omnes et singulos processus, sententias, censuras et penas, quos et quas per Archiepiscopum, ordinarios, vicarios, locumtenentes seu officiales suos predictos, vel eorum aliquem contra te, Capitulum, Clerum, Canonicos, officiales, officiarios et familiares tuos prefatos habent et promulgari contigerit, ac quecumque pro tempore inde secuta irrita et inania, nulliusque fore roboris vel momenti. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Trecorensi et Dunkeldensi ac Dumblanensi Episcopis motu et scientia similibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios tibi, Capitulo, Canonicis, Clero, personis religiosis, vicariis, officialibus, officiariis et familiaribus tuis predictis in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant auctoritate nostra te et illos susceptione, subiectione, exemptione et liberatione prefatis pacifice gaudere, non permittentes te et eos per Archiepiscopum, ordinarios vicarios, locumtenentes, officiales et iudices prefatos, seu quoscumque alios contra susceptionis, exemptionis, libe-

rationis et subiectionis predictarum ac presentium tenorem quomodolibet molestari. Contradictores auctoritate etc. Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Innocentii pape IIII. predecessoris nostri contra exemptos, que incipit: Volentes, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis litteris dicto Archiepiscopo forsan per nos, vel sedem predictam sub quibusvis verborum formis et clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, et concedendis imposterum, quibus etiam de illis earumque totis tenoribus pro illarum sufficienti derogatione, non autem per generales clausulas id importantes, specialis, specifica, expressa, individua ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, tenores huiusmodi presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse eisdem motu et scientia derogamus, contrariis quibuscumque, aut si Archiepiscopo, ordinariis, vicariis, officialibus, locumtenentibus et iudicibus prefatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli etc. nostre absolutionis, susceptionis, exemptionis, liberationis, subiectionis, constitutionis, mandati et derogationis etc. Si quis etc. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXVIII. octavo Kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno quarto.

DCCCLXXXVI.

Odo episcopus Rossensis contra Thadeum intrusum declaratur legitimus huius ecclesiae episcopus. Secret. Tom. V. fol. 168

Innocentius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Ad compescendos conatus nepharios perversorum, qui Dei timore postposito, (ob)scena ducti cupiditate, ecclesias, presertim Cathedrales, sine Canonico titulo occupare, et in prolatis propterea in eos censuris insordescere presumunt, tanto nos decet diligentius de oportuno remedio providere, quanto peramplius tendunt in divine maiestatis offensam, apostolice auctoritatis contemptum, perniciosumque exemplum et scandalum plurimorum. Dudum siquidem cum felicis recordationis Sixtus papa IIII. predecessor noster ecclesie Rossensi, tunc certo modo pastoris solatio destitute, de persona Venerabilis fratris nostris Odonis Episcopi Rossensis, de fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio, per quasdam (litteras) apostolica auctoritate duxisset providendum, preficiendo ipsum Odonem eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, ac curam et administrationem dicte ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Ac deinde cum iniquitatis filius Thadeus Maccarryg, qui se gerit pro clerico, sub pretextu quod dicte ecclesie de eius persona, post tamen provisionem et prefectionem predictas, et nulla de illis prorsus facta mentione, provisum fuisset, laicali et admodum inordinata suffultus potentia eundem Odonem Episcopum multipliciter impedivisset, ac fecisset et faceret, quominus curam et administrationem dicte ecclesie in spiritualibus et temporalibus gerere et exercere, ac fructus, redditus et proventus mense Episcopalis Rossensis percipere posset, ac civitatem Rossensem, Castra, fortalitia et alias possessiones mense predicte de facto occupasset: idem Sixtus predecessor volens, prout equum erat, tante insolentie et temeritati providere, certas monitorias sub excommunicationis, inhabilitationis, aliisque diversis sententiis, censuris et penis ecclesiasticis tunc expressis contra prefatum Thadeum, omnesque alios et singulos sibi adherentes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existerent, motu proprio et ex certa scientia concessit atque decrevit. Et cum prefatus Thadeus in sua cordis duricia et rebellione, Pharaonis inherendo vestigiis, peramplius perseverans parere noluisset, ac illarum vigore, et etiam auctoritate totius concilii provincialis Cassellensis publice iteratis vicibus excommunicatus, anathematizatus et interdictus, et pro tali declaratus fuisset, et per plurimos annos in huiusmodi sententiis, censuris et penis insorduisset: Nos de premissis plenius informati, omnia et singula per ipsum Sixtum predecessorem in premissis quomodolibet gesta et facta motu et scientia similibus approbavimus et confirmavimus, ac plenum firmitatis robur obtinere decrevimus, ipsumque Thadeum et quoscumque alios sibi adherentes, et certos in specie tunc nominatos complices suos excommunicavimus, interdiximus, anathematizavimus et publice denunciavimus, eisque malediximus, et contra eos brachium seculare invocavimus, omniaque et singula per ipsum Thadeum seu eius nomine interim gesta et facta, ac omnes et singulas litteras per eum a sede apostolica, prefato Odone Episcopo ad sedem eandem non vocato et convicto, impetrandas imposterum, seu sibi quomodolibet concedendas, in quibus nostrarum litterarum predictarum tenor de verbo ad verbum insertus non foret, motu et scientia similibus omnino cassavimus, irritavimus et annullavimus, et nonnulla alia tunc expressa fecimus, ordinavimus et mandavimus, prout in singulis litteris predictis, quarum tenores ac si de verbo ad verbum presentibus insererentur, pro sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur.

Cum autem, sicut accepimus, prefatus Odo Episcopus dubitet, ne prefatus Thadeus sic excommunicatus et interdictus ad colorandum intrusionem suam, presertim apud rudes et ignaros in partibus illis, aliquas litteras a nobis hactenus impetravit, seu imposterum impetrare procuret, quod in maximum preiudicium dicti Odonis Episcopi cederet et detrimentum, ac auctoritatis apostolice elusionem: Nos volentes malitiis et cavillationibus obviare, ac cupientes, quod provisio et prefectio de persona Odonis facto huiusmodi, ac singule littere predicte, quibusvis sublatis obstaculis, suum debitum consequantur effectum, prefatusque Odo Episcopus pacificam regiminis et administrationis dicte ecclesie ac bonorum

illius possessionem consequatur, motu simili, non ad ipsius Odonis Episcopi, vel alterius pro eo nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate omnes et singulas litteras per eundem Thadeum hactenus a nobis et sede predicta super premissis, et illa vel eorum aliquod quomodolibet concernentibus, in quibus singule littere predicte de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas id importantes, inserte non fuerint, et ipso Odone Episcopo ad sedem predictam non vocato et convicto impetratas, et impetrandas imposterum, seu alias quovis modo concedendas, nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse, nullamque per illas cuiquam, etiam executoribus earum, iurisdictionem et auctoritatem attributam fuisse, vel attribui in futurum, auctoritate apostolica et ex simili scientia tenore presentium declaramus, quibusvis executoribus illarum, ac ab eis pro tempore deputatis subexecutoribus, ne pretextu similium litterarum ad aliquam executionem quovismodo directe vel indirecte procedere, et ipsum Odonem Episcopum molestare presumant, sub executionis ac privationis omnium beneficiorum suorum, que obtinuerint, et inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda late sententie penis, quas eo ipso contrafacientes incurrant, districtius inhibentes, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptari, sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, in quacumque instantia, sublata eis et cuilibet eorum quavis alia interpetrandi facultate, sententiam diffiriri et iudicari debere. Nos enim, si forsan contingeret aliquos ex rebellibus predictis suos recognoscentes errores ad cor redire, ac pastori suo velle obedire, et veniam humiliter postulare, prefato Odoni Episcopo omnes et singulos, qui id petierint, ab omnibus et singulis sententiis, censuris et penis predictis absolvendi, et iniunctis inde eis pro modo culpe penitentia salutari, ac aliis que de iure fuerint iniungenda, cum eis super irregularitate, quam propterea quoquomodo contraxissent, dispensandi, omnemque inhabilitationis et infamie maculam sive notam per eos premissorum occasione contractam, penitus absolvendi, ipsosque in pristinum statum restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi plenam, liberam et omnimodam motu, auctoritate et scientia predictis concedimus facultatem. Non obstantibus etc. Verum quia difficile foret presentes litteras ad singula queque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus, ac motu et scientia similibus decernimus, quod illarum transumptis manu publici Notarii inde rogati subscriptis, et sigillo alicuius persone ecclesiastice in dignitate munitis, ea prorsus in iudicio et extra, et alias ubilibet fides adhibeatur, que presentibus adhiberetur, si exhibite vel ostense forent. Nulli ergo etc. nostre declarationis, inhibitionis, constitutionis, concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXVIII. duodecimo Kal. Augusti, anno IV.

DCCCLXXXVII.

Archiepiscopo S. Andreae, ut confestim Romam veniat. Brev. Tom. XXI. fol. 191.

Archiepiscopo Sancti Andree.

Innocentius PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Indigemus pro nonnullis nostris et sancte Romane ecclesie magne importantie negotiis tua et nonnullorum Archiepiscoporum et Prelatorum aliorum Regnorum et locorum presentia. Monemus igitur fraternitatem tuam, et in virtute sancte obedientie, et prestiti pro te huic sancte sedi in tua promotione ad ecclesiam Sancti Andree iuramenti, ac sub interdicti ingressus ecclesie, et suspensionis a tue ecclesie regimine et administratione penis tibi districte precipiendo mandamus, ut infra trimestre a die receptionis presentium computando ad nostram presentiam, omni mora et excusatione semota, personaliter te conferas, nostris et huiusmodi sancte sedis pariturus mandatis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Rome etc. die II. Ianuarii 1490. Pontificatus nostri anno sexto.

DCCCLXXXVIII.

Archiepiscopo Tuamensi conceduntur amplae facultates in prohibitis gradibus matrimonialibus dispensandi. Reg. Tom. XLIX. fol. 210.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Willielmo Archiepiscopo Tuamensi, salutem etc. Intenta continue saluti animarum Christi fidelium sedis apostolice benignitas quedam interdum ex speciali gratia concedit, que iuris rigor interdicit, prout cause rationabiles suadent, locorumque et temporum qualitas exigit, ac id in Domino conspicit salubriter expedire. Sane cum provincia Ibernie, prout rei existentia demonstrat, a Romana Curia multum distet, et sicut fide dignorum relatibus ad nostrum pervenit auditum, inter incolas et habitatores dicte provincie quandoque contentiones et alie dissentiones ac bella oriantur, cedesque hominum ac ecclesiarum depredationes, et bonorum rapine exinde subsequantur, contigit interdum, quod alie persone eiusdem provincie pro sedandis inter eos et eorum consanguineos et amicos contentionibus, paceque inter eos procuranda et confirmanda matrimonia inter se etiam quandoque scienter in gradibus a iure prohibitis contrahunt, et propter distantiam viarum ad sedem apostolicam pro dispensationibus, et absolutione ab excommunicationis sententia, quam propterea incurrerunt, obtinendis accedere, aut ad eam mittere commode non possunt, in eisdem censuris laqueati, ac alias in matrimoniis de facto contractis remanentes in animarum suarum periculum, vel si venerint vel mitterint, ipsi quandoque, aut eorum nuntii eorum bonis spoliantur in grave personarum suarum periculum et bonorum suorum iactura et detrimentum. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et eorum indemnitatibus, prout possumus, providemus, ex hiis et certis aliis causis animum nostrum moventibus motu proprio et ex certa nostra scientia fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, cum qua-

draginta quinque viris et totidem mulieribus, de quibus tibi videbitur, infra dictam provinciam ubilibet consistentibus, qui in simplici aut etiam duplici, triplici, quadruplici, et multiplici, tertio, totidemque quarto, etiam quocumque modo inter se concurrentibus, et ulteriorem expressionem exigentibus, pari vel dispari consanguinitatis seu affinitatis gradibus, aut illis mixtim coniuncte existant, etiam si scientes se huiusmodi gradibus fore coniunctos se invicem actu fornicationis carnaliter cognoverint, et certis suadentibus causis desiderant invicem matrimonialiter copulari, ut matrimonia huiusmodi invicem contrahere, et in eis sic per eos contractis matrimoniis remanere, ac cum triginta quinque aliis personis, viro et uxore pro una persona computatis, que scientes vel ignorantes se dictis gradibus consanguinitatis et affinitatis fore coniunctos, matrimonia similiter invicem contraxerint, etiam si prolem exinde susceperint, eis, qui scienter contraxerint, ab excommunicationis sententia et incestus reatu, quos propter premissa incurrerunt, prius absolutis, ac iniuncta cuilibet earum pro modo culpe penitentia salutari, receptoque ab ipsis scienter contrahentibus iuramento, quod similia non committent, nec committentibus consilium prebebunt vel favorem, ac ipsis ad tempus, de quo tibi videbitur, ab invicem separatis, ut matrimonium huiusmodi de novo inter se contrahere, et in eo postquam contractum fuerit, ut prefertur, remanere libere et licite valeant, dummodo mulieres huiusmodi propter hoc rapte non fuerint, dispensandi, et prolem inde susceptam legitimam declarandi, et cetera in premissis et circa ea necessaria et quomodolibet oportuna faciendi, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem et omnimodam potestatem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nos enim si alique littere seu constitutiones, aut revocationes et decreta in genere vel in specie a nobis, et sede predicta super revocatione quarumcumque facultatum quibuscumque legatis, nuntiis seu prelatis concessarum, et concedendarum edite reperiantur, et in futurum per nos aut sedem predictam sub quacumque verborum forma edi contigerit, que in toto vel in parte, directe vel indirecte presentibus contrarientur, derogent, aut illas revocent, illa omnia presentibus pro sufficienter expressis, et in quantum contrarientur, derogent, aut revocent, ut prefertur, pro insertis habentes, presentes litteras, nisi in illis de presentibus de verbo ad verbum specialis et expressa mentio fiat, sub illis minime comprehensas, sed semper exemptas, biennio a die presentationis tibi faciende computando durante, intelligi voluisse et velle in futurum eadem auctoritate decernimus et declaramus: preterea fraternitati tue eisdem auctoritate et tenore districtius inhibemus, ne formam presentium et numerum personarum in eis comprehensarum quomodolibet excedere presumas, decernentes irritas et inanes presentes litteras, et earundem totum tenorem, si quid in contrarium ultra numerum in ipsis comprehensum contigerit attemptari. Volumus insuper, quod de nominibus et cognominibus, ac diocesi personarum, cum quibus dispensabis, ac diebus dispensationum huiusmodi presidentes in Camera apostolica et alios officiales eiusdem per tuas patentes litteras, tuo sigillo munitas, diligenter ac fideliter certificare procures. Presentibus post biennium a die presentationis huiusmodi minime valituris. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXX. quarto Idus Maii, Pontificatus nostri anno sexto.

DCCCLXXXIX.

Episcopatus Glasguensis in archiepiscopatum erigitur, eidemque Dunkeldensis, Dumblanensis, Candidecasae nec non Lismorensis episcopi assignantur suffraganei etc. Reg. Tom. LXIV. fol. 39.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Roberto Episcopo nuper Glasguensi in Archiepiscopum Glasguensem Electo, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis propria benivolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, per que tue et suffraganeorum tuorum tranquillitati consuli valeat et quieti. Hinc est, quod nos volentes te, et propter te Venerabiles fratres nostros Dunkeldensem et Dumblanensem ac Candidecase, necnon Lismorensem Episcopos suffraganeos tuos pro sua et illorum quiete favore prosequi gratie specialis, et te ac eosdem suffraganeos tuos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis et inflictis, quibus quomodolibet innodati estis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, te et ecclesiam ac provinciam Glasguensem, eosdem suffraganeos tuos et quemlibet eorum, ac dilectos filios earumdem Glasguensis et suffraganearum ecclesiarum suarum Capitula, clerum et populum civitatis et diocesis earundem ab omni dominio et superioritate, visitatione et correctione, iurisdictione et imperio competentibus in eis moderno et pro tempore existenti Archiepiscopo Sancti Andree, ut primati Regni Scotie et apostolice sedis legato nato in eodem, quamdiu tu Glasguensi ecclesie prefueris duntaxat, auctoritate apostolica presentium tenore prorsus eximimus et totaliter liberamus, ac sub beatorum Petri et Pauli et dicte sedis protectione suscipimus atque nostra, ita ut idem Archiepiscopus Sancti Andree modernus et pro tempore existens, etiam ratione delicti, contractus aut rei, de qua ageretur, ubicunque committatur delictum, ineatur contractus, et res ipsa contistat, nullum possit in te tuosque suffraganeos Glasguensem, Dunkeldensem, Dumblanensem ac Candidecase et Lismorensem ecclesias, Capitula, civitates et dioceses predictas, earum clerum et populum iurisdictionem et superioritatem sibi ut primati vel legato nato competentem huiusmodi quomodolibet exercere: sed teneamini tu tuique suffraganei, Capitula, clerus et populus exempti predicti in hiis, que ad primatis et legati nati iurisdictionem et superioritatem pertinent, coram dictis sede et eius specialibus

delegatis dumtaxat conquerentibus de rebus ac iustitia respondere, et coram eis stare iuri. Et nichilominus Venerabilibus fratribus Urbinati et Aberdonensi Episcopis, ac dilecto filio Abbati Monasterii de Calco Sancti Andree diocesis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios promiscue, ubi et quando expedire cognoverint, fuerintque pro parte tua ac suffraneanrum ecclesiarum, Capitulorum, cleri et populi exemptorum, vel alicuius eorum legitime requisiti, solemniter publicantes, tibi tuisque suffraganeis ecclesiis, Capitulis, clero et populo exemptis predictis in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, non permittant te et alios exemptos predictos contra exemptionis huiusmodi tenorem et continentiam per prefatum modernum et pro tempore existentem Archiepiscopum Sancti Andree, et dicti Regni primatem, et dicte sedis in eodem Regno legatum natum, et alios quoscunque eius auctoritate quomodolibet molestari vel inquietari, Contradictores auctoritate nostra etc. ac legitimis super his habendis servatis processibus, illos, quotiens opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procurent, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus fel. recordationis Innocentii pape IIII. predecessoris nostri contra exemptos, que incipit: Volentes, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac concessis Archiepiscopo Sancti Andree litteris ac privilegiis, quibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, pro expresso habentes, quo ad hoc expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, seu si moderno et pro tempore existenti Archiepiscopo Sancti Andree, primati dicti Regni et in illo legato nato, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede predicta indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod si aliquem vel aliquos ex tuis suffraganeis predictis quovismodo suis ecclesiis preesse desinere, et alios eorum loco surrogari contingat, si surrogati, pari exemptione potiri possint et debeant, quamdiu tue prefueris Glasguensi ecclesie. Et similiter si qui suffraganeorum predictorum, qui nunc sunt, postquam per tui obitum vel alias dicte Glasguensi ecclesie preesse desineris, supererunt, propter te eis concessa per nos exemptione predicta una cum eorum ecclesiis, civitatibus, diocesibus, clero et populo, quoad vixerint, potiantur et gaudeant parimodo. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, exemptionis, liberationis, susceptionis, mandati, derogationis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo nonagesimoprimo, v. Idus Ianuarii, Pont. nostri anno viii.

DCCCXC.

Episcopo Corkagensi et Clonensi dantur conservatores contra nobiles quosdam bona ipsius episcopatus invadentes. Secret. Tom. IX. fol. 178.

Innocentius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Exigit protervorum plectenda rebellio, ut hiis, qui iuribus, litteris, provisionibus et mandatis apostolicis, ac Cathedralium ecclesiarum Prelatis parere negligunt, illisque temere obviare non expavent, suorum penas sentiant delictorum, ne fortassis eorum impunitas audaciam ceteris tribuat delinquendi, et ut ipsi ad cor reversi, viis obliquis relictis, ad viam et ostium redeant veritatis. Dudum siquidem Corkagensi et Clonensi ecclesiis invicem canonice unitis tunc certis modis vacantibus, nos illis sic vacantibus, et antea ordinationi et dispositioni apostolice reservatis, de persona Venerabilis fratris nostri Thadei Episcopi Corkagensis et Clonensis, nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio apostolica duximus auctoritate providendum, preficiendo eum illis in Epum et pastorem, ac curam et administrationem dictarum ecclesiarum sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut non absque gravi animi displicentia accepimus, nonnulli iniquitatis filii, videlicet Mauricius Comes de Simonie, ac Willelmus Barri, ac Edmundus Mauritii de Gerardinis et communitas civitatis Corkagie, necnon universitas civitatis Yoghyllie Clonensis diocesis, ipsorumque Comitis et Willelmi ac Edmundi fratres, eorumque ac civitatis et universitatis predictorum subditi, necnon Philippus Oronayn clericus Corkagensis diocesis, ac alii ipsorum fautores, adherentes, complices et sequaces, tam ecclesiastici quam laici, quorum nomina et cognomina presentibus haberi volumus pro expressis, a quorum oculis dei timor abscessit, nescitur quo spiritu ducti, ipsum Thadeum Episcopum, quominus possessionem regiminis et administrationis ac bonorum dictarum ecclesiarum assequi potuerit atque possit, multipliciter molestare et perturbare, dei timore postposito, non cessaverint, quinimo res et bona, ac fructus, redditus et proventus dictarum ecclesiarum occupare, et in suos damnabiles usus convertere non formidant, in animarum suarum periculum, ac sancte sedis apostolice contemptum et vilipendium, dictique Thadei Episcopi preiudicium et detrimentum, perniciosum quoque exemplum et scandalum plurimorum. Nos dicti Thadei Episcopi indemnitatibus, prout nostro incumbit officio, quantum cum deo possumus, oportune providere volentes, motu proprio, non ad ipsius Thadei Episcopi, vel alterius pro eo nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et ex certa scientia, equitate et iustitia id nobis suadentibus, Mauricium, Willelmum, Edmundum aliosque supradictos, necnon quoscumque fautores, adherentes, complices et sequaces, omnesque alios et singulos ipsum Thadeum Episcopum eiusque procuratores respective impedientes, molestatores, perturbatores, detentores, occupatores, Capitula dictarum ecclesiarum,

clerum et populum civitatum et diocesum predictarum, censuarios, debitores, vassallos, colonos et subditos, ac laboratores bonorum dictarum ecclesiarum, et quosvis alios, qui super premissis vel aliquo ipsorum se intromittere, ac contra dictum Thadeum Episcopum facere, adherere, ac consilium, auxilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte quovis quesito colore prestare presumpserit etc. (ut in simili conservatoria pro Episcopo Artfertensi.) Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.XCII. XV. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno octavo.

DCCCXCI.

Constituuntur collectores in Hibernia et Scotia. Reg. Secret. Tom. I et II. Offic fol. 143, 146 et 272.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Iacobo Episcopo Imolensi, ad Regnum Scotie ac illius provincias, civitates, loca et dominia, nostro et apostolice sedis cum plena potestate legati de latere Commissario et Oratori, salutem etc. Constituitur generalis collector cum facultate subcollectores deputandi. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXV. octavo Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Barre, perpetuo Vicario parrochialis ecclesie de Funde Brechinensis diocesis, Magistro in artibus, in Regno Scotie eiusque civitatibus et diocesibus fructuum, reddituum etc. Camere apostolice debitorum et debendorum Collectori, salutem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXV. septimo Kal. Iulii, Pontificatus nostri anno tertio.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Hadriano Castellensi clerico Cornetano, Scriptori et familiari nostro, ac in Regno Anglie fructuum, reddituum et proventuum, ac aliorum iurium apostolice Camere debitorum Collectori, sal. etc. Ipse constituitur collector decimarum, fructuum, proventuum etc. in dominiis Anglie et terra Hibernie. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.LXXXIX. pridie Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno sexto.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. VI.

DCCCXCII.

Iudicibus, ut Malachiae Ychellyd canonico Elfinensi quosdam proventus etc. parochialium ecclesiarum ad monasterium beator. Petri et Pauli apostolorum de Innocentia Elfinensis dioec. ad vitam sub annuo censu locare possint. Reg. Bull. diver. Tom. I. fol. 113.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis Cornelio et Bernardo Oscyngni Canonicis ecclesie Elphinensis, salutem etc. Ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio, ad ea libenter intendimus, per que Monasteriorum et aliorum religiosorum locorum quorumlibet utilitas procuratur, et ut illa optatum sortiantur effectum, cum a nobis petitur, favorem apostolicum libenter impertimur. Dudum siquidem a felicis recordationis Paulo papa II. predecessore nostro emanarunt littere tenoris subsequentis.

Paulus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus Iudiciis sic rectitudo iusticie et conscientie puritas etc.

Et deinde exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Malachie Ychellyd Canonici Elphinensis petitio continebat, quod fructus, redditus et proventus Rectoriarum parrochialium ecclesiarum de Athassgrachacuian et de Cillosallayn ac de Cillorulan Elphinensis diocesis, ad Monasterium per Priorem solitum gubernari beatorum Apostolorum Petri et Pauli de Innocentia iuxta Aulony ord. sancti Benedicti dicte diocesis legitime pertinentes, a tanto tempore citra, cuius contrarii hominum memoria non existit, tam laicis quam clericis ad firmam concedi consueverunt. Verum si fructus, redditus et proventus predicti dicto Malachie ad eius vitam ad huiusmodi firmam concederentur, ipse libenter augeret censum, qui hactenus dicto Monasterio solvi consuevit, curaretque augmento et etiam reparationi structurarum et edificiorum dictarum ecclesiarum, que ruinam minantur, intendere, quod profecto in evidentem dicti Monasterii cederet utilitatem. Quare pro parte dicti Malachie nobis fuit humiliter supplicatum, ut fructus, redditus et proventus predictos sibi ad eius vitam concedi, aliasque in premissis oportune provideri mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de predictis certam notitiam non habemus, prefatum Malachiam a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis dilectis filiis Priore et Conventu dicti Monasterii et aliis, qui fuerint evocandi,

coniunctim iuxta formam litterarum Pauli predecessoris nostri huiusmodi procedentes, de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra vos diligenter informetis, et si per informationem eandem ita esse, dictumque Malachiam censum velle augere, ac structuras et edificia huiusmodi reparare, concessionemque predictam, si fiat, cum augmento census huiusmodi in evidentem dicti Monasterii utilitatem cedere repperitis, fructus, redditus et proventus predictos eidem Malachie ad eius vitam ad firmam huiusmodi sub aliquo annuo condecenti canone sive censu, qui tamen dictum censum consuetum excedat, ut prefertur, eadem auctoritate concedatis. Non obstantibus etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, octavo Kal. Februarii, Pont. nostri anno primo.

DCCCXCIII.

Quibusdam iudicibus, petentibus archiepiscopo Cassellensi et abbate monasterii B. Mariae de Mayo etc. praecentor Artfertensis in certis litibus iudex adiungitur. Bullar. diversor. Tom. I. fol. 138.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Precentori ecclesie Artfertensis, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis pro parte Venerabilis fratris nostri David Archiepiscopi Cassellensis, et dilectorum filiorum Geraldi Abbatis Monasterii beate Marie de Mayo, a Melleri de Burgo Prioris Prioratus de Atastil Cisterciensis et s. Augustini ordinum, ac Donaldi Ochonchuyr de Wonysalius de Athnanown et Donati Offalinhe de Cyllernnyn, et Donati Yconayll de Ecylleridayn, ac Alani Yerumyn de Achabolg, et Donati Ochombay de Mathchy, et Cloy Yerhyny parrochialium ecclesiarum Corkagensis, Limiricensis, Artfertensis et Clonensis diocesum, nec non Nicolai Macharag in ecclesia Cassellensi per petuorum Vicariorum, ac David Roitsi Canonici dicte ecclesie Cassellensis petitio continebat, quod ad Tadei Yfirnain super concessione quorumdam fructuum ad mensam Archiepiscopalem Cassellensem pertinentium contra Archiepūm, ac ad Willelmi de Geraldinis ordinis fratrum Minorum professoris super Monasterio, et ad Mauritii Yfirnayn super Prioratu, et ad Mauritii Yhychayn super de Wanus et de Mathec et de Cyllcinnin et de Cylledayn, et ad Cornelii Ycumyn super Achbog et de Matheo et Cloynzyhynyn ecclesiarum, et ad Thadei Yfernay dilector. filiorum instantias super in ecclesia Cassellensi perpetuis Vicariis, nec non Canonicatu dicte eccl. Cassellensis, ac prebenda de Donachumor nuncupata in eadem diversas litteras ad diversos Iudices in illis expressos commisimus, prout in singulis litteris predictis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Archiepiscopi et aliorum predictorum petitio continebat, prefati Iudices sint eis plurimum suspecti, pro parte Archiepiscopi et aliorum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut iudicium sine suspicione procedat, ac Archiepūm et alios predictos, eorumque singulos a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus te eisdem Iudicibus in Collegam et adiunctum in omnibus et singulis causis predictis auctoritate apostolica tenore presentium damus, constituimus et deputamus, districtius inhibentes eisdem Iudicibus, ut in causis predictis sine te procedere quoquomodo presumant, prout etiam tu, si opus fuerit, inhibeas, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attemptari. Non obstantibus etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXXIII. VI. Kal. Aprilis, Pont. nostri anno I.

DCCCXCIV.

Willelmo episcopo Aberdonensi super sua praefectione, translatione ac defectu natalium. Reg. Tom. XV. fol. 261.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri Willelmo Episcopo Aberdonensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, benivolentia prosequentes, illam libenter prosequimur favore gratie specialis. Dudum siquidem Rossensi certo modo, primo fel. rec. Sixtus papa IIII. predecessor noster illi de persona tua de fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio apostolica auctoritate per quasdam providit, teque illi prefecit in Episcopum et pastorem, ac per alias tecum, ut non obstante defectu natalium, quem pateris de presbitero natus et soluta, eidem ecclesie preesse, illiusque curam et administrationem in spiritualibus et temporalibus gerere et exercere valeres, dispensavit, et deinde Aberdonensi ecclesiis, ex eo quod prefatus predecessor Venerabilem fratrem nostrum Robertum Glasguensem, tunc Electum Aberdonensem, a vinculo, quo eidem ecclesie Aberdonensi, cui tunc preerat, tenebatur, de simili consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvens ipsum ad ecclesiam Glasguensem, etiam tunc certo modo vacantem, de simili consilio transtulerat, ipsumque eidem ecclesie Glasguensi prefecerat in Episcopum et pastorem, vacantibus, idem predecessor te licet absentem a vinculo, quo eidem ecclesie Rossensi, cui tunc preeras, tenebaris, munere consecrationis tibi minime impenso, de consilio et potestatis plenitudine prefatis per alias suas litteras absolvens, te ad prefatam Aberdonensem ecclesiam, ut premittitur, vacantem apostolica auctoritate transtulit, teque illi prefecit in Epūm et pastorem, prout in singulis litteris predictis plenius continetur. Cum autem in posterioribus translatione et prefectione ac litteris predictis de defectu huiusmodi nulla mentio facta fuerit, tuque, qui vigore translationis et prefectionis predictarum pacificam possessionem regiminis et administrationis, ac bonorum dicte ecclesie Aberdonensis

assecutus fuisti, ac munus consecrationis huiusmodi tibi impendi obtinuisti, fructus percipiendo ex eadem, propterea dubites ipsas posteriores litteras de surreptionis vitio notari, ac te super regimine et administratione dicte ecclesie Aberdonensis molestari posse tempore procedente: nos volentes desuper oportune providere, teque a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate volumus et predicta tibi auctoritate concedimus, quod posteriores translatio, prefectio et littere predicte, et inde secuta quecunque a data presentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, et tibi suffragentur in omnibus et per omnia perinde ac si in illis de defectu predicto mentio facta, ac tecum super illo ad effectum translationis et prefectionis earumdem oportune dispensatum fuisset, prout nos tecum desuper ad effectum premissum auctoritate predicta tenore presentium motu simili de specialis dono gratie dispensamus, Non obstantibus defectu et aliis premissis, ac Pictaviensis Concilii et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis quoque et consuetudinibus dicte ecclesie Aberdonensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et dispensationis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo nonagesimoquarto, pridie Idus Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

DCCCXCV.

Episcopo Dunkeldensi confirmatur locatio terrarum de Fordall ad mensam suam episcopalem pertinentium Elisabethae Arnot facta. Reg. Bull. divers. Tom. III. fol. 214.

Alexander episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii debitum, quo sumus universis orbis ecclesiis obligati, nos compellit, ut cura ipsorum et Prelatorum earumdem statum prospere dirigendum paternis studiis intendamus, et ea, que pro commodo et utilitate earumdem ecclesiarum provide facta sunt, ut illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Georgii Episcopi Dunkeldensis, et dilecte in Christo filio Elizabeth Arnot relicte quondam Richardi Brown mulieris Sancti Andree diocesis petitio continebat, quod ipse Episcopus attente considerans, quod mensa sua Episcopalis Dunkeldensis per multos annos nullum commodum, nullamve utilitatem perceperat aut habuerat ex nonnullis terris de Fordall nuncupatis eidem mense legitime pertinentibus, ex eo quod per seculares manu forti et violenter detinebantur, et quod ipse Episcopus dictas terras faciliter recuperare non poterat, nisi alteri seculari in emphiteosim, feudum sive firmam perpetuo concederentur et locarentur pro certo annuo censu, sibi et successoribus suis Episcopis Dunkeldensibus pro tempore existentibus persolvendo, terras predictas de Fordall sitas infra Baroniam de Dunkeldis mense predicte pertinentes cum earum pertinentiis, cum consensu dilectorum filiorum Capituli ecclesie Dunkeldensis dictis Richardo et Elizabeth imperpetuam emphiteusim, et feudum pro ipsis corumque heredibus pro certo annuo censu sive canone sibi, et pro tempore existenti Episcopo Dunkeldensi persolvendo dedit, locavit et concessit, prout in quibusdam litteris autenticis desuper confectis plenius dicitur contineri. Quare pro parte Georgii Episcopi et Elizabeth predictorum, asserentium dationem, locationem et concessionem predictas in evidentem dicte mense cessisse et cedere utilitatem, nobis fuit humiliter supplicatum, ut dationi, locationi et concessioni predictis pro earum subsistentia firmiori robur nostre confimationis adiicere, easque observari mandare, et innovare, seu de novo facere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ad quos spectat ea, que provida et laudabili Prelatorum ecclesiarum pro illarum voluntate facta sunt, opportunis favoribus prosequi, et efficacem operam adhibere circa observantiam eorumdem, dictarum terrarum situationes, denominationes, confines ac valorem, prefatarumque litterarum tenorem presentibus pro expressis habentes, ipsosque Episcopum et Elizabeth a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dationem, concessionem et locationem predictas, et prout illas concernunt, omnia et singula in dictis litteris contenta, et inde secuta quecumque auctoritate apostolica ex certa nostra scientia approbamus et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, necnon perpetue firmitatis robur obtinere decernimus, et inviolabiliter observari mandamus, supplemusque omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, et pro potiori cautela dationem, locationem et concessionem predictas, ac omnia et singula in dictis litteris contenta de novo ex simili scientia prefata auctoritate facimus et innovamus, et nichilominus Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Sancti Andree, et dilectis filiis Sancti Andree ac Esculane ecclesiarum Archidiaconis per apostolica scripta pari scientia mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium, seu alios premissa, ubi et quotiens expedire putaverint, fuerintque super hoc pro parte prefati Georgii, et pro tempore existentis Episcopi Dunkeldensis, seu Elizabeth et heredum predictorum legitime requisiti, solemniter publicantes, et eisdem Episcopo, Elizabeth ac heredibus in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant locationem, dationem et concessionem predictas, et prout illas concernunt, omnia et singula in

dictis litteris contenta firmiter observari, non permittentes eos se invicem et per alios quoscumque contra (tenores) dictarum et presentium litterarum, ac contentorum in eis locationis, dationis et concessionis indebite molestari. Contradictores etc. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo nonagesimosexto, tertio Nonas Maii, Pontificatus nostri anno quarto.

PONTIFICATUS LEONIS PP. X.

DCCCXCVI.

Henricus VIII. rex Angliae pontifici Polydorum Vergilium, collectorem in Anglia, Romam redeuntem commendat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementissimoque Domino nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Fuit in hoc nostro Regno plurimos iam annos Venerabilis vir D. Polydorus Vergilius, Urbinas, Wellensis ecclesiae Archidiaconus, et vestrae apostolicae Camerae in hoc nostro Regno Vicecollector, quum eximia eruditione, tum vero ea modestia, circumspectione et gravitate preditus: ut quamquam quibusdam de causis haud mediocriter optaremus, Collectorem, sicuti non multos ante annos moris fuit, hic apud nos presentem habere, ipse tamen, licet vicarius et substitutus huic nostro desiderio maxima ex parte satisfecerit, nec minori ornamento utilitatique tam Domino Collectori, quam ipsi officio Collectoriae fuerit: Quare et clarae memoriae olim nostro patri, et nobis percarus semper extitit. Is vero nuper nobis significavit, post annos XII., quos in hoc nostro Regne, et quidem uti nos testes sumus, haud exigua sua cum laude egit, patriam, parentes, ac res suas nostra cum venia et commeatu revisere, atque inde ad vestram Beatitudinem se conferre, eiusque sanctissimos pedes deosculari se cupere. Cuius iustissimo voto nos ita annuimus, ut sine nostra commendatione discedere noluerimus. Ideoque Vestram Sanctitatem impense rogamus, ut dictum Dominum Polydorum ad se venientem tum nostra, tum suarum virtutum gratia benigne admittere, sibique precipue commendatum habere dignetur. Quod erit nobis plurimum gratum. Ex regia nostra apud Westmonasterium die XXVI. Februarii M.D.XIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCLXCVII.

Idem rex Leoni PP. X. fratres ordinis Minorum de observantia impense commendat, petitque, ut eos contra molestationes fratrum ordinis Minorum Conventualium in Germania, Belgio et Hollandia tueri velit. Ex originali Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementñoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Conati sumus nonnullis iam nostris litteris Vestrae Sanctitati significare peculiarem nostram devotionem, ac ferventissimum studium erga sanctam familiam fratrum minorum de observantia, sed certe affectum nostrum recte exprimere non valuimus, qui licet tantus sit, quantus esse potest, minor tamen nobis videtur dictae familiae meritis, in qua Christianae paupertatis, synceritatis et charitatis exemplum nostra sententia maxime elucet. Haec enim sacra familia a divitiarum spinis, quae multos frugiferos olim agros iam totos obsident, adhuc munda, ieiuniis, orationibus, sacrificiis, hymnis, summa vitae puritate, summa pietate, summis quoque laboribus, diebus ac noctibus, est occupata, Deoque peccatoribus placando ac reconciliando intenta, porro adversus vitia nulla alia religiosa familia tantopere, tamque assidue praeliatur, nulla ad Dominici ovilis custodiam tam multos animososque catulos producit. Quare eam omni favore complectendam, iuvandam, ampliandam, honestandam, et quasi virtutum plantarium diffundendam esse censemus. Cui rei nos pro virili nostra omnem operam damus, et quanto possumus patrocinio dictae familiae semper praesto sumus. Ideoque nuper intelligentes, eam a fratribus eiusdem quidem nominis, sed minime eiusdem observationis, qui Conventuales appellantur, continenter vexari, praecipue super nonnullis Conventibus in provincia Coloniensi, et duobus reformatis, videlicet Gronyngensi et Dordracensi, neque non super Aquensi, Lovaniensi, Middelburgensi et Dystensi Conventibus, per felicis memoriae Iulium II. dictae familiae unitis, auxilium nullum efficacius ei praestare non posse iudicavimus, quam ipsam Vestrae Beatitudini toto corde commendare. Proinde maximum in modum Vestram Sanctitatem rogamus, ut dictam

familiam, ab huiusmodi litibus alienissimam, sua authoritate suoque numine protegere, ac ab omnibus adversariis tueri, tum privilegia, indulta et gratias, quas supradictus Vestrae Sanctitatis praecessor Iulius II. eidem sanctae familiae concessit, corroborare, extinctasque per eundem suum praecessorem lites penitus tollere, et breviter dictae familiae paci, quieti, tranquillitati et incremento modis omnibus consulere dignetur. Quod tanto confidentius a Vestra Beatitudine non solum petimus, sed etiam exigimus, quanto ipsa suis praecessoribus bonitate et vera sanctitate praecellit. Huic nostro desiderio, si Vestra Sanctitas, uti speramus, solita sua in nos pietate ac benignitate annuerit, ingentem calculum suorum erga nos beneficiorum cumulo adiiciet. Quae vero dicta familia, et nos pro ea a Vestra Sanctitate suppliciter petamus, Reverendus in Christo pater Dominus Episcopus Wigorniensis, noster apud eam Orator, uberius expressiusque ipsi declarabit. Quae felicissime ac diutissime valeat. Ex Palatio nostro Grenwici die XII. Martii M.D.XIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia
Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCXCVIII.

Rex Angliae Leoni X. iterum de supremo pontificatu adepto gratulatur, oratores suos ad obedientiam eidem praestandam se missurum, et expeditionem contra Turcas pro viribus adiuvare promittit. Ex originali.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Accepimus quanta veneratione potuimus Sanctitatis Vestre litteras, de more per suum Cursorem nuper ad nos allatas, de eiusdem Vestre Sanctitatis ad summi apostolatus apicem assumptione: et licet nos eam pridem aliis nostris litteris totius nostri cordis affectu eidem Vestrae Sanctitati, ac isti sanctae Sedi fuerimus gratulati, quoniam tamen laetitiam nostram, quam de salutaris vestri pontificatus spe concepimus, verbis exprimere non potuimus, et quamvis repetita gratulatione saciari nequeamus: idcirco iterum atque iterum Vestre Sanctitati gratulari vehementer gaudemus, Deumque Optimum Maximum precamur, ut sicuti ipse et non alius fluctuanti suae Ecclesie Naviculae Vestram Sanctitatem optimum Gubernatorem in tempore praefecerit, ita eam diutissime servet, quam nos verissimum Domini nostri Iesu Christi in terris vicarium, et universalis Ecclesie pastorem agnoscimus, colimus et veneramur. Atque ubi istae bellorum tempestates permiserint, Oratores nostros mittemus, qui nostro nomine debitam ipsi Vestrae Sanctitati obedientiam exhibeant, et obsequentissimi ac pientissimi tam Vestre Beatitudinis, quam istius sanctae Sedis filii omnia, quae a nobis praestari queant, officia polliceantur. De expeditione vero contra Infideles, ad quam Vestra Sanctitas nos hortatur, nihil magis cordi nobis est, innatumque, communibus ac privatis nostris rebus compositis, ad Christianae reipublicae amplificationem, et omnipotentis Dei honorem et gloriam non modo opes, Regnum, et dominia nostra exponere, sed ei ipsi hanc vitam impendere, a quo accepimus et meliorem expectamus. Et faelicissime valeat Vestra Sanctitas, Quam Altissimus longaevam tueatur. Ex urbe nostra Tornaco die XXVIII. Septembris M.D.XIII.

E(iusdem) S(anctita)tis V(estrae)

Devotissimus et obsequentissimus filius Henricus Dei gratia
Rex Franciae et Angliae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCXCIX.

Rex Angliae pontificem de amplissima a Scotis relata victoria, de regis, S. Andreae archiepiscopi ac nonnullorum Scotiae episcoporum in eadem pugna interitu, ac de matrimonio inter sororem suam et Castellae principem certiorem reddit, petitque, ut ecclesiam Sancti Andreae dignitate metropolitana exuere, et ecclesiae Eboracensi veluti suffraganeam subiicere, et in praeficiendis ecclesiae Scoticanae episcopis suum consilium expetere velit, nec non sibi licentiam impertiri cadaver miscre interempti Scotorum regis Londinum deferendi, ibique in ecclesia sancti Pauli regia honorificentia sepeliendi. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dño Nostro Papae.

Beatissime Pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Tantum abest, ut prospera nobis confingere, ac falso a quoquam iactari velimus, quemadmodum nostros communes hostes nonnunquam facere intelleximus, quod nostras etiam secundas res, quas summa Dei erga nos benignitas continuo quodam cursu nobis largiter subministrat, parce potius quam magnifice et seriuscule quam prepropere ad Vestam Sanctitatem scribere amemus. Ut nuper de victoria, qua nostri adversus Scotos, et pugnatorum numero et tormentorum multitudine, omnique alio bellico apparatu hostibus longe inferiores, nobis absentibus, Duce Ill. Comite Surrei in nostro Regno Angliae parvo suo incommodo, ac nemine, qui modo alicuius nominis esset, amisso, Dei ope nunquam manifestius se ostendente, sunt potiti, Scotis ad XIII. millia cum ipso Rege et omni Scotica nobilitate trucidatis. Quae tamen, quoniam ordine ac sigillatim, ut gesta fuerant, non recte cognoveramus, quam paucissimis Vestre Sanctitati superioribus diebus significavimus, nunc vero omnem eam rem, quam multorum iam litteris exactissime percepimus, ad Revmum Dñum Cardinalem Eboracensem et Dñum Epum Wignorniensem, nostros apud Vestram Sanctitatem Oratores, scripsimus, ut si quando Vestre Sanctitati a suis sacratissimis occupationibus vacaverit, manifesto exemplo perspicere queat, Deum Optimum Maximum pro meliore demum causa pugnare, et sancti faederis omnisque humanitatis violatores, ac istius Sanctae Sedis contemptores merita ad extremum vindicta insectari. Quanta autem nobis esset cum dicto Scotorum Rege, quum affinitatis, tum faederis necessitudo, latere Vestram Beatitudinem non possumus: praeterea fidem quoque saepe ab eo accepimus debitam nobiscum amicitiam et coniunctionem servaturum. Cui tamen nos ita semper redidimus, ut tam ad pacem, quam ad bellum cum eo nunquam non fuerimus parati.

Et fortassis ipse in fide toties nobis data permanserit, nisi Galli, ingentibus pollicitationibus, multis etiam aureorum millibus, tormentis omnis generis, neque non armis et viris ad ipsum missis, humana ac divina iura eum calcare, et captata nostre absentie occasione, quasi ex insidiis bellum sibi et suis exitiale mox futurum in nos movere coegissent. Qua sane ingenti calamitate Regnum suum afflixit: quod quidem nos, utpote de nobis nostrisque maioribus pessime semper meritum, et quieti inimicum, haud quaquam nunc quiescere patiemur, sed victoriam, Deo signifero, persequemur. Licet quidam, qui ex omnibus Scotorum primoribus, quoniam fuga mature sibi consuluit, unus remansit, inducias submisse a nobis petierit, quas ei negavimus. Iam vero in his locis hanc urbem sane magnam et opulentam Tornacum die VIII., postquam obsidere caepimus, cum toto agro ad deditionem coegimus, alia quoque finitima et minime contemnenda hostium castella recepimus. Tum Gallos, quos Cameracum tendere nunciatum nobis fuerat, raptim insequi cogitavimus: verum ipsi id aut timentes, aut alicunde intelligentes, tam celeriter illinc evolarunt, ut eos assequi desperavimus. Quapropter in hac urbe constitimus simul ad has res componendas et constituendas, simulque ad consultandum cum Caesarea Maiestate et Illma Dña Margareta Archiducissa Austrie, Consanguinea et Commatre nostra Carissima, quae nunc apud nos est, super communiendis ac tuta ratione firmandis statu et rebus Illmi et Exmi Dñi Principis Castelle fratris nostri quam charissimi, ac super matrimonio inter eundem Dñum Principem et Illmam Dominam Mariam, sororem nostram dilectissimam, ei pridem desponsatam, et pactam consumando. Cuius rei gratia dictus Dñus Princeps die X. huius mensis huc ad nos advenit, quem summa nostra cum voluptate vidimus, et eius collocatione ac singulari indole mirifice sumus oblectati. Porro instante bruma, quum nec bellare, nec tanto nostro exercitu in his locis ob hyemis incommoda ac nuditatem ullo modo esse possimus, rursusque hoc medio tempore domi res Scoticas plurimum urgere nos facile posse existimemus, communi etiam conventu totius nostri Regni Anglie, quem ad proximas Calendas Novembres indiximus, praesentiam nostram maxime exigente, in idem nostrum Regnum, Deo bene iuvante, redire, ac primo quoque tempore maior exercitu huc omnino reverti, et hanc expeditionem totis viribus continuare decrevimus. Quare firmo huic urbi interius exteriusque presidio relicto, cras Angliam versus iter capere constituimus. Quo ubi Dei benignitate sospites pervenerimus, de incolumi nostro reditu, et si quae alia nobis occurrent, Vestre Sanctitati scribemus. Quam etiam atque etiam rogamus, ut de supradictis non magis nostris, quam totius Christiane reipublice (quo potissimum nostras cogitationes intendimus) secundis rebus omnipotentis Deo Duci et Imperatori nostro gratias immensas agat. Ad haec, Beatme pater, quoniam dictus Scotorum Rex nonnulla ab ista Sancta Sede, in Regni nostri Angliae Praelatorum haud exiguum praeiudicium, et ut vere dicamus, iniuriam extorsit, ea omnia ut Vestra Sanctitas pro singulari sua aequitate ad pristinum statum nunc redigere velit, oramus, ac in primis ecclesiam Sancti Andreae, que nonnisi ante paucos annos metropolitana fuit facta, et novissimus Archiepiscopus, qui in supradicta pugna fuit peremptus, eius dignitatis secundus tantummodo erat; alii vero eius praedecessores Suffraganei nostri Archiepi Eboracensis semper fuerunt: proinde Vestre Sanctitati supplicamus, ut dictam Ecclesiam S. Andreae, ad metropoliticum honorem per manifestam, sicuti diximus, Archiepiscopi Eboracensis iniuriam evectam, rursus ad antiquum gradum, hoc est ad Episcopalem solum dignitatem reducat, et eadem quoque ratione Prioratum de Coldengham, antea semper Ecclesie Dunelmensis prioratui annexum et unitum, ac non multos post annos ab eo disiunctum et divisum, postremoque in commendam dicto Archiepo S. Andreae concessum, Vestra Beatitudo proprio ipsius corpori, videlicet prioratui Dunelmensi, restituere et denuo unire dignetur. Praeterea, quia propter res Scoticas permultum nostra interest, qui impraesentia ad Episcopatus in Regno Scotiae, per necem, quam certe dolemus, eorum praesulum, quos in supradicta pugna armatos absque ullo conspicuo sacerdotali habitu occisos fuisse, Vestra Sanctitas intelliget, nunc vacantes promoveantur: Ideoque a Vestra Sanctitate magnopere petimus, ut dictarum ecclesiarum tam Sancti Andreae, quam aliarum in dicto Regno Scotiae vacantium provisioni tantisper velit supersedere, donec ei nostrum super hac re animum declaraverimus, quod brevi sumus facturi. Restat etiam, ut cum Vestrae Sanctitatis venia dicti Scotorum Regis (qui multis modis excommunicatus occubuit) cadaver, loco quidem honesto, sed minime sacro hactenus asservatum, ad nostram urbem Londinum deferri, et in templo Divi Pauli pro regia dignitate sepeliri curare nobis liceat: hoc enim ad nostrum honorem non parum pertinere arbitramur. Quocirca Vestram Sanctitatem rogamus, ut dictam veniam nobis concedere, et hanc facultatem Dño Epo Londoniensi per suum Breve committere non gravetur. In quibus omnibus non dubitamus Vestram Beatitudinem pro studiosissimo ac indulgentissimo suo in nos animo nobis gratificaturum. Quam faelicissimam ac longaevam Altissimus conservet. Ex urbe nostra Tornaco die XII. Octob. M.D.XIII.

E. V. S.

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia
Rex Franciae et Angliae ac Dñus Hiberniae
HENRICUS REX.

AND. AMMONIUS.

DCCCC.

Angliae rex pontifici Thomam Cheyny suum oratorem commendat. Ex originali Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Mittimus impraesentia ad istas Italie partes quorumdam negotiorum gratia nobilem Equitem Thomam Chey-

ny, subditum et familiarem nostrum plurimum dilectum, cui iniunximus, ut ad vestram Sanctitatem diverteret, eamque nostro nomine salutaret, ac sanctissimos ipsius pedes deoscularetur. Quocirca vestram Beatitudinem impense rogamus, ut dictum nostrum familiarem pro sua erga nos benignitate ad se admittere, et in his, quae rationabiliter petierit, facilem et gratiosam se vestra Sanctitas nostra contemplatione prebere dignetur. Quod erit nobis plurimum gratum. Et felicissime valeat eadem vestra Sanctitas, Quam Deus Altissimus longaevam conservet. Ex Castello nostro Windsore die x. Novembris M.D.XIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia
Rex Angliae et Franciae ac dominus Hiberniae
HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCI.

Idem rex pontifici, ut designatum a regibus Scotorum archiepiscopum Sancti Andreae confirmare velit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, ac devotissima pedum oscula beatorum. Certiores facti sumus, Serenissimam Dominam Reginam Scotiae, Sororem nostram Carissimam, Vestrae Sanctitati diligentissime nuper commendasse Venerabilem virum Dñum Gawinum Douglas, suppliciterque rogasse, ut eum ad Archiepiscopatum S. Andreae, Metropolitanam ac primariam totius Regni Scotie sedem evehere, ac promovere dignetur iuxta antiqua privilegia, eidem Regno Scotie a vestre Sanctitatis predecessoribus indulta, de praeficiendis tantummodo his, qui a Scotorum principibus pro tempore existentibus ad vacantes Ecclesias fuerint commendati. Quum vero nos probe sciamus eiusdem Domini Gawini preclaram non generis solum, sed etiam animi nobilitatem, eminentem videlicet doctrinam, prudentiae, modestiae atque egregie probitati coniunctam, ut quantopere sit communis boni studiosus, dignum eum duximus, quem et nos vestre Sanctitati accuratissime commendaremus. Ideoque vehementer eam rogamus, ut divina sua providentia bonam aliquam rationem invenire dignetur, qua idem Gawinus ad predictam Metropolitanam Ecclesiam perveniat, ipsique preficiatur, atque ita Vestra Beatitudo hominem meritissimum ornabit, primariaeque Ecclesie egregie consulet, et in pacis concordiaeque fundamentis magnum lapidem plane angularem constituet, tum rem nobis summopere gratam efficiet. De Episcopo autem Moroviensi, preterquam quod est dicto Gawino natura ac moribus omnino diversis, pro certo intelligimus eum ad supradictum Archiepiscopatum S. Andreae admissum nunquam iri. Quare ingenitae vestre Beatitudini pietatis, et instituti sui preclarissimi de universali concordia operis esse arbitramur, non modo controversiarum semina et caussas, quae inter Regna ac regiones intercedunt, penitus tollere, sed ab ipsis quoque singulis Regnis ac regionibus discordias prohibere, innatumque forte lolium ac zizaniam crescere non sinere, sed radicitus potius extirpare, quo nihil potest esse aut Deo Altissimo acceptius, aut summae reipublicae utilius, aut vestre Sanctitati gloriosius, quae felicissime ac diutissime valeat. Ex Palatio nostro Grenwici die XXVIII. Ianuarii M.D.XIIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia
Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae
HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCII.

Rex Angliae cum pontifice de iniuriis eius nuntiis in Scotia illatis gravissime conqueritur, spondetque, si in votis ipsius esset, impiam Scotorum audaciam ob hasce iniurias, utpote sanctae apostolicae sedi irrogatas, valida armatorum manu retundere paratissimum se fore. Ex originali Instrument. Miscell.

Sanctissimo Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Defendere atque augere istius Sanctae Sedis dignitatem non ad nos magis, quam ad quemcumque Christianum principem pertinere antea putavimus; nunc vero, postquam omnibus, quibus potuimus, officiis eam pro virili fuimus tutati, peculiarius quoddam studium nobis accessisse videtur, ut et illam, et nostra pariter in eam officia obnixe conservemus: ideoque non facile dictu nobis est, quam de eiusdem Sancte Sedis honore, maiestate et amplitudine facti sumus solliciti, quibus profecto nihilo minore cura studemus, quam quae summopere nobis sunt cordi. Quamobrem cum Rñdus in Christo pater D. Episcopus Theatinus, Vestrae Sanctitatis dignissimus apud nos Orator, et una cum eo Ioannes Baptista, Revñi Domini Cardinalis Cibo, Vestre Sanctitatis secundum carnem nepotis, procurator, homo, ut quidem pre se fert, rerum peritus, circumspectus ac diligens, nobis enarrassent, quanto Vestrae Sanctitatis contemptu atque contumelia non idem solum Ioannes Baptista, sed ipse etiam Dñus Baltasar, Vestre Sanctitatis Orator, ab ingressu Scotiae turpibus minis deterriti prohibitique fuerunt, et quod nonnisi indecoris demum conditionibus idem Dñus Baltasar fuit admissus. Cuius rei indignitate sane quam vehementer sumus commoti, atque eo gravius id tulimus, quod Scoti ista suis afflictis rebus, nec ullius rei quam miseriae fiducia committere non vereantur, quae nulla alia Christiana quamvis florentissima natio auderet cogitare: nam quid a christiano nomine magis diversum, quam eius nuncios cum ignominia repellere, quem verum certumque Domini nostri Iesu Christi in terris Vicarium confiteri sit necesse. Quid quod hoc facinus non ab agrestibus ferisque illis (sic enim nominant) Scotis perpetratum fuisse intelleximus, sed ab ipsis Epis, et his, qui sanctissimo iureiurando isti Sanctae Sedi sunt adstricti, ut facile Vestra Sanctitas queat indicare, quale sit Scoticum vulgus, et qua erga Vestram Sanctit. dictamque Sanctam Sedem reverentia, quam Episcopi tam insigniter utranque contemnant. Haec vero, quamquam non dubitemus, Vestram Sanctitatem, quum ex dictis suis Oratoribus, tum ex eodem

Ioanne Baptista coram uberius omnia intellecturam, volumus tamen et nos non tam hoc factum, quam ingentem nostram de eo molestiam Vestrae Beatitudini significare. Et quoniam non satis esse arbitramur, iniuriam Vestre Sanctitati et dictae Sedi illatam solum dolere, proinde boni etiam utriusque filii operam pollicemur, si eam Vestra Sanctitas in hoc usui sibi esse posse existimaverit. Quod si velit, nos suam et eiusdem sedis authoritatem ac dignitatem adversus Scotos armis asserere, eorumque temeritatem retundere et ad officium reducere, nec tam impiam audaciam impunitam relinquere: Vestra Beatitudo negotium hoc ex iuris, ut mos est, formula nobis dare et committere dignetur, nosque in hoc iuxta ac in aliis omnibus, quae ipsa nobis mandaverit, et quemadmodum adversus Gallos effecimus, ita etiam contra Scotos studium et operam nostram Vestrae Beatitudini comprobare nitemur: quippe in obsequendo Vestre Sanctitati, istaque Sancta Sede tuenda, nostram, immo Dei gloriam potissimum collocavimus. Ex Palatio nostro Grenwici die vii. Maii M.D.XIIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCIII.

Rex Angliae a pontifici petit, ut episcopum Lincolniensem purpura condecoret. Ex originali Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Ut multis tam nostris litteris Vestrae Sanctitati exprimere sumus conati, Rev. in Christo patrem Dñum Thomam Episcopum Lincolniensem, secretissimum nostrum Consiliarium, prae omnibus, quos carissimos habemus, singulari studio prosequimur; sic enim eximiae eius virtutes, et quottidiana, atque eadem egregia ergo nos merita a nobis postulare videntur: qui quidem hic unus omnibus nostris consiliis, deliberationibus, actionibus sursum ac deorsum cunctis in rebus, quae alicuius sint momenti, presto semper nobis adest, et in hac pace inter Serenissimum Dominum Regem Francorum, fratrem nostrum Carissimum, et nos nullus ita laboravit atque insudavit, ut idem Dñus Lincolniensis, ex quo Vestrae Sanctitatis in ea re studium perspexit. Quocirca nostri quoque officii esse iudicamus, eius honori, dignitati et incremento vicissim studere, quod sane, quantum in nobis erit, efficiemus: verum sine Vestrae Sanctitatis adiumento huic nostro studio satisfacere non possumus. Proinde eam, quam enixe possumus, rogamus, ut in eodem Dño Lincolniensi ornando pro illo suo plusquam paterno erga nos affectu benignissimam se nobis indulgere, ac totum honorem, quem bonae memoriae Dñus Cardinalis Eboracensis habuit, in eum transferre, ipsumque in istud sacrum Rmorum patrum Collegium adscribere dignetur, ut vel hoc uno Cardinale Regnum nostrum decoretur, et huic flagranti nostro voto satisfiat, dignaque eiusdem Dñi Lincolniensis virtutibus premia tribuantur, et nos Vestrae Sanctitati atque isti sanctae sedi virum spondemus honestissimum, et utrique devotissimum atque utilissimum, ut omittamus, de utraque etiam pro sua virili promeritum: hoc vero nihil impresentia gratius Vestra Sanctitas nobis facere potest, quod se optime positurum arbitretur, et felicissime ac diutissime valeat. Ex Palatio nostro Grenwici die xii. Augusti M.D.XIIII. sub privato nostro Sigillo.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCIV.

Angliae rex petit a cardinali Iulio de Medicis, ut confirmationem electorum Cluacensis et Herfortensis apud pontificem urgere velit, adiecto processu consistoriali de ecclesia Herfordensi. Ex originali.

HENRICUS Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae, Rmo in Christo patri D. Iulio tit. S. Mariae in Dominica S. R. E. Diacono Cardinali, nostroque ac Regni nostri in Romana Curia Protectori et Amico nostro Carissimo, salutem. Commendamus in praesentia Smo D. N. Venerabilem ac religiosum virum fratrem Quintinum Obnygyn, virum doctum, prudentem et vitae integritate probatum, Suamque Sanctitatem rogamus, ut eundem fratrem Quintinum Ecclesie Cluacensi (sic), per Reverendi patris D. Thome eius postremi Episcopi ad Archiepiscopatum Tuamensem translationem vacanti, preficere et presulem constituere dignetur. Quare pergratum nobis erit, ut Vestra Rma Dominatio relationem de dicta Ecclesia, ut moris est, facere et eiusdem fratris Quintini procuratoribus in bullarum expeditione favorem suum prestare non gravetur. Quae feliciter valeat. Ex Palatio nostro Grenwici die xviii. Iunii M.D.XV.

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

Beatissime pater. Supplicante humiliter Sanctitati Vestrae devoto eius filio Henrico Serenissimo Angliae Rege, quatenus de ecclesia Herfordensi, vacante per obitum Domini Riccardi ultimi Episcopi, Venerabili Domino Carolo Both, Buchinghamiensi Archidiacono, iuris doctori, et eius consiliario, providere dignaretur, Sanctitas Vestra die nona huius mensis vivae vocis oraculo mihi facto commisit, ut de vacatione et existentia dictae ecclesiae, nec non de qualitatibus et meritis promovendi diligenter inquirerem, et deinde de omnibus bene informatus in hoc sacro loco, ut moris est, referrem: super quibus ex depositione quatuor testium fide dignorum et medio eorum iuramento examinatorum invenio, quod

In Insula Anglia in confinibus Ducatus Walliae, qua vergit ad occidentem Hiberniam versus, est Herfordensis civitas, neque pulchritudine aedificiorum, neque aliquo hominum studio insignis, habens moenia, iuxta quae labitur magnus fluvius, qui eorum lingua Lug appellatur. Habet quinque portas, intus

unam viam caeteris longiorem, cuius unum caput orientem, alterum occidentem respicit, prope quam eodem modo posita est ipsa ecclesia sub invocatione S. Thomae, magnitudine S. Iohannis in Laterano, habens tres portas, unam principalem et magnam versus occidentem, et duas alias a latere, et per unam illarum ingrediuntur Canonici, forma oblonga, constructa ex lapidibus quadratis; naves tres; columnae ex ordine utrinque dispositae; tectum testudineum. Chorus in medio cum sedilibus ligneis, post quem altare maius, et alia minora altaria per ecclesiam. Sacristiam bene munitam, calicibus viginti, organa duo, unum in choro minus, alterum in media ecclesia magnum. Corpus sancti Thomae honorifice positum post altare maius, ad cuius solemnitatem confluunt non solum incolae regionis, sed etiam peregrini. Est una tantum dignitas post Episcopalem, quae vocatur Decanatus, de valore ignoratur. Sunt circa quindecim Canonici inaequalis valoris, qui die noctuque celebrant divinum officium. Cantantur singulis diebus duae Missae, leguntur aliae submissa voce. Extra ecclesiam est campanile cum nonnullis campanis, et circa finem divisae habitationes Canonicorum, qui tamen habent refectorium commune. Domus Episcopalis ante ecclesiam antiqua. Fructus non comperi, quibus ex rebus constet (sic): sed pertinentes ad Episcopum affirmant ascendere ad tria milia ducatorum. Taxa est ad mille octingentos ducatos. Ad eam petitur promoveri Dominus Nicolaus et dispensari de omnibus benefitiis, quae obtinet etiam post susceptum munus consecrationis, et ut exprimatur in litteris, cum derogationibus etc. Est legum Doctor, bonae conversationis et famae, Regius Consiliarius, Regi gratus, ex optimo parentum genere, LV. annorum, et forma elegantissima. Sunt litterae Regiae.

Beatissime pater. Supplicante humiliter Sanctitati Vestrae devoto eius filio Henrico, quatenus de ecclesia Herfordensi, vacante per obitum bonae memoriae Riccardi ultimi Episcopi, Venerabili Domino Carolo Both Buchinghamiensi Archidiacono providere dignaretur.

(Bullae fuerunt expeditae die XXI. Iulii MDXVI.)

DCCCCV.

Rex Angliae pontifici, ut designatum Cluanensem confirmare velit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Certiores facti, Cluacensem ecclesia in Dominio nostro Hiberniae per translationem Rev. Patris Dñi Thomae eius novissimi Episcopi ad Archiepiscopatum Tuamensem vacare, Venerabilem ac religiosum virum fratrem Quintinum Ohnygyn ordinis Minorum, virum doctum, gravem, circumspectum et probum, multorum testimonio maxime idoneum esse cognovimus, qui dictae ecclesiae preficiatur. Quapropter Vestre Sanctitati ipsum commendamus, eamque rogamus, ut eudem fratrem Quintinum praedictae Cathedrali Ecclesiae Cluacensi per dictam translationem vacanti praeficere, et Episcopum constituere dignetur, quem ut Deo acceptum, sic perutilem eidem ecclesiae pastorem futurum arbitramur. Et felicissime valeat eadem Vestra Sanctitas, Quam Deus Altissimus longaevam conservet. Ex Palatio nostro Grenwici die XVIII. Iunii M.D.XV.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia
Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae
HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCVI.

Rex Angliae cum pontifice de christianorum principum in promovenda contra Turcas expeditione socordia conqueritur, petitque, ut iidem ad id gladio spirituali cogantur, seque promtissimum ad quaeque sacrificia praestanda spondet. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, ac devotissima pedum oscula beatorum. Ubi perlecta habuimus, immo dum legeremus copiosissimum Vestre Sanctitatis Breve die XV. Iunii ad nos datum, timoris, sollicitudinis atque anxietatis plenum, et exemplum litterarum Episcopi Vesprimiensis, necnon ea, quae Vestre Sanctitatis nomine D. Episcopus Wigorniensis, noster apud eam Orator, ad nos scripsit, omnia nostra viscera fuerunt commota. Ingens enim totius Christianitatis discrimen, et quam ad ei succurrendum ob fraternas nostras discordias Christiani principes alieni nunc simus, Vestreque Sanctitatis Angorem et dolorem probe intelleximus, et testes ei semper erimus, quantopere pro universali pace et concordia laboraverit: nam apud nos nihil ab ea omissum fuisse scimus, quod si tam obsequentes alios, ut existimabamus, quam nos Vestra Sanctitas habuisset, iam Turcae nos potius timerent, quam a nobis timerentur. Verumtamen Christianos principes, quos neque Domini Dei nostri mandata, neque reipublice respectus, neque Vestre Sanctitatis authoritas ad concordiam hactenus movere potuit, instans saltem omnium cervicibus periculum, eique celeriter occurrendi necessitas permovere nunc deberet, et si quorum sit tam caecus private rei augendae furor, sic enim appellandus nobis videtur, ut illi solum intenti, communem ruinam advenientem atque impendentem contemnant, nec iterum a Vestra Sanctitate admoniti, et rogati sua studia vel tantisper differre velint, donec hoc periculum propulsatum, et publica res in tuto esse iudicetur. Iam, Beatissime pater, adversus hoc malum acerbioribus et extremis, ut aiunt, remediis utendum esse censemus, nec tantam obstinationem a Vestra Sanctitate amplius rogandam, sed spiritualem ipsius gladium in eam gravissime stringendum, et quorumcumque atrocium execrationum ac dirarum fulmina mittenda arbitramur. saepe enim morbi, qui unguentis resistunt, cauteriis curantur, et in hac re quantum opibus, et viribus valebimus, tantum Vestre Sanctitati adsistemus. Quod vero ad nos attinet, sane magnam ex hoc nuncio, et ex pia Vestre Sanctitatis de suo Gre-

ge anxietate molestiaque tristitiam contraximus, facileque sumus Vestre Sanctitatis adhortationibus accensi. Quocirca tam etsi legitimae et verae excusationes nobis non desint, tamen si Dei numine, et Vestre Sanctitatis cura ac labore res Christiana ad universalem concordiam, seu saltem inducias quoquomodo reducatur, et expeditio aliqua adversus communes hostes ab omnibus Christianis Principibus et potentatibus tempore tam necessario suscipiatur, ante omnes praesto nos fore pollicemur: sin vero periculum gravius sit, quam ut hoc auxilium queat expectare, si alii Christiani Principes pecunias ad subsidium conferent, nos primi conferemus, et quidem uberius ac largius, quam Vestra Sanctitas postremo a nobis petierit. Verum si nobis tantum contribuendum fuerit, non sumus qui tantam rem nostro sumptu soli cum Vestra Sanctitate sustinere queamus: et si id tantummodo, quod Vestra Sanctitas scribit, erogaremus, sane quid prodesse possit non videmus; pecunias vero in cassum effundere non placeret. Quare Vestram Beatitudinem rogamus, ut alios Principes vel ad concordia, vel ad pecuniarum collationem pro sua virili urgere, atque adducere velit, et in utraque re, quemadmodum diximus, et ut obsequentissimum Vestre Sanctitatis filium, ac vere Christianum Principem in tanto reipublice periculo decet, primos nos adfuturos Vestre Beatitudini spondemus. Quam Deus Omnipotens undecumque felicissimam diutissime conservet. Ex Palatio nostro Grenwici die xv. Iulii M.D.XV.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotĩmus atque obsequentĩmus filius Henricus Dei gratia
Rex Anglie, et Francie, ac Dñus Hiberniae
HENRICUS.
AND. AMMONIUS.

DCCCCVII.

Rex Angliae pontifici, ut nominatum Clocorensem confirmare velit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Certiores nuper facti sumus, Cathedralem Ecclesiam Clocorensem per obitum bonae memoriae Dñi Eugenii, eius novissimi Episcopi, in Dominio nostro Hiberniae vacare, praepositusque nobis fuit Vestre Sanctitati commendandus Venerabilis ac Religiosus vir Magister Patritius Culwyn ordinis Heremitarum Sancti Augustini, sacrae Theologiae professor, ac celebris in eodem nostro Dominio verbi Dei praedicator, nec minus vitae temperantia morumque ornamento ac circumspectione imprimis probatus, quem nos quoque ad eandem Clocorensem Ecclesiam regendam idoneum existimantes, Vestre Sanctitati commendamus, eamque rogamus, ut eundem Magistrum Patritium Culwyn dicte Ecclesie Clocorensi (ut diximus) vacanti praeficere, eique pastorum et presulem constituere dignetur: quod aeque Altissimo gratum ipsique Ecclesie utile, atque predicti hominis virtutibus conveniens fore non dubitamus. Et felicissime valeat eadem Vestra Sanctitas, Quam Deus Altissimus longevam conservet. Ex Castello nostro Windsora die xxvii. Septembris M.D.XV.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia
Rex Anglie et Francie ac Dominus Hibernie
HENRICUS.
AND. AMMONIUS.

DCCCCVIII.

Rex Angliae pontifici de dignitate cardinalitia archiepiscopo Eboracensi collata effusissime grates reddit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Inter illa, quae hactenus quam laetissima iucundissimaque nobis in vita extiterunt, vel cum primis id Breve annumeramus, quo Vestra Sanctitas Revmum Dñum Archiepiscopum Eboracensem in istud amplissimum Revmorum Patrum Collegium, novo quodam exemplo solum atque extra ordinem, tot aliis dignissimis viris praeteritis, se nuper legisse nobis nunciavit, luculentissima oratione, ut probe accepimus, prius a se habita, nostrisque in se istamque Sanctam Sedem officiis commemoratis, et pro suo in nos studio amplificatis, quasi gratiam hanc nostris meritis referre (tanta est eius bonitas), non beneficium conferre testaretur. Nos tamen, Beatissime pater, pro beneficio et quidem summo atque ex omni parte cumulatissimo accepimus et habemus, quo Vestra Sanctitas plenissime nostro desiderio satisfecit, nec minus nos totumque hoc nostrum Regnum, quam ipsum Revmum Dñum Eboracensem decoravit, tantamque semel amoris erga nos sui abundantiam effudit, ut nostram de sua benivolentia expectationem (quae haud sane exigua erat) superavit, et insolubili nos vinculo sibi, suisque atque isti Sanctae Sedi in aeternum obligatissimos reddiderit, verbaque nobis ademerit, quibus suae incredibili benignitati pares gratias agere queamus, aut ad beneficii magnitudinem prope accedere possimus: ideoque sermone, non quo cupimus ad id, quod sentimus, exprimendum, sed quo licuerit, utemur. Agimus ergo Vestre Sanctitati gratias immensas, infinitas, et quantas nulla oratione assequi valemus: fecit enim rem animo nostro proprie gratam, hominem, quem ob eminentissimas animi dotes, excellentissimaque in nos merita unice amamus, pro nostro desiderio honestavit, ut universo Christiano orbi singularem suam adversum nos pietatem illustrissimo argumento declaraverit. Caeterum quamquam hoc beneficium totum ad nos pertinet, et eum locum apud nos sibi vendicat, quem nulla unquam oblivio continget, spem tamen certam habemus in istius quoque Sancte Sedis commodum atque ornamentum non mediocre redundaturum, non modo quia nos eius maxime obnoxii facti sumus, verum etiam quia eae sunt ipsius Rmi Dñi Eboracensis virtutes, quas saepe Vestre Sanctitati recensuimus, et in primis gratus animus, religionis maxime studiosus, atque optime de ista Sancta Sede merendi percupidus, ad quam tuendam, protegendam, iuvandam nos semper instantissime animavit, ut ei-

dem Sancte Sedi non parvo aliquando usui honorique eum fore confidamus, vestrae autem Beatitudini suisque omnibus addictissimum obsequiosissimumque perpetuo ministrum spondemus, pro quo etiam atque etiam sempiternas vestre Sanctitati gratias habemus. Quam Deus Omnipotens ad vota fortunet. Ex Castello nostro Wyndsora die ultimo Septembris M.D.XV.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCIX.

Rex Angliae pontifici supplicat, ut credat, quae ipsi epus Wigorniensis suo et cardinalis Eboracensis nomine exponet. Ex originali.

Sanctmo Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, ac devotissima pedum oscula beatorum. Commisimus in presentia Rmo Dño Cardinali Eboracensi, nostro ac huius nostri Regni Cancellario, nonnulla pergravis momenti, et ad communionem reique publice Christiane utilitatem valde pertinentia, Rndo Domino Episcopo Wigorniensi, nostro apud vestram Sanctitatem Oratori, per Dñum Andream Ammonium diligentissime significanda, ac vestre Sanctitati accuratissime exponenda, quae ei gratissima fore non dubitamus. Quare in his, quae dictus noster Orator nostro seu eiusdem Rmi Dñi Cardinalis nomine ab eodem Domino Andrea perscripta sibi esse vestrae Beatitudini referet, ut ipsam certissimam (sicuti consuevit) ei fidem habere, ac super illis expeditum (quemadmodum res ipsae exposcunt) responsum ad nos dare dignetur. Quod erit nobis maximum in modum gratum. Et felicissime valeat vestra Beatitudo, quam Deus Altissimus longaevam conservet. Ex Palatio nostro de Eltan die XXIX. Decembris M.D.XV.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie ac dominus Hibernie

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCX.

Idem rex Angliae pontificem de morte Aragonum regis soceri sui certiorem reddit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendatione, ac devotissima pedum oscula beatorum. Gravissimam iacturam nuper fecit Christiana respublica in obitu Clarissimi Principis Dñi Regis Aragonum, Soceri et Patris nostri Carissimi, cuius singularis prudentia, et maximarum rerum ab ipso gestarum gloria atque authoritas, amplissima quoque potentia et vires maximum pondus ad res Christianas aequa lance librandas afferebant. Quare eo ad meliorem (ut certum habemus) vitam nunc evocato, gravius Vestre Sanctitati onus incumbere, ac longe magis magisque ab ea isti sanctae Sedi totiusque Italiae, ac universae Christianitatis rebus prospiciendum, cavendum atque invigilandum censemus, super quibus Reverendus Dñus Episcopus Wigorniensis, noster apud Vestram Sanctitatem Orator, sententiam atque animum nostrum Vestrae Beatitudini nostro nomine declarabit, per quem, ut vicissim Vestra Sanctitas mentem suam mature nobis explicare dignetur, vehementer etiam atque etiam rogamus. Et faelicissime valeat eadem Vestra Sanctitas, Quam Deus Altissimus longaevam suo Gregi conservet. Ex Palatio nostro Grenwici die XVI. Februarii M.D.XVI.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dñus Hiberniae

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCXI.

Rex Angliae pontifici, ut nominatum Herfordensem (vide processum consistorialem supra pag. 514.) confirmare velit. Ex originali.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Decessit nuper in hoc nostro Regno Rñdus in Christo pater Dñus Ricardus Episcopus Herfordensis. Quare cogitantibus nobis, quem ei in Ecclesia Herfordensi praesulem sufficiendum curaremus, succurrit nobis memoria Venerandi Dñi Caroli Bothe, Archidiaconi Buchingamiae, Legum Doctoris, ac nostri in Principatu nostro Walliae, antequam huius Regni gubernacula teneremus, Cancellarii, Consiliariique nunc nostri, et in eodem Principatu Commissarii, viri quidem eximia probitate, circumspectione ac doctrina praediti, quem praedictae Ecclesiae praesulatu dignissimum iudicamus. Ideoque eundem D. Carolum Vestre Sanctitati commendamus, rogantes, ut eum dicte Ecclesie Herfordensi (ut diximus) impraesentia vacanti praeficere, et pastorem constituere dignetur. Quod et Deo gratissimum et dicte Ecclesie utilissimum futurum certissimum habemus. Et felicissime valeat Vestra Sanctitas, Quam Deus Altissimus longaevam conservet. Ex Praetorio nostro Eltanensi die XXVI. Aprilis M.D.XVI.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCXII.

Rex Angliae pontifici pro ecclesia Herfordensi vacante Carolum Bothe archidiaconum Buchinghamiensem iterum proponit. Ex orig.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem et devotissima pedum oscula beatorum. Decessit nuper in hoc nostro Regno Rñdus in Christo pater D. Ricardus Episcopus Herfordensis. Quare cogitantibus nobis, quem ei in Ecclesia Herfordensi praesulem sufficiendum curaremus, succurrit nobis memoria Venerandi. D. Caroli Bothe Archidiaconi Bucchingamiae, Legum Doctoris, ac nostri in Principatu nostro Walliae, antequam huius Regni gubernacula teneremus, Cancellarii, Consiliariique nunc nostri, ac in eodem Principatu Commissarii, viri quidem exi-

mia probitate, circumspectione ac doctrina praediti, quem praedictae Ecclesiae Herfordensi praesulatu dignissimum iudicavimus. Ideoque eundem D. Carolum Vestre Sanctitati commendamus, rogantes, ut eum Ecclesie supradicto Herfordensi (ut diximus) impraesentia vacanti praeficere, ac pastorem constituere dignetur. Quod et Deo gratissimum et dicte Ecclesie utilissimum futurum certissimum habemus. Et faelicissime valeat eadem Vestra Sanctitas, Quam Deus dierum longitudine repleat. Ex Regia nostra apud Grenwicum die XXVIII. Maii M.D.XVI.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCXIII.

Cardinalis Eboracensis, defuncto epo Nigropontano suo suffraganeo, alium cum eodem charactere a pontifice petit. Ex orig.

Sanctmo Benignissimoque D. N. Papae.

Beatme pater, deosculatis sanctissimis Vestrae Beatitudinis pedibus, et humillima Commendatione praeposita. Defuncto nuper Rndo in Christo patre Dno Iohanne Episcopo Nigropontensi, qui mihi in Archiepiscopatu meo Eboracensi suffraganeus erat, meque in officio Cancellariatus ac totius Regni negociis vel supra vires meas occupatum, in supradictae meae ecclesiae onere ferendo adiuvabat, mature mihi alius suffraganeus est providendus: ideoque Rndum Dnum Ricardum Priorem de Drax, hominem eruditum et probum, veterem mihi familiarem, maxime idoneum mihi suffraganeum futurum existimans, ipso libenter onus suscipiente, modo una cum dicto suo Prioratu, ac nonnullis dispensationibus ab ista Sancta Sede iam obtentis, praedicti Nigropontensis Episcopatus titulum sibi per Vestram Sanctitatem liceat habere, eidem Vestre Sanctitati humillime supplico, ut eundem Dnum Priorem commendatum habere, et predictum titulum ei benigne tradere, facultatemque in meo Archiepiscopatu Pontificalia exercendi concedere dignetur. Quod aliis Vestrae Sanctitatis in me beneficiis accumulabo, Cuius sanctissimis pedibus me etiam atque etiam reverentissime commendo, optatamque omnem faelicitatem precor. Ex meis aedibus Londini die III. Iunii M.D.XVI.

E(iusdem) V(estrae S(anctitatis)

Humillima ac devotissima creatura

T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCXIV.

Processus consistorialis super confirmatione electi Cluanensis. Ex originali Instrum. Miscell.

IN Dei nomine. Anno a Nativitate Domini Millesimo quingentesimo sexto decimo, indictione quarta, die 9. Novembris, Sanctissimi vero in Christo patris et Domini, Dni Leonis divina providentia Pape Decimi anno quarto. Rmus in Christo pater et Dominus, Dnus meus Iulius divina miseratione sancte Marie in Domnica Diaconus Cardinalis, de Medicis vulgariter nuncupatus, retulit mihi Ioanni Mattheo Gyberto apostolica authoritate Notario et Secretario suo, elapsis diebus Sanctissimum Dominum nostrum vivae vocis oraculo ei commisisse, ut super existentia Ecclesie Cluanensis, nec non de qualitatibus et meritis Venerabilis fratris Quintini Obygim ordinis Minorum diligenter inquireret, et deinde in suo consistorio secreto, ut moris est, referret. Eadem vero die predicta volens dictus Dnus meus hanc commissionem Smi Dni nostri exequi, mandavit mihi Ioanni Matthaeo, clerico Panormitano predicto, super praemissis et aliis in huiusmodi consuetis testes producendos reciperem, ac eorum dicta in scripta redigerem, servata in his forma Curiae consueta.

Igitur pro vera cause instructione die 9. Novembris anno praedicto Nicolaus Houran clericus Hybernicus Hertfertensis dioec., testis ad hoc productus, interrogatus a me super qualitatibus D. fratris Quintini medio iuramento dixit, se eum nosse in Hybernia in provincia Tuamensi, et esse litteris eruditum, predicatorem, bonis moribus et fama, aliisque multis virtutibus praeditum.

De existentia vero Ecclesiae interrogatus haec respondit: In Hybernia Insula orientem versus in provincia Tuamensi esse Cluanensem civitatem, sitam inter sylvas, casarum ex palea et viminibus fere duodecim, a cuius parte leva labitur fluvius, qui eorum lingua Sinin appellatur, et distat a mari per iter unius diei.

A parte sinistra occidentem versus esse ecclesiam Cathedralem dirutam, sine tecto, cum uno tantum altari parvo, stramine tecto, cum uno paramento vili, cruce ex aere, habens unum campanile cum duabus campanis, et parvam sacristiam, valoris trigintatrium ducatorum, qui constant ex frumento et ordeo, ex quo conficiuntur cervosa.

Beatissime pater. Cum per translationem Rndi P. D. Thomae Episcopi Cluanensis ad metropolitanam ecclesiam Tuamensem, ipsa Cluanensis ecclesia vacet, supplicaritque humiliter Sanctitati Vestrae devotissimus eius filius Sermus Henricus Angliae etc. Rex, ut eidem ecclesiae de persona religiosi viri Quintini Ohuygim provideretur: Sanctitas Vestra die... mihi commisit, ut de existentia ecclesiae, necnon de qualitatibus et meritis promovendi diligenter inquirerem, et deinde de omnibus bene informatus in hoc sacro loco referrem. Super quibus ex depositione unius testis, medio iuramento examinati, invenio, quod

In Hybernia Insula in provincia Tuamensi est Cluanensis civitas, posita inter sylvas orientem versus, casarum fere duodecim ex viminibus et palea, propter quam a leva labitur quidam fluvius, qui eorum lingua Sinin dicitur, et distat a mari per iter unius diei. A dextro latere ad occidentem est ecclesia Cathedralis semidiruta, sine tecto, cum uno tantum altari cooperto stramine, habens parvulam sacristiam cum uno tantum paramento et cruce ex aere. Habet campanile cum duabus campanis. Raro celebratur missa. In ea est corpus unius Beati Hybernici, cuius nomen testis ignorat, et sub eius invocatione est ecclesia, quae est valoris trigintatrium ducato-

rum, ad quam summam est taxata in libris Camerae, fructus constant ex frumento et ordeo.

Ad eam petitur promoveri Venerabilis frater Quintinus, in presbiteratus ordine constitutus, ordinis Minorum, vir doctus, praedicator, bonis moribus et fama aliisque virtutibus praeditus, quem multi ex Dñis meis Rmis viderunt: petit dispensari super defectu natalium, et derogari privilegiis ordinis etc.

Scribit Rex et eum commendat.

DCCCCXV.

Rex Angliae pontifici, ut designatum Landavensem confirmare velit. Ex originali Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Certiores nuper facti, Cathedralem Ecclesiam Landavensem in hoc nostro Regno per obitum Rdi patris Dñi Milonis novissimi eius Episcopi vacare, subiit nos recordatio obsequiorum et meritorum venerabilis ac religiosi viri Magistri Georgii de Ateca ordinis Praedicatorum, sacrarum litterarum doctoris, Serenissime Consortis nostrae iam multos annos confessoris, viri quum integritate vite, singularique modestia et probitate, tum eruditione et circumspectione eximia praediti, ac de praedicta Serenissima Consorte nostra et nobis optime meriti. Hunc igitur Vestre Sanctitati commendandum delegimus, nostro iudicio maxime idoneum, qui ad Episcopalem dignitatem, et quam diximus, Landavensem Ecclesiam evehatur. Quocirca Vestram Beatitudinem rogamus, ut eundem Magistrum Georgium dicte Landavensi ecclesie praeficere, pastoremque et praesulem constituere dignetur. Quod ut eiusdem Magistri Georgii virtutibus congruere arbitramur, sic eidem ecclesiae utile honorificumque fore non dubitamus. Et felicissime valeat eadem Vestra Sanctitas, Quam Deus Altissimus longaevam tueatur. Ex Palatio nostro Grenwici die XVIII. Ianuarii M.D.XVII.

Eiusdem Vestrae Sanctitatis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCXVI.

Instrumentum resignationis episcopi Rossensis. Ex orig. Instr. Miscell.

IN Dei nomine Amen. Tenore praesentis publici Instrumenti cunctis evidenter appareat et sit notum, quod Anno Incarnate Deitatis secundum cursum et computacionem Anglicane et Hybernicane ecclesiarum M.CCCCC.XVII. Indictione quinta, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et dñi nostri, domini Leonis pape decimi Anno IIII. Mense vero Marcii, die quoque XXIIII. in loco vulgariter nuncupato Tymolacghe, In presencia subscriptorum testium personaliter constitutus ac mea discretus, honestus et Venerabilis vir dominus Iohannes Horzyle Abbas Monasterii beate Marie de Fonte vivo Rossensis diocesis, exhibens ac presentans mihi infrascripto Notario formam resignacionis Reverendi in Christo patris et domini, ac domini Edimundi Cursy Episcopi Rosensis, in manibus suprascripti Sanctissimi in Christo patris domini, ac domini Leonis pape decimi, ad instanciam sui karissimi fratris Abbatis antedicti, sigillo premissi domini Edimundi Episcopi sigillate, ac sua propria manu scripte, ac me melioribus modo, via et forma, quibus melius et efficacius potuit, cum instancia rogavit, peciit pariter et requisivit, quatens pro competenti salario ad fidem indubiam tam in iudicio, quam extra iudicium coram quibuscumque oportunis et necessariis ac congruis personis, eciam summo Pontifice, suis officialibus, nec non Rege Anglie, suoque in Hibernia deputato, aliisque officiariis prefati invictissimi et incliti Regis, ubi et quotiens opus et oportunum fuerit (sic). Quoniam ea, que rite secundum canonicarum et sacrarum legum exigenciam fiunt, de facili ab humana et labili solet recedere memoria, nec linearum ordine recte observato memorie ordine scripture commendarentur. Cuius quidem resignacionis forma sequitur, que est talis. Pateat Beatissimo ac sanctissimo in Christo patri domino ac domino Leoni pape decimo, ad suorum pedum licet absens oscula humiliter inclinatus, ac omnibus aliis et singulis presentes litteras vissuris, lecturis et audituris, quod ego dominus, ac dominus Edimundus dei et apostolice sedis gratia Episcopus Rosensis, mentaliter mecum per longinqua dierum curricula ac cum magna deliberatione motus et inductus, senciens me viribus meis corporalibus et sensibus debilitatum, quominus possim in regimine tante cure dignitatis episcopalis, et tantarum animarum, ut onus et iuris disposicio exigit, in meo ipso senio et quasi (etate) decrepita impeditus ministrare, quod considerando, ac ad ipsam summi mei redemptoris contemplacionem aspirando, libere, quiete, voluntarie et pacifice in manibus antefati Leonis pape beatissimi mee Episcopali dignitati re et verbo resigno, maxime in favorem et intuitu dilecti mei spiritualis filii ac fratris domini Iohannis dei paciencia Abbatis Monasterii beate Marie de Fonte vivo Cisterciensis ordinis Rosensis diocesis, cui deliberato et libenti animo de providencia sedis apostolice de eadem dignitate Episcopali Rosensi placet nobis providere. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium ad maius testimonium maioremque evidentiam sigillum nostrum, quo utimur, una cum signo predicto notarii publici presentis apponi fecimus. Hiis testibus praesentibus, videlicet Domina Alynoria filia Comitis Kylldare, ac fratre Cornelio Cathaloni Gardiano conventus fratrum Minorum de observancia sancti Molagii, Mauricio Murryly clerico, vocatis et requisitis. Data sunt hec et habita, prout supra scribuntur, sub anno, Indictione, mense, die et loco quibus supra.

(L. S.) Et ego Donatus Omorthy, Clericus Dublinensis diocesis, publicus sacra apostolica et imperiali (auctoritate) notarius, premissis omnibus et singulis, videlicet resignacioni in forma premissa facte per eumdem dominum ac dominum Edimundum

antedictum, ac sua manu scripte, et ad manus supradicti Iohannis Abbatis tradite cum imploracione mei officii de huiusmodi scriptura, praesens personaliter interfui, ea omnia et singula sic fieri vidi et audivi, publicavi, scripsi, subscripsi signoque et nomine meis solitis signavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium premissorum. Et non viciat rasura in fine secunde linee in verbo Tymolage inter verbum nuncupato et verbum in presentia, quia ego idem notarius eadem mea manu scripsi.

DCCCCXVII.

Rex Scotiae per ducem Albaniae pontifici solitam obedientiam praestat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Beatissime pater. Post suavissima pedum oscula beatorum. Cum nos, tue beatitudinis et sacrosancte sedis apostolice devotus filius Iacobus divina favente clementia Scotorum Rex, more predecessorum nostrorum solitam Vicariis Christi pontificibus maximis obedientiam prestare debeamus, Idque propter teneram et pupillarem etatem, eo quod nondum ad firmum consilium accessimus, sponte nostra apte facere non possumus: Idcirco devotus etiam Sanctitatis tue et eiusdem sedis filius, Carissimus consanguineus noster, Iohannes dux Albanie, marchie Garioth, Bolonie et Alvernie comes, Vallis Amiandie et Mannie dominus, nostri nunc minorem etatem agentis tutor legitimus, ac Regni nostri Scotie Regens, gubernator et administrator generalis, de nostro et trium Statuum Regni nostri predicti consensu et auctoritate, nec non eciam suo gubernatorio et tutorio nomine te verum Christi Vicarium, beati Petri Catholicum Successorem adorabit et venerabitur, ac debitam tue Sanctitati obedientiam nomine quo supra prestabit, sicut copiosius per os Secretarii per eum nominandi plenius exponet, quem Sanctitas tua benigne audire, atque hiis patentibus litteris magno nostro Sigillo munitis fidem adhibere dignetur, quam omnipotens Deus ad sui laudem, et tocius ecclesie utilitatem diutissime conservet. Datum Edinburgi in Palacio nostro Regio die primo mensis Maii Anno domini millesimo quingentesimo decimo septimo.

E. S. T.

Devotus filius
IACOBUS SCOTORUM REX.

DCCCCXVIII.

Rex Angliae pontifici, ut resignationem episcopi Rossensis approbare, et ecclesiae Rossensi abbatem S. Mariae de Fontevivo, retenta sua abbatia, praeficere velit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Exposuit nobis Reverendus in Christo pater Episcopus Rossensis in Dominio nostro Hiberniae, se quibusdam indoneis sausis moveri, ut suam Rossensem Ecclesiam Reverendo patri Domino Iohanni Abbati Monasterii Beate Mariae de Fonte vivo resignet, quibus causis a nobis cognitis et probatis, intellectis praeterea egregiis dicti Domini Iohannis virtutibus, et imprimis precipua modestia, probitate ac doctrina, Vestram Sanctitatem rogamus, ut praedictam resignationem admittere, eundemque Dominum Iohannem ad supradictam Ecclesiam provehere dignetur. Praeterea, ut honestius ac decentius Episcopalem dignitatem sustinere queat, quoniam dictae Ecclesiae Rossensis reditus et proventus admodum tenues et perexiles esse cognovimus, Vestram Sanctitatem rogamus, ut una cum eodem Episcopatu Rossensi predictam Abbatiam S. Marie cum nonnullis aliis beneficiis in commendam ei concedere dignetur. Quod ut gratum nobis erit, sic eidem Ecclesiae utile futurum non dubitamus. Et felicissime valeat Vestra Sanctitas, Quam Deus Altissimus diutissimam conservet. Ex Regia nostra apud Richemontem die XVII. Iulii M.D.XVII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia
Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae
HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

DCCCCXIX.

Scotiae gubernator pontifici, ut Andream Stewart ecclesiae Cathanensi praeficere velit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime Pater, felicia pedum oscula. Maiorum privilegia Scotis Regibus ex sua in apostolicam sedem devocione concessa repetentes, ut vacantes in hoc regno prelacie ad regum litteras nec aliter conferantur acceptum nobis familiarem, magistrum Andream Stewart, canonicum Dunkeldensem, commendamus et nominamus, ut ad Cathanensem ecclesiam decessu Andree moderni Episcopi nunc pastore destitutam assumatur, qui domo clarus, et amicis et propinquis illic potens, gentem adhuc rudem et efferam, alioquin diocesim ad humaniorem ritum deducere, Ecclesie ius tueri, ac rebelles cohercere possit et velit, Sanctitatem vestram rogantes, ut eundem in Cathanensis ecclesie Episcopum preficiat. Id quod duo in presens presertim nos hortantur, alterum quod, quem diximus, Andreas, Regis sanguine Illustris, ecclesie libertatem facile et commode sustinere valeat; alterum ut quam ex episcopali Dunkeldensis ecclesie mensa annuam pretendit pensionem, sua ad Cathanensem ecclesiam assumpcione vanescat et extinguatur. Id quod in eiusdem promocione simul caveri et decerni vestram pariter oramus Sanctitatem, que feliciter agat. Ex Deippa XXIIII. die mensis Iulii Anno decimoseptimo supra millesimum et quingentesimum.

E. S. V.

Devotissimus et obsequentissimus filius et servitor dux Albanie etc.
Regis Scotorum tutor, Regni Regens et protector
JEHANN.

A secretis PANITAR.

DCCCCXX.

Rex Angliae pontifici, ut nominatum Ardakadensem confirmet, ac processus consistorialis pro eius confirmatione Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Ex-

positum nobis fuit, Cathedralem ecclesiam Ardakadensem perexigui census ac proventus, in dominio nostro Hiberniae, per obitum Rñdi in Christo patris Dñi Willelmi eius novissimi Episcopi impresentia vacare, suoque pastore esse destituta, et cogitantibus tum nobis ei providere, propositus fuit Venerabilis vir Magister Rogerius Omoleyn, Cathedralis ecclesiae Cluanensis Canonicus, vir modestus, circumspectione, probitate et doctrina non mediocriter probatus, quem et nos idoneum existimavimus, cui dicte Ecclesiae Ardokadensis cura committatur eique praeficiatur. Quocirca Vestre Sanctitati eum commendamus, ut eundem Magistrum Rogerium praedicte Ecclesie praeficere ac Episcopum et pastorem constituere dignetur, quod et honori atque utilitati eiusdem Ecclesie futurum putamus, et nobis erit admodum gratum. Et felicissime valeat Vestra Beatitudo, Quam Deus Altissimus longevam conservet. Ex Palatio nostro Grenwici die xxvi. Iulii M.D.XVII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

AND. AMMONIUS.

Pater sancte. Cum Ecclesia Ardakadensis per annum iam vacasset per obitum bo. mem. Willermi Episcopi Ardakadensis, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, devotissimus Sanctitatis Vestrae et S. R. E. filius Henricus octavus Anglie Rex Illustris litteras scripsit, Rño D. Iulio tit. s. Laurentii in Damaso .... S. R. E. Vicecancellario, Maiestatis suae eiusque Regni in Romana Curia Protectori, ut Sanctitati Vestrae supplicaret, quatenus eidem ecclesiae sic vacanti de persona devoti vestri Rogeri Omolein (Omoleyn), Canonici Clonensis, provideretur. Sanctitas V., ad quam etiam idem Rex super hoc scripsit, eidem Rño Dño Vicecancellario vivae vocis oraculo commisit, ut de existentia et qualitatibus dictae ecclesiae, ac vita et moribus ipsius Rogerii se diligenter informaret, et demum in hoc sacro loco, ut moris est, referret. Super quibus Dominatio sua Rña tres testes diligenter medio eorum iuramento examinari fecit. Cum autem idem Rogerius sit presens in Curia, et desyderet ad propria remigrare, ipseque Dñus Vicecancellarius aliquantulum impeditus, ut ipsius Rogerii desyderio satisfaceret, misit ad me heri vesperi processum, ut relationem hanc facerem.

Testes enim ipsi medio eorum iuramento deposuerunt, quod Civitas Ardakadensis est in Insula Hiberniae, in spiritualibus sub Archiepo Armachano totius Hiberniae Primate, in temporalibus vero sub Rege Angliae.

Est autem Insula Hiberniae, a Plinio autem Iuverna appellata, dimidio minor quam Britania, hodie Irlanda a barbaris nuncupata. Pars vero ipsius, quae Angliae proxima est, humanior, reliqua vero ferino cultu, ligneis ac stramineis utens aedificiis. Bona etiam pars simul cum pecore in campis ac cavernis degunt: discalciati fere omnes, ac latrociniis dediti.

Tellus ipsa nihil omnino fert, praeter frumentum, et equos victorios praestantissimos, quos Ubinos vocant, celeriores Anglicis, quorum molliores ingressu candidioresque sunt. Asturcones antiquitus vacabantur, quod ex Asturibus Hispaniae populis venirent. Nunc vero ex proxima eis Britania soli natura mutata.

Decoratur Insula ipsa sanctis Episcopis Malachia, Cathaldo et Patricio, qui eos ad fidem Christi convertit, et deinde fuit Scociae Praesul; nec non Guillelmo Ochan ordinis Minorum, celeberrimo dialectico, qui sub Ioanne XXII. Papa floruit; insuper et Cardinale Armachano, qui anno Dñi 1353. multa doctrina, multisque claris voluminibus relictis enituit.

Refert unus testis, quod ecclesia praefata vacat per obitum Dñi Willermi per annum vel circa, prout a convicinis intellexit: constat etiam per litteras praefati Regis de obitu dicti Willermi.

Alii vero duo testes deposuerunt, quod dicta civitas Ardakadensis est in loco montuoso, atque inter sylvas posita, in qua non sunt ultra quatuor casae ligneae, et pauci admodum eas incolentes, ob continuas inimicitias et simultates, quas cum vicinis habent, praesertim autem tempore dicti Willermi Epi, qui cum vellet ibi exercere dominium temporale, nec hoc ferrent aliqui ex finitimis, reliquias civitatis ipsius, quae per se parum erat habitabilis, una cum Cathedrali ecclesia (cuius vix extant parietes) penitus destruxere. In eaque unum tantum altare, et quidem sub divo consistit, in quo per unum tantum praesbyterum et raro etiam missa celebratur.

Non habet sacristiam, non campanile, non campanam, sed vix necessaria paramenta ad unam missam celebrandam, quae in quadam capsa in ecclesia reponuntur.

Habet Decanatum valore ducatorum x.

Habet Archidiaconatum valore ducatorum VIII.

In ea consueverunt esse ecclesiae Canonici XII., pauci tamen Praebendati et praebendae valde exiguae.

Diocesis vero potest esse magnitudinis unius dietae, quae nonnulla habet beneficia ruralia ac ad Episcopi collationem pertinentia.

Ex dictis tamen testium reperio, omnia ad pristinum statum prudentia et dexteritate promovendi reduci posse, si ecclesia tantum curae vacare voluerit.

Quodque praefatus Rogerius est ex legitimo matrimonio atque honestis parentibus natus, aetatis suae annorum fere XL., sanus mente et corpore, ac bonae conversationis et famae, in iure canonico bene instructus et literatus, ac in sacerdotii ordine constitutus, et ad ipsius ecclesiae regimen et gubernationem aptus et idoneus. Qui quidem Sanctitati Vestrae una cum praefato Serenissimo Angliae Rege humiliter supplicant, ut ipsum eidem ecclesiae sic vacanti in Episcopum et pastorem praeficere dignetur, una cum retencione Canonicatus et prebendae

praedictorum, praesertim cum fructus dictae ecclesiae, qui constant ex quibusdam decimis, nunc redacti sint ad summam annuam ducatorum x.

In libro autem Camerae reperiuntur taxati ad ducatos 33 et tertiam.

Votum. Pater sancte, cum appareat de vacatione praefatae ecclesiae Ardakadensis, et quod dictus Rogerius est idoneus, ut illi praeficiatur, mihi videtur, quod optima sit futura provisio.

(Designatus Epus Ardakadensis confirmatus in Consistorio fuit die 4. Decembris 1517.)

DCCCCXXI.

Dux Albaniae regni Scotiae gubernator preces pro confirmando abbate de Calco innovat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctitsimo domino nostro pape.

Beatissime Pater, Felix ecclesie moderamen. Concessa maioribus nostris, et ex iis nascituris Scotorum regibus ad perpetuam rei memoriam privilegia repetimus, ut regni prelacie per octo menses post vacaciones ad regias litteras, nec aliter istic promoveantur. Cum igitur monasterium ordinis Benedictini de Calco Sancti Andree diocesis, in finibus regni situm, decessu quondam Andree Epi et eiusdem commendatarii in presens vacet, et nos dudum non tam loco huiuscemodi prospicere, quam regni finibus providere cupientes, dum grave bellum nobis cum vicina Anglorum gente staret, Sanctitati Vestre familiarem nostrum magistrum Thomam Car, virum litteris ac vita spectatum, ad idem monasterium, translacione Cathanensis Episcopi ad Abirdonensem ecclesiam, ut sperabatur, vacaturum, per nostras litteras superiores annos (sic), comuni consilio commendatum fecerimus, et is potenciore illic familia natus, defensandum locum et eos fines nostro cepisset mandato, ac provisionem ex Urbe expectans, ut rectius cuncta gereret et monasterio preesset, regularem induisset habitum et professionem in manibus Prioris claustralis ac conventus solemnem emisisset, absque commendatarii requisito aut prestito assensu, quin potius eodem reluctante et dissenciente, cum autem, quam diximus, Cathanensis Episcopi ad Abirdonensem ecclesiam translacio postea cessasset: non parum questionis subortum est, Episcopo eodem et commendatario executorios forte processus et censuras movente, prefato Thome antea professo locum et fines illos nostro iussu tenente, et quicquid habuit fructuum Abbacie ad onera eiusdem et hostium incursus propellendos applicante. Quamobrem ad vacantem, quam diximus, Abbaciam ipsum Thomam S. V. rursus nominamus pariter et commendamus, ut eundema quibusvis censuris premissorum occasione quovismodo incursis absolvens, et quatenus opus sit, reabilitans, monasterio in Abbatem preficere, administrationem sibi committere cum suspensione et derogacione accessus quibusvis personis concessi, signanter Episcopo olim Moraviensi, nunc Archiepiscopo Sancti Andree, per cessum vel decessum Episcopi ut supra commendatarii sine eiusdem expresso consensu ad nostras preces Sanctitas Vestra in presens dignetur. Ex Civitate Rothomagensi decimaseptima die mensis Augusti Anno Dñi millesimo quingentesimo decimoseptimo.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae)

Devotissimus et obsequentissimus filius et servitor
Albanie dux, et Regis Scotorum tutor, Regni
Scocie protector et gubernator
Jehann.

DCCCCXXII.

Scotiae gubernator pontifici, ut archiepiscopo Glasguensi abbatiam de Abirbrothoc in commendam conferre velit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo domino nostro pape.

Beatissime Pater, Felicia pedum oscula. Quas inter Regni prelacias personis per Regem nominandis sepius commendavimus, Abbacia divi Thome martiris de Abirbroth(oc) ordinis Benedictini Sancti Andree diocesis, Rmo patri Iacobo Archiepo Glasguensi, Regni Cancellario, de Rege, Regno et nobis optime merito, in presens designatur: quod equidem monasterium Iacobus, naturalis Regis Scotorum filius per resignationem Archiepiscopi Sancti Andree pridem in commendam assecutus, nunc in Sanctitatis Vestre manibus resignare proponit et intendit. Ob id Clemenciam vestram oramus, ut quem diximus Archiepiscopum et Cancellarium, Sanctitatis Vestre creaturam, ad nostras preces commendatum habere, resignationem admittere, Bullas desuper expedire, administrationem sibi committere, pretensos quorumvis regressus sine Regis litteris et nostro assensu practicatos cassare, et iisdem derogare dignetur. Id quod ex animo rogantes, et a Sanctitatis Vestre clemencia pro tanto viro exorare confidimus. Beatissime pater, feliciter valete. Ex Civitate Rothomagensi xxv. Augusti Anno Domini millesimo quingentesimo decimo septimo.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae)

Devotissimus et obsequentissimus filius et servitor
Albanie dux etc. Regis Scotorum tutor, Regni
Scocie protector et gubernator
Jehann.

DCCCCXXIII.

Idem Scotiae gubernator pontifici Iacobum Cottis oratorem suum commendat. Ex originali.

Sanctissimo domino nostro pape.

Beatissime Pater, Felicia pedum oscula. In causis Regni Scocie submisimus familiarem nostrum Magistrum Iacobum Cottis, Canonicum Glasguensem, ut Sanctitati Vestre nostras litteras super Scotorum Regum privilegiis presentet, ac clemencie sue responsum referet in regio nomine, nec alii cuiquam nisi per nostras ad id litteras credere Vestra dignetur Sanctitas, que feliciter ecclesie moderetur. Ex civitate Rothomagensi xxv. Augusti Anno Domini millesimo quingentesimo decimo septimo.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae)

Devotissimus et obsequentissimus filius et servitor
Albanie etc. dux, Regis Scotorum tutor, Regni
Scocie protector et gubernator
Jehann.

DCCCCXXIV.

Idem Scotiae gubernator pontifici supplicat, velit aetate pupillari regis durante privilegia regibus Scotiae alias circa res ecclesiasticas concessa illibata conservare. Ex orig. Instrum. Miscell.

Beatissime Pater, felix ecclesie moderamen. Pia Scotorum Regum in apostolicam sedem devocio promeruit, ut regni prelacie, si ducentos excesserint ducatos, per menses octo post vacaciones ad regias litteras et non aliter istic promoveantur. Id quod Innocentius VIII. Alexander VI. Pont. Max. observavit, et novissime Iulius II. eciam de vacantibus intra Urbis menia filio suo Iacobo quarto Scotorum Rege Serenissimo plenius prestitit. Sed eo prothdolor ante diem et immaturius sublato, Illm̄us Iacobus quintus Scotorum Rex modernus, alterum vite annum agens, a cunabilis inducitur et coronatur, Privilegii huiuscemodi et Sanctitatis Vestre protectionis longe egentissimus, ut sua infancia regno initiata pacacius pubesceret. Id quod vacantes in Regno prelacie nominatis personis collate non parum inverint, ubi ecclesiasticus ordo pro Regni copia non infimus status adeo presidet, ut ad prelatos prime inducendo et consulendo partes deferantur, quo argumento nedum prelatorum presenciam, verum fidem eorum et industriam requiri manifestum est: atque in presens maxime, dum princeps tenerum Regem agit, ut vitam et Regnum in firmiorem etatem suorum vigiliis et consilio producat, qui tanto liberius inservient, quo se Regum gracia et commendacione promotos noverint. Nos ad Scotorum Regis tutelam et Regni gubernacula ex Galliis pridem evocati, Sanctitatem Vestram harum rerum fecimus certiorem. Inde Scociam et Regni moderamen ingressi graviorem offendimus questionem, que magnam nobis iniecit sollicitudinem Sanctitati Vestre obsequi, et susceptam Regis protectionem non fraudare, suborta de prelaciis contencio non parum tumultus excitaverat: Illinc nobilitate cum plebe, potencioribus eciam viris ecclesiasticis pro regio Iure et privilegio nitentibus, istinc Vestra Sanctitate pro Divi Andree Archiepiscopatu et monasteriis aliquot contra Ius regium imperante, unde profecto multa nos cura diu tenuit. Verum post alia super aliis consilia diesque et menses revolutos confirmato tandem animo, quamquam indignantibus bonis quam plurimis, in Sanctitatis Vestre postulata cum non modica teneri Regis iactura descendimus, ut Sanctitatis sue secundum carnem Reverendissimo nepoti ex causa Bituricensis ecclesie gratularemur, et ex admisso Sancti Andree Archiepisopo Regis privilegium secundum Sanctitatis Vestre ad nos brevia et mandata reponeretur, et repositum ingiter observaretur: quod nos creduli nimis pro certo expectantes, priora hec quantumvis dura toleranda duximus et tulimus. Ecce autem infantulus Rex rursus oppugnatur, suum Ius et privilegium prorsus irritatur, et alius(sic) alias Regni prelacias denuo istic aucupantur, presertim Sanctitatis Vestre Datarius prioratum Candidecase Premonstratensis ordinis, per obitum Prioris novissimi, cum sit tamen ex causa defensionis illius Regni sinus, qui Hibernos spectat, ad fratrem nostrum delatus, Rm̄us divi Eusebii cardinalis Abirbrothok ordinis Benedictini monasterium ex pretenso regressus iure per Archiepiscopi Sancti Andree resignacionem, cum sit tamen idem monasterium ex eiusdem resignacione filio regis consistorialiter commendatum, licet utriusque expediciones nunc prepediant, ut suis litteris non obstare testantur. Identidem facturi in Archiep̄atu Divi Andree, in Abirdonensi ecclesia, in monasteriis de Dunferling, de Intheffray, de Coldinghame, cum vacaverint, que omnia superiores dies contra regis privilegia practicasse gloriantur. Pater sancte, ad providenciam apostolice sedis pro sua auctoritate spectat devotos sibi ex atavis Regibus filios, et hereditaria suorum Regna per manus deducta a teneris fovere et firmare, non in ruinam impellere, aut privilegiorum viribus vacuare, que per Romanos pontifices ex devocionis affectu et fidei firmitate regibus concessa, Sanctitatis Vestre usque dominatum integre fuerant servata. Sed utcumque Rome agatur, cum regni auctoritas et rei summa, nobis iam in manu, nostris humeris in adultam Regis etatem incumbat, atque exigenda racio a nobis fuerit, si quid damni in nostro ductu tenera regis etas tulerit; cumque universus regni cetus suo Regi privilegium et Ius eripi uno ore non esse ferendum, et nobis, ne id fiat, cavendum semel et iterum decreverit, et pro Regni quiete transactionem omnem cum quovis impetrante, eciam Rm̄is patribus supremi ordinis et senatus, non iniuria vetuerit, nec in re tanta diucius spe vana detineri regni salus paciatur: ad clemenciam vestram scribere et rogare cogimur, ut teneri principis ex atavis regibus editi racionem habens, Regnum illud ab ultimis terrarum finibus religione antiquissimum, et ex eo natos non quesitos reges indulgencius tractare, indulta per pontifices maximos ad perpetuam rei memoriam, atque vacante sede, Ius patronatus regium ex consuetudine inductum observare, regressus, accessus, coadiutorias, reservaciones, cessiones, pensiones, commendasque et retenciones in prelaciis et laici patronatus beneficiis, ac reliqua id genus promocionum per regias litteras nec aliter istic fieri infantulo Regi ad suum presidium Sanctitas Vestra prestare dignetur, ut sub Leone pontifice maximo puerulus Rex Leonis alumnus ad solitam maiorum pietatem maturescat, et vestra opera in suscepto tutele regie officio patescat, qui Sanctitatis Vestre paruisse mandatis in admittendo Divi Andree Archiepiscopo contra Ius regium pro magno habuimus. Confisi, que supra postulamus pro tenero rege privilegia, nobis reponi et ampliari, certiores fieri rogantes, ut ad prestandum Sanctitati Vestre obedienciam regii ablegentur oratores, et de ista sacrosancta sede quam optime mereatur. Interea clemenciam suam exorare cupimus, ut Cathanensem Episcopatum, Candidecase Prioratum, de Abirbrothok et Calco monasteria pro nostris litteris ad hec datis expediri, aliorum prevenciones(?), accessus quoque et regressus sine regiis litteris practicatos cassari. In presens mandet, ut solita expedicionum onera rito persolvantur, frustra profecto regni prelaciis seu

ullam ex eis compensam consequi, dum steterit regnum incolume, per alios contenditur. Beatissime pater, feliciter valete. Ex civitate Rothomagensi vigesimoquinto Augusti Anno domini millesimo quingentesimo decimoseptimo.

E. S. V.

Devotissimus et obsequentissimus filius et servitor Albanie dux etc. Regis Scotorum tutor, Regni Scocie protector et gubernator

JEHANN.

DCCCCXXV.

Albaniae dux pontifici preces pro conferendo prioratu Candidaecasae fratri suo innovat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Beatissime Pater, felix ecclesie moderamen. Ab Archiepiscopo Divi Andree multa questione involuto Sanctitatis Vestre brevia accepimus, quibus, ut ipse reciperetur, Clemencia vestra nobis addixit et promisit Regni Scocie prelacias secundum nostras litteras et non aliter conferre. Unde ad frequentiores Sanctitatis Vestre commendaciones cum regis et regni iactura, bonis eciam quamplurimis non parum indignantibus, tandem admissus fuit et receptus. Vacavit exinde Candidecase prioratus, prima ord. Premonstratensis in hoc regno prelacia, et primum eiusdem ordinis locum in consilio regio obtinens, qui in extremo regni sinu ad oceanum situs a Borea Hibernos, ab occiduo Anglos habet: propterea virum exigens et familia et auctoritate multo potentiorem, ut piratarum et hostium incursus propellat. Ob id fratrem nobis ex eodem patre naturalem, Alexandrum Stewart, Sanctitati Vestre per Regias litteras ad prioratum infra privilegii regii terminum nominavimus pariter et commendavimus, prout capitulum ecclesie eundem sibi in prelatum postularunt, induxerunt et habent, nec divelli illinc parvo discrimine poterit, fieri si possit: quamvis prioratum huiuscemodi Sanctitatis Vestre tum Datarius, nunc in sacrosancto cardinalium collegio ascitus impetraverit, Brevia et commendaticias principum litteras pro assequenda possessione ad nos dederit, id quod Sanctitatis Vestre promisso et suis per Divi Andree Archiepiscopum allatis ad nos brevibus ac Regis privilegio longe adversatur. Taceo, quod nobis frater est, quodque pro Reverendissimo Sanctitati Vestre secundum carnem nepote ex causa Bituricensis ecclesie de Iure regio non parum Archiepo̅ Sancti Andree remisimus, quodque prioratus ille fidissimum et presentem exposcat propugnatorem. In hanc sentenciam ad Sanctitatem Vestram antea litteras dedimus, responsi nihil accepimus: in presens expectamus Clemenciam vestram nostro fratri prioratum huiuscemodi paratum reddere. Confisi Sanctitatem Vestram in fratris nostri causa exorare nos posse, etiam si nihil privilegii aut promissi subesset, ut aliquid apud vos esse videremur. Beatissime pater, feliciter valete. Ex civitate Rothomagensi xxv. Augusti Anno decimoseptimo supra millesimum et quingentesimum.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae)

Devotissimus et obsequentissimus filius et servitor Albanie etc. dux, Regis Scotorum tutor, Regni Scocie protector et gubernator

JEHANN.

DCCCCXXVI.

Processus consistorialis pro monasterio de Arbroth sive Aberbrothoc sub invocatione s. Thomae martiris ordinis s. Benedicti S. Andreae dioecesis. Ex orig. Instrum. Miscell.

In nomine domini, amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quingentesimo decimo septimo, Indictione quinta, die vero secunda mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri, dn̄i Leonis divina providentia pape decimi anno quinto.

Revm̄us Dominus meus, Dn̄us Petrus tit. sancti Eusebii presbiter Cardinalis Anchonitanus, dedit michi Felici Trofino, publico notario et secretario suo, litteras Illm̄i Dn̄i Ducis Albanie Gubernatoris Regni Scotorum, ad se scriptas ex civitate Rothomagensi xxv. Augusti, subscriptas manu ipsius Ducis, et regio sigillo signatas, quibus idem Dux et Gubernator rogavit, ut velit favere cause et expeditioni Abbatie de Arbirbrocht pro Reverendo domino Archiepiscopo Glasguensi, Regni Cancellario, commisitque michi idem Revm̄us Dn̄us meus, ut de premissa causa et meritis ipsius Reverendi domini Archiepiscopi, ac de reliquis ad huiusmodi causam spectantibus me diligentissime informarem, ac omnia et singula producenda reciperem, et testes, si ydonei essent, admitterem, medioque iuramento examinarem, et omnia facerem, quae in predictis et circa ea essent quomodolibet necessaria et opportuna, denique, cuncta in formam processus redacta, Rm̄o Dn̄o meo traderem, ut possit suis loco et tempore plene ac fideliter Sanctissimo Dn̄o nostro in secreto eius consistorio, ut moris est, facere relationem. Quod ego ita feci.

Die xv. mensis Octobris comparuit coram me notario et secretario antedicto magister Iacobus Cottis Canonicus Glasguensis, procurator et solicitator dicte cause, et produxit ac exhibuit michi tria publica instrumenta in membranis scripta, non abolita, non abrasa vel in aliqua sui parte suspecta, ymmo recognita et approbata per duos iuratos testes coram Venerabili domino Petro Alexandro, secretario Rm̄i domini Cardinalis Grimani, sicut apparet a tergo ipsorum instrumentorum manu ipsius secretarii, quorum instrumentorum unum est renunciationis, cassationis et extinctionis annue pensionis mille ducatorum, seu mille librarum usualis Regni Scotie super monasterio de Arbrocht, quam fecit Reverendus dominus Andreas Archiepiscopus Sancti Andree, qui etiam perpetuo dimittit ac cedit accessui et regressui, quem habet ad dictum monasterium, et hoc in eventum mortis aut resignationem Illustris domini Iacobi Stewart Comitis Moravie, dicti monasterii commendatarii, et constituit certos procuratores ad consentiendum omnibus supradictis in manibus papae, vel alterius ad id potestatem habentis. Hoc instrumentum est subscriptum manu propria publicorum notariorum et eorum signis signatum, ut testes recognoverunt.

Alterum instrumentum est constitutionis certorum procuratorum per Illustrem dominum Iacobum Comitem Moravie, commendatarium predictum, ad

resignandum et dimittendum dictum monasterium de Arbrocht in manibus Sanctm̃i Domini nostri papae, aut alterius potestatem habentis, in favorem Revñdi domini Iacobi Archiepiscopi Glasguensis, reservata tamen annua pensione mille librarum usualis monete Scotie super fructibus dicti monasterii. Hoc secundum instrumentum est similiter subscriptum et signatum manibus et signis trium notariorum, ut dixerunt et recognoverunt testes.

Tercium est instrumentum seu mandatum Rñdi dñi Iacobi Archiepiscopi Glasguensis, qui constituit certos procuratores ad consentiendum dicte annue pensioni mille librarum super fructibus dicti monasterii de Arbrocht in favorem dicti domini Iacobi Comitis Moravie, in eventum tamen, quo ipse dominus Archiepiscopus Glasguensis dictam Abbatiam de Arbrocht vacantem per dimissionem ipsius domini Iacobi Comitis a sede apostolica in commendam obtinuerit, sicut melius et latius omnia supradicta in dictis tribus instrumentis seu mandatis continentur, ad quae in omnibus habeatur relatio. Et hoc ultimum instrumentum est subscriptum et subsignatum manibus et signis duorum notariorum.

Eadem die xvi. Octobris magister Iacobus Cottis solicitator dicte cause produxit coram me testes infrascriptos, et petiit illos recipi et examinari: (qui sunt) Venerabilis dñus Arturus Boetius clericus Brechinensis diocesis, magister in artibus et licentiatus in iure civili, etatis xxxii. annorum;

D. Michael Cunighan, clericus Sancti Andree diocesis, magister in artibus, etatis xl. annorum vel circa;

D. Adam Sinisen, clericus Dunkeldensis diocesis, etatis xxxvi. annorum.

D. Arturus Boetius testis suprascriptus productus, admissus et iuratus medioque iuramento examinatus, respondit ut infra.

Imprimis circa litteras Illm̃i Dñi Ducis Albanie recognovit sigillum Regium et subscriptionem, ac manum dicti Ducis Regii Tutoris, et dixit se bene cognoscere et credere eas veras litteras, et a dicto Domino Gubernatore emanatas.

Recognovit etiam subscriptiones et manus proprias, ac signa notariorum in dictis tribus instrumentis, et dixit illas esse manus et signa propria eorum, et esse illos notarios legales et fidedignos, et eorum scripturis publicis plenam fidem haberi.

Agnovit etiam personas Reverendissimorum dominorum Archiepiscoporum Sancti Andree et Glasguensis, et Illustris domini Iacobi Comitis Moraviae, commendatarii ipsius monasterii de Arbroth, et dixit illas esse insignes et notabiles personas, ac bonae famae, et sanae mentis, et dixit quod Revñdus dñus Andreas Archiepiscopus Sancti Andree est etatis circiter xlii., Illustris vero domini Iacobus Comes Moravie, filius naturalis Regis Scotorum defuncti, est etatis xvi. aut xvii. annorum.

Interrogatus de titulo, ordine, situ et conditione ipsius monasterii respondit, quod monasterium de Arbroth vel Arbirbroth est sub invocatione sancti Thome martiris Archiepiscopi Cantuariensis ordinis sancti Benedicti. Situm est autem in Regno Scotie in Tribu seu Vicecomitatu Angusie in diocesi metropolis S. Andree meridiem versus a mare Oceano Germanico distans dumtaxat, quantum iactus est sagitte ab arcu: iuxta monasterium fluit parvus torrens, qui eorum lingua Brodet appellatur, a quo et villa Arbroth apposita monasterio, et monasterium ipsum eiusdem nominis vocabulum deduxere. Villa capit circiter cc. lares, et est sub Regali iurisdictione Abbatis, eam incolunt agricole, operarii et mercatores pauci.

Fundatum fuit monasterium, iam sunt circiter cccl. anni, a Guillelmo Scotorum Rege, qui sancti Thome martiris fuit socius in scolis, et etiam tribulationum eius in Anglia particeps.

Templi forma est instar ecclesie sancte Marie de Populo, sed magnitudine in duplo fere maior, oblonga est cum duplici ordine columnarum, tota ferme ex quadratis lapidibus subnigris. Pavimentum stratum est etiam ex simili lapide quadrato, et templum vere est pulchrum et regium opus.

Portas habet quatuor, una et principalis est in facie templi ad occidentem, due ad meridiem, per quarum utrumque exitur ad claustrum, quarta ad boream, que trahit ad cimiterium.

Naves habet tres, unam maiorem in medio, reliquas duas ad latera, et hac minores due sunt ex eodem quadrato lapide formatae, sicut et caput ecclesiae, ubi est chorus: media vero navis est fabricata ex contignatione et textura trabium.

Tectum est pro maiori parte plumbeum, in reliquo ex ligneis angulis.

Turrim habet egregiam quatuor laterum, aliquanto altiorem campanila sancti Petri de Urbe, et habet quamplures et optimas campanas.

Altare maius situm est in capite ecclesie orientem versus, parum distans a pariete, super eo quotidie celebrantur canendo due misse, et plerumque tres.

Super altari est tabernaculum ligneum deauratum pro ornamento, in quo sunt he imagines insculpte: Imago Salvatoris, habentis mundum in manu, Imago S. Marie matris Dei cum Ihesu puero in sinu, sancti Thome martiris et ipsius Guillielmi Regis offerentis ecclesiam.

Circa altare est chorus ligneus et antiquus cum duplici ordine sedilium.

Sunt preterea xii. altaria cum suis capellis satis ornata, super quibus quotidie misse leguntur.

Sacristia est ad latus chori versus austrum, cruce argentea, quampluribus calicibus, et aliis vasis, ac sanctorum argenteis imaginibus. Item pluribus paramentis ex auro et serico ornatissima, in ea asservantur etiam baculus pastoralis et mitra.

Ad dexterum latus ecclesie est organum magnum et pulcherrimum.

Extra ecclesiam, borream versus, est cimiterium septum humili muro.

Contra cimiterium ad austrum est claustrum, seu monachorum edes amplissima, quadrata forma et circumdata peraltis muris.

In hiis sunt refectoria duo, feriale unum, alterum solemne, et dormitorium.

Locus capituli, et loca pro infermis, et pro peregrinis et hospitibus multa et bene parata.

Et etiam bibliotheca, que ad ducenta et amplius librorum volumina habet.

Hortos plures habent latos et pulchros.

Abbatis domus, licet est in eodem claustro, est tamen a monachorum habitatione segregata.

Mensa tamen Abbatis et Capituli sunt unite, et Abbas plene omnia administrat, et ipse suggerit commoditates suas monachis secundum consuetudinem monasterii.

Monasterio subsunt plures ecclesie etiam parrochiales, in quibus Abbas habet ius presentandi, et ex illis percipit census et decimas, ac quedam iura a Rectoribus seu Vicariis earum.

In monasterio solet esse Abbas, Prior claustralis et Supprior ad nutum Abbatis amovibiles, et preterea monachi XL., qui honeste ibi vivunt et religiosissime deum colunt. In ecclesia nocturnas vigilias media nocte et alias horas canonicas suo tempore cantu celebrant.

Interrogatus super fructibus monasterii respondit, estimationem certam nescire, sed putat ascendere ad duo millia ducatorum vel circa.

Consistunt in censibus et ecclesiarum frugibus, et fructibus agrorum et possessionum.

Interrogatus, quomodo sciret supradicta omnia, respondit, se interfuisse in monasterio, vidisse, intellexisse ac audivisse tum ab ipsis monachis, tum ab incolis singula singulis referendo.

Interrogatus de persona, meritis et virtutibus Archiepi Glasguensis, Regni Scotie Cancellarii, cui petit commendari monasterium, respondit, quod est vir dignissimus, nobilissimis natalibus, et de legitimo matrimonio ortus, litteratus et valde prudens, et constans vir, et toti Regno imprimis charus.

Interrogatus, quo pacto hoc sciret, respondit, se hominem sepissime vidisse, allocutum esse, et bene nosse, et ex aliis etiam, sicut supra de illo testificatus est, audivisse.

Super generalibus vero recte respondit.

Dñus Michael Cunighan alter testis admissus, et iuratus ut supra interrogatus

Primo recognovit dictas litteras Illmi Domini Ducis Albanie unacum et subscriptione eius et Regium sigillum consuetum, propterea credit illas esse veras, et certas et fidedignas.

Recognovit etiam instrumenta predicta, manus et signa notariorum, et dixit, se illos omnes bene cognoscere, et esse legales et fidedignos, et eorum scripturis publicis haberi indubiam fidem.

Interrogatus de nomine, statu, fructibus et aliis qualitatibus monasterii, respondit idem, quod alter testis, addens, quod post altare maius inter ultimum parietem ecclesie et altare in illo parvo spatio est parva ara, apud quam servantur in vasis argenteis quedam reliquie sancti Thome martiris, et aliorum sanctorum, et ibi est magna devotio et sepe ibi celebrantur misse, et ipse ibidem celebravit. Dixit etiam, quod edes monasterii sunt capacissime, adeo quod possint commode capere et hospitari ccc. et amplius equites. In reliquis concordat per omnia cum altero teste.

Interrogatus, quomodo sciret omnia supradicta, respondit, se fuisse hospitatum in monasterio cum Rege Scotiae defuncto, et tota eius curia, et bene vidisse omnia et audivisse.

De persona et meritis Rñdi dñi Archiepiscopi Glasguensis concordavit plene in sensu cum superiore teste, et dixit credere utilem fore hanc provisionem monasterio.

In aliis recte respondit.

Dñus Adam Sunisen tercius testis admissus, et iuratus ut supra, interrogatus primum super litteris Ducis Albanie, Scotie Gubernatoris, recognovit sigillum, subscriptionem et manum, sicut alii duo testes.

Idem instrumenta et manus ac signa notariorum affirmavit, etiam notarios instrumentorum esse legales et omni exceptione maiores, eorumque publicis scripturis haberi certam et indubitatam fidem.

In aliis omnibus concordavit in suis cum duobus superioribus testibus, videlicet tam de statu, situ et conditionibus monasterii, quam de meritis et qualitatibus Rñdi dñi Glasguensis.

Super generalibus recte respondit.

DCCCCXXVII.

Processus consistorialis pro monasterio S. Mariae de Calco ordinis sancti Benedicti Sancti Andreae dioecesis. Ex orig.

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quingentesimo decimo septimo, Indictione quinta, die vero nona mensis Octobris, pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri Leonis divina providentia pape decimi anno quinto.

Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus meus, Petrus tituli sancti Eusebii presbiter Cardinalis Anchonitanus, dedit michi Felici Trofino, publico notario et secretario suo, litteras Serenissimi Domini Iacobi Scotorum Regis ad se datas ex Rothomago XVII. Augusti, M. D. XVII., subscriptas manu Illustrissimi Domini Iohannis Albanie Ducis, Regis Scotorum Tutoris ac Regni ipsius Gubernatoris, et Regio sigillo signatas, quibus idem Rex seu eius nomine Gubernator rogat, ut velit curare et adiuvare causam et promotionem Venerabilis viri Magistri Thome Car ab eodem Rege, sive eius Tutore in Abbatem monasterii de Calco ordinis sancti Benedicti, diocesis Sancti Andree, Sanctissimo Domino nostro nominati et commendati. Quod quidem monasterium vacat per obitum bone memorie Andree Episcopi Cathanensis in Scotia extra Curiam defuncti. Commisit preterea idem Reverendissimus Dominus Cardinalis michi ipsi, ut de premissa causa

et meritis eiusdem Venerabilis Religiosi Magistri Thome, ac de reliquis ad huiusmodi causam pertinentibus me diligentissime informarem, et omnia ac singula producenda reciperem, et testes, si ydonei essent, admitterem, medioque iuramento examinarem, et omnia facerem, que in predictis et circa ea essent quomodolibet necessaria et opportuna, cunctaque in formam processus redacta, Reverendissime Dominationi sue traderem, ut posset suo loco et tempore ad Sanctissimi Domini nostri commissionem et mandatum plene et fideliter eius Sanctitati in secreto Consistorio, ut moris est, facere relationem: quod ego omnino facere sum conatus.

Eadem die nona Octobris comparuit coram me notario et secretario autedicto Venerabilis vir dominus Iohannes Duncane, clericus Glasguensis diocesis, Sanctissimi Domini nostri scutifer, procurator et solicitator dicte cause, ac petiit recipi et examinari testes infrascriptos, videlicet Venerabiles viros:

Dominum Iohannem Canture, presbiterum Aberdonensis diocesis, etatis xxxii. annorum, Magistrum in artibus et Vicarium parroch. ecclesie de Lechnot.

Dominum Iacobum Haliburtim, clericum coniugatum Sancti Andree diocesis, etatis xxxiiii. annorum, Magistrum in artibus.

Dominus Iacobus Haliburtim testis suprascriptus, productus, admissus medioque iuramento examinatus et interrogatus respondit, ut sequitur:

Primo super litteris Regis respondit, se agnoscere manum et subscriptionem dicti Ducis Albanie, Regii Tutoris, et sigillum consuetum ipsius Regis.

Deinde interrogatus super vacatione monasterii de Calco respondit, quod vacavit circiter principium mensis Iunii proxime preteriti per obitum Andree Episcopi Cathanensis, Commendatarii, qui mortuus est in loco, qui dicitur Schibu, in diocesi sua Cathanensi.

Interrogatus quomodo sciret, respondit, scire ex publica voce et fama per totam Scotiam, ubi ipse testis tunc erat, et quia vidit et interfuit, quando Executores testamenti dicti Commendatarii conveniebantur coram Regio Consilio a creditoribus ipsius defuncti Commendatarii, et cogebantur mittere testamentum executioni, et satisfacere ipsis creditoribus, et quia vidit aliquos induci in possessionem castrorum, et bonorum ac hereditatis et beneficiorum eius tanquam vacantium per obitum ipsius.

Interrogatus de nomine, statu, conditionibus et qualitatibus dicti monasterii respondit, quod ecclesia sive monasterium de Calco deducit nomen ab eius nominis parva villa, cui apponitur.

Titulus est Sancte Marie, ordo et institutio est monachorum nigrorum sancti Benedicti, est in diocesi Sancti Andree, ab Archiepiscopi tamen iurisdictione omnino exemptum, et sedi apostolice immediate subiectum.

Situm est in limitibus Regni Scotie in regione occasus, vergit tamen ad austrum prope Angliam circiter duo milliaria Italica in planicie ad ripam cuiusdam torrentis, qui eorum lingua nunc dicitur Tuid sive Tueda, et qui hodie dividit partem Scotie ab Anglis, fluitque orientem versus in Oceanum mare Germanicum, a quo et monasterium distat ferme xiiii. millibus passuum. Fundatum fuit et dotatum a Rege Scotorum David, iam sunt circiter cccc. anni, paucis annis ante martyrium sancti Thome Cantuariensis: qui Rex edificavit xiii. alia monasteria opulentissima.

Monasterium ipsum est duplex, non solum enim est Conventuale, habens Conventum monachorum, sed etiam curatum: nam habet latam parrochiam, et annexam animarum curam, quam Abbas per Vicarium secularem presbyterum exercere consuevit, qui ad nutum Abbatis ab administratione amovetur. Ipse vero Abbas in parrochianos suos exercet Episcopalem iurisdictionem.

Templum magnitudine et forma est instar ecclesie Sancti Augustini de Urbe, nisi quod sicut in fine ita et initio habet utrinque duas eminentiores capellas, quasi alas, que templum constituunt in similitudinem geminae crucis.

Structura eius est ex lapide quadrato subnigro, et est vetusta admodum et annosa.

Portas tres habet, unam ad occidentem in anteriore parte, reliquas duas a lateribus.

Distinguitur in tres naves cum duplici ordine columnarum. Testudo templi tota est lignea. Tectum vero est ex plumbeis laminis.

Pavimentum partim lapidibus, partim nuda humo stratum.

Turres habet duas, alteram in primo ingressu templi, alteram vero in interiori parte apud chorum, quadrate ambe sunt et fastigiate, qualis est turris Basilice Sancti Petri. Prima sustinet multas et bene sonantes campanas, altera, que est ad chorum, vacua est, propter debilitatem ac senectam.

Ecclesia divisa est pariete transverso in partes duas, pars anterior omnibus patet, presertim parrochianis tam feminis quam maribus, qui ibi audiunt missas et recipiunt omnia sacramenta a Vicario suo parrocchiano.

Pars altera, posterior ecclesie, recipit tantum psallentes et rem divinam celebrantes monachos. Laici vero illuc non ingrediuntur, nisi divinorum tempore et solum viri, femine autem in quibusdam tantum solemnioribus festis anni.

In hac postrema parte ad caput ecclesie est chorus ligneus antiquus.

Altare maius est ad caput chori orientem spectans, super eo quotidie due saltem misse cantu celebrantur, una pro fundatore, altera vero de festo seu de feria.

Sunt preterea in tota ecclesia xii. vel xiii. altaria, super quibus quotidie plures misse tum per monachos, tum per seculares capellanos dicuntur.

In medio ecclesie super illo pariete, qui distinguit monachos a parrochianis, est solum quoddam lignum, ubi est Venerabilis Ara Crucis, super qua diligentissime asservatur et colitur Corpus Christi, et ibi est magna religio et devotio parrochianorum.

In hoc etiam solio est organum ex stanno.

Sacristia est ad dexterum latus chori, in qua asservantur crux argentea, multi calices et vasa argentea, et alia altaris et sacerdotum ornamenta satis preciosa, et mitra et baculus pastoralis.

Cimiterium est ad septemtrionem, magnum et quadratum, septum humili muro ad pecus arcendum, et est adiunctum ecclesie. Claustrum vero, seu monachorum domus est ad meridiem, et ipsa coniuncta ecclesie, et est ampla, et forme quadrate, partim cooperta plumbo, partim detecta furore et impietate hostium.

In claustro ex una parte est locus capituli et dormitorium: ex altera sunt duo refectoria, maius et minus.

Habet latam curiam, circa quam sunt multe domus et partes, est locus hospitalis tam Anglis quam Scotis communis. Sunt horrea et loca alia, ubi mercatores et accole servant et tuentur ab hostibus frumenta, merces et divitias suas.

Hortus etiam habet et viridaria pulchra.

In claustro solet esse Abbas, Prior et Superior, et tempore pacis resident ibi XXXVI. vel XL. monachi professi.

Villa, ubi est monasterium, appellatur, ut dictum est, Calco, vel eorum lingua magis communi Chelso, capit LX. non amplius lares, et subest Abbati quoad temporalem et spiritualem iurisdictionem, et fere omnes incole sunt agrorum cultores et sementes monasterii, et nullas ei solvunt decimas aut census, imo ab Abbate stipendia recipiunt, ut sustinere et propellere possent a monasterio perpetuos hostium impetus.

Habet preterea tres aut quatuor alias villulas sub se, a quibus decimas percipit.

Habet presentationem multarum ecclesiarum etiam parrochialium, a quarum Vicariis percipit portionem fructuum.

Domus abbatialis est divisa a monachali, sed mensa eorum est communis.

Valor est pene incertus propter frequentes hostium et predonum excursiones et rapinas, sed communi opinione estimatur ad mille et quingentos ducatos vel circiter, et fructus consistunt in censibus ecclesiarum, decimis, frumentis, et possessionum fructibus.

Interrogatus de nomine, persona et qualitatibus promovendi respondit, nomen illi esse Thomam Ker, et se illum bene cognoscere, fuisse enim secum in Universitate Sancti Andree: esse hominem procere stature, bone habitudinis, annorum circiter XXXVI., de legitimo matrimonio et nobilibus parentibus prope monasterium ad sex milliaria ortum, magni animi et cordis virum, magistrum sive graduatum in artibus, et bachalarium iuris canonici: legisse quoque eas disciplinas XII. fere annos in dicta Universitate Sancti Andree. Callere etiam theologiam, denique vero existimari doctiorem quocumque in toto Regno, constitutum esse in sacris presbiteratus ordinibus, bene moratum et probum virum, et monachum professum in eodem monasterio, et unanimi voto et consensu omnium monachorum electum. Et propterea testis affirmat, se credere hanc promotionem nedum utilem, sed pernecessariam fore ipsi monasterio.

Interrogatus testis de causa scientie omnium supradictorum respondit, se fuisse versatum in loco monasterii, et vidisse, et ex incolis et monachis ipsis etiam cognovisse et intellexisse, et bene novisse personam promovendi, et omnes qualitates ut supra.

Dominus Iohannes Canture, alter testis iuratus ut supra, interrogatus super litteris Regie Maiestatis respondit, bene agnoscere sigillum Regis consuetum, et manum ac subscriptionem domini Ducis Albanie Tutoris.

Super vacatione ecclesie respondit, vacare per obitum dicti Episcopi Cathanensis commendatarii, qui mortuus est in diocesi Cathanensi de dicto mense Iunii proxime preterito.

Interrogatus, unde hoc sciret, respondit, non quidem mortuum vidisse, ut qui in ultimis et pene desertis Regni partibus obierit mortem, sed publice hoc intellexisse in Curia Serenissimi Regis, et in aliis locis Regni, in quibus fuit publica vox et fama mortis dicti domini Episcopi commendatarii. Et quia interfuit, quando Officiales Regis sequestrabant bona hereditatis dicti commendatarii defuncti pro pecuniis debitis ipsi Regi, et audivit etiam executores testamenti et a creditoribus fuisse conventos coram Regiis Consiliariis, et quod fuit per dictos executores satisfactum aliquibus creditoribus.

De nomine, situ et valore ecclesie seu monasterii, et alliis qualitatibus, et de hiis, que ad promovendum spectant, respondit per omnia ut supradictus alter testis, affirmans testimonio suo hanc promotionem fore summopere utilem monasterio, et quoad spiritualia et quoad temporalia, que maxime indigent presentia et virtute optimi Abbatis.

In causa scientie respondit, se fuisse in monasterio, agnoscere promovendum, et fuisse cum illo in studio, et reliqua novisse, vidisse et audivisse, ut superior testificatus est.

DCCCCXXVIII.

Processus consistorialis super resignatione episcopi Rossensis, et confirmatione electi ad eandem ecclesiam. Ex orig. Instrum. Miscell.

In nomine Domini amen. Anno a Nativitate eiusdem 1517. Indictione quinta, die vero vigesima nona mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et Domini nostri, Dñi Leonis divina providentia Papae X. anno quinto, Rñus Dominus meus, Dñus Iulius miseratione divina tituli sancti Laurentii in Damaso presbiter Cardinalis de Medicis, Bononiensis etc. Legatus, S. R. E. Vicecancellarius, mihi Ioanni Matthaeo Giberto, clerico Panormitano, Notario et Secretario suo dixit: Quod cum Reverendus in Christo pater Edmundus Episcopus Rossensis in Dominio Hyberniae, bonis respectibus animum suum moventibus, cupiat resignare Ecclesiam suam Venerabili patri Domino Ioanni Abbati Beatae Mariae de Fonte vivo ordinis Cisterciensis,

Sanctitatem Suam sibi commisisse, ut de causis moventibus animum Episcopi ad resignandum, de qualitatibus et meritis praedictis Ioannis, nec non de existentia Ecclesiae diligenter inquireret, et deinde de omnibus bene informatus in Consistorio secreto, ut moris est, referret: super quibus Dominatio sua Rm̃a mihi Ioanni Matthaeo praedicto mandavit, ut testes producendos examinarem, instrumenta recognoscerem, ac denique omnia facerem, quae ad huiusmodi negotium pertinebant, cuius Rm̃ae Dominationi volens, ut par est, obedire, in sequentem modum processi.

Die igitur sequenti trigesima eiusdem mensis producti a Venerabili Domino Ioanne promovendo coram me testes duo, videlicet fr. Riccardus monachus, eiusdem ordinis professus, aetatis triginta annorum vel circa, et Mauritius Oculninani presbiter, quadraginta annorum, ambo Rossensis diocesis et in sacerdotio constituti, qui interrogati de qualitatibus praedicti Ioannis, ita medio iuramento deposuere, separatim ambo, scilicet illum diu cognovisse et cum eo conversatos esse, ex quo affirmant, ex optimis parentibus atque ex legitimo matrimonio natum, honestibus moribus dotatum, doctum in Iure et in sacra pagina, qui est Corcagiensis diocesis et Abbas Abbatiae s. Mariae de Fonte vivo Rossensis diocesis, valoris sexaginta marcharum, et adhuc non est promotus.

De existentia vero Ecclesiae, iidem ita deposuere: In Hybernia, in provintia Cassallensi esse civitatem Rossensem occidentem versus positam in planitie prope littus Oceani, casarum ferme ducentarum, cinctam muro et fertili regione frumenti et caeterarum frugum copia. In dictae civitatis medio esse Ecclesiam Cathedralem sub invocatione sancti Facnani Hybernici confessoris, cuius festum celebratur in vigilia assumptionis Beatae Mariae: constructam lapidibus vivis, habentem duas portas, unam in fronte et alteram a latere, et in utraque descenditur in ingressu; tres naves cum pilaribus utrinque in formam crucis, magnitudine B. Mariae de Populo. Tectum ex ligno coopertum tegulis, solum sine pavimento, chorus in medio cum sedilibus ligneis, in capite chori altare maius, et a sinistra altaris sacristia, in qua sunt paramenta, cruces, calices inaurati ex argento, mythra, baculum pastorale ex argento. In cimiterio extra ecclesiam est campanile ad modum turris cum una campana magna.

In dicta Ecclesia post Episcopum sunt Decanus, quae est prima dignitas, valoris duodecim marcharum, Archidiaconus viginti, Cancellarius octo, Canonicatus duodecim ferme aequalis valoris quatuor marcharum, et quatuor Vicariae valoris huiusmodi: qui omnes aut per suos substitutos dicunt quotidie in dicta ecclesia divinum officium, et legunt submissa voce aliquot missas, diebus vero festivis cantant. Habitationes Canonicorum sunt per diocesim, quae est unius tantum dietae. Episcopus habet domum extra civitatem per medium miliare in ripa maris satis commodam.

Habet collationem vigintiquatuor benefitiorum, et fructus constant ex frumento et decimis et pascuis, et ascendunt ad sexaginta marchas.

Causa resignationis, ut constat ex instrumento producto et testium dictis, est, quia modernus Ep̃us est octuagenarius, et non potest amplius officio pastorali vacare.

Ioannes Matthaeus Gybertus.

Beatissime Pater.

Cum devota Creatura Sanctitatis Vestrae Edmundus modernus Ep̃us Rossensis, honestis causis animum suum moventibus, Ecclesiae suae Rossensi in manibus Sanctitatis V., et in favorem Ioannis Abbatis B. Mariae de Fonte vivo eiusdem diocesis cesserit, prout ex instrumento in partibus confecto et recognito, cum appensione sigilli ipsius Ep̃i constat, supplicante humiliter Sanctitati V. devotissimo eius filio Henrico Angliae Rege Serenissimo, quatenus dictam cessionem admittere, et de persona Ioannis Baptistae Ecclesiae providere dignaretur: Sanctitas Vestra die 29. mensis praeteriti vivae vocis oraculo mihi commisit, ut de existentia Ecclesiae, de qualitatibus et meritis promovendi, ac de causa resignationis diligenter inquirerem, et deinde in hoc sacro loco de omnibus bene informatus (ut moris est) referrem. Super quibus ex depositione duorum testium fidedignorum medio iuramento examinatorum invenio, quod

In Hybernia Insula ad Hyspaniam (sic) occidentemque solem sita, qua medium Angliae latus vergit, a quibusdam Irlandia dicta, est Rossensis civitas posita in planitie secus oceani litus, agro fertili, praesertim frumento, cincta muro, habens duas portas et casas fere ducentas. In eius medio est ecclesia Cathedralis sub invocatione s. Facnani confessoris Ibernici, constructa lapidibus vivis, magnitudine Beatae Mariae de Populo, forma oblonga in modum crucis, habens duas portas, unam in fronte, alteram a latere, et in utraque descenditur tribus gradibus: tres naves super pilareis lapidibus, tectum ex ligno coopertum lapidibus sectis, solum nullo pavimento stratum, chorus in medio cum sedilibus, et in capite chori altare maius, a cuius sinistra est sacristia satis bene munita cum mithra et baculo ex argento. Extra ecclesiam a dextro latere est cimiterium, et in eo campanile ad modum turris cum una campana. In Ecclesia post pontificalem sunt tres dignitates, videlicet Decanatus valoris duodecim marcharum, Archidiaconus viginti, Cancellarius octo, duodecim Canonicatus valoris fere aequalis quatuor marcharum, Vicariae quatuor eiusdem valoris: qui singulis diebus aut per eorum substitutos dicunt divinum officium, diebus vero festivis una cum officio cantant unam Missam de solemnitate eius diei. Mansiones Canonicorum sunt extra civitatem per diocesim, quae non est amplior una dieta. Episcopus habet domum extra civitatem per medium miliare in littore maris, qui habet iurisdictionem spiritualem in Ecclesia, et collationem vigintiquatuor benefitiorum, et in reditu

sexaginta marchas, quae constant ex frumento, pascuis et decimis, taxa 33. march. et tertia.

Causa, quae movet Edmundum ad resignandum, est ob senectutem: est enim octuagenarius, et quoniam non potest amplius oneri sibi commisso vacare: ideo convertit animum suum ad dictum Ioannem, qui aliquo affinitatis vinculo est ei coniunctus, ex legittimo matrimonio procreatus, bonae conversationis, de aetate, quae videtur legitima, et litteratura, in qua, testes dicunt, esse bene eruditum, et praesertim in utroque iure. Dñi mei Revmi, ad quos ipse de more, cum sit praesens, accessit, poterunt iudicare.

Petitur itaque dicta resignatio admitti, et dictae Ecclesiae de persona Ioannis provideri, cum retentione Abbatiae et duarum Vicariarum et unius Rectoriae.

Scribit Rex et commendat eundem.

DCCCCXXIX.

Informatio super monasterio de Calco in favorem Thomae Ker promovendi in abbatem (1517). Ex orig. Instrum. Miscell.

Rme pater. Cum alias bone memorie Andreas Episcopus Cathanensis, tunc pretensus commendatarius monasterii beate Marie de Calco ordinis sancti Benedicti Sancti Andree diocesis, et in illius possessione seu quasi existens, propter bellum, quod tunc inter Scotos et Anglos gerebatur, et incursus gentium armorum, qui tunc circa dictum monasterium, quod in limitibus Regni Scotie prope Angliam ad duo milliaria Italica situatur, viguerunt, in illo residere seu moram trahere non audebat, illud deseruisset, et quasi pro derelicto habuisset, et se ab eodem absentasset, ac diversa bona mobilia etiam pretiosa ipsius monasterii secum ab inde ad alia loca, etiam a dicto monasterio remotissima, asportasset: Prior, monachi et conventus ipsius monasterii se desolatos videntes, et timentes, ne monasterium ipsum ac ipsius possessiones et bona, etiam immobillia ab Anglis, et aliis depredatoribus etiam Scotis, quorum in illis partibus prothdolor nimia viget multitudo, si quem de potentiori familia existentem pro eorum defensione non haberent, diriperentur et occuparentur, unanimiter eorum unanimi voto Venerabilem virum dñum Thomam Ker, in artibus magistrum, ecclesie collegiate de Dunglas dicte Sancti Andree diocesis tunc Prepositum, ex nobili genere et potentiori familia partium illarum procreatum, in eorum et dicti monasterii defensorem invocarunt. Et insuper Regina Scotie, que tunc illius regni gubernium exercebat, ac domini consilii ipsius regni eidem dño Thome, ut ipsius monasterii defensionem acciperet, persuaserunt, promittentes iuvare, quod ipsum monasterium secum remaneret, ita ut ipse eidem monasterio in Abbatem preficeretur, et aliunde pro Epo Cathanensi, qui se ipsius monasterii commendatarium gerebat, provideretur, seu saltem ipse Andreas Episcopus ad ecclesiam Aberdonensem, que tunc in brevi per translationem Willelmi, illius tunc Episcopi, ad ecclesiam Sancti Andree faciendam sperabatur vacare, promoveretur, et dictus quondam Andreas Episcopus Cathanensis, hoc intelligens, sub spe promotionis sue ad dictam ecclesiam Aberdonensem se pro tunc non opposuisset, sed potius tacite consensum prebuisset.

Prefatus dñus Thomas Ker occasionibus premissis in parte allectus, et sub spe promotionis sue in futurum Abbatem ipsius monasterii se ad illud et illius Priorem et conventum contulit, et irrequisito consensu dicti Andree Episcopi, illius pretensi commendatarii, habitum regularem per monachos dicti monasterii gestari solitum ab eodem Priore suscepit, et postea professionem in eiusdem Prioris manibus emisit regularem, et exinde cum ipsis Priore et conventu in eodem monasterio tamquam religiosus permansit, et moram traxit, ac ipsos et illorum monasterium predictum illiusque bona defensavit, et una cum eisdem Priore et conventu fructus, redditus et proventus ex ipso monasterio provenientes, quos habere potuit, percipit, et in suos ac dictorum Prioris et conventus, nec non dicti monasterii usus et utilitatem, ac supervenientium hospitum hospitalitatem convertit.

Postmodum vero, cum dictus Andreas Episcopus vidisset, quod bellum predictum cessasset, et ipsum monasterium ac partes illi adiacentes a tumultu armorum aliquantulum relevate fuissent, et quod ipse dictam ecclesiam Aberdonensem consequi non potuisset, ad ipsum monasterium iterum aspirans, dictum dominum Thomam, ac Priorem et conventum prefatos tamquam suos obedientes per litteras suas sub certis pretensis censuris et penis, ut in certo loco, ab ipso monasterio per xxx. miliaria Italica remoto, coram eo ad subeundam correctionem monasticam comparerent, monuit: et termino monitorii advenientе, pro ipsis dominis Thoma, Priore et conventu eorum procuratore coram eodem Andrea Epo comparuit, et nonnullas causas rationabiles allegavit, quod tam remote a suo monasterio extrahi non deberent: quibus per eundem Andream Episcopum spretis, ad ulteriora contra eos procedere nixus fuit, et processit: et ab huiusmodi suis pretensis comminationibus et monitionibus et censuris per eundem ferendum et infligendum pro parte eorundem Thome, Prioris et conventus appellatum extitit, et de nullitate dictum.

Et dictus quondam Andreas Episcopus, hiis non contentus, causam super dicto monasterio et illius pretenso spolio contra prefatum dominum Thomam in Rota committi, et docto de non tuto accessu, citationem per edictum decerni obtinuit, et illa per edictum executa et reproducta in causa huiusmodi per audientiam contradictarum procedendo, pretensam diffinitivam ad iudicatoriam super monasterio et pretenso spolio predictis, tum fructuum et expensarum pretensa condempnatione pro se et contra prefatum dñum Thomam reportavit sententiam, que postquam nulla provocatione suspensa in rem transivisset iudicatam, in vim specialis commissionis expensas taxari et pretensas litteras executoriales decerni similiter obtinuit: quibus in partibus taliter qualiter pro edictis intima-

tis, et tandem reproductis, ac nonnullis terminis consuetis ad docendum illis paruisse, contra prefatum dominum Thomam servatis, citra tamen incursus censurarum declarationem, prefatus Andreas Episcopus in partibus vitam obiit et diem clausit extremum.

Post cuius obitum Prior et conventus dicti monasterii in unum convenientes, ut eorum monasterio tunc vere vacanti et de futuro pastore et Abbate providerent, dictum dominum Thomam in eorum et dicti monasterii Abbatem concorditer elegerunt, et in favorem electionis huiusmodi ac dicti domini Thome electi Serenissimus dominus Rex Scotorum, et regni gubernator ad Sanctissimum Dñum nostrum litteras direxerunt, ut eidem Thome de dicto monasterio provideatur, et ipse Thomas eidem monasterio in Abbatem preficiatur cum opportuna absolutione tam pro ipso Thoma ac Priore et conventu predictis, quam etiam aliis eis in hiis adherentibus, a pretensis censuris per eos seu eorum aliquem occasione premissorum seu alias quovismodo forsan incursis, et rehabilitatione ipsius Thome ad dictum monasterium, quatenus opus sit, ex eo quod se illius fructibus, ut premittitur, intromisit, titulo canonico non obtento, ac opportuna illorum remmissione, nec non suppletione defectus emissionis voti religionis, et opportuna admissione, attento quod forsan illud emisit in manibus non habentis potestatem illud admittere, cum opportuna absolutione a censuris, si quas propterea incurrebat, et cum opportuna cassatione, annullatione ac irritatione pretensi accessus, quem Rñdus pater dñus Andreas Archiepiscopus Sancti Andree ad dictum monasterium ratione pretensarum litterarum, ut pretenditur, per fel. recordationis Iulium papam secundum sibi tunc ut Episcopo Moraviensi concessarum habere pretendit, attento, quod huiusmodi accessus, si qui sit, fuit factus sine causa rationabili et absque alicuius consensu, qui tunc dicto monasterio prefuerat, seu qui in illam consentire saltem instar potuerat, et etiam absque consensu Regis pro tempore existentis.

Supplicamus humiliter, quatenus Paternitas Vestra Rñia dignetur hanc informationem et minutam cedule considerare, et secundum illarum tenorem referre et providere, prout utilius fuerit.

DCCCCXXX.

Angliae rex pontifici gratias agit de quibusdam per episcopum Wigorniensem sibi significatis. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Nulla putamus flagrantioris benivolentie indicia ab indulgentissimo patre in filium posse ostendi, quam que Vestra Sanctitas suavissime assidue in nos declarat. Quocirca acceptis nuper Rñdi Dñi Episcopi Wigorniensis, nostri apud eandem Vestram Sanctitatem Oratoris, litteris abunde intelleximus, que eiusdem Vestre Beatitudinis nomine diligentissime nobis significavit, que etsi essent multis rationibus minime suspicemur, maximi tamen facimus, quotienscunque Vestre Beatitudinis in nos pietatem, vigilemque agnoscimus rerum, quas nostra interesse putat, causas perscrutandi solertiam: maximas ideo ei gratias de tanta sua erga nos pietate ex animo habemus, eamque vehementer rogamus, ut si quid aliud imposterum, quod ad nos pertineat, intellexerit, diligenter pariter et cum summa celeritate nobis significare non gravetur, quo sane nil gratius nobis facere posse sibi persuasum habere velit. Et felicissime ac diutissime valeat eadem Vestra Sanctitas, Quam Deus Altissimus longevam tueatur. Ex Castello nostro Windesore die ultimo Februarii M.D.XVIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia
Rex Anglie et Francie ac Dominus Hiberniae
HENRICUS.

DCCCCXXXI.

Idem rex pontifici, ut a se designatum episcopum Assavensem confirmare velit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem et devotissima pedum oscula beatorum. Quum nunciatum nobis esset Cathedralem Ecclesiam Assavensem in Principatu nostro Walliae per obitum Rev. in Chrito patris Dñi Edmundi eius novissimi Episcopi impresentia vacare, suoque pastore esse destitutam, nos tamen (tum) ei providere cogitantes Venerabilem ac religiosum virum Dñum Henricum Standysh ordinis fratrum Minorum Conventualium, sacrae Theologiae professorem, verbique Dei predicatorem haud incelebrem, ob eximiam suam doctrinam, modestiam, probitatem, circumspectionem, vitae denique ac morum integritatem nobis carum, cui dicte Ecclesiae cura et onus committeretur, dignum existimavimus. Quocirca Vestre Beatitudini eum studiose commendamus, ipsamque rogamus, ut in specialem nostram gratiam dictum Dñum Henricum eidem Ecclesie praeficere, ipsique presulem et pastorem constituere dignetur: quod ut ex prefatae Ecclesiae honore atque utilitate futurum speramus, sic et nobis erit magnopere gratum. Et felicissime valeat Vestra Sanctitas, Quam Deus Altissimus longaevam tueatur. Ex Regia nostra apud Wodestok die XXVIII. Aprilis M.D.XVIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia
Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae
HENRICUS.

DCCCCXXXII.

Idem Angliae rex pontifici significat, se quinquennales inducias ratas habere, ad idque Gallorum regem inducturum, salvis anterioribus foederibus. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Etsi tum nostris, tum vero Rñi Dñi Cardinalis Eboracensis litteris causas, ob quas inducias ad quinquennium a Vestra Beatitudine editas non commode ratificandas esse censuerimus, Vestre Sanctitati saepenumero

declaraverimus, hancque ratificationem per universale fedus toti Christianitati longe melius nos consulere posse arbitrati, usque ad hoc tempus distulimus, non quod totis erga ipsam animis non afficeremur, sed quoniam perpetuo nuper cum omnibus Christianis Principibus contracto federi per has quinquennales inducias nonnihil detrahi posse verebamur: Nunc tamen partim Rmorum patrum Dni Cardinalis Eboracensis et Dni Campegii, istius apostolice Sedis apud nos de latere legatorum (quibus ob singularem prudentiam, eximia officia et egregia de nobis benemerita rem gratam facere cupimus), assiduis precibus instantissimisque petitionibus inducti, partim vero, ut Vestre Beatitudinis prudentissimis sapientissimisque consiliis, que ad universalem solummodo quietem tramite haud obscuro tendere videntur, quantum in nobis esset, pareremus, moremque in omnibus gereremus, simul etiam verentes, ne ceteri Christiani Principes nostro exemplo ad earundem induciarum obfirmationem non nisi difficulter induci possent, ac propterea omnium corda ad Turcicam expeditionem, ut rerum status nunc imprimis exposcit, capessendam plus nimio frigescerent, sicque parum mature Christianis rebus prospiceretur, has inducias ex parte nostra non solum ratas habere sumus contenti, sanguinem, Regnum opesque nostras pro ipsarum conservatione promptissime expposituri, verum etiam apud Gallorum Regem, fratrem et Consanguineum nostrum Carissimum (cum quo et affinitatem et mutuam amicitiam dudum inivimus), omnem operam dabimus, ut eas ipse quoque confirmet, ipsiusque et noster isthic Oratores, idoneis acceptis mandatis, quinquennales istas inducias nostro nomine, ut maior ipsis accedat authoritas, coniunctim ac solemniter ineant, confirment atque ratificent: hoc tamen proviso, ne veteribus federibus aut amicitiis quicquam adimatur, seu quovis pacto derogetur, sicuti copiosius atque uberius ex eorundem Rmorum legatorum communibus litteris Vestra Sanctitas percipiet, quibus quo animo erga Christianam Rempublicam simus, quoque ardore Vestre Beatitudini obsequendi teneamur, syncere exposuimus. Et felicissime valeat Vestra Beatitudo, Quam Deus Altissimus longaevam ad vota secundet. Ex Regia nostra apud Grenwicum die VIII. Decembris M.D.XVIII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCXXXIII.

Rex Angliae cum pontifice de revocatione cardinalis Campegii amice conqueritur, cui eundem impense commendat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dno nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotma pedum oscula beatorum. Quum ex vestrae Sanctitatis ad nos breve Revmum Dnum Cardinalem Campegium hinc ab ipsa nuper revocatum esse intellexerimus, huiusmodi nuncium non potuimus non aegerrimo animo perferre, tantam namque iucunditatem ex ipsius prudentissimis ac modestissimis colloquiis capiebamus, ut familiarissima eius consuetudine impraesentia privari sit nobis quam molestissimum: sed postquam ita vestrae Sanctitati placere intelligimus, et nos quoque desideriis nostris sua iussa praeferentes, dicti Rmi Dni Campegii discessum aequo animo patiemur, quem eo maiori benivolentia prosequimur, quod in hac sua Legatione adeo prudenter, modeste ac magnifice se gessit, ut vix unum aut alterum, qui tantum munus aeque splendide obire potuisset, inveniri posse iudicemus. Summo enim ingenio, pari dexteritate, nec minori diligentia apostolicae Sedis, totiusque Christianitatis causam non absque ingenti vestrae Beatitudinis laude semper tractavit, pro quarum tutela etsi Regnum, opes nostras, ipsum denique sanguinem iampridem voverimus, ita tamen eius adhortationibus efficacissimisque suasionibus erga earumdem incrementum et defensionem sumus accensi, ut nostram mentem aperte testandi pulchram aliquam occasionem ab Altissimo nobis dari ardentissime exoptemus. Quocirca quum ob singulares eiusdem Rmi Domini Campegii animi dotes haud facile nostro in eum amori satisfacere queamus, vestram Beatitudinem vehementissime rogamus, ut tum meritorum suorum intuitu, tum vero summis nostris precibus commendatiorem et chariorem eum sibi habere dignetur: gratissimumque nobis erit, si praeter illa, que de ista Sancta Sede totaque Christianitate amplissime promeritum esse scimus, maior quoque cumulus hac nostra commendatione illi accesserit. Quinquennalium postremo induciarum ratificationem per nos factam dicto Rmo Dno Campegio dedimus, eiusque fidei nonnulla alia vestrae Beatitudini (ut speramus) placitura nostro nomine exponenda mandavimus, indubiamque illi fidem ab ipsa haberi precamur, Que felicissime ac diutissime valeat. Ex Regia nostra Grenwici die XVIII. Augusti M.D.XVIIII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCXXXIV.

Angliae rex pontifici per epum Wigorniensem suum oratorem quaedam exponenda curat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dno nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima beatorum pedum oscula. Inter ea, que Reverendus Dnus Epus Wigorniensis, noster Orator, de Vestre Beatitudinis erga nos affectu assiduis suis litteris nobis significat, nonnulla quoque haud parvi momenti ipsius nomine nuper ad nos perscripsit, quae et accurate perlegimus maturamque super his consulationem habuimus, de quibus pluribusque aliis licet cum Reverendo Domino Auditore Vestrae Sanctitatis nuncio saepius ac prolixius fuerimus colloquuti, omittere tamen noluimus nostris etiam litteris ad ea sigillatim respondere. Quapropter eidem nostro Oratori per Rmum Dnum

Cardinalem Eboracensem mentem animumque nostrum Sanctitati Vestrae sincere exponendum impresentia committimus, cui ut innata solitaque sua benignitate plenam certamque fidem dicta Vestra Sanctitas prestare dignetur, vehementer obsecramus, Quam felicissimam ac diutissimam Deus Omnipotens conservet et tueatur. Ex Regia nostra Grenwici die xxi. Ianuarii m.d.xx.

E(iusdem) V(estrae) S(anctitatis)

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCXXXV.

Rex Angliae Iulio cardinali de Medicis vacantem ep̄atum Wigorniensem confert. Ex orig. Instrum. Miscell.

HENRICUS Dei gratia Rex Anglie et Francie ac Dn̄us Hibernie, Rm̄o in Christo patri Domino Iulio miseratione divina tituli Sancti Laurentii in Damaso S. R. E. Presbitero Cardinali et eiusdem Vicecancellario, nostroque ac Regni nostri in Rom. Curia Protectori et Amico Carissimo, Salutem. Ex Revm̄i Domini Cardinalis Eboracensis intimi ac dilectissimi Consiliarii nostri relatu, atque etiam rebus ipsis Vestre Rm̄e Dominationis erga nos officia, eximiumque gratificandi studium sepe antea intelleximus, quam etsi mutua semper benivolentia simus prosecuti, hanc tamen animi nostri gratitudinem signo aliquo declarandi occasionem sese nobis offerri exoptamus. Quum igitur Rn̄dum D. Sil. olim Ep̄um Wigorniensem, ac veterem nostrum Oratorem nuper in Romana Curia e vita decessisse acceperimus, Vestram Rm̄am Dominationem dignam, que huic Episcopatui preficeretur, extemplo iudicavimus. Quam ob rem Sanctissimum Dominum Nostrum impresencia rogamus, ut ad hunc Episcopatum ipsam promovere in commendamque sibi concedere dignetur, licetque sit Vestre Rm̄e Dominationis virtutibus ac meritis inferior, gratissimum tamen nobis erit, hoc nostre benivolentie signum libenti animo ab ipsa accipi, quam iterum atque iterum rogamus, ut de nobis, Regnoque nostro (sicuti facit) bene mereri perseveret, ac omnia, que sue dignitatis et commodi concernet incrementum, nobis maxime cure semper arbitretur. Que feliciter valeat. Ex Regia nostra Grenwici die xxi. Maii m.d.xxi.

Vostre bon amy

HENRY R.

PETRUS VANNES.

DCCCCXXXVI.

Rex Angliae pontifici spondet nihil a se relictum iri, quominus omnes principes christianos ad haeresim Lutheranam radicitus evellendam excitet, mittitque ei librum a se contra Lutherum conscriptum. Ex orig.

Sanctm̄o Clementissimoque Dn̄o nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Quoniam nihil magis ex catholici principis officio esse arbitramur, quam ut christianam fidem, religionem atque documenta ita servet et augeat, suoque exemplo posteris sic intemerata servanda tradat, ut a nullo fidei eversore tolli, seu quovis pacto ea labefactari sinat. Ubi primum Martini Lutheri pestem atque haeresim in Germania exortam, ubique locorum cohibente nullo sensimus debaccari, adeo ut suo veneno infecti plures contabescerent, et hi presertim, qui odio potius intumentes, quam christianae veritatis zelo ad ipsius versutiis atque mendaciis credendum omni se ex parte aptaverant: atrox istud scelus tum Germanicae nationis (cui non mediocriter afficimur), tum vero sacrosanctae apostolicae Sedis gratia sic indoluimus, ut cogitationes omnes nostras, studium et animum eo diverterimus, hanc zizaniam, hanc heresim e dominico grege, quacumque ratione fieri possit, funditus tollere nitentes. Sed cum exitiale hoc virus eo progressum, imbecillesque multorum ac male affectos animos sic iam occupasse videremus, ut uno impetu haud facile tolli posset, nihil aeque huic delendae pesti censuimus expedire, quam si doctioribus eruditioribusque huius Regni viris undique excitis trutinandos hos errores, ac dignos, qui perderentur, esse declararemus, aliisque compluribus hoc idem faciendum suaderemus, imprimisque Cesaream Maiestatem ob fraternam, quam illi gerimus, affectionem, omnesque principes electores, ut christiani officii suique splendoris meminisse, pestiferumque hunc hominem unacum facinorosis hereticisque libellis (postquam ad Deum amplius redire spernit) radicitus vellent extirpare, studiose rogavimus: sed nostro in christianam rempublicam ardori, in catholicam fidem zelo, et in apostolicam Sedem devotioni non satis adhuc fecisse existimantes, propriis quoque nostris scriptis, quo animo simus in Lutherum, quodve de improbis eius libellis nostrum sit iudicium, innuere voluimus, omnibusque apertius demonstrare, nos sanctam Romanam Ecclesiam non solum vi et armis, sed etiam ingenii opibus christianisque officiis in omne tempus defensuros ac tutaturos esse. Primum ideo ingenii nostreque mediocris eruditionis feturam nemini magis, quam Vestrae Sanctitati dicandam consecrandamque esse duximus, tum ob filialem nostram in eam observantiam, tum etiam ob sollicitam ipsius christianae reipublice curam: huiusmodi autem primitiis nostris plurimum accessum iri iudicabimus, si sano Vestrae Beatitudinis iudicio fuerint, quae comprobentur, dignae habitae. Et felicissime ac diutissime valeat. Ex Regia nostra Grenwici die xxi. Maii m.d.xxi.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae ac dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCXXXVII.

Cardinalis Eboracensis pontifici regis Angliae haeresis Lutheranae expugnandae studium impense extollit, eique de legationis officio sibi collato grates reddit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctm̄o benignissimoque D. N. Papae.

Beatissime pater, deoscolatis sanctissimis Vestre Beatitudinis pedibus et humillima commendatione premissa. Quotienscumque dignum aliquid Vestre Bea-

titudinis auribus occurrit, non omitto cum Reverendo domino Vestre Sanctitatis oratore illud conferre, vel sibi per regium Oratorem sedulo significare. Impresentia vero ab hac Regia Maiestate et me pro Lutheriana peste atque heresi extinguenda nonnulla hic sunt acta, sicuti omnia ex Reverendi domini Auditoris litteris atque Regii Oratoris relatu uberius omnia percipiet: ex quibus eandem Vestram Sanctitatem intellecturam spero, nil aeque huic religisissimo principi in votis esse, quam ut christiana fides, Vestre Beatitudinis authoritas, ac Sancte Romane Ecclesie dignitas illaesa, et a nullo catholicae fidei eversore labefactata perpetuo servetur ac propagetur. Vestram propterea Sanctitatem, quam possumus, humillime atque devotissime obsecro, ut in Legationis negocio solita sua benignitate ac facilitate sic me complecti dignetur, ut omnes sentiant, me a Vostra Beatitudine plurimum diligi et amari: speroque in omnibus sic me gesturum, ut Vestrae Beatitudinis in me beneficiis sim cumulate responsurus, nec fore, ut eum peniteat honoris mei rationem habuisse, tantamque gratiam in me collocasse. De hoc vero aliisque rebus Reverendus dominus Clerk, Regius Orator, cum Vestra Beatitudine coram copiosius colloquetur, a qua fidem ipsi indubiam haberi humillime precor. Et felicissime ac diutissime valeat eadem Vostra Sanctitas, cuius sacratissimis pedibus me etiam atque etiam reverentissime commendo. Londini ex meis aedibus die XXI. Maii M.D.XXI.

E. V. S(anctita)tis

Humillima Creatura

T. CARDINALIS EBARACENSIS.

PONTIFICATUS HADRIANI PP. VI.

DCCCCXXXVIII.

Rex Angliae Hadriano PP. VI. cardinalis Campegii miram in perfungenda sua legatione dexteritatem impense commendat, petitque, ut eumdem suum et regni protectorem benigne semper audiat. Ex originali.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, ac devotissima beatorum pedum oscula. Nimis longum esset exprimere, quam ingenti amore affectuque fraterno Reverendissimum Dominum Cardinalem Campegium complectamur, quamque ex animo gaudeamus, quotiens ipsius honoris, dignitatis vel commodi accessio aliqua nobis nunciatur: dignissimus enim nostro iudicio est, cui ob singularem suam prudentiam, summam eruditionem, paremque modestiam non minori integritati adiunctam amplissima et ornatissima queque conferantur. Ceterum huiusmodi nostra benivolentia grandem in modum adaucta est, quod intelligimus, Vestram quoque Sanctitatem in eo amando certatim propemodum nobiscum concurrere, cuius sui animi quam optime propensioni ut in nostram gratiam quam multum in dies addat, enixissime precamur. Ad hec, quoniam dicti Reverendissimi Dñi Campegii benivolam mentem, flagrans nobis gratificandi desyderium, egregiamque fidem arduis in rebus sepius experti sumus, eum in nostrum Regnique nostri protectorem apud Vestram Beatitudinem elegimus, nil ambigentes, quin hoc oneris sit libentissime suscepturus, et de se concepte spei cumulatissime satisfacturus. Quocirca Vestram Sanctitatem impense rogamus, ut in nostris omnibus isthic occurrentiis eum benigne audire, iuvare atque fovere non gravetur, quod nobis optatissimum et acceptatissimum est futurum. Et felicissime ac diutissime valeat Vestra Sanctitas. Ex Regia nostra Grenwici die XXII. Februarii M.D.XXIII.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Angliae et Franciae Rex, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCXXXIX.

Angliae rex pontifici de legationis munere cardinali Eboracensi collato impense gratias agit. Ex originali paullulum corroso. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Attulit ad nos Reverendissimus Dominus Cardinalis Eboracensis, Vestre Sanctitatis et apostolice Sedis de latere Legatus, Consiliariusque noster ut intimus et primarius, sic nobis perinde ac uterinus frater percarus, bullam suae legationis amplissimum firmissimumque in modum ad vitam adaucte et confirmate, quam ubi (legente illo) de verbo ad verbum accurate audivissemus, preciosissimi sui thesauri pectus in nobis devincere statim effuse adapertum persensimus, quod nempe donum, etsi omni expectatione maius merito haberi possit, nullique antea vel paucissimis .... gerit, vestrae tamen Sanctitatis paternae erga nos indulgentiae, nobiscumque in eodem Reverendissimo Dño Legato exornando communi desyderio assuetum, imprimisque conforme os ..... Maximum igitur hoc beneficium, omni meritorum

gratiarumque genere preclarius, nobis ipsis collatum putamus, nos illi hoc nomine devinctissimos adstrictissimosque profitemur, qui nil magis ex amino cupimus, quam aliquam occasionem tanti debiti incomparabilis dilectionis particulam exolvendi. Nullo pacto silendum preterea censuimus, Vestram Sanctitatem virum (quod compertissimum habemus) mortalium omnium sibi devotissimum, et iam pridem adstrictissimum decorasse, qui suis omnibus consiliis illud habet precipuum, suarumque cogitationum hec una est summa, ut ea, que in istius Sanctae Sedis honore, exaltatione, religionis dignitate, Vestraeque Beatitudinis nuto esse percipit, incredibili studio, fide, diligentia et observantia sedulo procuret atque promoveat, adeo ut immensam hanc suam liberalitatem ipsi Reverendissimo Domino Cardinali indicasse sit in dies maiorem iucunditatem haud dubie Vestra Sanctitas perceptura, cui nos omnino persuasi esse cupimus, nihil in hoc splendidissimo Legationis munere ab eo gestum iri, quod non gratissimum et acceptissimum eidem Vestre Sanctitati sit futurum: ipsi ergo nos iterum atque iterum immortales, et quam maximas possumus gratias habemus, in perpetuumque debemus. Et felicissime atque diutissime valeat Vestra Sanctitas. Ex Regia nostra Grenwici die XXII. Februarii M.D.XXIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCXL.

Idem rex a pontifice petit, ut Petro Vannes, cardinali Eboracensi a secretis, collectoriae officium in Anglia conferre velit. Ex originali.

Sanctissimo Clementmoque Dno nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima beatorum pedum oscula. Partim benignissimis Vestrae Sanctitatis litteris propria sua manu ad nos scriptis, partim vero copiosissimo aliorum relatu, indiciisque nequaquam obscuris eum esse percepimus ipsius erga nos effectum, optimamque gratificandi propensionem, ut nihil tam grande esse possit, quod ab ea impetraturos nos procul dubio non speremus: eoque maiori fiducia, quando id, quod petituri sumus, cordi nobis imprimis est, dataque occasione in pari vel graviori causa vices cumulatas reponere nobiscum omnino decreverimus. Quum itaque Reverendissimo Domino Cardinali Eboracensi, in cuius vigili cura, perspicacissima industria, summaque prudentia secure (ut Vestra Sanctitas non ignorat) conquiescimus, Petrus Vannes, Italus, a secretis inserviat summaque fide ac diligentia in negociis nostris latine scribendis aliisque multis non desinat de nobis quam optime mereri, effecti sumus eius commodi et ornamenti quam maxime studiosi, huius nostri animi ut aliquod signum ei ostendamus, apud Vestram Sanctitatem ex corde impresentia intercedimus, ipsam proinde impensissime rogamus, ut huius nostri Regni Collectorie officium (quod Vestre Beatitudinis predecessores nostris precibus semper concedere consueverunt) cum solitis assignatisque proventibus dicto Petro in praecipuam nostram gratiam et contemplationem conferre dignetur: quod etsi alii forsan iam antea sit collatum, spem tamen certam concepimus, huic nostro desiderio nunc ab ea satisfactum iri, presertim quod illi alia in re providendi non desit singulis ferme horis Vestre Sanctitati amplissima facultas, et is, quem ad hoc officium promovere tantopere cupimus, sit ipsius, quod certo scimus, fidelissimum observatissimumque mancipium: nostrum igitur istud desyderium, quanto studio possumus, Vestre Beatitudini etiam atque etiam enixissime commendamus, cui si, ut nil ambigimus, gratificatum fuerit, speramus eum sui collati beneficii in dies magis ac magis gavisurum esse, nosque in habenda gratia eidem Petro non sumus defuturi. Ceterum, quoniam ad nostrum isthic Oratorem plura in hanc sententiam impresentiarum scribimus, his litteris, quod optamus, semel Vestre Sanctitati significasse sat fore existimamus. Que felicissime ac diutissime valeat. Ex Regia nostra Grenwici die XXIII. Februarii M.D.XXIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Angliae et Franciae Rex, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCXLI.

Cardinalis Eboracensis pontifici de munere legationis sibi collato grates reddit. Ex orig. Litt. Princip. Tom. 1. fol. 171.

Sanctissimo Clementmoque Dno nostro Pape.

Beatissime pater, deosculatis sanctissimis Vestre Beatitudinis pedibus, et humillima commendatione praemissa. Accepi meae Legationis bullam amantissimi animi, syncerissimique erga me affectus significatione amplissimum firmissimumque in modum ad vitam meam a Vestra Beatitudine adaucte et confirmate, quo sane praeclarissimo rarissimoque mihi collato munere ad complurium suorum in me beneficiorum ingentem cumulum nunc tantum aperte accessum video, quod nec in meditanda, nedum referenda gratia nullam mihi facultatem relictam sentiam: pro viribus tamen omni studio ac fide enitar, ut gratissimi fidelissimique mancipii nullum in me quisquam desyderet officium, sicque industriam cogitatusque meos ad omnia Vestre Sanctitatis obeunda exequendaque mandata semper accommodabo, quod devotionem meam innatamque observantiam sibi iampridem adstrictam atque dicatam in dies certius sit perspectura. Quam humillimas igitur et reverentissimas possum, Vestre Beatitudini gratias habeo, vehementissimeque supplico, ut in rebus suis omnibus, quibus me usui esse posse duxerit, me toto fidentissime uti dignetur, qui nil vel optatius vel felicius mihi contingere posse puto, quam in devinctissimae meae servitutis officiis die nocteque versari, nullam siquidem operam, diligentiam opportunitatemve unquam pretermittam in negociis his apud Serenissimum Dominum meum Regem assidue tractandis, que eidem Vestre Sanctitati grata pla-

citaque esse cognovero: ad quod licet ipse suapte natura eius[que] nutui ac voluntati sit undecumque obsequentissimus, quanto tamen plus authoritatis mihi impresentia accesum est, tanto impensius et ardentius ad sue filialis obedientie cumulum, si quid poterit, per me sedulo addetur. In Legationis deinde exequendo munere sic me gesturum, fidem Vestre Sanctitati adstringo meam, ut dignitatem, splendorem ac decus istius Sacrosancte Apostoliceque Sedis haud minori cura, quam propriam salutem servatum a me fuisse, ab eadem Vestra Sanctitate perspectum iri non ambigam. Que felicissime ac diutissime valeat, meque et mea omnia commendatissima habere dignabitur. Londini ex meis Edibus die xxiiii. Februarii M.D.XXIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Humillimus ac devotissimus servulus

T. Cardinalis Eboracensis.

DCCCCXLII.

Cardinalis Eboracensis pontifici de amantissimis litteris sibi datis grates reddit, eique regem Angliae ob excelsum suum in avitam fidem animum impense commendat. Ex orig. Litt. Princip. Tom. 1. fol. 84.

Sanctmo benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, deosculatis sanctissimis Vestrae Beatitudinis pedibus, et humillima commendatione premissa. Dum V. Sanctitas mea in se merita recenset, incomparabilemque suam erga me benivolentiam, incredibilemque affectum elegantissimo et amantissimo brevi, propriaque manu ad me scriptis litteris (que preciosissimi thesauri loco in sempiternum mihi erunt) copiosissime testatur, mortalium omnium sibi plane me censeo devinctissimum, quod nullis hactenus, preterquam humillimi fidelissimique mancipii officiis tantum V. Beatitudinis in me benignitatem et affectionem promeritus, eam neque in habenda, neque in referenda gratia adaequare, vel minima ex parte assequi valeam. Sic enim veteribus, simul et novis, iisdemque preclarissimis eiusdem beneficiis obnoxium me undique profiteor, ut fidei servitutisque mee vinculum nec animo complecti, nec ullis litteris explicare possim: non desinam tamen, quoad in humanis egero, ad omnem quamlibet occasionem devotissimum animum perpetuamque meam observantiam declarare, Vestreque Beatitudini compertissimum facere, ministrum nullum sibi esse me addictiorem, qui non modo singula ipsius mandata studiosissime ac reverentissime sum persequuturus, sed etiam opes, sanguinem, vitam denique ipsam (si ita expediat) ex eius nutu et arbitrio expositurus, ad quod tum vetus singularisque eius in me clementia et amor egregiis de me meritis, iudiciisque haud obscuris sepius comprobatus, tum etiam de prefata V. Sanctitatis prudentia, probitate, et in Christianam rempublicam zelo ac studio, eminentissimisque aliis virtutibus, divinum in ista ad summum pontificatum assumptione iudicium me maximo impellit, atque iure optimo adstringit: nam si egregia eius antehac prestita facinora trutinentur, vel dignissimarum virtutum (quarum splendidissimum specimen V. Sanctitas subinde exhibuit) ratio accurata habeatur, nemo profecto reperietur, qui excelso isto solio dignior, vel dominico regendo gregi reipubliceque Christiane in tutum collocande aptior accommodatiorque haberi queat. Illud porro non reticebo, quod in absolutissima divinaque ista communi potius, quam sua felicitate nacta est Serenissimum hunc Regem ut potentissimum sic sibi, Romaneque ecclesie splendori obsequentissimum, et universalis boni cupientissimum, de quo etsi Vestra Sanctitas maxima queque sperare possit, in optimo tamen isto christianissimoque animi sui instituto confirmare, et si quid ad cumulum addi possit, pro viribus eum accendere conabor, usque adeo ut in propaganda fide, saluberrimisque suis exequendis consiliis non mediocre in eum sit adiumentum habitura. Non possum deinde optimam V. Sanctitatis mentem in conelianda inter Christianos principes pace non vehementissime laudare et adorare. Quid igitur mihi impresentia super ea re occurrat, quidve sit huius Regie Maiestatis consilium, sum cum Rñdo Domino Melchiore Lango, viro ad gravissima queque gerenda aptissimo, copiose colloquutus, et ad Rñdum Dominum Bathoniensem Regium Oratorem V. Sanctitatis declaranda nunc omnia secretioribus notis uberrime perscribo, cuius verbis ut plenam certamque fidem habere, et me commendatissimum suscipere dignetur, humillime et reverentissime precor. Londini ex meis Edibus die xxiiii. Febr. M.D.XXIII.

Dum has integras litteras propria manu conscribere decrevissem, quo addictissimam meam erga V. Sanctitatem servitutem testarer, repentina et adeo fervens supervenit febris, tantumque adversa valetudo invaluit, ut non potueram huic mee devotionis pignori, ut cupiebam, sufficere: itaque V. Beatitudinem supplex ad ipsius pedes provolutus precor, quoque his paucis tremula, sed observantissima manu exaratis veniam indulgere, et me humillimum devinctissimumque suum mancipium perpetuo esse dignetur existimare, pro cuius fausta felicissimaque incolumitate ad nestoreos annos assiduas preces altissimo effundere non desinam

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

humillima ac devotissima creatura

T. Cardinalis Eboracensis.

PONTIFICATUS CLEMENTIS PP. VII.

DCCCCXLIII.

Dux Albaniae regni Scotiae gubernator a pontifice petit, ut Ioannem Beynstoun Eduardo episcopo Orchadensi eius fratri in coadiutorem concedat. Ex originali.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatme Pater, post devotissima ad pedes oscula humile obsequium. Cum omnium sit et precipue principum, qui rebus maioribus presunt, imprimis rebus divinis opportune consulere, quo ecclesie Rom. fides et religio cristiana crescant, et demum ecclesiis vacantibus tales preesse curare, quorum vite et virtutum integritas populo spectata, Principique et regno fides commendata sit et probata. Cumque, beatissime pater, Reverendus in Christo pater Eduardus Orchadum Insularum presul senio confectus, podagra continua pluribusque aliis gravibus infirmitatibus sic vexatus laboret, ut ea que cure et administracionis episcopalis sint, exercere minime possit, cupiensque gregi et populo, quem ipse diu optime rexit, Coadiutorem sibi dari talem, qui gentem barbaram, extremas Insulas boreales colentem, Romane ecclesie, Regi huic tenero, nobisque suis doctrine monitis salubribus obedientem reddens compescat: Nobis perdoctum virum dominum Iohannem Beynstoun suum fratrem, ecclesie Orchadensis canonicum, omnium suorum laborum, cure, administrationis et rerum gestarum, dum sui compos......tem, qui longa conversacione gentem illam efferam expertus, eam regere optime novit, presentavit. Nos vero precibus eius iustis inclinati prefatum dñum Iohannem Beynstoun, virum virtute, morum integritate et sanctimonia clarum, litterarum doctrina virtutumque omni decore splendidum, nobis probatum et fidelem Sanctitati Vestre nominamus et commendamus, Eandem hiis votis supplicibus exorantes, quatinus eum dicte sedi episcopali Orchadensi prefato Reverendo patri Coadiutorem et pastorem sua benigna gratia preficiat, Reservatis prefato Eduardo patri Revñdo ad vitam omnibus, aut ea fructuum prefati Episcopatus parte, quam velit pro forma et tenore mandati consensus eius desuper confecti et ad Sanctitatem Vestram transmissi, quo Deo imprimis, Regi huic tenero, regno et nobis rem gratissimam efficiet.

Beatissime Pater, S(anctitatem) V(estram) ad felicissimum ecclesie moderamen conservet Virginis Unigenitus. Ex Strivilingo Idibus Decembris Anno partus virginei vigesimo tertio supra Millesimum quingentesimum.

E. S. V.

Humillimus, devotissimus et obedientissimus filius Illmi Scotorum Regis tutor et Regni moderator
Jehann.

DCCCCXLIV.

Idem pontifici, ut Ioannem Maxwel monasterio de Dundranen in abbatem praeficiat. Ex orig. paulisper corroso. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatme Pater, post devotissima pedum oscula. Nuper ad litteras et supplices preces nostras Iacobum Hay in decretis doctorem, prius Abbatem de Dundranen ordinis Cisterciensis, sedi Epali Rossensi piissime Sanctitas Vestra prefecit, quo monasterium ipsum de Dundranen pastore vacat: nostrumque imprimis est pro suscepti huius Regis et Regni regiminis cura tales locis ipsis Religiosis vacantibus nominare viros, qui suarum virtutum exemplo, vite et morum integritate ea administrare, et suis consilio, prudencia ac rerum experiencia rebus regni tractandis providere, et demum suis natalibus preclaris Regi tenero, Regno huic et nobis gratiarum honorisque non parvum referre possint. Idcirco, beatissime pater, dominum Iohannem Maxwel, clarissimo loco genitum, Roberti baronis de Maxwel germanum fratrem, nobis et regno fidelissimum et commendatum Sanctitati Vestre nominamus, hiis devotissimis precibus obsecrantes, quatenus eum monasterio Sacri Nemoris, cui m......est ....tur, prefato monasterio de Dundranen pro sua innata benignitate et clementia preficere dignetur.

Beatme Pater, S(anctitatem) V(estram) ad longum et felix ecclesie moderamen conservet Virginis Unigenitus. Ex Strivilingo Idibus Decembris anno Virginei partus vicesimotertio supra millesimum quingentesimum.

E. S. V.

Humillimus, devotissimus et obedientissimus filius Illmi Scotorum Regis tutor et Regni moderator
Jehann.

DCCCCXLV.

Idem Scotorum regni gubernator pontifici, ut Guilelmum Remedy monasterio Sacri Nemoris ord. Praemonstratensis praeficere velit. Ex originali paulisper corroso. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatme Pater, post devotissima ad pedes oscula humile obsequium. Cum pridem Monasterium Sacri Nemoris ordinis Premonstratensis per resignationem Ven. ... dñi Iohannis Maxwel vacaverit, et nostrum sit pro suscepta minoris Regis et Regni cura locis religiosis opportune providere, quo religio et divinus cultus crescant, et loca ipsa reparentur: Quocirca perdoctum virum dñum Guillermum Remiedy, nunc Abbatem de Corsraguel, morum et virtutum omni integritate decorum, natalibus clarum, nobis et regno fidelem et commendatum Sanctitati Vestre nominamus, humillime obsecrantes, quatinus eum pre-

fato monasterio Sacri Nemoris preesse sua benigna clemencia iubere et ordinare dignetur, reservando .....geardane pensionem annuam ..... marcarum monete hic communiter currentis, quo deo, nobis et Regno huic rem gratissimam efficiet.

Beatissime Pater, S(anctitatem) V(estram) ad felix et longum ecclesie moderamen conservet Virginis Unigenitus. Ex oppido Strivilingensi Idibus Decembris Anno partus Virginei vigesimotertio supra Millesimum Quingentesimum.

E. S. V.

Humillimus, devotissimus et obedientissimus filius
Illmi Scotorum Regis tutor et Regni moderator
JEHANN.

DCCCCXLVI.

Rex Angliae Clementi VII. gratulatur de eius ad summum pontificatum assumptione. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Non potuimus Vestrae Sanctitatis predecessoris obitum partim ex Christiani principis officio, partim vero quod universali quieti in tutum collocande nil magis adversum potuerit accidere, non summopere et publice et privatim indolere, sed nostram hanc animi consternationem protinus omnem sustulit salutaris de Vestrae Beatitudinis ad excelsum sublimeque solium electione nuncius, qui non nobis solum, sed et huic nostro Regno, eius celeberrimi nominis observantissimo tantum solidi gaudii atque laetitiae peperit in universum, quantum ulla ut lubet ingens humana felicitas prestare queat: ex hac enim faustissima electione nulli non sanae mentis apertissime constat, Deum optimum maximum sedulam sui gregis curam gerere, quod huic Vestram Sanctitatem prefecerit, que innata sua prudentia, firmissimoque presidio eum ab iniquo quolibet insultu innoxium illaesumque semper servare studuerit. Fulgentissimum itaque ac sacrum istud, quod divina Maiestas supprěmum in terris dignitatis fastigium habere voluit, Vestre Beatitudini toto corde gratulamur, perpetuumque precamur, iure id optimo a nobis fieri nil ambigentes tum ob inveteratam ipsius erga nos benignitatem, nostramque itidem in se cordatissimam observantiam, tum vero, quod optima eiusdem de Christiana republica merita, compluraque in Romanae Ecclesiae decus et splendorem non minus feliciter ac prospere, quam consulte ac provide saepius prestita officia brevi futurum pollicentur, ut turbulentissimis tenebrosisque his temporibus non absque publica exaltatione sol succedat lucidissimus. Porro nec nos noster affectus seu iudicium fefellit, quod de singulari Vestre Sanctitatis providentia, summa probitate, spectataque anteactae vitae innocentia feceramus, cum sacrosancti istius Collegii decreto, unanimi consensu, laetissimoque omnium applausu pulcherrime confirmatum videamus, dictaque Vestra Sanctitas non ex fortune obsequio, ullave rerum vicissitudine, sed divino potius nutu ad apostolatus apicem adscita evectaque idcirco censeatur, ut quam multum in commune prosit, in Domini Dei nostri vinea laborantes a rabidissimo luporum laniatu tueatur, religionem nostram quam latissime propaget, pacis perturbatores in ordinem cogat, immanissimosque fidei nostre hostes a Christi finibus procul arceat et amoveat, quos, accepta Vestrae Beatitudinis electione, animo iam cecidisse minime dubitandum est, utpote qui rem cum eo pontifice futuram non ignorant, cuius consilia et cogitatus in venenata eorum Christiani sanguinis extirpanda siti, effrenataque dominandi libidine cohercenda assidue versentur. Optimum proinde hunc animum divina clementia Vestre Beatitudini secundet, foveat et augeat, quem nos sic toto pectore observabimus, sanissimisque eiusdem consiliis sic in omne tempus adsistemus, communique voto in omnibus cum ea concurremus, ut Catholici principis officium nullum pretermissuri simus. Et felicissime valeat Vestra Sanctitas, Quam Deus Altissimus ad sui nominis laudem Christianeque reipublice conservationem longaevam conservet. Ex Regia nostra Wyndsore die xx. Decembris M.D.XXIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius
Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei
defensor ac Dominus Hiberniae
HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCXLVII.

Rex Scotiae pontifici, ut designatum episcopum Moraviensem confirmare, et abbatiam de Pasleto per eiusdem promotionem vacantem Ioanni Hamylton conferre velit. Ex orig. Litt. Principum Tom. I. fol. 181.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime Pater, humillima prostracione ad pedum oscula beatorum. Cum iamdudum vigilans admodum Moraviensis ecclesie Episcopus, cognomine Hepburne, hac mortali vita ad ultimum usque functus est, ut eiusdem ecclesie status non inferior videretur, de novo atque idoneo Vestre Sanctitati nominando curam gessimus non minimam, ut eidem V. Sanctitati illum commendaremus, quem de rei ecclesiastice cura quam optime mereri putamus. In illum tandem, qui annorum maturitate, vite exemplo, ac morum integritate alios longe antecedit, et quem tante cure Vestra preficeret Beatitudo, animum inclinavimus. Igitur de nobis et regni nostri republica benemeritum Venerabilem in Christo patrem Robertum Schawe, in cenobio de Pasleto Cluniacensis ordinis in diocesi Glasguensi multis iam annis Abbatem, ad Ep̄alem huius Moraviensis ecclesie dignitatem promoveri cupimus, cum omnibus exempcionum privilegiis, quibus vel novissime defunctus, vel alii Moravienses Episcopi gavisi sunt, et quod possit secundum illius ecclesie usum et consuetudinem divina celebrare. Caeterum cum nobis aliquando familiarior est futurus, cuius eciam consilio in nostris negociis usuri sumus, Vestram Beatitudinem quam possimus maxime rogatam facimus, illo cum eadem Vestra Beatitudo dispenset, vestem possit episcopalem, rochetam lineam albam induere, atque quolibet

illa incedere modo sui ordinis signum scapulare subtus togam prope deploidem gestet. Et quia nobis in animo est regni nostri proceribus, iis praesertim, qui nobis arcta sanguinis necessitudine devincti sunt, et ob regni nostri regimen vires expendunt, morem gerere, nosque gratos reddere, Iohannem Hamyltonn monachum ordinis Divi Benedicti, in monasterio de Kylwynnyng Glasguensis eciam diocesis professum, charissimi consanguinei nostri Iacobi Aranie Comitis filium naturalem, in Abbaciam de Pasleto per ipsius Roberti promocionem ad Episcopatum Moraviensem suffici desideramus. Verum quia annum adhuc agit decimum quartum, impediuntque natales, quia genitus ex consanguineo nostro extra maritale vinculum, et sine Vestre Sanctitatis beneficio huiusmodi Abbacia gaudere nequit, eidem Vestra Beatitudo et etatis et natalium obstacula dimoveat, et quia in prefatum consanguineum nostrum et Robertum antedictum propensiori sumus animo, et multo amoris affectu optamus vehementer, utrumque uno consistorio, hunc ad Episcopatum, Iohannem illum ad Abbaciam, Sanctitas Vestra promoveat, cui longissimos dies summamque felicitatem ab eterno precamur. Ex castro nostro Edinburgensi tercio Idus Ianuarias Anno salutis nostre millesimo quingentesimmo vigesimoquarto.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
IACOBUS R.

DCCCCXLVIII.

Cum cardinali Eboracensi pontifex conqueritur de revocatione regii oratoris, eique significat se per eundem rosam benedictam regi traditurum. Brev. Tom. 44. fol. 220.

Dilecto filio nostro ... Cardinali Eboracensi.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili noster, salut. etc. Ad eam benevolentiam animorumque coniunctionem inter nos in minoribus existentem et Circumspectionem tuam multis et iustis rationibus, tuisque praesertim erga nos officiis constitutam, auctamque potius hac nostra dignitate, quam diminutam, non parum adiecit sua sedulitate atque officio dilectus filius Thomas Annibalis Regius Orator. Siquidem toto ex tempore, quo legationis munere functus est, nihil omisit, quod ad confirmandum erga istum inclytum Regem observantiam, erga te vero benevolentiam nostram pertineret. Egit fide, egit prudentia, egitque industria, ut Nos, qui antea eius Maiestati tuaeque Circumspectioni plurimum debebamus, deinceps tanto plus deberemus, quanto illius erga Nos, vestro quidem iussu, praestita, verum non mediocriter eius solertia atque animi promptitudine exornata officia promerebantur. Atque hoc quidem ille ipse tantum una cum caeteris Oratoribus regiis ad promovendum hanc dignitatem nostram, quam Dei munere sumus adepti, pie ardenterque laboravit, annexus est, ut quum ad veterem nostri animi nexum erga vos nihil addi posse putaremus, magnum eiusdem Thomae opera ac diligentia cumulum adiectum esse sentiamus. Quem nos quidem cum ob virtutes plurimas diligamus, etiam eo pronius ac libentius diligimus, quod tuae Circumspectioni charum et probatum, tibique deditissimum agnovimus. Est enim nostri officii, quum tot et tanta a Circumspectione tua beneficia olim receperimus, non eam solum, sed eius causa omnes illi addictos peculiari amore propriaque benevolentia complecti. Quo magis dolemus nuper ipsum Thomam statim post assumptionem nostram ab ista Maiestate ad se fuisse revocatum, quem sicut in dignitate hac nostra vestro nomine iuvanda laboris et sollicitudinis, ita gaudii et iucunditatis participem esse decebat. Quare ac ne etiam vir corpore et iam annis gravis itinerum incommodis per hyemem se committere, eum quamquam parendi et ad vos veniendi cupidum, iamque ad iter accinctum, sumpta de vobis fiducia, usque in vernum tempus proximum retinuimus. Quem quidem vere proximo, ne sine aliquo nostri amoris pignore veniat, eum cum Rosa aurea isti Regi dono mittere decrevimus, ad vos cum benedictione nostra dimittemus. Interim has ad Circumspectionem tuam, atque alias ad istam Maiestatem super hoc litteras dare voluimus, tum ut moram hanc dicti Thomae apud nos bimestrem nobis tribui et condonari peteremus, tum ut gratularemur tibi, quod talis viri patrocinio delecteris, gratiasque ageremus, quod frui nos talibus permiseris. Datum Romae etc. die XX. Ianuarii M.D.XXIIII. Pontificatus nostri anno primo.

DCCCCXLIX.

Cardinali Eboracensi pontifex munus legati a latere confirmat. Brev. Tom. 44. fol. 1799.

Dilecto filio nostro ... Cardinali Eboracensi.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili noster, salut. etc. Ut Circumspectionis tuae, quod semper optavimus, et optabimus, voluntati et dignitati satisfaceremus, tuam legationem quanquam rem gravem, et multorum commodis, ut notum est, adversam, tamen superantibus apud Nos omnes rationes tuis meritis, cum Dei nomine confirmavimus. Addidimus etiam nova quaedam, progressique sumus qui maxime perdecorum potuimus: verum id fortasse alii magnum et amplum, Nos parvum et tenue tuisque meritis valde inferius existimamus. Nam cum tu in hanc Sedem publice, in Nos autem constitutos in minoribus, ac fel. record. Leonem X., predecessorem et secundum carnem patruelem nostrum, privatim plurima et maxima beneficia tua pietate et actionibus contuleris, nunquam ab eadem Sede ac Nobis tantum gratitudinis emanare poterit, quin plus debiti apud Nos ipsos remaneat. Quos tu certe tuis amore et benevolentia semper complexus es, et nunc ut ii, qui sumus, essemus, omni ope atque opera affuisti, atque te quidem in personam et dignitatem nostram semper ornandam tua perpetua voluntas maximum Nobis onus iure imponit gratificandi tibi. Illa autem in hanc Sedem publica multo maius, et eo quidem amplius, quo pia mundanis, publica privatis antecellunt. Tu enim, cum summam tibi ac meritam auctoritatem apud istum inclytum Regem Deus esse voluisset, eam omnem ad huius Sanctae Sedis commoda atque honores sem-

per traduxisti: ita ut nullus plus in eius dignitatem ac decorem, cum omnes percurrimus, te uno contulerit. Itaque pro magnitudine tuorum meritorum cogimur magnitudinem muneris nostri attenuare, cum difficile Nobis videatur, virtutes innumeras, quibus te Altissimus decoravit, et beneficia maxima, quibus Nos prosecutus es, digna satis retributione posse complecti. Nos certe in omnibus commodis et honoribus tuis ea promptitudine abundabimus, quam eximia auctoritas, insignis pietas multiplexque virtus tua promerentur. Praeterea cum pro rerum et temporum qualitate ea Nobis venirent in mentem, quae salutem universalem, communemque nostram et istius Regis dignitatem respicerent, ea cum Oratoribus hic regiis communicavimus, uti ad vos praescriberentur. Quae et ex eorum litteris, et ex dilecti filii Melchioris Langhi nuper a Nobis ad vos missi sermone cognosces. Optamus ea esse Circumspectionis tuae in hac re consilia, quae semper in rebus omnibus fuerunt, hoc est pia et salutaria. Illamque sibi persuadere Nos erga dignitatem istius Regis ita animatos esse, ac semper fore, sicut praestantia erga Nos et hanc Sanctam Sedem eius merita expostulant. Dat. Romae etc. die XXI. Ianuarii M.D.XXIIII. Pont. n. anno primo.

DCCCCL.

Rex Angliae pontifici de amantissimis litteris de rebus Italiae sibi datis grates reddit, spondetque ipsi hoc in negotio omnino praesto fore. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Etsi paternum Vestrae Sanctitatis erga nos animum voluntatemque fidelissimo affectu undique refertam iampridem aperte cognoverimus, eam tamen constantissime ab ipsa servari, ut videmus, sic maximum in modum laetamur: nulla etenim in re, nullisve quantumlibet magnis officiis expectationi, desiderio votisque nostris poterat cumulatius respondere, quam prudentissimo suo singularissimique studii pleno brevi XXIII. die Februarii ad nos dato fecerit, atque id omni ex parte prestitit, quod ab indulgentissimo patre ullo iure obsequentissimus filius expectare poterat: rerum quippe presentium non solum statum, ac modum, bellique gerendi summa nobis exactissime perscripsit, sed quid communi negocio expediat obsitque, sincere simul ac ingenue nos admonens, suorum consiliorum suique animi participes reddidit, usque adeo ut ob ingentem hanc dilectionem gratias Vestrae Sanctitati maximas habeamus, et maiores quam his litteris possemus explicare, ipsi debeamus. Nil namque optatius nobis nunciari potuit, tum ob inveterati sui erga nos amoris uberem significationem, tum vero quod verissime declaravit quo in statu res italicae versentur, quidque de ipsis sperandum nobis sit, nec patiatur pro innata sua probitate nos ignorare, quantum adiumenti vel subsidii in communi pertractando incepto queamus de Italiae populi nobis polliceri, nolitque amplissimis verbis conceptae opinioni neutiquam responsuris nos imposterum enutriri, seu mellitis duntaxat demulceri fallique expectationibus. Quod deinde Cesareae Maiestatis et nostri oratores apud V. Sanctitatem pro se declaranda institerint, nostris tunc rebus sic exposcentibus accommodatissimum existimavimus; nunc vero advertentes eandem Vestram Sanctitatem longe aliter sentire, conducibiliusque esse, si communis omnium parentis personam induat, neutralemque se prebeat, ne declarationis forsan nomine absque ullo nostro fructus hostes communes gravius exasperet, et ab aequitate ac iustitia efficiat, quam nunc sint, alieniores, videaturque officii suaeque pastoralis dignitatis penitus oblita. Nos quoque his singulisque aliis prope trutinatis, prudentissimum istud consilium laudandum summopere censuimus, presertim quum cetera omnia coniunctissimi animi officia promiserit adfutura, arbitreturque, si se nunc declarare distulerit, posse decentius in omnem eventum ac temporum exigentiam integram suam authoritatem commodis ac votis nostris accommodare, hostiumque ambitionem in ordinem facilius redigere: hac propterea in re eius prudentiae et acerrimo iudicio nos remittimus, compertissimam certissimumque habentes, in sua erga nos comprobata benevolentia, animique et cordis integritate eandem Vestram Sanctitatem permansuram, nec minori studio, ardore atque auxilio, quam hactenus, communibus rebus fauturam esse: quod ut sedulo faciat, ac quicquid nostris, immo totius Christianitatis rebus expedire iudicaverit, totis viribus amplecti, divinaque sua prudentia curare non gravetur, quam enixe possumus, rogamus, sibique omnino persuasum habeat cogitatus, actiones, opes, regnum ipsumque nostrum sanguinem (si opus fuerit) suae apostolicaeque Sedis dignitati, splendori et conservationi esse vicissim paratissimum. Ad alia postremo, quae Vestra Sanctitas suo brevi, ac per nostros oratores, Dñumque Melchiorem Langum nuper nobis significavit, per dictos nostros oratores ipsi copiose impresentia respondemus, nostram mentem nostrumque pectus apertissime declaramus: eis igitur certissimam plenissimamque fidem V. Beatitudo habere dignabitur. Quae felicissime ac diutissime valeat. Ex Regia nostra Grenwici die XXV. Marcii M.D.XXIIII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia
Rex Angliae et Franciae, fidei defensor
ac Dominus Hiberniae
HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCLI.

Cardinalis Eboracensis promptissimum regis Angliae res Italiae adiuvandi componendique animum significat. Ex originali. Litt. Principum Tom. 1. fol. 181.

Sanctmo benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime Pater, deosculatis sanctissimis Vestrae Beatitudinis pedibus, et humillima commendatione praemissa. Quotiens Dominus Melchior Langus, Vestrae Sanctitatis Camerarius, de cuius erga me benevolentia praeclarissimaque voluntate mecum

loquitur, etsi nil novi nilque recentis eum narrare sciam, iucundissimus tamen huiuscemodi sermo mihi semper est, ex quo ad mese erga Sanctitatem V. observantiae et antiquae obligationis vinculum tanto magis in dies accedit, quanto impensius in me amando ipsam perstare animadverto. Cum itaque nec eiusdem Vestrae Sanctitatis maximis in me collatis beneficiis in augenda, nec ipsimet mihi in meditanda cogitandave gratia ulla in parte satisfacere queam, omni studio, devotione, gratissimo addictissimoque corde eam semper observabo, adnitarque, ut summa ista amoris et benevolentiae officia in devinctissimum suum ministrum collocasse se haud obscure percipiat. Perlecto deinde V. Sanctitatis brevi xxııı. die Februarii ad me dato, ac his, quae ad Serenissimum Dñum meum Regem copiose perscripsit, probe intellectis, ingenti animi exultatione percepi, quam libere et sincere nobiscum agat, quantoque opere utrique nostrum fidat, quae profecto sibi compertissimum habere potest, Regiam hanc Maiestatem esse corde et animo in se vicissim constantissimo, ad quod amicissimi sui animi institutum nunc potissimum accessum est, quod palam constat, Vestram Sanctitatem in communibus pertractandis negotiis consilia, cogitationesque suas fidentissime apertissimeque nobiscum conferre, quibus perpendendis sic ingenii vires adhibebimus, ut nonnisi bonus aliquis rerum eventus expectandus sit. Sed maxime dolendum est, gravissima undique pericula universae Italiae, totique Christianitati impendere, ad eaque propulsanda vires isthic omnium esse ferme attritas et absumptas, quae profecto gerendi belli ratio, quamvis ardua atque difficilis videatur, posteaquam tamen eo ventum est, ut totius rei summa quodammodo in procinctu appareat, et ad Italiae statum communemque concordiam stabiliendam, nonnullorumque ambitionem reprimendam paululum adhuc supersit, eadem Serñia Regia Maiestas certissime confidit, Vestram Beatitudinem ex innata sua prudentia summaque dexteritate curaturam esse, ut isti Italiae populi (quorum res imprimis agitur) ad necessarios belli sumptus sustinendos nonnihil etiam contribuant, quorum nempe inclinationem cognovisse, rerumque omnium summam, statum negotiique gerendi rationem intellexisse, supra quam dici potest, huic Regiae Maiestati optatissimum extitit, quo fit, ut rebus suis posthac sit cautius prospectura, non ignorans, quantum in omnem eventum de Italiae viribus sibi queat polliceri. Quod porro ad declarationem attinet, quia dicta V. Sanctitas rem totam, ut se habet, exploratissimam tenet, pressiusque ac perspicacius praesens cuncta cernit, eius super hoc sententiam et iudicium Serñus Dominus meus Rex ob causas, quas ipsa prudentissime adduxit, magnopere probat, divinaeque eius sapientiae declarationem hanc fidentissime committit, nihil ambigens, quin dicta V. Sanctitas omnia effectura praestituraque sit, quae ipsius fides et observantia postulat, et quae suae ac Caesareae Maiestatis rebus conducibilia visa fuerint. Super his deinde, in quibus consultandis V. Beatitudo suam mentem indicavit, nostrum consilium, et quid facto opus esse iudicemus, sollicite exquirens, maturam deliberationem habuimus singulisque accurate libratis, quae nostra sit sententia atque consilium, ad Regios Oratores V. Sanctitati latissime exponendum secretioribus notis impraesentia perscribo, quibus plenam certissimamque in omnibus fidem habere dignabitur, cui ergo me etiam atque etiam humillime commendo. Londini die xxvı. Martii M.D.XXIIII.

E. V. S(anctita)tis

Humillima ac devotissima creatura
T. Cardinalis Eboracensis.

DCCCCLII.

Gubernator Scotiae pontifici, ut David Betonis, archiepi S. Andreae ex fratre nepoti, vacantem abbatiam de Abirbrothoc conferre velit. Ex orig.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Sanctme Pater, Post humillima ad pedes oscula obsequium. Cum monasterio de Abirbroth(oc) ordinis Cluniacensis, per resignationem Reverendissimi in Christo patris Iacobi Archiepiscopi Sancti Andree vacanti, honestum virum Magistrum David Betonn, ipsius archipresulis ex fratre nepotem, benignitate vestra preficiendum nostris litteris et commendationibus humillimis nominavimus: Ipse autem archipresul, huius Regni cancellarius et primas, nobis et toti huis Regno suis prudentia et consilio, quibus egregie floret, plurimum subveniens gratissimus est pariter, et prefatus promovendus eius nepos, multociens apud Reges Christianissimum, Catholicum et Anglum oratoris officio moderatissime fungens legatus, non tam gravia pericula perpessus, verum ingentem pecuniam nostro intuitu exposuit, quibus aliisque plurimis non modicis in nos collatis obsequiis plurimum (se) devictum reddidit, et ab utroque instanter requisiti, provisionem super predicto monasterio de Abirbroth nostris impensis expediri promisimus. Quocirca Beatitudinem Vestram rogamus humillimeque obsecramur, quatinus predictam provisionem et Bullas apostolicas prefato Magistro Davidi hiis nostris votis gratis, et absque quavis pecunie exactione ab alio quam a nobis impendenda Sanctitas Vestra sua benignissima humanitate expediri mandet et curet, quo rem gratissimam nobis efficiet, obsequiumque nostrum eidem deditissimum perpetuo reddet, que ad felicissimum Catholice Ecclesie moderamen diutissime valeat. Edinburgi nono Calendarum (sic) Maiarum (1524).

E. S. V.

Humillimus, devotissimus et obedientissimus filius
Illmi Scotorum Regis tutor et regni moderator
Jehann.

DCCCCLIII.

Rex Angliae pontifici grates reddit de archiepo Capuano nuntio apostolico sibi misso. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, ac devotissima pedum oscula beatorum. Nobiscum nuper fuit Reverendus in Christo frater Ni-

colaus Scombergus Archiepiscopus Capuanus, quem non alio excepimus animo, quam si germanus nobis extitisset, tum quod inveteratus est amicus, rerumque nostrarum omnium studiosissimus, tum vero quod incredibili nostra cum voluptate eum esse percipimus, quem ob ingenitam illi in gravissimis quibusque pertractandis rebus prudentiam, summam fidem, singularemque industriam non minori adiunctam probitati, intimum sibi a consiliis, actionibus, cogitationibusque merito V. Sanctitas elegerit, tantaque dexteritate ac modestia, quae in mandatis habebat, et quae suae fidei commissa erant, nobis exposuit, ut virum hunc ad ardua quaeque gerenda duntaxat natum fore existimaverimus: accurate itaque loquentem illum audivimus, cum V. Sanctitate nos loqui arbitrati, totumque nostrum animum attentasque aures (ut christianum principem decet) illi accommodavimus, cuius nobis expositas rationes, sedulasque suasiones, atque optimum imprimis Vestrae Beatitudinis desyderium, et boni pastoris studium, postquam omni ex parte probe trutinavissemus, de his omnibus uberrime et liberrime cum eo sumus colloquuti, sincerumque nostrum pectus consiliorumque nostrorum rationes illi ingenue patefecimus, et ad singula responsum dedimus, Christianae reipublicae salutare, Vre. Sanctitati gratum, catholico Rege dignum (ut confidimus) futurum: id quod diligenter ac fideliter ab eodem fratre Nicolao sibi expositum iri non ambigimus, in quam etiam sententiam ex nostro isthic oratore, cui plenissimam semper fidem haberi precamur, V. Sanctitas nonnulla percipiet. Quae felicissime, ac diutissime semper valeat. Ex Regia nostra Grenwici die xxii. Maii m.d.xxiiii.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Franciae et Angliae, fidei defensor ac Dñus Hiberniae

Henricus.

Petrus Vannes.

DCCCCLIV.

Rex Scotiae pontifici, ne episcopatum Rossensem pensionibus in favorem religiosorum gravare velit, easque tollat. Ex orig. Litt. Princip. Tom. VII. fol. 265.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime pater, humilimam prosternacionem ad pedum oscula beatorum. Quum paulo antehac Robertus, tunc Rossensis Episcopus, Legatione nostra ad avunculum nostrum Anglorum Regem fungeretur, bulle Sanctitatis Vestre de ipsius ad Dunkeldensem Sedem translatione huc illate fuerunt, tumque fama increbuit, de qua et alteras ad Sanctitatem V. litteras dedimus, Eandem de Dunkeldensis ecclesie fructibus pensiones aliquot disposuisse, unam cuidam Iacobo Creichton, Predicatorum ordinem professo, cuius rei novitas adeo omnium animos detinet, ut vix credibile sit, quam indigne ferant Dunkeldensem Sedem hominibus nobis et Regno nostro parum commodis, et illi presertim, quem relligionis sue professio inhabilem reddit, vectigalem fieri: verum nos, qui nichil de Vestre Sanctitatis in re ecclesiastica potestate ambigimus, quin hec et multo maiora facere possit, pensiones istas tolli, non tam hortatur ipsius Roberti de nobis semel atque iterum optime meriti condicio facta deterior, quam imminens contenende relligionis occasio. Si hec ab apostolico culmine claustrorum desertoribus impetrare liceat, quod malum, si paulatim ex Sanctitatis Vestre indulgentia hac tumultuantis rei cristiane tempestate in Regno nostro irrepserit, futurum esse timemus, ne procliviores hominum animi in peiora deficiant, tum iam pro comperto habent relligiosos viros spretis maiorum monitis Romam convolare, atque istic studii et discipline speciem sibi pretexentes cum beneficiorum aucupio nunc recenter ab huiusce ordinis hominibus adinvento inter laicos versari. Tanta est enim apud nostros Predicatorum servande relligionis severitas, tanta strictioris vite austeritas, et ut cum beneficiorum crustulis alantur, tam inaudita raritas, ut nusquam sibi persuasum habere possint, veros iureiurando paupertati astrictos contra regulare institutum, ubi aliud ipsorum merita non exigunt, posse beneficiorum proventibus locupletari. Etenim nisi auspicatissima Vestre Sanctitatis providencia in divina vinea vepriculas istas iam tenero a radice scatentes resciverit, brevi erit hanc omnem auctoritatem contemptui haberi. Ideo hec nos deprecari hortantur relligionis amor, et Cristo fides semper devotissima, quamobrem Sanctitatem Vestram pro sue pietatis officio precamur, Dunkeldensem Sedem ab exolvendis, quot alligata est, pensionibus liberam reddat, et invalescentes in Regno nostro novitates tollat radicibus, Nosque licet orbis situ inter cristianos principes ultima tenentes, ad propulsandum tamen omnem catholice fidei prevaricationem inter primos Vestra spectabit Sanctitas, que cum summo bonorum omnium incremento valeat felicissima. Ex regia nostre Edinburgensi decimoquinto die mensis Septembris Anno ab Incarnato Cristo quingentesimo vigesimoquarto supra millesimum.

E(iusdem) V(estrae) S(anctitatis)

Devotus filius Scotorum Rex

Iacobus R.

DCCCCLV.

Idem rex pontificem de regno adepto certiorem reddit, petitque, ne ducis Albaniae propositionibus circa dignitatum ecclesiasticarum collationem amplius indulgeat. Ex orig. Litt. Princip. Tom. I. fol. 265.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime pater, Devotissima ad pedes oscula. Arbitramur Vestram Sanctitatem iampridem intellexisse, quemadmodum in Regni nostri gubernium atque administrationem, Ducis Albanie iugo, quo nostra teneris etas diu premebatur, tandem excusso, erecti sumus, in eoque universalis parliamenti statuto omniumque nobilium procerum ac subditorum nostrorum constantissimo assensu confirmati, quam nostram ad regie dignitatis culmen exaltationem curantibus regni primoribus cum fidissimis consiliariis, et Carissimus nobis frater et avunculus Henricus Anglie Rex Serenissimus potentissimus prudentissimo suo consilio simul et auxilio iuvavit, ut plane ob

sincerissimum eius erga nos animum fraterne voluntatis benignissimique parentis significationem, dum status noster componeretur, Serenissima sua Maiestas nos sibi plurimum devinctos reddiderit. Nunc vero ob nostram predecessorumque nostrorum in Sanctam Romanam Ecclesiam antiquam observanciam, dictique Serenissimi nostri avunculi intuitu proculdubio speramus Vestram Beatitudinem pro nostrarum rerum stabilimento et conservacione esse nobis ex corde affuturam. Dum itaque una cum fidelissimis consiliariis nostris Status nostri summam perpenderemus, extemplo cognominis bella, hostilitatem, inimicicias, odium, simultates intestinasque seditiones in nostrum gravissimum dispendium fuisse dicti Albanie Ducis culpa, arte, industria atque perfidia regno subditisque nostris illatas, que ingenia mala, quum ex hac potissimum occasione exorta fuerint, quod prefatus Dux eos omnes spiritualibus regni nostri promocionibus sibi conciliavit, quos suarum insidiarum putavit aptissimos complices futuros: huic nos propterea malo ceterisque belli fomentis quoad possumus occurrere, pacique omnia adversancia ex toto amovere decrevimus. Proinde Sanctitatem Vestram reverentissime precamur, ut Archiepiscopatus, Episcopatus ac cetera omnia sacerdocia, spiritualesque promociones, que nunc in hoc regno vacant, imposterumque vacare contigerint, dignetur iuxta concessa Scotis regibus ab ista apostolica Sede privilegia hactenus observata nostras ad octo menses expectare nominacionis litteras, et hiis conferre beneficia, quos Beatitudini Vestre sumus commendaturi, nec ullam amplius dicti Ducis commendacionem, quem a consiliariorum nostrorum cetu omnino abegimus, pro quaquam admittere velit: facile nempe res nostre quotidie in melius coalescent, si fideles nostos subditos meritis beneficiis decorandi nobisque conciliandi affuerit facultas. Vestram igitur Sanctitatem iterum atque iterum impense rogamus, ut huic nostro desiderio iusteque peticioni satisfacere non gravetur, quo nomine, etsi non ambigamus, quin eidem Serenissimo nostro fratri et avunculo sit maxime gratificatura, sic tamen nos semper erga Beatitudinem Vestram apostolicamque Sedem geremus, ut gratitudinem, fidem observanciamque nostram integerrimam sit in rebus omnibus ipso semper agnitura, que ad felicissimum dominici gregis et rei cristiane moderamen diu prosperrime valeat. Ex Edinburgo quinto die mensis Octobris Anno gracie millesimo quingentesimo vigesimoquarto.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae)

humilis, obediens et devotus filius Scotorum Rex

James R.

DCCCCLVI.

Rex Angliae commendat pontifici Ioannem Cavalcantem Florentinum. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementiñoque Dño nostro Papo.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Quamvis sepe antea ex animo Vestre Beatitudini commendaverimus dilectum ac fidelem servitorem nostrum Ioannem Cavalcantem, civem Florentinum, rogaverimusque, ut in precipuam nostram gratiam in eius rebus omnibus suo favore, patrocinio atque authoritate illi adesse dignaretur: quoniam tamen ob complura erga nos officia praefatum Ioannem summopere diligimus, inter caroseque habemus, sumus ei, quotiens datur occasio, iustis in rebus adfuturi. Quum itaque quaedam negocia istic habeat, in quibus peragendis Vestra Sanctitas maximo usui esse potest, voluimus his nostris litteris eundem servitorem nostrum ipsi denuo commendare, idque eo libentius facimus, quod eum et fidelem et nobis inserviendi cupidissimum semper perspeximus. Vestram idcirco Beatitudinem impense oramus, quod illi velit in omnibus occurrentiis sic nostro intuitu favere atque adsistere, ut persentiat nostrum amorem ac benevolentiam re quapiam sibi plurimum profuisse. Quicquid vero benignitatis Vestra Sanctitas in eum contulerit, gratissimo libentissimoque animo nos accepturi sumus. Et felicissime ac diutissime ipsa valeat. Ex Regia nostra apud Dunstable die VI. Octobris M.D.XXIIII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hibernie

Henricus.

Petrus Vannes.

DCCCCLVII.

Idem rex pontifici grates reddit de indulgentiis sibi ac coniugi suae impertitis, de facultate cardinali Eboracensi data quaedam monasteria supprimendi, et collegio Oxoniensi ab ipso cardinali erecto adnectendi. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementiñoque Dño nostro Pepe.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Adeo singulare est Vestre Beatitudinis erga nos studium, ut quamvis innumera eademque preclarissima sui erga nos paterni affectus indicia semper extiterint, nullum tamen de nobis optime merendi modum sibi esse velit, id quod Reverendus Dominus Bathoniensis, noster isthic orator, quibusque suis litteris haud ignorare nos patitur: uberrime namque perscribit, quam gratus carusque ipse Vestre Beatitudini sit, quantaque aviditate omnem illa de nobis sermonem amplectatur, summa cordis synceritate et promptitudine cuncta effectura, quae vel nobis grata esse, vel rebus nostris perspicit ullo modo expedire: istam profecto egregiam voluntatem non in fluxibilibus momentaneisque dumtaxat rebus, verum etiam in his, in quibus de aeterna gloria, nostraeque animae salute imprimiss gitur, accurate a Vestra Sanctitate prestari, novissimum eius ad nos Breve lucidissime testatur, in quo nobis Serenissimaeque Consorti nostrae devotionis gratia peregre proficiscentibus plenariam remissionem benignissime elargitur. Ob istam itaque immensam liberalitatem, paremque amantissimi pectoris significationem Sanctitati Vestre quam maximas possumus gratias agimus, quibus illa ex parte referendis, licet vires nostras

impares esse cognoscamus, eas tamen filiali animo cordatissimoque studio in omne tempus adaequare conabimur. Nobis preterea retulit noster omnium intimus fidelissimusque consiliarius Reverendissimus Dominus Eboracensis, quam ex animo Vestra Sanctitas suam legationem indies decentius liberaliusque adaugeat, nilque prorsus omittat, quod ad eum exornandum spectare existimaverit, in tantaeque propensionis haud obscurum argumentum, facultatem quaedam supprimendi monasteria, easque Collegio, quod prestantissimis dicatum studiis nunc extruit Oxonie, auctoritate apostolica adnectendi concessit: quae Vestre Sanctitatis beneficentia, quoniam in commune bonarum disciplinarum commodum et augumentum haud dubie cessura est, non nisi summopere grata et accepta nobis contigit, eo nomine Vestre Beatitudini nos plurimum debere fatemur, vehementissime laetamur ab ipsa quoque virum hunc, quem a consiliis cogitationibusque nostris primarium unice nobis amandum delegimus, pari benignitate et amore complecti, ex cuius incremento nobis totique nostro Regno splendoris, gloriae, decorisque quam multum semper accedi iudicamus: quaecumque igitur beneficia, seu dignitatem Vestra Sanctitas in eum contulerit, non alio animo, quam si in nos extarent collata, accipiemus. Cetera porro, quae gravissimi momenti impresentia occurrant, ad eundem nostrum Oratorem Vestre Sanctitati nostro nomine sigillatim exponenda perscribimus: eam idcirco summopere rogamus, ut ipsam fidem, quam loquentibus nobis haberet, illi prestare dignetur. Et felicissime ac diutissime valeat Ex Regia nostra apud Anteyll die x. Octobris M.D.XXIIII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCLVIII.

Cardinalis Eboracensis pontifici de sacro rosae munere regi transmisso grates reddit. Ex orig. Litt. Princip. Tom. I. fol. 300.

Sanctmo benignissimoque Dno nostro Pape.

Beatissime Pater, deosculatis sanctissimis Vestrae Beatitudinis pedibus, et humillima Commendatione premissa. Non facile a quoquam exprimi posse arbitror, quantum laetitie Serenissimus Dnus meus Rex conceperit, quantumque splendoris, et glorie sibi universoque suo Regno accessum putet, ex sacratissime preciosissimeque Rosae a V. Beatitudine misso munere, quod publico gaudio inaestimabilique pompa sic excepit, ut promptissimum fuerit agnoscere, que sit Vestrae Beatitudinis in suam Maiestatem benevolentia, filialeque vicissim ipsius in sanctam Romanam Ecclesiam studium et observantia, ad cuius cumulum, quantum fieri potuit, ex hoc preclarissimo dono tantundem est additum, in quo exhibendo Reverendus Dnus Hannibal ea oratione est usus, que benignissimum V. Sanctitatis animum haud obscure indicaret, longeque ampliora ac magnificentiora de me disseruit, quam vel promeritum me sciam, vel aliqua ex parte V. Beatitudinis de me iudicio, concepteque opinioni nisi fide ac devotione unquam possim satisfacere: dictus namque Dns Hannibal pluribus testatus est, V. Sanctitatem ex ingenti suo affectu non optimi fratris loco duntaxat me habere, verum etiam quodam modo in sue sublimitatis pontificiique muneris Collegam me censere: hac ego insigni laude quanto in dies me fateor indigniorem, tanto ardentius adnitar, ut fidelissimi devotissimique servuli officia omni ex parte prestem: quod si ulla in re ministerium meum sibi usui esse posse putaverit, maximi benefitii loco existimabo, ut opera meque toto fidentissime utatur, nullique labori, periculo, nec ipso sanguini unquam parcam, ut eius desideriis atque mandatis semper inserviam. Cui interim me etiam ac etiam humillime commendo. Londini die XXI. Octobris M.D.XXIIII.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Humillimus ac devotissimus servitor

T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCLIX.

Idem cardinalis pontifici grates reddit de brevi in negotio fratrum ord. Minorum de observantia, et facultate quaedam monasteria in commodum collegii Oxoniensis nuper a se fundati supprimendi transmissis. Ex orig. Litt. Princip. Tom. III. fol. 319.

Sanctmo benignissimoque Dno nostro Pape.

Beatissime Pater, deosculatis sanctissimis Vestre Beatitudinis pedibus humillimaque commendatione premissa. Quantum de V. Sanctitatis in me animo queam mihi polliceri, innumeris beneficentie indiciis ipsa semper locupletissime declarat, nec patitur ob genuinam suam erga me affectionem quicquam diu a me desiderari, quod ex dignitate, honore, commodo incrementoque meo esse percipit, gloriosius pulchriusque existimans arctiori indies vinculo me sibi adstringere, veteribusque beneficiis nova accumulare, quam collatorum gratiam ullam expectare: quod profecto benignissimum suum institutum nunc maxime comprobavit in bulla, qua super negocio fratrum Minorum de observantia ad me misit, in quam sententiam queque mee Legationis partes debeant interpraetari, ne in controversiam posthac cuiusquam astutia adduci queant, aperte declarans: hac ego bulla (sicuti V. Sanctitas iubet) tanto moderamine ac discretione in cunctis utar, ut nullus rancor nullaque prorsus immurmuratio ad eius aures possit ex ista occasione deferri, nilque geram, quod in nostrae religionis ornamentum et gloriam, Romane Ecclesie dignitatem, summamque V. Sanctitatis laudem haud dubie redundaturum non videatur, usque adeo ut eam gavissuram sperem, hanc suam authoritatem mihi concessisse. Gratissima deinde mihi est a V. Sanctitate mihi indulta facultas, nonnulla Monasteria trium millium ducatorum summam in annuo valore non excedentia supprimendi, eaque meo Oxoniensi Collegio perpetuo adiungendi: quod profecto cum in bonorum sacrorumque studiorum commodum, catholice professionis conservationem, nostreque fidei propagationem manifeste cessu-

rum a me construatur, preter gratiam, quam Serm̃a hec Regia Maiestas universumque suum Regnum eidem V. Sanctitati perpetuo debebit, ex hoc quoque tam bono opere aeternam gloriam, uberrimamque mercedem in coelis sibi comparabit, totiusque fructus particeps ac author ipsa aestimabitur: qua ex re, si quid ad mee servitutis vinculum addi potuit, fateor ex devinctissimo iterum atque iterum devinctiorem adstrictioremque me illi esse factum, et quum referendi gratiam ingenti V. Sanctitatis munere, ac liberalitate sit omnis via mihi preclusa, non deero animo, corde atque observantia eam illi perpetuo habere, devotissimumque suum servulum me in omni actione comprobare. Cetera vero, que mihi impresentia occurrunt, ex Reverendo Dño Bathoniensi V. Beatitudo uberrime intelliget, cui ut in omnibus perinde ac mihi certissimam fidem prestare dignetur, humillime obsecro, ipsique reverentissime me commendo. Londini die XXI. Octobris M.D.XXIIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Humillimus ac devotissimus servitor

T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCLX.

Rex Angliae pontifici supplicat, ut Laurentium card. Campegium ad episcopatum Saresburiensem vacantem promoveat. Ex orig Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementiñoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, ac devotissima pedum oscula beatorum. Ab initio statim nostrae cum Revm̃o Dño L. Cardinale Campegio contractae amicitiae tam singulari probitate, ingenti eruditione, pari modestia animique integritate ac prudentia non minori eum decoratum esse perspeximus, ut dignissimus sane nobis fuerit visus, quem amaremus ex corde: istam vero benevolam nostram erga se voluntatem quibuscumque potuit officiis, compluribusque de nobis optime merendi indiciis sic semper ipse adauxit et conservavit, ut suae dignitatis, commodi atque incrementi nos vicissim quam maxime studiosos reddiderit. Hunc itaque virum, quem V. Beatitudini suis virtutibus merito gratissimum fore sciebamus, ubi in nostrum Regnique nostri protectorem elegissemus, quanto illum affectu complecteremur, rebus ipsis quandoque declarandi occasionem omnem avide exspectavimus, quam nunc oblatam, huicque nostro voto satisfactum esse mirifice laetamur. Proinde quum Saresburiensis Episcopatus per obitum Rñdi in Christo patris Dñi Edmundi eius ultimi Ep̃i in hoc nostro Regno vacet, Reverendissimumque Dñum Cardinalem Campegium dignum existimemus, cui illius cura et onus demandetur: V. Sanctitatem rogamus, ut ad hunc Saresburiensem Ep̃atum vacantem suoque pastore orbatum velit prefatum Dñum Campegium evehere ac promovere, quod nobis gratissimum optatissimumque extabit, speramusque illum dicto Episcopatui non mediocri solacio fructuique futurum, ac in eo administrando rem Deo acceptam, nostraeque expectationique consonam haud dubie prestiturum esse. Et felicissime ac diutissime valeat Vestra Sanctitas. Ex Regia nostra Grenwici die prima Novembris M.D.XIIII.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentĩus filius Dei gratia
Rex Anglie et Francie, fidei defensor,
ac dominus Hibernie

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCLXI.

Cardinalis Eboracensis pontifici regem Angliae provisionem de cardinali Campegio ad ecclesiam Saresburiensem admisisse significat. Ex originali Litt. Princip. Tom. I. fol. 353.

Sanctm̃o benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime Pater, deosculatis sanctissimis Vestrae Beatitudinis pedibus et humillima commendatione praemissa. Binis suis ornatissimis brevibus Rm̃um Dñum Cardinalem Campegium pulchra virtutum ac meritorum commemoratione Serm̃o Dño meo Regi, et mihi, quam potuit, studiosissime V. Sanctitas nuper commendavit, rogavitque, ut ex Saresburiensi nunc vacante Episcopatu illius dignitas ac fortunae plurimum augerentur; que profecto accurata commendatio extitit acceptior, quam his litteris facile possit exprimi, ob id presertim, quod clarissimo hoc V. Beatitudinis testimonio eum virum utrique nostrum ex se carissimum, ab ipsa quoque vehementer amari persensimus. Licetque Invictissima haec Regia Maiestas partim ob morum integritatem, vitae candorem excellentissimasque animi dotes, partim vero ob studium ac fidem, quam suis rebus omnibus in eo semper singularem est experta, Saresburiensem hanc ecclesiam Rm̃o Domino Campegio, qui in arduo Lutheri negocio strenue versatur, ac de universa Christi religione quam optime meretur, conferre decrevisset, nec hec sua voluntas ab universa Saresburiensi diocesi, omnique ferme Regni clero assiduis precibus, summisque adnitente rationibus, asserente quoque huius Episcopatus quieti ac solacio pessime consultum iri, si Cardinali et extero et absenti illius cura crederetur, neutiquam potuerit immutari: non desii tamen in hac occasione meum in praefatum Rm̃um Dñum Campegium sincerissimum affectum, cupidissimamque voluntatem palam attestari, omnemque meam gratiam, operam, industriam atque authoritatem illius utilitati et ornamento accommodare, usque adeo ut Serenissima hec Maiestas tum mea intercessione, tum etiam peculiari quodam suo iudicio adducta, eum ista gratitudine ac liberalitate omnino decorare statuerit. Huic vero Regie propensioni ex cordatissimis V. Beatitudinis brevibus, que maximi (ut par est) semper a nobis aestimantur, tantum ponderis accessit, quod his longe ampliora Serm̃a Sua Maiestas V. Sanctitatis intuitu haud dubie praestitisset. Suis itaque litteris Vestram Beatitudinem impresentia rogat, ut ad Saresburiensem Ecclesiam dignetur illum ex more promovere, que nil preterea gratius seu optatius eidem Regie Maiestati potest efficere, quam si in totius negotii ac bullarum expeditione ingentem beneficentiam li-

beralitatemque istic suam cumulatissime declaraverit, paremque benevolentiam, commune iudicium ac eandem voluntatem in optimo isto atque dignissimo honestando Cardinale vicissim ostenderit. Cetera porro, que magni momenti impresentia occurrunt, et que communibus rebus conferre arbitramur, secretioribus litteris V. Sanctitati exponenda ad Revñdum Dñum Bathoniensem Regium istic Oratorem sigillatim perscribo, cui ut plenissimam certissimamque in omnibus fidem habere non gravetur, vehementissime rogo, meque ipsi etiam atque etiam humillime commendo. Londini die XI. Novembris M.D.XXIIII.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Humillimus ac devotissimus servulus

T. Cardinalis Eboracensis.

DCCCCLXII.

Scotiae rex pontificem de exauctorato duce Albaniae certiorem reddit. Ex orig. Litt. Princip. Tom. I. fol. 374.

Sanctissimo Dño nostro Pape.

Sanctissimo in Christo Patri et Dño Clementi Pontifici maximo atque eius nomini septimo, Iacobus Dei gratia Scotorum Rex Sanctitatis Sue peculiaris filius, humillimam prosternationem ad pedum oscula beatorum. Sanctitatem Vestram, Beatissime pater, ex regni nostri procerum consilio eorum, que ad gentis nostre tranquillitatem maxime conducant, et ex amplissimo vestre dispensationis offitio profectura sunt, certiorem et oratam facere decrevimus. Sane cum in pupillari nostra etate, quam nondum excessimus, Charissimus consanguineus noster Iohannes Albanie Dux, in tutelam nostram et regni nostri gubernationem ex Gallia accitus, munus hoc annis iam decem gesserit, frequentiori tamen eius absentia et iudiciorum cessatione status rei nostre se quasi attritum senserit et oppressum: hec nos proxime nunc annos puberes restituere conantes, adhibita nostrorum procerum providentia, quod consanguineus et tutor noster in Galliis absens ad promissum diem redire non curaverit, Eundem in regni... nostri consessu unanimi omnium consensu et offitio et administratione suis exauctoravimus, Nobisque cum magnatum aliquot prudentiorum consilio rem gerendam suscepimus. Sed ut hec, ad que divino anhelamus auxilio, felicius succedant, non parum prodesse visum est, quod maioribus nostris Scotorum Regibus Sanctitatis V. predecessores Romani Pontifices octomestre concessere privilegium: quod ut nobis V. Beatitudinis munificentia ratum maneat atque firmum, Nostrasque per id tempus eadem V. Beatitudo litteras expectaverit commendatitias, plurimum obnixeque precamur. Ceterum si consanguineus noster sua auctoritate quemvis ad benefitium aliquod hoc Romane Sedis indulto promoveri cupiat, illum V. Sanctitas inanem vacuumque dimittat, et nobis solum istec pateat impetrandi facultas. Etenim necquicquam ex parte nostra deerit, quod ad Christiane religionis augmentum sacrosancteque apostolice Sedis tutamen pro regni nostri viribus facere possimus, has primas filioli preces vestra non reiiceat Sanctitas, cui longissimos annos felicioresque precamur successus. Ex Castro nostro Edinburgensi XXVIII. Novembris M.D.XXIIII.

E. V. S.

Humillimus, devotiñus et obedientiñus filius Scotorum Rex

Iacobus R.

DCCCCLXIII.

Rex Angliae pontifici regem Scotiae tyrannide ducis Albaniae liberatum impense commendat, petitque, ut abbatiam de Melrosse in Scotia Ioanni Maxwell, detracta pensione pro regina matre ipsius regis Scotiae, alteramque abbatiam de Dundranane, quam Ioannes Maxwell obtinuerat, Ioanni Steward conferre velit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementiñoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Postquam Serenissimus Rex Scotiae frater ac nepos noster Carissimus ad Regni sui moderationem, Deo bene favente, communi subditorum suorum applausu et assensu, publicaque omnium laetitia erectus esset, ac excussa tandem Ducis Albaniae tyrannide, dolosis perniciosisque factionibus procul amotis, suae ditionis gubernacula assumpsisset, iniquasque illius viri actiones in melius reformasset, tantam in iure suo cuique tribuendo prudentiam ac voluntatem praestitit, quod perspectam suorum fidem pulcherrime confirmavit, et ceteros, si qui dubii essent animi, suis sibi beneficiis perpetuo conciliaverit, usque adeo ut ad suae Regiae Maiestatis observantiam fide ac studio inter se propemodum certare credantur. In nobis vero tantum spei collocavit, tanto nos affectu prosequitur, tantum denique in omnibus agendis consilio, iudicio, authoritati gratiaeque nostrae tribuit, ut nil prorsus nobis inconsultis actum velit, cui nos pari corde eademque voluntate sumus semper responsuri. Quum igitur Abbatiam de Melrossa in suo Regno impraesentia vacantem idem Serñus noster nepos Venerando Dño Iohanni Maxwell Abbati de Dundranane a V. Sanctitate conferri, Serenissimeque Regine matri sue, Sorori nostre, quandam ex ea pensionem reservari cupiat, ac ad Abbatiam de Dundranane per huiusmodi collationem mox vacaturam Dñum Io. Stewart, suum dilectissimum familiarem, promoveri optet, istud suum desiderium aliis litteris ipse nunc V. Beatitudini commendet: voluit quoque in hac re nos et mediatores et intercessores adhibere, id quod eo libentius curandum suscepimus, quia dicti Regis securitas, ac res omnes perinde atque nostrae cordi nobis sunt, compertumque habemus illum ob suam erga Bñem V. devotionem, nostramque pariter intercessionem hoc suo desiderio, et de nobis concepta fiducia neutiquam fraudatum iri. Ipsam proinde vehementissime rogamus, ut eiusdem nepotis nostri precibus et petitioni adnuere, sicque occurrentibus negociis omnibus nostro intuitu favere velit, quod Ducis Albanie pro hac re, et aliis quibuscumque imposterum conatus et intercessiones nullo pacto admittantur. Non gravetur preterea V. Sanctitas precum nostrarum interventu in Regni Scotie promotionibus conferendis, predicti Regis litteras (sicuti ipsius progenitoribus antea benigne indulsit) ad octo

menses a vacationis tempore expectare, ex eiusque voluntate et arbitrio promotiones huiusmodi conferre. Quod ut nobis gratissimum optatissimumque est futurum, sic V. Beatitudo affirmantibus nobis credat rem hanc in dicti nepotis nostri commodum et tutelam, totiusque illius Regni ac Reipublice Christiane quietem haud dubie redundaturam esse. Hoc propterea negotium, quanto possumus, studio et cordis affectu iterum atque iterum V. Sanctati commendamus, Quam Deus Altissimus faelicem atque longaevam tueatur. Ex Regia nostra Hartfordia die II. Decembris M.D.XXIIII.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie ac fidei defensor et Dominus Hiberniae

Henricus.

Petrus Vannes.

DCCCCLXIV.

Regi Scotiae pontifex de sua ad regale solium evectione gratulatur. Ex orig. Instrum. Miscell.

Carissimo in Christo filio nostro Iacobo Regi Scotiae Illustri.

Clemens PP. VII. Carissime in Christo fili noster, salut. etc. Ex litteris tuis quinta Octobris datis cognovimus, Celsitudinem tuam de suorum omnium Procerum consilio ad regni regimen evectam, et in solio regali stabilitam fuisse, accedente ad id quoque Carissimi in Christo filii nostri Henrici Angliae Regis, fidei defensoris, avunculi tui auxilio, quem nos semper cupidum status amplitudinis tuae cognovimus, quod nobis auditu periucundum fuit. Nam cum tuae faveamus dignitati, quam iustam et debitam in te maiorum quoque tuorum preclaris virtutibus, et erga hanc Sanctam Sedem officiis responsuram non dubitemus, tum gaudemus omni nomine pacis atque concordiae, quam inter duo ista Regna Angliae et Scotiae factam atque firmatam iucundo accepimus nuncio. Utinam ea quoque in universa reliqua Christianitate constitui et componi posset! in quo nos quidem ita laboramus, ut neque diurnae quietis partem ullam, neque naturae capiamus, sed adhuc durioribus animis bellantium nostris consiliis et paternis monitionibus non est obtemperatum: pro quo ut Deus et Dñus noster sua celesti providentia actionibus nostris tendentibus ad pacem favere dignetur, tuae quoque Celsitudinis est et orare eum et orandum ceteris tuis omnibus mandare. De te vero ipso quamquam existimemus te tua sponte recte et iuste acturum omnia, innixum cum prestanti natura tua, tum eiusdem avunculi tui, Angliae Regis, prudentissimi consiliis: tamen nostrum quoque est monere atque hortari, ut in hoc Regni tui primordio gratus primum illi summo Regi et regnorum omnium largitori Deo studeas esse. Deinde ita te temperate geras, ut amici et fideles tui beneficientiam, et si qui alieniore a te animo fortassis extiterunt, iustitiam et moderationem tuam intelligant, pacemque in primis retineas, sine qua nihil stabile et tutum teneri potest. De tuis vero et maiorum tuorum, quae ad nos perscribis privilegiis, nihil sumus nisi quod erit rectum et debitum facturi, et cum in illis conservandis, tum in ceteris omnibus ad status tui firmitatem pertinentibus ita acturi, ut Celsitudo tua intelligat curae nobis esse et salutem et dignitatem suam. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII. Novembris M.D.XXIIII. Pontificatus nostri anno secundo.

DCCCCLXV.

Rex Angliae pontifici de rosae benedictae munere sibi misso grates agit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementīnoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima beatorum pedum oscula. Inter cetera, que ex animi sententia nobis contingi exoptamus, ea sunt precipua, que paternum Vestrae Beatitudinis erga nos affectum in dies constantiorem obfirmatioremque reddere possunt, non quod de eo quicquam imminui posse, vel ad eius conservationem assiduo aliquo adiumento opus fore suspicemur, sed ob id dumtaxat, quod in huiusmodi mutuae voluntatis pignoribus perpetuisque monumentis incredibili cum voluptate versamur. Cui nostro desyderio quam cumulate fuerit nuper a Vestra Sanctitate satisfactum, licet ullis litteris haud facile exprimi queat, paucis tamen edicendum existimavimus, quantum solidi purique gaudii attulerit preciosum Vestre Beatitudinis Rosae ad nos missum munus, Chrismatis balsamo consecratum, quod etsi sua excellentia, fragrantissimo odore, inaextimabilique medela sit ad contagiosas quaslibet animi tollendas labes, presentaneum saluberrimumque pharmacum, a Vestra tamen Beatitudine, Medico et sanctissimo et fidissimo, illud propinatum non nisi certissimam salutem pollicetur. Hoc itaque sue optime mentis splendissimum insigne a Revđo Dño Hanibale Consiliario nostro, et ad id a Vestra Sanctitate nuncio et latore (ut in hoc quoque parem nobiscum cordis coniunctionem eandemque voluntatem praestaret) nobis exhibito, tanto reverentius publica laetitia excepimus, quanto peculiarius haereditarium avitumque nostrae domui ornamentum suavissima hec Rosa semper extitit. Immensas igitur humillimasque Sanct. Vestre gratias ex corde agimus non solum ob candidissimi sui in nos animi significationem, verum etiam quod in gloriosissimo Christianorum Principum coetu dignos nos censuerit, quos sacratissimo hoc suo dono ipsa exornaret. Cuius profecto acerrimum iudicium non alio admittimus animo, quam ut nostram in apostolicam Sedem devotionem, et innatum erga Beatitudinem Vestram studium rebus ipsis in quemlibet eventum comprobemus, atque omnia prestemus officia, que ab ullo Principe vel addictissimo filio expectari queat. Et felicissime ac diutissime ipsa valeat. Ex Regia nostra apud Duteyll die X. Octobris M.D.XXIIII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

Henricus.

Petrus Vannes.

DCCCCLXVI.

Idem rex commendat pontifici Franciscum Corbum Venetum, familiarem suum, in Italiam revertentem. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Quoniam pluribus indiciis perspeximus, Franciscum Corbum, Venetum, summo nobis inserviendi studio ac desiderio teneri, libentissime illum in nostram familiam ac ministerium admisimus eo animo, ut oblata occasione illius commodum et fortunas quandoque augeamus, et gratitudinem aliquam eius erga nos fidei vicissim reponamus. Sed quum ob nonnulla sua, ut nobis retulit, negocia in Italiam revertendi licentiam et facultatem a nobis petierit, non solum hanc illi benigne concessimus, sed volumus eum Vestre quoque Beatitudini commendare, ipsam magnopere rogantes, ut praefatum familiarem nostrum sibi carum et gratum, et in eo promovendo, si quando opportunitas se obtulerit, nostrae commendationis rationem aliquam velit habere, quod nobis gratissimum est futurum. Et felicissime ac diutissime valeat eadem Vestra Sanctitas. Ex Regia nostra apud Eltam die xv. Ianuarii M.D.XXV.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hibernie

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCLXVII.

Idem rex a pontifice petit, ut precibus regis Scotiae circa episcopatum Moraviensem abbati de Paslay conferendum annuat. Ex orig.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Optatissimum semper nobis est, quotiens ulla sese offert occasio, rem gratam Serenissimo Domino Regi Scotiae fratri ac nepoti nostro charissimo, Illustrissimeque Regine eius matri, nostre itidem dilectissime sorori prestandi non solum, quod utrique ex corde bene volumus cumulateque satisfactum cupimus, sed etiam quod vehementer optamus, haud obscuro iudicio ab his perspici, intercessionem precesque nostras non exigue gratie et auctoritatis apud Vestram Beatitudinem extare: qui etsi eam suis inpresentia litteris rogent, ut ad Episcopatum Moroviensem, per obitum Reverendi patris Domini Iacobi eius ultimi Episcopi in dicto Scotiae Regno vacantem suoque presule orbatum, Venerandum Dominum Robertum Abatem de Paslay promoveri, atque suam Abatiam per huiusmodi translationem, vel alio quocumque modo vacaturam religioso viro Don Iohanni Hamilton, illius loci monacho, firmissimum in modum conferre dignetur: volumus tamen et nos quoque favorem partesque nostras pro viribus interponere, Vestram Sanctitatem vehementissime rogantes, ut dicti nepotis nostreque sororis desideriis et votis in precipuam nostram gratiam adnuere velit, quod ut in dicti Regni quietem haud dubie redundabit, sic nos, qui prefatum nepotem nostrum unice amamus, Vestre Beatitudini eo nomine non mediocriter debebimus, suam erga nos facilitatem ac benignitatem memori semper animo servaturi. Hoc enim negocium quante cure nobis sit, ex nostro isthic oratore ipsa uberius cognoscet. Que diutissime ac felicissime valeat. Ex Regia nostra Londini die XXIII. Februarii M.D.XXIIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCLXVIII.

Cardinalis Eboracensis pontifici spondet, se eius rebus afflictissimis semper praesto fore. Ex orig. Litt. Princip. Tom. III. fol. 95.

Beatissime pater, deosculatis sanctissimis Vestrae Beatitudinis pedibus, et humillima Commendatione praemissa. Dum pressius mecum reputo, quot periculis, quibus malis, quantoque turbini christiana respublica impraesentia obnoxia subiectaque sit, et quam illi graviter laboranti, nisi mature ac prudenter succurratur, multis ex locis sit timendum: ex innata mea erga Sanctitatem Vetram observantia, et peculiari quodam in communem causam zelo cogor animum consiliumque meum super his utcumque imprudens, fidele tamen atque syncerum eidem Vestre Sanctitati aperire, que cum optimi perspicacissimique sit ingenii, benevoleque in me voluntatis, compertissimum habeo, quicquid sibi exposuero, in bonam ab ea partem acceptum iri: perspiciet enim quantopere universali quieti consultum ex cordeque prospectum cupiam, et quam constanter meam erga Beatitudinem Vestram, istamque apost. Sedem in occurrentibus quibusque negociis fidem et devotionem retineam, et licet discrimina neutiquam aspernanda undique immineant, non censeo tum his esse meticulose succumbendum, sed fortissimo potius animo, accommodatissimis celerrimisque consiliis christiane corruenti navicule opitulandum, quod non facile assequi poterimus, nisi Vestra Beatitudo, que maxima totius rei pars est, animum cogitationesque suas, ac se ipsam totam his adiunxerit principibus, qui in commune prodesse, ingruentemque procellam procul dubio queunt amovere. Proinde ad Reverendum Dominum Bathoniensem mei pectoris reconditiora Vestre Beatitudini declaranda meorumque consiliorum rationem impresentia uberrime perscribo, quam ego ad sacratissima sua prostratus genua obsecro, precor et obtestor, ut non solum certissimam plenissimamque illi in omnibus fidem habere, sed dum aliquid spei ac remedii superest, dignetur, quae idem Reverendus Dominus Bathoniensis meo nomine referet, in sanctissimi sui cordis penetralibus sigillatim perpendere, ac mature, ne posthac interiecte morae nos forsan poeniteat, de publica causa deliberare. Ego autem Sanctitati Vestre persuasissimum esse volo, usque ad sanguinis effusionem viteque iacturam, eventuum successuumque eandem ac parem secum conditionem me semper accepturum, prioremque subiturum esse, Et felicissime ac diutissime ipsa va-

leat, Cui me etiam atque etiam humillime commendo. Londini ex meis Aedibus die XXI. Aprilis M.D.XXV.

E. V(est)rae S(anctita)tis

Humillimus ac devotissimus servitor

T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCLXIX.

Idem cardinalis cum pontifice de revocatione protonotarii Casalii amice conqueritur. Ex orig. Litt. Princip. Tom. III. fol. 135.

Sanctissimo benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, deosculatis sanctissimis Vestre Beatitudinis pedibus, et humillima Commendatione premissa. Ubi primum ex perlecto Vestre Beatitudinis brevi cognovi Reverendum Dominum Prothonotarium Casalium ab ea fuisse ob nonnulla negocia hinc ad urbem revocatum, animo non usquequaque libenti sui discessus nuncium admisi: summopere enim eius colloquiis oblectabar, et preterquam quod in Vestre Beatitudinis hic sibi commissis negociis ea diligentia, industria, dexteritate atque prudentia est usus, ut aptissimi nuncii partes (meo iudicio) undique obiverit, ingentem quoque Serenissimi huius Regis ac meam benivolentiam sibi lucri fecit: cui licet ob multa sue familie erga nos officia ex animo bene vellemus, ob virtutes tamen, quibus exornatum illum perspeximus, et imprimis quod Vestre Sanctitati gratum esse cernimus, optimam de eo opinionem concepimus, si ita tulerit occasio, sua opera fidenter usuri. Quocirca Beatitudinem Vestram humillime rogo, ut dignetur ad amorem, quo dictum Reverendum Dominum Prothonotarium ultro prosequitur, in meam quoque precipuam gratiam quam multum addere. Cetera vero, que alicuius momenti impresentia mihi occurrunt, eidem Domino Prothonotario distinctius et uberius Vestre Beatitudini meo nomine referenda commisi, quod ab eo fideliter ac diligenter prestitum iri confido. Et felicissime valeat Vestra Sanctitas, Cui me et mea omnia etiam atque etiam reverentissime commendo. Londini die XXIX. Maii M.D.XXV.

E. V. S(anctita)tis

Humillimus ac devotissimus servitor

T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCLXX.

Idem cardinalis testatur pontifici promptissimum regis ex eius voto pacis instaurandae animum. Ex orig. Litt. Princip. Tom. III. fol. 144.

Sanctissimo benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Ut perpetuis semper antea indiciis Vestra Beatitudo declaravit, quanti Serenissimam hanc Regiam Maiestatem faciat, sic ex litteris, quas ultimo a suis istinc oratoribus accepit, apertissime cognovit, sua consilia et actiones, que re vera ad commune bonum recta tendunt, eidem Vestre Sanctitati probari, decrevisseque suos itidem conatus eisdem in omnibus coniungere: in qua optima voluntate, si (ut dicta Regia Maiestas confidit) Vestra Sanctitas perstiterit, haud dubie experietur principem hunc Serenissimum esse sibi addictissimum, qui nullo unquam tempore ipsi deerit, sed omnem fortunam rerumque successum communem et eundem cum Vestra Sanctitate habebit, quod ipsa sibi pro re compertissima persuadere non gravabitur. Ad hec, quum dicta Serenissima Regia Maiestas et ego perpendissimus, que dicti oratores Vestre Sanctitatis nomine significarunt, occurrentiumque negociorum serie probe trutinata nos super his consilium et iudicium ad eos Vestre Beatitudini diligenter exponendum statim perscripsimus, quod profecto fidelissimum ac syncerissimum est, habitaque presentis status ratione, arbitramur illud imprimis communibus actionibus quam maxime expedire, quemadmodum ex eorum sermone Vestra Sanctitas cuncta cognoscet, quibus solitam certissimamque fidem habere dignabitur. Quam possum deinde ingentes Vestre Sanctitati gratias humillime ago, quod ex immensa sua in me benignitate non solum meis precibus super bulla plenarie Indulgentie reformanda facillimam se prebuit, sed etiam flagrantissimi sui amoris significatione preciosum hoc suum manus liberalissime adauxit: quumque nullae amplius adsint, quas habeam, gratiae, earundem loco devotissimam meam observantiam suis obeundis mandatis in omnem eventum promptissimam experietur. Et felicissime ac diutissime valeat Vestra Sanctitas, Cui me etiam atque etiam humillime commendo. Ex Richemonte die III. Iunii M.D.XXVI.

E. V(est)rae S(anctita)tis

Humillimus ac devotissimus servitor

T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCLXXI.

Rex Angliae gratulatur pontifici de pio eius pacem inter principes christianos instaurandi consilio, eique epum Bathoniensem suum oratorem commendat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctĩo Benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Non possumus non summopere laudare pientissimum Beatitudinis Vestrae erga christianam Rempublicam animum, ac sollicitam illi opitulandi curam, que ut ab amantissimo omnium parente proficiscitur, sic mentem istam bonam Deo acceptam procul dubio futuram confidimus. Vestre enim Sanctitatis ad nos breve, ubi accurate perlegissemus, publico statim nomine mirum in modum laetati fuimus, in tanta rerum omnium perturbatione tam optime voluntatis perspicacissimeque prudentie Pontificem christianitati obtigisse, ex quo (modo in tot mature reprimendis malis aequa semper ratio iustusque modus re vera adhibeatur) omnino eveniet, ut in capitalis exitii locum solida succedat pax, securaque in commune pullulet tranquillitas, ac ea semel comparata perpetuo ab omnibus servetur, mutuisque benevolentie adminiculis augeatur, id si non ante probe curetur, vestraque Beatitudo salutaris ac necessarii, quod molitur, operis debile quodque statuerit fundamentum, et ex sanctissimi sui desyderii impulsu rei conficiende quancunque obviam admiserit ratio-

nem, verendum certe est, ne non multo post universa christianitas in graviora recidat pericula. Paternum deinde Sanctitatis vestrae erga nos animum, sincerissima consilia et amantissimos monitus (quorum effuse per Reverendum Dominum Bathoniensem oratorem nostrum nuper nos certiores efficere dignata est) non alio accepimus animo, quam obsequentissimi filii officium exposcebat: ob quam summi perspectissimique amoris significationem immensas eidem vestre Beatitudini gratias habemus. Reliqua autem probe examinavimus, ac super his aliisque multis a suo nuncio nobis expositis partim ex eius litteris, partim vero ex dicti oratoris nostri relatu animum, iudicium consiliumque nostrum sigillatim et uberrime cognoscet, cui ut perinde ac loquentibus nobis certissimam in omnibus fidem habere velit, impense rogamus. Et felicissime valeat Beatitudo vestra, Quam Deus Altissimus longevam tueatur. Ex Regia nostra Windsore die XIIII. Iunii M.D.XXV.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dñus Hibernie

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCLXXII.

Cardinalis Eboracensis pontifici spondet se eius studium res christianas componendi pro viribus secundaturum esse. Ex originali Litt. Princip. Tom. III. fol. 161.

Sanctmo benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime Pater, deosculatis sanctissimis Vestre Beatitudinis pedibus, et humillima commendatione premissa. Quam prompto ardentique animo, communis optimique pastoris munia V. Sanctitas obeat, et quam in omni actione sui semper se similem prebeat, ex his, que Reverendus Dñus Bathoniensis copiose ad me scripsit, facile agnosco, quod sane Deo acceptum, christianoque Pontifice dignissimum propositum, laudabileque publice conciliande quietis studium huiusmodi est, ut publico preconio et gloria prosequi meritoque efferri debeat. Sed laboriosum esse arbitror, ut christianitati, ecclesiastico ordini, universalique tranquillitati tot malis ac turbinibus omni ex parte miserrimum in modum obrute, gravissimisque periculis obiecte ullum vel securitatis adiumentum afferratur, ni praesentis temporis ratione prius habita iustus aliquis accommodatusque dissidiis componendis modus adhibeatur, ac in firma stabilique concordia, cuius, si unquam antea, nunc potissimum, tanti boni, oppressis turbatoribus, facillima se offert occasio, concilianda, cuiusque iura ex aequitate pensentur. Accurate namque cavendum est, ne ubi Vestra Sanctitas ex genuina sua bonitate atque clementia, propensissimoque ad communem utilitatem studio aliquorum (qui proprio duntaxat ducuntur usu) consiliis acquieverit, diuturnioris forsan graviorisque mali ac turbinis antea postmodum prebeatur, sitque christiana Respublica necessario rursus affligenda: quicquid autem in hoc necessario conficiendo opere a me prestari poterit, id V. Sanctitas certissime adfuturum sibi persuadeat, et ut nullas in me partes agnosco, quibus in re tanta minister, nedum socius, et author a V. Beatitudine adsciscí merear, ita quod facile possum, semper integerrimam fidem, promptissimum animum addictissimamque meam voluntatem omni ope atque industria comprobare enitar. Quocirca, ut fiducie, quam ipsa de me concepit, quoad fieri per me potest, satisfaciam, meum super his ac aliis multis, que Revñdus Dominus Melchior Langus mihi exposuit, iudicium, consilium animumque meum ad Reverendum Dñum Bathoniensem, V. Sanctitati declarandum, uberrime liberrimoque nunc perscribo, cui ut plenissimam cortissimamque fidem in omnibus habere dignetur, vehementissime rogo. Et felicissime ipsa valeat, meque humillime ac reverentissime sibi etiam atque etiam commendo. Ex meis aedibus apud Hampton courte die XIIII. Iunii M.D.XXV.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Humillimus ac devotissimus servitor

T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCLXXIII.

Angliae rex pontifici episcopum Wigorniensem et Gregorium Casalium suos oratores, quos episcopo Bathoniensi in hoc munere sufficerat, commendat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem et devotissima pedum oscula beatorum. Etsi rerum nostrarum apud Vestram Sanctitatem agendarum gratia dilectos nostros consiliarios, Reverendum Dñum Episcopum Wigorniensem, ac Dñum Gregorium Casalium, ad eam oratores impresentia mittamus, quoniam tamen dicti Revñdi Episcopi opera, quam nobis omnino fidelem pollicemur, nunquam antea usi sumus. Prefati vero dicti Domini Gregorii (quem inter dilectos consiliarios nostros habemus) fidem, industriam ac dexteritatem iam pridem gravissimis in rebus nobis addictissimam cognoverimus: cum idcirco, quo prorsus confidimus, et quem multorum nostrorum consiliorum participem effecimus, ad Vestram Sanctitatem oratorem impresentia misimus, ipsam vehementissime rogantes, ut quotiens gravissimi momenti negocia occurrent, velit eidem Dño Gregorio seorsum ac sigillatim declarare, cum eo liberrime agere, nec minorem illi fidem, quam nobis ipsis, si presentes adessemus, quibuscunque in rebus prestare. Secretiores enim notas, quibus de occurrentibus negociis certiores nos faciat, illi credidimus. Et felicissime ac diutissime valeat Sanctitas Vestra. Ex Regia nostra apud Stonystrefford die XX. Septembris M.D.XXV.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hibernie

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem ac devotissima pedum oscula beatorum. Quum multa sepenumero occurrant, in quibus Consiliariorum opera, industria, fides rerumque peritia maximo

nobis usui esse queat, expedientissimum arbitramur, si his administrandis eos viros adhibuerimus, quorum prudentiam gravissimis in rebus sepius experti simus. Hoc autem in numero Reverendum dominum Bathoniensem (qui diu Legatum ac Oratorem nostrum apud vestram Beatitudinem egit) minime postremum censemus: hanc igitur ob causam aliis nostris litteris cum revocavimus, presentique eius ministerio in nonnullis hic rebus uti decrevimus, nihil ambigentes, quin bonam redeundi veniam et facultatem iam illi V. Sanctitas concesserit. Sed quoniam ad ea, que in diem tractanda contingunt, filiale nostrum studium ac in apostolicam Sedem devotionem concernentia oratore aliquo est opus, Reverendum propterea in Christo patrem dominum Hieronimum Episcopum Wigorniensem, ac Magnificum Equitem Dñum Gregorium Casalium, dilectos Consiliarios nostros, ad vestram Beatitudinem Oratores instituimus, eorum opera, quam fidelem, prudentem ac diligentem nobis pollicemur, posthac usuri. Quocirca Beatitudinem vestram impense rogamus, ut gratos et charos illos sibi habere, in occurrentiis benigne audire, certamque et indubiam eis fidem in omnibus, que nostro nomine exponent, prestare dignetur, quod nobis summopere gratum est futurum. Et felicissime ac diutissime valeat eadem Vestra Sanctitas. Ex Regia nostra Stonystreford die xx. Septemb. M.D.XXV.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hibernise

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCLXXIV.

Cardinalis Eboracensis pontifici, ne aegre ferat, quod rex episcopum Bathoniensem revocet. Ex originali Litt. Princip. Tom. III. fol. 272.

Sanctmo benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatme pater, deosculatis sanctissimis V. Beatitudinis pedibus, et humillima commendatione premissa. Quum meorum negociorum rationem probe collegissem, persensi indies graviora addi, quam possem ob eorum magnitudinem ac laborem, ingravescente iam aetate, commode sustinere: quam ob causam Sermo Regi pluribus suasi, ut Rñdum Dñum Bathoniensem, cuius fidem, prudentiam, industriam atque rerum publicarum peritiam in arduis saepe rebus expertus est, ad se revocaret, illiusque presenti opera ac ministerio uteretur. Ad hocque eo maxime adductus sum, quod illum virum (quem iampridem veluti opus meum mihi ipsi formavi) in mee senectutis baculum, occupationumque levamen substituere, Regiis hic negotiis eum penitus conciliare, ipsiusque valetudini, cui natale hoc, quam peregrinum istud solum magis convenit, consulendum censui: nihil igitur ambigo, quin V. Sanctitas benignam illi hanc redeundi facultatem fecerit. Sed ut de his, que Sanctitatem V., vel Sermam hanc Regiam Maiestatem et me in diem scire expediet, crebrius atque commodius vicissim agi ac tractari queat, dicta Regia Maiestas in oratores sibi elegit dilectos ac fideles Consiliarios suos, Rñdum Dñum Epum Wigorniensem ac Magnificum Equitem Dñum Gregorium Casalium, in mandatisque dedit, ut magni momenti quedam Sanctitati V. exponant, assidueque apud eam resideant. Quibuscum de mea erga apostolicam istam Sedem observantia, perpetua in Beatitudinem V. devotione, aliisque multis sum uberrime loquutus: ipsam igitur humillime rogo, ut indubiam illis fidem meo nomine quicquam referentibus habere dignetur. Et felicissime ipsa valeat, cui me etiam atque etiam reverentissime commendo. Londini ex meis aedibus die xx. Septembris M.D.XXV.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Humillimus ac devotissimus servitor

T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCLXXV.

Angliae rex pontifici significat se cum Gallorum rege pacem inivisse. Ex originali Instrum. Miscell.

Beatme pater, post humillimam Commendationem, ac devotissima pedum oscula beatorum. Quum veram laudem, solidam gloriam et christiani cuiusque principis officium illud semper esse existimaverimus, ut sua consilia et actiones Universali bono, communi omnium quieti atque christiane conservande religioni quisque pro viribus accommodet: non ab re facturos nos putavimus, si tam bono operi, hoc presertim tempore, animum cogitationesque nostras applicaremus, nostroque exemplo, auspiciis ac initiis de christiana republica tot undique afflicta stragibus primi omnium quam optime mereremur, eo certe consilio, ut conciliandae pacis in universum fundamenta postmodum coalescerent felicius, quod (inita cum Gallis concordia) successum nobis iri (Deo bene favente) sperabamus. Hanc autem pacem, tum ut christiane reipublice prodessemus, tum etiam, ne paternos Vestre Sanctitatis monitus nihili fecisse videremur, honestis mitissimisque nunc conciliatam modis Vestre Beatitudini tantopere probari vehementissime laetamur, aliamque nullam digniorem prestantioremque gratiam seu laudem expectamus, quam ut, quod tanto animi ardore incepimus, pari quandoque liceat studio absolvere, perfectamque hanc et aeternam gloriam esse indicavimus, de Christiana Republica bene meritis alia complura optime merita ac beneficia posse accumulare. Compertum itaque Vestre Beatitudini esse cupimus, ob nostram quandam publice utilitati, ac universali quieti addictam voluntatem nihil nos unquam esse omissuros, quod boni principis sit officium, vel quod ad tam boni saluberrimique operis perfectionem conducere posse censuerimus: pro qua nostram omnem operam apud principes et potentatus adhuc discordes sedulo interponeremus, si modo cordatis consiliis quicquam apud eos proficere poterimus. Et felicissime ac diutissime valeat Sanctitas Vestra, cuius voluntatem atque conatus divina clementia perpetuo dirigat atque disponat. Ex Regia nostra apud Reyum die XIII. Decembris M.D.XXV.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dñus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCLXXVI.

Cardinalis Eboracensis pontifici de pace cum Gallorum rege inita. Litt. Principum Tom. III. fol. 361.

Sanctissimo benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatme pater, deosculatis sanctissimis V. Beatitudinis pedibus, atque humillima commendatione premissa. Etsi particulam nullam meritorum ac laudum, quas V. Sanctitas in habenda gratia ob pacem cum Gallis conciliatam benignissimis suis litteris mihi tribuit, meam esse sciam, tantum tamen fructus et tranquillitatis felix hoc initium, quod assiduis votis sepe antea meditatus sum, in commune allaturum videbatur, ut censeri potuissem impietatis merito arguendus, nisi in saluberrimum hoc opus, et Deo acceptum, et Christiane Reipublice maxime necessarium pro viribus incubuissem, nactus presertim Serenissimum hunc Regem, principem vere Christianum, ac sanctissime pacis studiis omnia posthabentem, ad idque me magnopere impulerunt V. Beatitudinis crebre adhortationes. Omnipotente itaque Deo auspice, ubi diu de sedandis controversiis amovendisque obiicibus altercatum fuit, concordia tandem est felicem exitum sortita. Quod si eundem animum, quem Serenissima hec Regia Maiestas, in Christiane religionis gratiam ceteri principes inducerent, non admodum in universali stabilienda quiete laborandum esset: nolit interim V. Beatitudo authoritatem, omnemque suam operam pro re tam salutari conficienda intermittere, certamque fiduciam concipiat, fore aliquando, ut Deus Altissimus lacero sue plebi ex alto opem ferat, sanctumque lumen dissidentium principum pectoribus infundat: hos ego conatus tam optimi momenti esse arbitror, ut modum atque rationem quancumque in his iuvandis forti, impavido atque indefesso animo tentari expediat. Sperandum etenim est Cesaream Maiestatem ex innata sua clementia, divinique numinis afflatu ad pacis et concordie studia et cogitatus conversam iri. Ego vero, si quid per me prestari poterit, neutiquam omittam, ut ullum Christiani hominis devotissimi Sanctitatis V. Romaneque Ecclesie ministri officium quisquam in me desyderet. Ad ea porro, que Regii oratores V. Beatitudinis nomine mihi significarunt, per eosdem secretioribus notis impresentia rescribo, Vestramque Sanctitatem humillime rogo, ut non minorem fidem, quam loquenti mihi, dignetur eis habere. Et felicissime ac diutissime valeat, cui me etiam atque etiam reverentissime commendo. Ex Richemonto die XXI. Decembris M.D.XXV.

E. V(est)rae S(anctita)tis

Humillimus ac observantmus servulus

T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCLXXVII.

Scotorum rex pontifici spondet nihil a se omissum iri, quin pestifera labes Lutherana suum regnum infestet. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime Pater, debitam ad pedum oscula beatorum prostrationem. Litteras Sanctitatis tue gratissimas accepimus per devotum religiosum ac familiarem nostrum magistrum Iacobum Criton ordinis divi Dominici, per quas ultra immensam illam clemenciam ceterorum omnium romanorum pontificum nobis, nostroque regno solitam ingentes amoris tui ardores in nos, nostrosque quasi digito palpamus, ut latius nobis idem magister Iacobus exposuit, vir ingenii dotibus ac doctrina satis imbutus, quem non in infimo familiaritatis tue loco collocari audimus, ut prorsus frequentioris recommendacionis nostre non egeat, quod nobis gratum multum duximus. Nam quod ad Lutherii fautores attinet, et quam dampnabilis novi huius promulgatoris disciplina nobis invisa, et pro parte virili oppugnata, aliorum sit iudicium. Sanctissime pater, satis constat nos maioresque nostros non modo huius teterrime pestis, verum etiam a primordio, quo orthodoxa fides regnum nostrum illuminaverit, ab omni labe cuiusvis heresis hactenus inviolatos illesosque stetisse, et in futurum, Deo optimo maximo favente, catholice religioni ac ecclesiastice libertatis tuicioni omni studio inherere conabimur, ut non solum illa Lutheriana nephandissima, sed nulla similis heresis fines nostros invadet, nec illam venerabilem a maioribus nostris religionem inconcussam, incontaminatamque iam diu observatam maculabit, ut hoc in statu sancte romane ecclesie vetustissimis privilegiis nobis et nostris antecessoribus concessis cum incremento gaudere, ac alibi Abrahe veluti veri legitimique heredes gloriari mereamur. Et circa hec pleraque alia commodum et privilegia nostri regni concernentia idem magister Iacobus Criton Sanctitati tue plenius explicabit. Et Sanctitas V. feliciter valeat. Ex palacio nostro Edinburgensi Kalendas (sic) Ianuarias supra millesimum et quingentesimum anno vicesimo sexto.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae)

Devotissimus filius Scotorum Rex

JAMES R.

DCCCCLXXVIII.

Rex Angliae pontifici Io. Rossellum oratorem suum commendat. Ex originali Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Pape.

Beatme Pater, post humillimam Commendationem, ac devotissima pedum oscula beatorum. Quum (Vestra Beatitudine ex optimi parentis officio plurimum adhortante) pacem, quoad fieri per nos poterit, inter Christianos conciliandi provinciam suscepimus, eo certo animo, ut hoc semel stabilita, de immanissimis fidei nostre hostibus oppugnandis et reprimendis fœliciter postmodum agi queat: decrevimus propterea suborientibus malis, que opus tam salutare possent impedire, pro viribus occurrere. Intelligentes itaque recentes milites tum ex Hispania, tum ex Germania nuper in Italiam descendisse, verendumque sit, ne ex ista adaucti exercitus occasione non solum nova atrocioraque indies bella et inimicitie patrentur, sed etiam Sanctitatis Vestre, Sedis Apostolice Dominiique Florentini status in discrimine constituatur, in qua cogitatione, dum versaremur, visum nobis est fidelem ac dilectum Consiliarium nostrum, secretiorisque nostri Cubiculi nobilem familiarem, Ma-

gnificum Equitem Dñum Io. Rossellum ad Sanctitatem V. impresentia mittere, per eumque sibi declarare filialem nostrum affectum, copioseque aperire, quod nostrum super his rebus sit iudicium, quidque optimum factu censeamus. Vestram proinde Beatitudinem vehementissime rogamus, ut eidem Dño Rossello in omnibus eam fidem, quam loquentibus nobis haberet, prestare dignetur. Et felicissime ac diutissime valeat. Ex Regia nostra Grenwici die II. Ianuarii M.D.XXVI.

E. V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dñus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCLXXIX.

Cardinalis Eboracensis pontifici de bulla confirmatoria collegii Oxoniensis sibi missa grates reddit, petitque, ut in eadem quaedam a nomina scriptore perperam scripta corrigantur. Ex orig. Litt. Princ. Tom. IV. fol. 2.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Pape.

Beatissime Pater, deosculatis sanctissimis Vestrae Beatitudinis pedibus, et humillima commendatione praemissa. Perturbatio animi, quam V. Sanctitas ex appulsu Viceregis aliorumque Germanorum in Italiam adventu conceperat, eo potissimum nomine, quod publicam christianitatis quietem suspicaretur ex illa occasione commotam iri, tanta me molestia affecit, quanta humillimam ac observantissimam creaturam merito debuit afficere. Proinde quum tot nominibus apostolicae isti Sedi et Beatitudini V. perpetuo obnoxius sim, mearum imprimis partium esse duxi, praesentium rerum statum Serñio Domino meo Regi ex animo commendare: qui quum filialem benevolentiam erga Sanctitatem V., apostolicamque istam Sedem constantissimo semper animo praestet, meas commendationes non solum cordi habuit, sed voluit quoque, hoc praesertim tempore neque consilio, neque adhortatione, nec amantissimi animi indicio suum erga Beatitudinem V. studium promptissime testari: cuius rei gratia Magnificum ac nobilem equitem Dñum Io. Rossellum, quem a secretiori cubiculo habet, et cui ego perinde ac proprio fratri et omnium mihi intimo afficior, ad Sanctitatem V. nunc properatis mittit itineribus, ut suum erga eam syncerissimum pectus coram exponat. Eidem ego Dño Rossello nonnulla cordis mei arcana Sanctitati V. aperienda commisi, quam humillime rogo, ut loquentem illum alterum me esse existimet, et perinde ac mihi fidem ipsi in omnibus certissimam habere dignetur, et de huius Regiae Maiestatis filiali in se affectu, et addictissima mea observantia syncerissima ac fidelissima quaeque sibi polliceri.

Quam possum deinde humillimas gratias Vestrae Beatitudini ago, quod ex singulari sua in me benignitate non gravatur assiduis me beneficiis exornare, et in meis desyderiis indulgendis liberalissimam promptissimamque se exhibere, id quod cumulatissime nunc fecit in mei Oxoniensis Collegii bullarum expeditione. Sed quum nonnulla loca ac nomina scriptor perperam scripserit, maximeque ego cupio ita dictum Collegium perfectum omnique ex parte absolutum reddere, ut ex nullius indulti errore, vitio aut macula quicquam posthac scrupuli aut controversiae adversus illud queat emergere, in summo Beatitudinis V. saepius in me comprobato amore confisus rursus eam humillime obsecro, ut dictae bullae iuxta castigatiorem emendatioremque formam mandare velit [ut] rescribantur. Quod si in eadem re tam crebro Beatitudini Vestrae videbor molestus, id pro sua immensa bonitate non mihi, sed ardentissimo potius meo de optimis studiis, deque universa republica (cuius commodo et stabilimento ultro semper V. Sanctitas favet) adscribere, meque humillimum et observantissimum suum servulum sibi commendatissimum suscipere dignabitur, quae felicissime ac diutissime valeat. Londini ex meis aedibus die III. Ianuarii M.D.XXVI.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Humillima ac devotissima creatura

T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCLXXX.

Regi Scotiae, ut regnum suum a labe et haeresi Lutherana immune conservet. Brev. Tom. 45. fol. 19.

Charissimo in Christo filio nostro Iacobo
Scotiae Regi Illustri.

CLEMENS PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Dilectus filius Iacobus Criton ordinis Praedicatorum et sacrae Theologiae professor, familiaris noster, iam inde ex eo, cum nobis etiam dum in Cardinalatu existentibus fuisset tuo nomine commendatus, charus et probatus nobis fuit, quod eum ad claros (ut audiebamus) natales suos, etiam morum et litterarum claritatem studiumque religionis adiunxisse cognovimus. Itaque cum is etiam tuae Serenitati, cui natura subiicitur, etiam voluntate et observantia deditissimus esset, ut deberet, idoneus nobis visus est, qui et te a nobis paterne salutaret, et explicaret coram uberius singularem erga te benevolentiam nostram, etsi (ut arbitramur) tibi iam pridem prospectam et exploratam. Etenim, fili noster charissime, ad eximium et peculiarem amorem, quo Serenitati tuae antea ut Christiano Regi afficiebamur plurimum, ut debebat, ex eo adiectum est, quod tuum Regnum a perfida Lutherana haeresi, quamquam in proximo vigente, illaesum conservasti. Quod etsi fuit totum pietatis et officii tui, ac tam tuis omnibus, quam maxime uni tibi, etiam ad tranquillitatem tui Regni salutare, Nos tamen, ut debuimus, iucundissimum et gratissimum suscepimus, eamque tuam virtutem et diligentiam sumus non semel maximis ac debitis laudibus prosecuti. Nunc quoque hunc idoneum hominem nacti idem totum officium repetere voluimus, non tam exoptatum tibi, quam debitum a nobis, ut gratularemur nos tuae Serenitati de his, quae antea nobis ipsis de tali Rege fuissemus amantissime gratulati. Accedet ad hoc etiam adhortatio nostra, ut te in studio pietatis per te currens non tam incitere a nobis, sed libentius Deo tribuas, nobis auctori-

bus, quod tua sponte fuisses tributurus. Teque, fili charissime, omni charitatis affectu in Dñoque Deo nostro hortamur et requirimus, ut quod a te, quodque a caeteris Christianis Regibus summa tua illorumque gloria factum vides, in Dei Regum Regis honore religioneque defendenda idem velis praestare, ac peragere in posterum: cum praesertim nequeat fides Catholica in tuo Regno labefactari, quin simul tua auctoritas convellatur. Quod te et pro prudentia prospecturum, et pro pietate tua executurum esse firmiter in eodem Domino confidimus, quemadmodum haec, et quaedam alia ad divinum et tuum honorem pariter pertinentia idem Iacobus plenius tuae Serenitati explicabit. Dat. Romae etc. die XI. Ianuarii 1526. Pont. nostri anno tertio.

DCCCCLXXXI.

Angliae rex archiepiscopum Sancti Andreae pontifici impense commendat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotma pedum oscula beatorum. Quum Rmum in Christo patrem Dñum Iacobum Archiepum Sancti Andreae et Scotiae Primatem saepius experti fuerimus nobis gratificandi, mutuamque concordiam conciliandi cupidum, in eoque perspexerimus singulare studium ac fidem erga Serenissimum et Carissimum nepotem nostrum Regem Scotiae, magnopere inducimur tum ad ipsum amandum, tum etiam ad ea procuranda, que ex illius commodo et ornamento esse arbitramur, confidentes fore, ut (quod hactenus eum fecisse intelleximus) posthac ardentius suis officiis de nobis ac de dicto nepote nostro benemereri studeat. Vestram igitur Beatitudinem impense rogamus, ut in precipuam nostram gratiam eiusdem Archiepiscopi causas omnes sic velit sua benignitate complecti, ut intelligat nostrum hunc amorem et commendationem sibi quam maxime profuisse: quantopere autem simus illius commodi et ornamenti studiosi, Vestra Sanctitas ex nostris apud se oratoribus, ad quos super hac re plura scribimus, uberius cognoscet, et feliciter ipsa valeat, Quam Deus Altissimus longevam tueatur. Ex Regia nostra Grenwici die X. Aprilis M.D.XXVI.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei Defensor ac Dñus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCLXXXII.

Cardinalis Eboracensis pontifici de propenso erga se animo, deque indulgentiis capellae B. Mariae loci sui natalis concessis grates reddit. Ex orig. Litt. Princip. Tom. IV. fol. 73.

Sanctmo benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime Pater, deosculatis sanctissimis Vestrae Beatitudinis pedibus, et humillima commendatione premissa. Huc ex suo oratorio munere reversus Reverendus Dñus Epus Bathoniensis summam V. Beatitudinis erga me benevolentiam declaravit, que quum maior sit, quam ut eam ullis meritis actioneve gratiarum possim assequi, fidelissimis devotissimisque officiis singularem istum amorem perpetuo observabo: huiusmodi tamen est V. Sanctitatis in me benignitas, ut ad tot eademque non vulgaria in me collata beneficia culmen semper adiungere conetur, quod est in Dñi Bathoniensis a se recessu apertissime testata: preciosissimam enim Indulgentiarum sacrarumque remissionum bullam illi ad me perferendam dedit, qua dive Marie de Ipswyco sacellum huius Regni ob sacra miracula fulgentissimum lumen, ac meum natale solum decorare dignata fuit, ex quo erga dictum locum optimo respectu ingentique in me beneficentia ad devotionis mee vinculum, quantum potuit, tantundem nunc accessit, nec testimonium ullum propensae suae in me voluntatis poterat hoc gratius vel optatius a V. Beatitudine exhiberi. Sed quum de ipsius in me facilitate ac bonitate omnia propemodum iam mihi pollicear, pro hac eadem re non verebor apud Sanctitatem V. eo fidentius intercedere, quod, que nunc sum petiturus, ab ipso indulto et concesse bulle argumento non admodum dissentiunt. Quia igitur in Bullae exordio nonnihil erratum est, multaque in enarratione sunt inserta, que non usquequaque suo loco exponuntur, dictam bullam iuxta exemplar, quod ad Regios Oratores adnotatum impresentia mitto, corrigi, emendari et in perpetuam rei memoriam a Vestra Beatitudine reformari precor: ipsamque humillime obsecro, ut preter id dignetur quoque ex innata sua liberalitate ad prescripta, et in bulla contenta Indulgentiarum ac remissionum tempora, festum Adnunciationis B. Marie virginis adiungere: ex hacque bulla intimis precordiis laetor optatissimam oblatam facultatem perpetuis monumentis eius nomen ad Dei gloriam celebrandi, et ad Religionis nostrae cultum, ad sacras confessiones et ad indulgentias, quas modis omnibus saevissime oppugnat Lutheranus, venerandas et observandas per universum hoc Regnum Christifidelium corda et mentes alliciendi. Proinde quam humillime possum V. Sanctitati supplico, ut huic meo voto benignissime adnuere velit, ex quo maximum ornamentum mihi accessum existimabo. Et felicissime ipsa valeat, Cui me ac mea omnia etiam atque etiam reverentissime commendo. Londini die XVI. Aprilis M.D.XXVI.

E. V(est)rae S(anctita)tis

Humillimus ac devotissimus servitor

T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCXXXIII.

Rex Angliae pontifici grates reddit de Gambara nuntio ad se misso, doletque, quod Melchiorem Langum alterum nuntium revocet. Ex orig.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, ac devotissima pedum oscula beatorum. Accepimus Vestrae Sanctitatis Breve, ceteris omnibus adsimile, amoris scilicet et paterni erga nos studii plenum, quo Reverendum Dominum Prothonotarium Gambaram suum ad nos impresentia missum nuncium commendat, simulque venerandum Dominum

Melchiorem Langum nonnullorum negociorum gratia ad se revocat. Dictum itaque Reverendum Dominum Prothonotarium, etsi ea prudentia, eruditione, probitate atque industria preditum esse iudicemus, ut suis meritis ac virtutibus gratus et acceptus nobis esse debeat, Vestrae tamen Beatitudinis commendatione et intuitu inter carissimos dilectissimosque nostros admisimus, benigne semper illum audituri, ac eius sermone plurimum oblectabimur. Dominum autem Melchiorem, quoniam in hoc sibi commisso oratorio munere prudentissime se gessit, magnamque fidem, observantiam et diligentiam in Vestrae Beatitudinis occurrentibus negociis semper prestitit, summopere amamus: cuius revocationem et a nobis discessum molesto sane animo tulissemus, nisi Vestra Sanctitas hoc recens ad nos benevolentiae suae pignus destinasset, proculdubioque confideremus eiusdem Domini Melchioris honorem, commodum et ornamentum ex hac revocatione plurimum adauctum iri: libenti idcirco animo facultatem ac licentiam redeundi illi concessimus, Vestramque Beatitudinem summopere rogamus, ut preter id, quod ultro factura est, dignetur hac quoque sedula commendatione, que a nostro de Domini Melchioris virtutibus iudicio nimirum proficiscitur, cariorem ipsum sibi habere, quod nobis gratissimum optatissimumque est futurum. Multa deinde cum eo loquuti sumus de filiali nostro erga Sanctitatem Vestram affectu, que ab illo diligenter atque fideliter exposita iri non dubitamus. Et felicissime ac diutissime ipsa valeat. Ex Regia nostra Grenwci die III. Maii MDXXVI.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hibernie

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCXCIV.

Cardinalis Eboracensis pontifici, et collegium Oxoniense a se fundatum quibusdam gratiis augeat. Ex orig. Litt. Princip. Tom. IV. fol. 128.

Sanctissimo benignissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, deosculatis sanctissimis Vestre Beatitudinis pedibus, et humillima commendatione premissa. Quoniam sepe antea apertissimis argumentis perspexi, quanto studio et ardore Sanctitas Vestra optimas litteras sanasque disciplinas foveat, non ignara precipuum solidissimumque has esse fundamentum atque praesiduum christiane religionis, catholiceque conservande fidei, in cuius rei gratiam omni suo patrocinio ac liberalitate his omnibus ipsa toto pectore inceptis adest, que in salubrium studiorum incrementum, ullo modo cedere posse cognoscit. Ex tanta igitur occasione et ex tam ingenti Vestre Sanctitatis in me sepius comprobata beneficentia animum semper, et audaciam quandam mihi vendico, eius patrocinium et authoritatem conatibus meis in commune certe bonum tendentibus accommodandi, vinculoque indies tenaciori me sibi adstringendi. Quum itaque (Sanctitate Vestra maxime adiuvante, et prorsus ex animi mei sententia favente) Collegium bonis studiis, atque omni eruditionum generi dicatum nuper Oxonie extrusserim, mei officii potissimum esse iudicio totis viribus invigilare, quo pacto queam illius perpetuo stabilimento, splendori et commodo consulere. In hanc curam et cogitationem, dum sedulo incumberem, occurrerunt nonnulla tum necessaria, tum utilia, que a Beatitudine Vestra in prioribus suis indultis corrigerentur, immutarentur, et adderentur, super quibus nunc Regios istic Oratores sigillatim instruo, et hec huiusmodi sunt, que in apostolice authoritatis incrementum, in sacrosancte nostre religionis conservationem, in nulliusque preiudicium cedere queant. Vestram proinde Beatitudinem humillime obsecro, ut sua solita erga me benignitate ac facilitate dignetur huic meo in praefato Collegio exornando proposito assentiri. Quid vero a Sanctitate Vestra summis nunc votis ac precibus ardentissime contendam, ex regiis oratoribus, ad quos de re tota uberrime perscribo, sigillatim intelligit, que grandius nullum potest in me beneficium collocare, nec arctiori servitutis nexu me sibi adstringere, quam mee huic petitioni nunc benigne adnuere. Reliqua autem, que alicuius momenti publicas actiones concernunt, prefati Oratores, meo nomine Sanctitati Vestre exponent, et me etiam atque etiam ipsi humillime ac devotissime commendo. Londini ex meis Edibus die XXVIII. Iulii M.D.XXVI.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque humillimus servitor

T. CARDINALIS EBORACENSIS

DCCCCXCV.

Idem cardinalis pontifici significat se ac regem eius studio res christianas componendi pro viribus obsecundaturos. Ex orig. Litt. Princip. Tom. IV. fol. 136.

Beatissime pater, deosculatis sanctissimis Vestre Beatitudinis pedibus, et humillima commendatione premissa. Observantia atque devotio, quam ob multa in me collata beneficia Sanctitati Vestre, ac sacrosancte isti Sedi iampridem addixi, perpetuoque servitutis nexu dicavi, semper effecit, ut que in Vestre Beatitudinis securitatem, existimationem, authoritatem, Romaneque Ecclesie splendorem ac dignitatem cessura viderentur, ea fidelissime suaderem, et pro viribus procurarem, quod profecto officium, quum ad universale bonum communemque concordiam, ac durum servitutis tyrannidisque iugum excutiendum recta tendat, nullumque haberi possit bono Cardinale dignius, illud pre ceteris mihi statui imitandum: et sicut fieri potest, quod ob virium imbecillitatem non queat illud omni ex parte aliquando prestari, ita modis omnibus enitar, ut fide et voluntate id compensem, nec ulla aut temporum aut successuum immutatio ab hoc meo instituto me abducet. Video, Sanctissime pater, quantum Sanctitas Vestra Regie huius Invictissime Maiestatis authoritati, meisque fidelissimis consiliis in foedere cum Charissimo Gallorum Rege ineundo tribuerit, in eoque agnosco Beatitudinem Vestram, preter manifestam quandam communis boni necessitatem, sub nostri quoque spe audentius, quam fecisset, arma sum-

psisse. Itaque compertissimum habeat Serenissimum hunc Regem, cuius erga Romanam Sedem, eruditionis ac devotissimi animi exhibitis argumentis, merita multifaria sepius eadem Vestra Sanctitas experta est, nunquam ei defuturum esse tantopere minus, quod maior multo voluntatum coniunctio ipsi cum Vestra Beatitudine, quam cum eius predecessoribus, nunc intercedit. Ego vero vel proprio sanguine comprobaturum me confido, quam ex animo sim Vestre Sanctitatis totus obnoxius et fidelissimi prestandi ministerii cupidus, id quod in hoc etiam negocio, in quo Sanctitas Vestra maxime versatur, pietatis studiique mei significatione, quoad fieri hinc poterit, effecturum me spero: sed quum non mediocres adsint difficultates, que non sinant meam me hanc voluntatem ea, qua vellem, promptitudine et celeritate rebus ipsis ostendere, cogarque, quos arbitror conducibiliores et magis fructuosos esse modos, his tractandis actionibus apponere, oportet non nunquam et expedit parva interiecta mora res magnas moderari. Interim tamen Vestram Beatitudinem humillime obsecro, ut ex hac breviuscula consiliorum dilatione nolit quicquam nisi syncerum hinc maximeque constans expectare, nec ullis sinistris consiliis aures accomodans a suo iustissimo instituto deterreri, et timore potius, quam periculo adacta, res suas festinanter agere. Animum deinde huius Regie Maiestatis et meam observantiam, quam enitar efficere, ut aliqui subsequantur effectus, iam arbitror Sanctitatem Vestram ex Reverendi Domini Sange literis accepisse, et ex illo coram perspecturam uberius: ei enim mea interiora consilia, cordis cogitatus, et me totum Beatitudini Vestre exponendum aperui, qui tantum studii, prudentie, dexteritatis ac diligentie in mandatis obeundis hic adhibuit, ut ad maxima queque gerenda amplissimum ministrum ilium esse censeam. Et felicissime valeat Sanctitas Vestra, Cui me etiam atque etiam reverentissime commendo. Ex Edibus meis apud Morum die IIII. Septembris M.D.XXVI.

E. V. S(anctita)tis

Humillima ac devotissima creatura

T. Cardinalis Eboracensis.

DCCCCXCVI.

Rex Angliae pontifici Staphyleum episcopum Galliarum regis et suum oratorem enixe commendat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Quum a Rege Christmo, fratre nostro amantissimo, ad Sanctitatem Vestram orator impresentia mittatur Reverendus Dominus Episcopus Staphyleus, inter eiusque Maiestatem et nos indissolubili iam stabilito amicitiae nexu, uterque nostrum ingenti de Vestra Beatitudine optime merendi, Sedemque apostolicam in pristinum statum restituendi studio et ardore teneatur: voluimus et nos quoque devotissimum hunc nostrum animum et consilia, nonnullaque gravissimi momenti negocia per eundem Dominum Staphyleum ipsi declarare, ut cognoscat, nulli nos boni principis et obsequentissimi filii officio deesse. Vestram igitur Sanctitatem impensissime rogamus, ut eidem Reverendo Domino Staphyleo super his ac aliis omnibus, quae nostro nomine referet, certissimam fidem praestare, et eum in omnibus agendis carissimum acceptissimumque sibi in praecipuam nostram gratiam habere dignetur. Ac felicissime et diutissime ipsa valeat. Ex Regia nostra Grenwci die V. Ianuarii M.D.XXVII.

E. V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dñus Hiberniae

Henricus.

Petrus Vannes.

DCCCCLXXXVII.

Rex Angliae gratulatur pontifici de eius liberatione, commendatque ipsi negotia sua (ut videtur, matrimonii). Ex orig. Instrum. Miscell.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, ac devotissima pedum oscula beatorum. Dolorem, quam ex Vestrae Sanct. captivitate, omnium acerbisimum, antea conceperamus, eiusdem nunc liberationis votis omnibus a Deo expetitae acceptum breve sic emollivit: nec enim fieri potuit, ut tam subito omnem abstergeret, ut in novam quandam et omnium maximam laetitiam, publicamque felicitatem prorsus conversi sumus. Quid namque illi christiano principi, nedum nobis, qui amore vere filiali, et mutuis continuisque utrinque officiis Vestrae Sanctitati tenacissime adligamur, optatius vel felicius contingere potuisset, quam de eius liberatione nunc allatum nuncium? publicum optimumque parentem languenti orbi fuisse restitutum? sanctaeque apostolicae Sedi et christianae religioni verum caput et moderatorem redditum? divinaque potius providentia, quam humano consilio tantis superatis turbinibus salvum et incolumem evasisse? Quod certe summum beneficium, sicuti omnipotenti Deo, qui humilia ex alto respicit, acceptum referimus, ita ut perpetuum esse faciat, syncerissimis supplicationibus et sacrificiis ab eius divina Maiestate precabimur, nominique suo gloriam ac laudem sempiternam ex animo dabimus, quod suae miserum in modum afflictae plebeculae tandem misertus, suum pastorem verumque parentem de manu inimicorum in omnium salutem liberavit: ex qua nunc Dei benignitate et clementia certe confidimus, fore, ut pristinum suum nitorem, dignitatem et authoritatem omnia recuperent, ex tantisque perpessis calamitatibus Vestrae Sanctitatis probitas, innocentia, virtus ac pietas universo sit orbi in multo maiore, quam antea, veneratione futura. Quod vero suam se liberationem nobis debere agnoscit et scribit, hanc nunc Deo servatori nostro acceptam referimus, illud interim de nobis nequaquam reticentes nullis nunciis aut litteris, nullisve opibus aut officiis defuisse, ut Sanctitatis Vestrae liberationem maturaremus, quam etiam prorsus decreveramus vel proprio sanguine et nostrae salutis discrimine iuvare, quae nunc officia in heu nimium conculcatae ecclesiae sublevando statu, in Vestra Beatitudine recreanda, et in apostolice Sedis dignitate recuperanda, omni studio, ardore ac

promptitudine exponemus, superfluumque fore existimamus, ut ipsa a nobis petat, quod ea, quae salutis suae gratia cum hostibus agere, et conditiones, quas subire necessitate coacta est, eo quo gesta sunt animo accipere velimus, cum certum habeamus non nisi divino prudentique consilio, et nulla sui erga nos animi immutatione fuisse facta, sed solum Sanctitatem V. necessitate metuque adactam, ut tam impias hostium manus evaderet, conditiones eas subiisse, de quibus iam deferente fama intelleximus, et multo uberius ex prothonotario Gambara, quo nullum V. Sanctitas potuisset gratiorem nuncium ad nos remittere, brevi percepturos nos speramus: verum tamen Vestra nunc Sanctitate in libertatem restituta, ex sua conservatione potissimum totiusque Christianae reipublicae quiete est, ut ab his iniquis praestandis conditionibus omnino se contineat, et nihil observet, quod preter ius et honestum, et in suum confoederatorumque praeiudicium vi et potentia hostes extorxerunt: quod ut securius V. Sanctitas queat efficere, Dñs Lautrech expresse habet in mandatis, ut ad hostium perdendas reliquias audacter progrediatur, quo tandem subacti hostes cogantur moderatas a V. Beatitudine conditiones, quas ipsa dabit, et non eas, quas illi tanta saevitia antea praescripserant, accipere. Sicque Sanctitate Vestra una cum Sede apostolica in pristinam coronam et dignitatem restituta, universalis pax facilius ac celerius componi poterit: qua in re eam operam et adiumentum una cum Carissimo fratre et confoederato nostro perpetuo Rege Christianissimo Beatitudini Vestrae praestabimus, quod plane ex eius sententia in viribusque nostris fuerit. Quid autem in V. Sanctitatis gratiam hactenus effecerimus, longe apertius et distinctius posthac quam adhuc ob recentem liberationem potuerit, Vra. Sanctitas cognoscet, ex quorum nostrorum iam praestitorum officiorum testimonio facile iudicare poterit, quanto his maiora sibi queat de nobis polliceri, quem certe addictissimum nostrum animum sibi totique suae familiae, non absque fructu, hoc solo officio in perpetuum confirmabit: si videlicet in his concedendis, in quibus nostra Regnique nostri salus et quies versatur, et de quibus tum nostris litteris, tum oratoribus apud S. V. nuper ardentissime ac vehementissime egimus, benignam, facilem et propensam se praestiterit, et ita nos sibi apostolicaeque conservandae, iuvandae ac protegendae Sedi praeter id, quod quilibet principes ex iure debet, adstringet, ut nos Regnumque nostrum suis semper votis promptissimum sit habitura, uti magis sigillatim ex Magnifico Domino Gregorio Casalio Oratore nostro V. Beatitudo intelliget, cui ut certissimam fidem et expeditionem a nobis omnium maxime expectatam concedere velit, impensissime rogamus. Et felicissime ac diutissime ipsa valeat. Ex Regia nostra Grenwci die VIII. Ianuarii M.D.XXVII(?XXVIII).

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dñus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCLXXXVIII.

Cardinalis Eboracensis gratulatur pontifici de libertate recuperata post excidium Romanum, commendatque ipsi negotia regis. Ex originali Litt. divers. sub Clem. VII. Tom. XVIII. fol. 36.

Sanctissimo Clementmoque Dño Nostro Papae.

Beatme pater, deosculatis sanctissimis V. Beatitudinis pedibus et humillima commendatione praemissa. Tunc cum maxime ob indignissimam Sanctitatis V. captivitatem excruciarer, optatissimum ab ea accepi breve adeptae tandem libertatis, quod certe non alio animo sum complexus, ut veneratus, illud perpetui monumenti loco habiturus, quam si inde solum omnis mea salus dependisset, visusque profecto sum molestiam conceptam animo gravissimam statim exuisse ob novum lumen, quod ex optimi communisque parentis restitutione universo orbi iam affulsit. Nunc igitur, Beatissime pater, felicem istam, et publico voto expetitam assecutamque libertatem V. Sanctitati iterum atque iterum reverentissime gratulor, omnipotentique Deo laudem et gratiam habeo, quod in tanta Christianae reipublicae afflictione suae nos misericordiae voluerit esse participes, et Dominico disiecto gregi verum pastorem reddiderit, qui pro ovibus ab iniquissimorum hominum rapacitate conservandis propriam animam atque salutem exponere neutiquam recusavit. Est nimirum, quod V. Sanctitas perpessas calamitates leviores, vel potius nullas esse arbitretur, cum tam certo testimonio Deus optimus maximus nunc palam fecerit, Petri naviculam, utcunque fluctuantem, nunquam posse submergi. Serma vero haec Regis Maiestas, quae omni ex parte, officio ac pietate suam observantiam et fidem erga Sedem apostolicam, Vestramque Sanctitatem, dum captiva detineretur, cumulatissime comprobavit, de eius liberatione felicissimo accepto nuncio sic intimis praecordiis nunc exultat, ut grandem opulentissimumque thesaurum sortita videatur, publicisque et privatis verae laetitiae solidique gaudii inditiis testatur, quam ex animo Beatitudinis V. liberationem veneretur, et celebret, nec video, cur Sanctitas V. diutius angatur ob graves conditiones, quas suo brevi conqueritur ab hostium violentia fuisse extortas: nam ut impium et sceleratum haberi potest eas Christi Vicario ab his, qui in Christiano nomine falso gloriantur, fuisse praescriptas, ita non minus impium fuerit, excusso servitutis iugo, et adepta libertate, quae soli Deo accepta referri debet, tam enormes conditiones tanto cum Sedis apostolicae detrimento nunc velle praestare, quae facile universalem pacem impedire, vel retardare possent, execrabileque rursus incendium excitaretur, quod nunc, si modo V. Sanctitas fortem atque constantem animum induat, nullo labore potest restingui. Actiones itaque omnes suas Sermae huius Regiae Maiestatis, et Regis Christianissimi consiliis et conatibus adiungat, quorum fidem et observantiam, iudicio non obscuro, compertissimam habet, et ea in apostolica Sedis restituendo statu, in Vestraque Beatitudine sublevanda, ac tantis reparandis malis subsidia et adiumenta praestabunt, quae ab eis quoquo modo subministrari potuerunt: et

sic ego meam operam interponam, ut sperem Sanctitatem V. manifeste pespecturam esse, devotissimum meum de se, nobilissimaque sua familia optime merendi studium, quod suo tempore rebus ipsis, quam nunc litteris, cumulatius declarabo, et magni beneficii loco mihi est, ex benignissimo V. Beatitudinis ad me brevi intellexisse, officia, quae in tanta calamitate syncerissime praestiti, ab ea non prorsus ignorari. Postremo Serm̃i Dñi mei Regis causam, quam apud Sanctitatem V. litteris et nunciis ardentissime agit, omni studio atque vehementia commendarem, nisi viderer de eius paterno affectu ac benevolentia erga hanc Regiam Maiestatem diffidere, quae de V. Beatitudinis amore non alia sibi pollicetur, quam quae optimus filius posset ab indulgentissimo patre expectare: hoc ideo tantum addam, id quod petitur, sanctum ac rectum esse, maximeque ex huius Regni apostolicae Sedi addictissimi quiete ac salute fore, ut nulla iniecta mora quam primum concedatur, eademque Regia Maiestas istud suum desiderium facillime impetraturam se confidit, si V. Sanctitas parem affectum, quem amantissimis suis brevibus continue testatur, in hac nunc sua petitione, ut nihil ambigit, benignissime adnuenda comprobaverit, et compertissimum sibi habeat, in ea sola causa, quae summi est momenti, nunc posse Regiae Maiestatis animum in perpetuum sibi confirmare, meorumque ego officiorum et observantiae ingentem gratiam videbor consecutus, si pulcherrimam hanc occasionem fuerim nactus sanctae apostolicae Sedis causas apud Serm̃um hunc Principem posthac promovendi atque iuvandi. Sed de his aliisque multis ad Magnificum Equitem Dñum Gregorium Casalium, Regiae Maiestatis Consiliarium et Oratorem, impraesentia scribo, cui, ut certissimam fidem velit Sanctitas V. in omnibus habere, humillime precor, eique me etiam ac etiam reverentissime commendo. Londini ex meis aedibus die VII. Ianuarii M.D.XXVII(?XXVIII).

E. V. S(anctita)tis

Humillima ac devotissima creatura
T. Cardinalis Eboracensis.

DCCCCLXXXIX.

Rex Angliae cum cardinali Rodulpho de urbis clade, et de atrocissimis iniuriis summo pontifici illatis conqueritur, ipsique significat se cum Gallorum rege consilia de liberando pontifice communicaturum. Ex orig. corruso. Instrum. Miscell.

Revm̃o in Christo Patri Dño Card. Rodulfo etc.
Legato Patrimonii, Amico nostro Carissimo.

Henricus Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dñus Hiberniae, Revm̃o in Christo patri Dño S. R. E. Cardinali Rodulfo, Amico nostro carissimo, Salutem. Arbitramur mortalium neminem esse, qui cladem et contumeliam alme Urbis Rome (quam apostolorum Sedem ad haec usque tempora summa omnium veneratione intemeratam Christus esse voluit) aut siccis oculis videre, aut non geme.............. triste nuncium audire potuerit. Quod enim facinus excogitari potuerat sceleratius ab his presertim, qui......... vel addixerant religioni, quam ut eam modis omnibus nunc perdere conentur! quorum certe tam preceps extitit...... dirissima et crudelissima queque in Sanctissimum D. N. verum et unicum in terris Christi vicarium patrare sint ausi, eo ....pite sublato, Dominicique gregis percusso pastore, Sancta corrueret ecclesia, lupisque rapacibus asservante, n.......es laniende traderentur. Ad hec (que nefanda scelera catholicum pectus meminisse horret) a c........ non abstinuerunt, sed crudelissimum facinus crudelissimo facinore suporarunt, Sanctaque Civitate .... rapinam occupata, Sacra atque profana nullo dis.......... ponunt, et ut omnis generis mala sileamus .... luctu et miseratione dignum putamus, quod magno illo s.....te, et summo in humanis antistite, et cui........... tale divina instituta in hominum salutem moder...ur, in turpissimam nunc attracto captivitatem ....is Dei, Sanctorumque reliquias inaudita foeditate con.....arunt, conculcandasque passim disiecerunt .....mum vernaculum, quod admirabili veneratione a Christifidelibus colebatur, atrocissime concremarunt, nobilissimum Christi sanguinem et preciosissimum corpus per iniuriam,........ contemptum effuderunt, que certe tam gravia et non...erenda mala ad sui restitutionem christianos omnes, nedum principes permovisse debent. Nos vero officii nostri memores, et tituli fidei defensoris non obliti, statutum .... motumque habemus (quoad fieri per nos potest..... vocationi respondere, huic procelle succurrere, nihil non facere et omnes tentare modos, omnes experiri vias ad sanguinem usque nostrum, quibus lapsam S. Romane Ecclesie dignitatem inter....re resarcire, capiti communique parenti libertatem asserere, et Christo illatas iniurias reparare possumus. Q........tem pro ea, quam obtinetis dignitatem, Rm̃am D. Vestram ceterosque suos confratres, quos divina misericordia a tam atroci captivitate sancte Romane apostoliceque Sedi integros reservavit, et quorum imprimis interessent tanto malo in tempore mederi, paris animi ardoris ac voluntatis esse non ambigimus, magnam restituendae rei spem fiduciamque concepimus. Huius igitur tam necessarii operis gratia Rm̃um atque Illm̃um D. Cardinalem Eboracensem Sanctae Apostolicae Sedis de Latere Legatum, observantissimum Vestri Senatus membrum, nostrumque locumtenentem, et de quo non aliter, quam de nobis ipsis plenissime confidimus, ad Christianissimum Gallorum Regem fratrem nostrum Carissimum impresentia misimus, in mandatisque dedimus, ut ad eum locum mox se recipiat, ubi de re tanta commodius consuli tractarique possit. Vestram proinde Rm̃am Dominationem rogamus et obtestamur, ut ad eum locum, qui veluti commodior assignabitur, convenire velit, et cause .... omnium gravissime labores omnes posthabere, quo una cum eodem Rm̃o Dño Legato, aliisque, qui illic aderunt, confratribus communi consilio pro Sanctm̃i Domini Nostri liberatione, et pro tam sevis avertendis malis ille ineatur modus, qui expeditior et conducibilior fuerit habitus. Quicquid vero una cum illo nostro nomine statuetur, gratum et ratum ha-

bebimus, et omni nostra authoritate, opera ac viribus prestare conabimur. Et feliciter valete. Ex Regia nostra Wyndsore die x. Iulii M.D.XXVII.

Vester bonus amicus
HENRICUS.
PETRUS VANNES.

DCCCCXC.

Cardinalis Eboracensis pontificem de luctuosissimo urbis excidio consolatur. Ex orig. Litt. Princip. Tom. IV. fol. 233.

Beatissime Pater, deosculatis sanctissimis V. Beatitudinis pedibus, et humillima commendatione premissa. Si in acerbissimo isto V. Sanctitatis luctu, et publica totius Christianitatis perturbatione velim consolationem ullam adhibere, nil aliud me assequuturum video, quam ut utrinque ex tanta infoelicitate conceptum augeam dolorem, quem vel hec una ratio multa in parte iam posset emollire, ac ex tam gravibus successibus eam animi fortitudinem Sanctitas V. induisse debet, ut optimorum consiliorum in universalis tranquillitatis gratiam antea susceptorum, conscientia freta, graviora nulla pericula his, que passa est, amplius timeat, meminéritque, Deo duce, se sanctamque ecclesiam, post tam saevos superatos fluctus, in pristinum splendorem quandoque restitutam iri, ac tam ingentium malorum recordationem V. Sanctitati oblectamento futuram: bono itaque animo esse velit, et divina sua prudentia sic affectus moderetur, ut eos conculcasse potius, quam his succubuisse existimetur, eiusmodique ego ex publicis actionibus spem concepi, ut brevi confidam omnia pacata iri, qua in re etsi adeo ex animo elaboraverim, ut in propria conservanda salute plura prestare nequivissem, doleo tamen me longe minus hactenus profecisse, quam rei magnitudo exposcit, meaque fides et observantia maxime vellet. Habet V. Sanctitas pientissimum hunc Regem, qui officium nullum in afflictis eius iuvandis rebus huc usque pretermisit, nec proprio sanguini, nedum opibus parcens antea conquiescet, quam filialem suum affectum et in apostolicam Sedem studium testatum fecerit. Interea vero, quum alia ratione nequeat ad Sanctitatem V. consolandam, oratorem mittit dilectum suum Consiliarium Dñum Gregorium Casalium, qui etiam in nonnullis gravissimi momenti pro eodem Serño Dño meo Rege impetrandis rebus humillime V. Sanctitati supplicabit, que tantopere eius Regie Maiestati cordi sunt, et tanta earum sollicitudine afficitur, ut in humanis nihil queat ardentius aut vehementius expectare, et ego putem nunc esse oblatam occasionem, qua V. Sanctitas ex devincto eum perpetuo sibi devinctissimum reddere, ac sui iuris et arbitrii totum facere, modo addens, nulla in re V. Sanctitatem aeque ac in hac posse dictam Regiam Maiestatem suis desideriis arctius adstringere. De me autem omnia sibi polliceatur, que unquam, et iam cum meae salutis discrimine in suam gratiam effici poterunt, quemadmodum idem Dñus Gregorius meo nomine coram refert uberius, cui, V. Sanctitatem humillime rogo, ut certissimam in omnibus fidem prestare dignetur, quam Deus Opt. Max. incolumem et foelicem suo gregi restituat. Londini ex meis edibus die v. Decembris M.D.XXVII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis
Humillima ac devotissima creatura
T. CARDINALIS EBORACENSIS.

DCCCCXCI.

Rex Angliae pontifici intimum sui animi dolorem de urbis excidio exponit, commendatque ipsi impensissime per oratorem suum negotium (ut videtur, matrimonii sui). Ex orig. Litt. Princip. Tom. IV. fol. 234.

Sanctmõ Clementissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Etsi mallemus post tam saevos turbines ea rediisse tempora, quibus acerbissimum Vre. Sanctitatis dolorem gratulatione tollere e pectore, quam consolatione ulla possemus emollire: filialis tamen nostre observantie esse existimamus, dum non alia ratione licet, devoto saltem consolandi officio non deesse, et quod libentius et cumulatius presentes prestaremus, id nunc litteris et nunciis pari studio et affectu prestare. Magnificum itaque Dominum Gregorium Casalium dilectum nostrum Consiliarium et oratorem ad Vestram Sanctitatem impresentia mittimus, tum ut quamcumque hoc tempore fieri possit, istis, heu nimium afflictis rebus consolationem afferat, tum etiam ut quedam maximi momenti, et quibus nihil nobis magis est cordi, nostro nomine a V. Beatitudine nobis concedi et indulgeri humillime supplicet, que, quum sint huiusmodi, ut rerum omnium ea maxime exoptemus, Sanctitatem V. iterum atque iterum obsecramus, ut huic nostro desyderio expectationique dignetur, si unquam antea, nunc presertim satisfacere, in eoque concedendo benignissimam, ut solet, se prebere: qua in re sic nos sibi suisque omnibus in perpetuum devinciet, ut nil posthac in eius gratiam utcumque grande recusaturi simus. Et optime ac diutissime ipsa valeat. Ex Regia nostra Grenwici die VI. Decembris M.D.XXVII

E. V. S. (Verba sequentia manu propria regis scripta).

Bñe Pater, negocium hoc, de quo impetrando nostro nomine Dñs Gregorius cum Vra. Sanctitate aget, tanto studio ac sollecitudine cordi habemus, ut, si ullam unquam nostram operam aut auxilium suis vel suorum rebus Vestra Sanctitas optat, eius nunc potissimum benignitatem in hoc nostro obtinendo desiderio promptam facilemque expectemus.

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia, Rex
Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac dñus Hibernie
HENRICUS.
PETRUS VANNES.

DCCCCXCII.

Dux Albaniae pontificem in luctuoso urbis excidio consolatur, eumque de calamitosa Scotiae conditione certiorem reddit. Ex orig. Litt. Principum Tom. IV. fol. 311.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime Pater, devotissima ad pedes oscula. Cum hec secula nostra infelicissima innumeras cala-

mitates attulerint, hoc tamen omnium gravissimum erat, Rempublicam Christianam non solum hostium cruentissimorum Turcharum bellis incursionibusque continuis oppressam, sed et hereticorum perversis scismatibus oppugnatam, mediis cladibus sui capitis pastoris ac defensoris unici Sanctitatis Vre. auxilio destitutam, errabundam tandem ac orbatam omnium inimicorum faucibus predam iamdiu patuisse, que omnia cum ob Religionis Christiane non modicas iacturas, tum Sanctitatis V. anxietates graves, teste conscientia coram Deo hisque quibuscum versabar, neminem mortalium gravius me afficiebant. Solabar autem, propheta vaticinante, non visum iustum derelictum, et alibi de multis tribulationibus, quas pateretur, Dominum iustum erepturum, nec spe frustratus: relatis enim huc nuper non incertis nunciis Beatitudinem V. similiter et quos sua pro salute (rem nephandissimam nec inter extremos Scytas nominandam) obsides dederat, perditissimorum manus spurcissimas evasisse, ingenti gaudio subito perculsus, imprimis sancto numini, cuius singulari ope hoc processisse iudico, gratias continuo agens. Deinde Sanctitatis V. prudentie, fortitudini, patientie, solertie diligentiisque summis toto animi affectum humilime congratulor: tot enim in me Beatitudinis Vestre semper fuere collata beneficia, ut pre ceteris non possim nisi singulariter suis tribulationibus compati, suisque rebus prosperis gaudere. Capite etenim affecto, membra omnia dolere necessum est, quod et experimentum non fallax docuit. Urbinatem enim Ducem carissimam neptem, etate teneram, cunctis mortalibus innoxiam, Florentina civitate ingratissima statim expulsam, in sanctimonialium cenobium sese recipere ingrati cives vix perpessi sunt, ubi tenue nimis et contra sui status morem non sine gravi sue vite periculo iam dudum victivavit, quoniam epidimie peste inficientissima ingruente cumplurime sanctimoniales desiderate fuissent. Ipsa nec illinc exire audebat, nec quorsum diverteret, habebat. Quod et ego carni et sanguini meo coniunctissimo compatiens non nisi magno animi merore intellexi. Egi autem totis viribus non mea tantum et amicorum sollicitudine, sed et Christianissime Maiestatis precibus, ac multiplicatis literis erga Florentinos, ut in teneram et innocentem puellam, totamque Sanctitatis V. familiam, que de eorum Republica semper optime merita fuit, tandem sevire ac debaccari cessarent, que omnia apud ingratissimos cives parum hucusque profuisse arbitror. Sanctitatem autem Vestram deinceps tenerrime nepti prudentia sua consulto provisuram non ambigo, cui ego pro virium modulo ad extremum in nullis deero.

Demum, Beatissime pater, Sanctitatem V. non latere existimo, quandam familiam Donglasseam iuvenem Scotorum Regem palam renitentem, tribusque Regni statibus contradicentibus, suis manibus ut ergastulo et carcere privato detinere, plurimosque Regni maiores Rempublicam servitute miserrima liberare conantes, proditorie occidisse, proventus Regios in suos usus applicantes, sacerdotia quibus placent conferendo, et breviter divina humanaque omnia sua pro libidine iamdudum subvertentes, Reges Regnumque servitute misera continere, quibus Sanctitatis Vestre auxilio fretus brevi consulendum spero. Super quibus omnibus aliisque negociis meis (que si adamussim scribere deberem, aures sanctissimas offenderem) Reverendissimum dominum cardinalem Salviati, Sanctitatis V. legatum, pariter et magnificentissimum dñum comitem de Carpi Sanctitati V. fidelissimum hic agentes ore conferens certiores reddidi, quibus atque mihi fidem indubiam in rebus meis adhibere Sanctitatem V. humillime obsecro, utque mihi devotissimo semperque obsequentissimo suorum negociorum onera, si quid posse vires meas visum fuerit, suis iussis acceptissimis impertiatur, quibus nullatenus nec extremo vite flatu defuturum me obtestor. Nihil enim mihi gratius Sanctitatis V. litteris imperiisve obvenire possit, quam ad felicius ecclesie catholice moderamen in secula longa omnipotens incolumen prosperrime secundet. Parrhisiis pridie Calendas Ianuarias Anno Virginei partus septimo supra millesimum quingentesimum vigesimum.

E. S. V.

Humilimus, devotissimus ac obsequentissimus filius et servitor

Jehan.

DCCCCXCIII.

Rex Angliae pontifici de recuperata valetudine gratulatur. Ex originali.

Sanctmõ Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime Pater, post humillimam commendationem, ac devotmã pedum oscula beatorum. Quanto graviori animi moerore et tristitia adversam Beatitudinis V. valetudinem paulo antea intellexeramus, et quanto magis molestam incommodamque communibus omnium Christianorum rebus, his praesertim temporibus, eam accidisse existimabamus, tanto maiori nunc laetitia nostraque cum voluptate nuncium de eius convalescentia nostrorum istic Oratorum litteris accepimus, quod adeo nobis gratum optatumque contigit, tantumque solidi gaudii attulit, ut nullis unquam litteris exprimi, nulloque pacto a quoquam excogitari posse arbitremur. Quare tam ingenti hilaritate perfusi nos continere nequivimus, quin harum litterarum officio Vestrae Sanctitatis recuperatam valetudinem et incolumitatem (qua nihil gratius, nihil acceptius multis de causis desiderare possumus) non solum ei et publice et privatim, verum etiam universae reipublicae Christianae toto pectore gratulemur, cui quam necessaria sit V. Sanctitatis salus et conservatio, quamque apta et commoda universali tractandae concordiae hoc potissimum tempore habeatur, nemo non videt, et nos, qui summum ac vere primum erga commune totius Christianitatis bonum et quietem Beatitudinis Vestrae studium iampridem perspectissimum habemus, quam oportune ineffabilis Domini nostri bonitas clementiaque nobis incolumem eam servaverit, probe intelligimus. Quapropter hoc ingens de eius convalescentia toti Orbi christiano divinitus (ut pu-

tamus) elargitum beneficium, sicut Deo Opt. Max. penitus acceptum referimus, ita etiam eius divinae benignitati ex intimis praecordiis una cum universo hoc nostro Regno de eo quam maximas gratias agimus, assidue apud eum preces nostras cum publice tum privatim effundentes pro firma ac secunda V. Sanctitatis valetudine, quam ut diutissime incolumem servet Altissimus, et tueatur, summis votis precamur. Et felicissime veleat. Ex Regia nostra Grenwci die XIX. Februarii M.D.XXVIII.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Angliae et Franciae Rex, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

DCCCCXCIV.

Idem rex pontifici significat, se votis ipsius obsecundantem ordini hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani 20,000. coronarum pro expeditione contra Turcas donasse. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementi̅oque Dño Nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima beatorum pedum oscula. Etsi causas omnes, quae reipublicae christianae commodum et conservationem ullo modo concernunt, sponte nostra et ex christiani principis officio semper iuvare ac pro viribus promovere soliti sumus: in eas tamen, quas Vestrae Sanctitati probari cognovimus, eius etiam accedente commendatione, tanto promptiores efficimur, quanto maioris apud nos momenti pia Vestrae Beatitudinis consilia et paternas adhortationes esse debere intelligimus. Quare non mediocriter nuper gavisi sumus ex ipsius amantissimo brevi perspexisse, quantopere ipsa laudaverit promptam nostram voluntatem, et genuinum studium erga nobilissimam vetustissimamque hierosolymitani ordinis religionem, et quam grata habuerit officia nostra, quaecumque illa fuerunt, quae pro ea fovenda, erigenda protegendaque apud caeteros christianos principes interposuimus, apud quos, quum iam aliquid precibus ac litteris nostris profecisse nos intelligamus, designatamque ab eis pecuniam pro sanctissima illa expeditione adversus nostrae catholicae fidei hostes huius strenuissimae religionis opera suscipienda, ut cumulatius officio nostro satisfaciamus, ac rebus ipsis nos quoque hoc opus tam sanctum, tam pium, tam optimo quoque principe dignum, christianisque rebus imprimis utile ac necessarium pro viribus iuvemus, viginti millia coronarum praefatae hierosolymitanae religioni impraesentia dare decrevimus, cuius freti virtute, et praeclarissimis saepe antea pro Christi tuenda fide adversus perfidissimorum hostium conatus praestitis facinoribus, bonam spem concepimus fore, ut tam sanctum inceptum (si modo caeteri principes re vera nobiscum concurrant) optatum sortiatur exitum, nostrosque sumptus et subsidia haud frustra exposita fuisse perspiciamus. Quamobrem Sanctitatem Vestram ex animo rogamus et obsecramus, ut non solum dictae religioni, eiusque instaurandis et consolidandis viribus quoad potest adesse, et opem ferre velit, verum etiam opera, consilio, authoritate adhortationeque sua caeteros christianos principes in eodem proposito confirmare et retinere conetur. In quo et Deo et hominibus rem, supra quam dici potest, gratissimam V. Sanctitas praestabit, Quae felicissime ac diutissime valeat. Ex Regia nostra Grenwci die XXV. Februarii M.D.XXVIII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

DCCCCXCV.

Angliae rex commendat pontifici Alexandrum Douglas promovendum ad episcopatum Moraviensem in Scotia. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementi̅oque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Cum Serenissimus Rex Scotiae frater ac nepos noster carissimus suis impresentia litteris Sanctitatem Vestram humillime roget, ut Moraviensem Episcopatum, per obitum Reverendi in Christo patris Domini Roberti eius ultimi Episcopi in Regno Scotiae vacantem, dignetur praecipuo suo intuitu Domino Alexandro Douglas conferre, apostolicasque dispensationes, quibus ille forsan eget, benigne concedere: volumus et nos quoque, qui dicti Serenissimi nostri fratris honestis desideriis libentissime favemus, causam hanc Vestrae Beatitudini commendare, eam idcirco impense rogamus, ut in nostram etiam gratiam eius in hac re petitioni velit adnuere, et eam facilitatem in dicti Episcopatus collatione exhibere, qua ipse persentiat commendationem nostram sibi quam maxime profuisse, sinistrosque malevolorum conatus, qui eiusdem nepotis nostri iustum desiderium volunt interturbare et impedire, nullum apud Vestram Beatitudinem locum habuisse: in quo praeterquam quod magnopere nobis gratificabitur, confidimus quoque in dicto Domino Alexandro constituendo illic pastore quam optime ab eadem Vestra Sanctitate eiusdem Episcopatus quieti et solatio consultum iri. Et felicissime ipsa valeat. Ex Regia nostra Grenwci die XXXI. Maii M.D.XXVIII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCXCVI.

Idem rex pontifici ordinem hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani impense commendat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Tanto eodemque genuino animi ardore Vestra Sanctitas in causis omnibus, quae christianae nostrae fidei propagationem et conservationem quoquo modo concernunt, promovendis iuvandisque tenetur, ut nullam velit occasionem praetermittere catholicum suum pectus comprobandi: quae certe suae optimae volun-

tatis ratio et institutum sic nobis probatur, sicque pro viribus, quibuscumque officiis per nos fieri possit, exoptamus de Christi fide bene mereri, ut nobis propemodum iniuriam fecisse videatur, quod benignissimo suo brevi sanctam hyerosolymitani ordinis religionem, Rñumque eius Magistrum nobis studiosissime commendarit, quum utriusque res omnes syncerissimo semper affectu complexi simus. Caeterum, si ad summae nostrae erga dictum ordinem benevolentiae cumulum quicquam addi potuit, id omne tam sedula Vestrae Beatitudinis commendatione nuper accessit, adeo ut in strenuissimis huius religionis sparsis reliquiis colligendis, in iuribusque conservandis et restituendis velimus quodam modo cum Sanctitate Vestra ex aequo contendere, adnitique, ut clades, rapinae, cedes, spolia, innumeraeque calamitates, quas pro Christi nomine ab immanissimis Turcis sustinere, eis solatio et quieti nonnunquam esse possint. Etenim quod ad nos attinet, nulla christiani principis officia unquam sumus omissuri, quae in sancta hyerosolymitana religione sublevanda, in suumque splendorem restituenda cessura putaverimus, vel quae a nobis in ipsius commodum ac beneficium effici poterunt, quam nostram animi propensionem multo antea praestitissemus, nisi mutua Christianorum bella et dissidia eos principes impedivissent, a quibus subsidium subministrari debuisset. Sed speramus futurum aliquando, ut, Deo favente, pacata Christianitate, principum omnium in unum coniunctae vires in perfidos Dei hostes convertantur. Consilia autem, quae, Vestra Sanctitate auspice, de rebus orientalibus nuper sunt suscepta, prudentissimeque tractata, mirifice laudamus, ipsamque vehementissime precamur, ut in illis promovendis ad optatum usque exitum non gravetur, eadem, qua cœpit, diligentia et alacritate perseverare. Sed de his uberius locuti sumus cum eodem Reverendissimo magno Magistro, viro certe prudentissimo, integerrimo, et qui ob animi probitatem illi ordini dignissime praesit, quemadmodum Vestra Sanctitas ex praesentium latore sigillatim omnia atque uberius cognoscet, quam iterum atque iterum rogamus, ut praeter id, quod sponte sua est factura, velit quoque in praecipuam nostram gratiam dictum Rñum magnum Magistrum, eiusque religionis causas omnes carissimas commendatissimasque nobiscum suscipere. Et felicissime ac diutissime valeat Vestra Sanctitas, quam ad vota Deus tueatur. Ex Regia nostra Grenwci die XXXI. Maii M.D.XXVIII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCCXLVII.

Rex Angliae pontifici iterat preces pro conferenda episcopo Wigorniensi dignitate cardinalitia. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctitsimo Clementmoque Dño Nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Certiores nuper facti, Beatitudinem Vestram a paterno suo erga universam christianitatem affectu, atque ex optimi Pontificis officio, ut sacrosanctam Romanam ecclesiam tot oppressam calamitatibus, et apostolicae Sedis dignitatem pene deiectam aliquo solatio reficiat, Revñorumque patrum diminutum numerum restauret augeatque, decrevisse in proximo natalis Dñi festo nonnullos novos Cardinales creare, quumque intellexerimus Sanctitatem Vestram in gratiam et ad instantiam aliquorum principum inter dictos novos Cardinales velle nonnullos etiam declarare, honoris nostri esse iudicamus, ut aliquem nos quoque ei nominaremus, et quam ex animo fieri potest, commendaremus, qui et Sanctitati Vestrae pergratus extaret, et eo dignitatis fastigio dignus esset. Dum itaque cogitaremus, quem potissimum Vestrae Beatitudini proponeremus, statim nobis in mentem venit Reverendi in Christo patris, Domini Hieronymi Episcopi Wigorniensis recordatio, quem tum ob singularem prudentiam, eminentem eruditionem, maximam rerum experientiam, praeclarissimasque eius animi dotes et optimorum morum integritatem, tum etiam ob ingentem eius erga Sanctitatem Vestram fidem, observantiam et devotionem, et non vulgaria in apostolicam Sedem officia non solum cumprimis amamus gratissimumque habemus, sed eius quoque incrementi honoris et ornamenti sumus quam maxime studiosi. Quapropter Sanctitatem Vestram vehementissime rogamus et obsecramus, ut praefatum Reverendum Dominum Wigorniensem nostro praecipuo intuitu ad Cardinalatus apicem promovere, et inter primos Cardinalem declarare velit, quod tanto affectu et instantia ab ea nunc petimus, ut maiori efficacia studioque nihil possimus. In quo Vestra Sanctitas virum de se, apostolica Sede, totaque christiana republica optime meritum exornabit, ex cuius evectione et ornamento non parum splendoris et utilitatis sacrosancto isti senatui accedat. Eum itaque etiam atque etiam Beatitudini Vestrae summoper commendamus, Quae felicissime ac diutissime valeat. Ex Regia nostra Londini die XII. Decembris M.D.XXVIII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

DCCCCXCVIII.

Pontifex commendat regi Angliae cardinalem Campegium legatum, et Franciscum Campanum circa negotia publica christianitatis et privata ipsius regis in causa matrimonii missos. Ex autographo in Process. matrim. Henrici VIII. fol. 7.

Carissimo in Christo filio nostro Henrico Regi Angliae Illustri, Fidei Defensori.

CLEMENS PP. VII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Mittimus ad Serenitatem Tuam dilectum filium Franciscum Campanum familiarem nostrum, per quem multo commodius quam per literas arbitrati sumus significari posse, quae nobis occurrant tam super rebus publicis, ad pacem et totam Christianitatem spectantibus, quam super privatis tuis, de quibus postremo per oratores tuos no-

biscum egisti: quae quidem magnopere nobis cordi sunt. Serenitatem Tuam hortamur in Domino, sibi persuadeat, nos illam paterna charitate complecti, ut sua erga nos atque hanc Sedem plurima merita requirunt, sicut pluribus eidem Serenitati Tuae exponet dilectus filius Cardinalis Campegius Legatus noster et praedictus Franciscus, quibus plenissimam fidem habebit. Datum Romae etc. die xv. Decembris M.D.XXVIII. Pontificatus nostri anno sexto.

DCCCCXCIX.

Cardinali Eboracensi super eodem. Ex autographo ibidem fol. 8.

Rm̃o Eboracensi.

Clemens PP. VII. Dilecte fili noster, sal. etc. Existimavimus non tam commode per litteras responderi posse his, de quibus postremo Oratores Carissimi in Christo filii nostri istius Regis nobiscum egerunt: itaque proprium hominem Franciscum Campanum familiarem nostrum istuc mittimus, ex quo sua Serenitas ac Circumspectio tua plenius intelligent, quae nobis occurrant, tam de rebus ad pacem et publice ad universam Christianitatem spectantibus, quam super privatis Serenitatis suae, de quibus nobis per litteras et oratores vestros significastis, quas quidem summopere cordi habemus. Circumspectionem tuam hortamur, ut sibi ac Serenitati suae persuadeat, nos paternam benevolentiam atque animum gessisse et gerere erga Serenitatem suam, ab eodemque amore proficisci omnia quecunque illi significamus, ut pluribus Circumspectioni tuae, quam merito multum amamus, exponet Dilectus filius Cardinalis Campegius Legatus una tecum noster, ac dictus Franciscus, quibus plenissimam fidem habebis. Datum Romae etc. xv. Dec. M.D.XXVIII. Pont. nostri anno VI.

M.

Rex Angliae commendat pontifici Willelmum Benet oratorem suum, quem Stephano Gardinero suffecerat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementm̃oque Dño Nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Ante adventum istuc Dñi Stephani Gardineri, nostri apud Sanctit. Vestram Oratoris, destinaveramus ad eam Oratorem nostrum Venerabilem virum Dñum Willelmum Benet, iuris utriusque Doctorem, et dilectissimum consiliarium nostrum, quem postea, misso praefato Domino Stephano, in itinere subsistere iussimus. Nunc vero, quia dicti Domini Stephani opera hic indigemus, eum revocavimus, praefatumque Doctorem Benet, ut illius vices una cum Magnifico Equite Domino Gregorio Casalio et Dño Petro Vanne oratoribus etiam nostris istic existentibus gerat, impraesentiarum mittimus, Oratoremque nostrum apud Vestram Beatitudinem constituimus, cui nonnulla maximi momenti Vestrae Sanctitati nostro nomine referenda in mandatis dedimus, quae ut benigne audire, dictumque Dñum Doctorem Benet sicuti Oratorem nostrum humaniter excipere et tractare velit, atque fidem ei indubiam in omnibus non aliter, ac si nos ipsi coram loqueremur, praestare eam impense rogamus. Et felicissime valeat Sanctitas Vestra, cui praefatum Dominum Willelmum Benet, aliosque Oratores nostros in omnibus rebus nostris iterum atque iterum ex animo commendamus, et ut facilem atque crebrum ad se accessum eis intuitu nostro concedere dignetur, vehementissime obsecramus. Ex Regia nostra Wyndsorae die xx. Maii M.D.XXIX.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dñus Hiberniae

Henricus.

MI.

Idem rex pontifici gratias agit de Sylvestro Dario in auditorem Rotae recepto, eumque negotia quaedam regni sui expositurum commendat. Ex originali Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementm̃oque Dño Nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Non mediocri nostra cum voluptate nuper intelleximus, Sanctitatem Vestram in auditorem Rotae elegisse Dominum Sylvestrum Darium, utriusque iuris doctorem, virum nobis multis de causis, ac praecipue quod diu hic apud nos honestissime et magna cum sua laude est versatus, carissimum, quod licet ab eadem Sanctitate Vestra partim innato suo studio et facilitate in omnes benemeritos, partim praefati Dñi Sylvestri virtutibus factum fuisse existimemus: quia tamen nostrarum litterarum et commendationis intuitu ad id non parum accessisse pro comperto habemus, ingentes Beatitudini Vestrae gratias agimus, hoc ipsius erga nos promptitudinis testimonium memori pectore semper retenturi. Verum quum dictus Dñus Sylvester ad Sanctitatem Vestram, ut ei inserviat, ac de mandato sibi officio (ut par est) fungi queat, impraesentia revertatur, volumus his nostris litteris eum iterum atque iterum Sanct. Vestrae ex animo commendare, ipsamque impense rogare, ut quanto citius fieri potest, destinatum locum in Rota praefato Dño Sylvestro assignare, et ibidem (ut moris est) eum auditorem constituere velit, quem ob prudentiam, eruditionem, morum integritatem et singularem modestiam, quam in eo perspeximus, non solum huic obeundo muneri aptissimum iudicemus, sed etiam in eo exercendo et Vestrae Sanctitatis et expectationi nostrae omnino satisfacturum confidimus. Ad haec commisimus praefato Dño Sylvestro Dario nonnulla tum communes actiones, tum causam nostram maxime concernentia Sanctitati Vestrae nostro nomine referenda, quae ab ea attente audiri accurateque considerari percupimus. Quare vehementer ipsam rogamus, ut praefatum Dñum Sylvestrum benigne excipere, eique in omnibus, quae nostro nomine exponet, certissimam fidem praestare velit, et tandem habita salutis et honoris nostri ac filialis in illam devotionis ratione, benigniorem facilioremque se nobis exhibere dignetur, quod non solum paterna Vestrae Sanctitatis erga nos benevolentia, nostrisque vicissim in illam et apostolicam istam Sedem antiquis meritis dignum erit, verum etiam cum aequitati maxime con-

sentaneum, tum ecclesiasticae dignitati ac reipublicae Christianae haud inutile est futurum, sicut copiosius a praefato Dño Sylvestro Vestra Sanctitas intelliget, quam magnopere rogamus, ut ipsum nostra etiam causa sibi commendatiorem habere velit. Et felicissime valeat. Ex Regia nostra Wyndsorae die xx. Maii M.D.XXIX.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dñus Hiberniae

HENRICUS.

MII.

Pontifex regi Angliae significat se decisionem causae suae matrimonialis usque ad festum nativitatis Domini venturum suspendisse, declaratque censuras in inhibitione contentas quoad personam regis nullas. Ex orig. in Processu matrimon. Henrici VIII. fol 9.

Charissimo in Christo filio nostro Henrico Angliae Regi Illustri, Fidei Defensor.

CLEMENS PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Dudum vertente causa inter Serenitatem tuam et Charissimam in Christo filiam nostram Catherinam Angliae Reginam Illustrem de et super foedere matrimonii, Nos, instantibus apud nos Oratoribus tuis, causam ipsam dilectis filiis Thomae S. Caeciliae et Laurentio S. Mariae in Transtiberim tit. presbyteris Cardinalibus, nostris et Apostolicae Sedis Legatis de latere commisimus, in qua ad nonnullos forsan actus processum est. Postmodum Charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Rege Catholico in Imperatorem Electo, et Regina ipsa ad nos reclamantibus, et aliis etiam legitimis causis animum nostrum moventibus, causam ipsam ad nos advocavimus, et eam audiendam ac nobis et Sacro Venerabilium fratrum nostrorum S. Rom. E. Cardinalium Collegio referendam atque decidendam commisimus, in qua ad inhibitionem ipsam fortasse processum est. Cum autem nuper acceperimus inhibitionem ipsam sub censuris et poenis fuisse factam, Nos quorum intentionis numquam fuit, nec est personam tuam de nobis et de Apostolica Sede semper optime meritam aliquibus censuris et poenis quomodolibet innodari, Celsitudini tuae significamus, censuras ipsas praeter mentem ac intentionem nostram a Iudice sive Commissario emanasse. Et propterea censuras et poenas praedictas quoad personam tuam nullas, nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse decernimus. Causam vero ipsam usque ad festum nativitatis Domini nostri Iesu Christi proxime futurum iam suspendimus, prout per praesentes suspensam esse volumus. Fecimusque in illo quantum pro nostra in te charitate cum Deo facere licuit. Ut quam pro stimulo conscientiae causam Te movisse cognoscimus, illam (quae tanti est) eadem quoque ratione altius cogitando, posthabitis molestiis atque odiis, quae nascuntur ex litibus, cum tui animi pace componere possit, in quo nos adiutores semper habiturus es. Maiestatem tuam hortantes in Dño, ut interim Reginam ipsam pro ipsius conscientiae tuae serenitate maritali affectione tractare non desinas, quemadmodum Celsitudinem tuam pro virtute sua facturam confidimus. Dat. Romae etc. die XXIX. Augusti M.D.XXIX. Pontificatus nostri anno sexto.

Evangelista.

MIII.

Angliae rex per litteras et per cardinalem Campegium Romam redeuntem cum pontifice conqueritur de iis, quae in causa sui matrimonii dirimendi acta fuerunt, deque poenis ecclesiasticis sibi inflictis, petitque, ut causa ista novo aequiorique examini subiiciatur. Ex orig. in Processu matrimonii Henrici VIII. fol. 11.

Sanctissimo Clementnoque Dño Nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Redeunte ad Sanctitatem Vestram Rño Dño Cardinale Campegio, cuperemus quidem non minus eiusdem Sanctitatis V. quam nostra causa ad eum modum omnia transacta et expedita fuisse, ut rerum successu spei, opinioni, expectationique nostrae non temere, ut arbitrabamur, conceptae, sed natae ex verbis, promissis, et pollicitationibus Beatitudinis Vestrae saltem ex parte respondente, gratias in eventum desideratum animo praemeditatas, et per literas nunc ei agere, et factis aliquando referre potuissemus: verum quum videamus tantam et pene incredibilem consiliorum, factorum et dictorum perplexitatem, ac rerum contrarietatis veluti labyrintho tam implicitum exitum, Sedis quidem apostolicae dignitatem a causa separantes, eorum certe, quae simul dicta et facta sunt, involutam variis nexibus repugnantiam magno animi nostri cum dolore cogimur admirari. Nam si tam facilis res est Pontifici Maximo, ut iuris divini regulas relaxet, mirum si eidem non liceat positivo iuri, atque humano in parte derogare, qui se asserit habere facultatem, ut sanctissima Dei praecepta pro arbitrio remittat, idem tollere appellationem, quae tantum humano iure nititur, et quae non ipsius iustitiae pars est, sed ad modum administrandae iustitiae pertinet, hominum etiam inventis introductum, supra omnem illius potestatem esse contendit: et tamen qui negat se posse tollere appellationem, nunc tandem videlicet quum ita visum est dicere, alias etiam voluit expresse removere, et fragili beneficio amicum frustrari, ubi verba nos iuvant, ibi sensus torquetur, ut contra nos faciat, aut nova sectione distinguitur, atque dividitur, ut nec verbis omnino, nec sensui certo credere liceat, adeo quidem intelligentes nihil intelligimus, ac de verbis et sensu V. Sanctitatis toties opinione decepti, de promissis et pollicitationibus, quae ab ea procedunt, tantum dicere libet illud academicum, quatenus videlicet valeant, aut porrigantur, hoc scimus, quod nihil scimus: quod enim credimus in manibus habere, non tenemus, huc atque illuc veluti in mediis fluctibus ad varium ventorum motum iactamur, nec in certa persuasione licet acquiescere. Nam quam diversum ab expectatione fuit illud, ut unde salutem, unde auxilia expectare merito deberemus, inde in caput nostrum tam dira excommunicationis et interdicti fulmina iacerentur, superadditis etiam poenarum cumulis, ne

quid omissum videretur, quod vel in inimicissimum vel execratissimum, vel denique vilissimum et abiectissimum homuncionem poterat excogitari. Qua in re et dignitati nostrae non levem contumeliam irrogari censemus, et nostrae in Sedem apostolicam gratitudini iniuriam non mediocrem. Sed Sanctitas Vestra, misso ad nos brevi, rem verbis mitigare et lenire conatur, ac rursum a verbis sensum distinguit, et suae intentionis non fuisse affirmat, ut talia fierent: sed interim, quod factum est, sentimus nos, nec tali distinctione sublevamur. Verum si quod ultimo loco scribit, et oratoribus nostris retulit, Beatitudo Vestra conabitur praestare, si quod praeteritum est resarcire, si quod omissum est supplere atque corrigere studebit, si causam nostram in manus suas advocatam eousque apud se retinere curaverit, donec per iudices aequos, et in loco indifferenti cognituros ad conscientiae nostrae tranquillitatem decidi queat, eorum, quae tam indigne passi sumus, pro christiana charitate obliviscentes, in operibus Sanctitatis V. fidem reposituri, factis facta rependere conabimur, et beneficium beneficio retaliare, quemadmodum ex parte nostra latius referet Beatitudini V. praefatus Revm̃us Dñus Campegius, cui fidem (ut non dubitamus) ipsa habebit. Quae diutissime ac felicissime valeat. Ex Regia nostra Wyndsorae die ultimo Septembris M.D.XXIX.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

MIV.

Cardinalibus legatis in Anglia pontifex significat se causam matrimonialem regis ad se advocasse, neque intentionem suam extitisse regi censuras infligere. Ex orig. ibidem fol. 10.

Dilectis filiis Thomae Sanctae Caeciliae et Laurentio S. Mariae in Transtiberim tit. presbyteris Cardinalibus et Apostolicae Sedis Legatis de latere.

CLEMENS PP. VII. Dilecti filii nostri, salut. etc. Dudum (ut nostis) vertente causa inter Charissimum in Christo filium nostrum Henricum Angliae Regem Illustrem, Fidei Defensorem, et Charissimam in Christo filiam nostram Catherinam Angliae etiam Reginam Illustrem de et super foedere matrimonii, Nos, instantibus apud nos eiusdem Regis oratoribus, causam ipsam vobis commisimus, in qua ad nonnullos forsan actus processum est. Postmodum Charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Rege Catholico in Imperatorem electo, et Regina ipsa ad nos reclamantibus, et aliis etiam legitimis causis animum nostrum moventibus, causam ad nos advocavimus, et eam audiendam ac nobis et Sacro Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio referendam atque decidendam commisimus, in qua ad inhibitionem fortasse processum est. Cum autem nuper acceperimus inhibitionem ipsam sub censuris et poenis fuisse factam: Nos, quorum intentionis nunquam fuit, nec est eiusdem Angliae Regis personam de nobis et de Apostolica Sede semper optime meritam aliquibus censuris et poenis quomodolibet innodari, censuras et poenas praedictas quoad personam Serenitatis suae nullas, nulliusque robororis vel momenti fuisse vel esse decrevimus. Causam vero ipsam usque ad festum Navitatis Domini nostri Iesu Christi proxime futurum motu proprio manu nostra signato suspendimus, fecimusque in illa, quantum pro nostra in Regem ipsum charitate cum Deo facere licuit, ut, quam pro stimolo conscientiae causam Maiestatem suam movisse cognoscimus, illam eadem quoque ratione altius cogitando cum animi sui pace componere possit. Quae omnia Circumspectionibus vestris significanda censuimus, ne vos sive alter vestrum se quoquomodo in causa ipsa immisceat, idque ne faciatis, vobis eisdem praesentibus nostris inhibemus, irritum et inane decernentes, quicquid contra praesentium tenorem per vos fieri sive attemptari contigerit. Vobis tamen paterna charitate persuademus, ut huiusmodi suspensione durante vos rem ipsam (quam tanti esse videtis) pace ac benevolentia ipsorum Regis et Reginae ad concordiam conducere non praetermittatis, Rex Reginam ipsam interim pro conscientiae suae serenitate maritali affectione tractare non desinat, quemadmodum et Maiestatem suam pro sua virtute facturam, et vos pro vestra prudentia atque bonitate curaturos confidimus. Datum Romae etc. die prima Septembris 1529. Pontificatus nostri anno sexto. Evangelista s.

MV.

Idem rex pontifici episcopum Wigorniensem suum oratorem commendat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctm̃o Clementissimoque Dño Nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Quoniam insignes virtutes, summam prudentiam, et in gravissimis gerendis rebus peritiam dexteritatemque Reverendi Domini Episcopi Wigorniensis, Consiliarii nostri dilectissimi, saepe sumus experti, eiusque erga nos studium et fides suis assiduis fidelissimisque obsequiis nobis probatissima existit: hunc virum nos non solum cum primis nostris amamus carissimumque habemus, verum etiam eius opera, quotiescunque usu evenit, in nostris negociis libenter utimur. Quare quum perfunctus oratoris nostri munere, quod per triennium in Hispania gessit, nuper ad nos redierit praefatus Dominus Wigorniensis, decrevimus eum ad Sanctitatem Vestram impraesentia mittere, ut coniunctim cum aliis oratoribus nostris istic res nostras tractet et curet, et una cum Dño Gregorio Casalio apud eam assidue existens oratorem nostrum agat. Proinde Sanctitatem V. impense rogamus, ut dictum Reverendum Dominum Wigorniensem, alioquin suis meritis et virtutibus sibi, uti speramus, gratissimum, nostro etiam intuitu chariorem commendatioremque suscipere, et benigne semper audire velit. Cui insuper in omnibus, quae nostro nomine Sanctitati V. referet, precamur, ut indubiam et non minorem fidem, quam nobis ipsis haberet, semper praestare dignetur. Et felicissime ac diutissime

ipsa valeat. Ex Regia nostra Wyndsorae die v. Octobris M.D.XXIX.

E(iusdem) S(anctita)tis V(estrae)

Devotissimus atque obsequentibus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dñus Hiberniae
HENRICUS.

MVI.

Pontifex Angliae regi dolorem exponit, quod non possit sine detrimento suae regisque conscientiae ipsi in causa matrimoniali complacere. Ex autographo in Processu matrim. Henrici VIII. fol. 12.

Regi Angliae.

CLEMENS PP. VIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Quoniam non potuimus nobis ipsis satisfacere in iis, quae a nobis Tua Serenitas aliquoties postulavit, non quiescimus, donec sciamus ei persuasum esse, nos nihil praetermisisse, quo Serenitati Tuae complaceremus, atque id vehementer dolemus, nihil inveniri potuisse, quod concederemus sine magno Serenitatis Tuae et nostrae conscientiae detrimento: quamobrem ab illa petimus pro sua in nos benevolentia, boni consulat, quod egimus, consideretque tempora ac statum Christianitatis, agatque omnia sicut conveniens est eius nomini et spectatae virtuti, sicut latius per Breve nostrum scribimus, et Dilectus filius Paulus Casalius, quem ad Serenitatem Tuam mittimus explicabit. Deus custodiat Serenitatem Tuam etc. Romae vi. Octob. 1529.

MVII.

Cardinali Eboracensi super eodem. Ex authographo ibidem fol. 13.

Rmo Eboracensi.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili noster, sal. etc. Mittimus ad Serenissimum Regem Dilectum filium Paulum Casalium, ex quo tua Circumspectio intelliget, quantum nobis doleat non potuisse Serenitati suae tibique satisfacere, et quam metuamus, ne quae isthic moveri cepta sunt, in aliquod, quod minime vellemus, erumpant: tametsi non dubitandum est, stante auctoritate Circumspectionis tuae apud Serenitatem suam, ne omnia non optime ac recta ratione gubernentur. Optamus Circumspectioni tuae persuasum esse, ita habere animo nostro infixam memoriam eius meritorum, ut omnis eius satisfactio dignitasque nobis cordi sit non minus, quam nostra, ut latius idem Paulus nostro nomine illi explicabit. Romae vi. Octobris 1529. Pontificatus etc.

MVIII.

Pontifex regi Angliae significat, advocasse ad se causam matrimonii, et illam suspendisse usque ad festum natalis Domini, et prohibitionem de non habendo uxorem fratris esse iuris positivi. Ex orig. ibidem fol. 14.

Charissimo in Christo filio nostro Henrico Angliae Regi Illustri, Fidei Defensori.

CLEMENS PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Superioribus diebus literas nostras ad Serenitatem tuam dedimus, quibus tibi significavimus, causam inter te et Charissimam in Christo filiam nostram Catherinam Angliae Reginam Illustrem super foedere matrimonii ad nos necessario advocasse: idque neque de iure negare potuisse, et multis urgentissimis causis facere opportuisse. Et postmodum causam ipsam usque ad festum Nativitatis Domini nostri Iesu Christi proxime futurum suspendisse, ut Celsitudo tua, quae pro stimulo conscientiae causam moverat, illam eadem quoque ratione altius cogitando, cum animi tui pace componere posses. Ulterius autem nobis in re ipsa (quae nostro cordi haeret infixa) cogitantibus, cum audiverimus quosdam opinari negocium ipsum ad Iuris Divini dispositionem spectare, et propterea in eo foro conscientiae tute dispensatum non esse, hoc verum non esse tibi significamus: sed prohibitionem de non habenda uxore fratris iuris esse positivi, illamque ab Innocentio IIII. Pont. Max. praedecessore nostro editam fuisse, ita quidem ut dispensatus secundum omnes interpretes sit in foro conscientiae tutus, non obstante praetensa surreptione dispensationis, quae pro evitando scandalo tolerari debet, praesertim cum si quae in hac materia reperientur opiniones contrariae, illa de iure approbanda et capienda sit, quae pro matrimonio facit maxime, quod ubi opporteat, et tu pro serenitate conscientiae tuae volueris, nos ex eadem eiusmodi scandali causa, quae nulla maior his potissimum temporibus esse potest, libenter iterum atque iterum dispensabimus. Sed posito sine veritatis praeiudicio, quod huiusmodi dispensatio esset de iure divino, dicimus etiam, Charissime fili, secundum opinionem concordem Iuris interpretum nos posse ex vera causa dispensare. Quod si verum est, ut Regina ipsa mandato suo affirmat, se ab Arturo non fuisse cognitam, et tu ipse melius nosti, cuius iuramento illa parata est libere stare: nullum est dubium, in hoc casu dispensatum in foro conscientiae esse tutum. Si vero aliqua in ipsa dispensatione minus vera essent, quis cum sana conscientia negare poterit, saltim hodie in tanto periculo Fidei et Reipublicae Christianae, quam immanissimus Turcarum tyrannus Christiani nominis hostis admirabili exercitu et victoria invasit, et delere intendit, pro tanto periculo et scandalo inter Principes Christianos evitando, pace et coniunctione inter eos conservanda, ac expeditione contra hostes ipsos perficienda iterum in matrimonio ipso, quod tamdiu saltim in figura matrimonii duravit, nos dispensare posse? Haec pauca, Charissime fili, pro nostra in te praecipua charitate, proque animi tui quiete ac conscientiae tuae serenitate tibi scribenda duximus, ut illa pro tua sapientia atque religione animo tuo volvere liceat. Ceterum tu, qui nomine et re Fidei Defensor existis, cogites, obsecramus, quo in discrimine versetur fides et respublica Christiana, ubi nunc sit Turcarum tyrannus, ipse Christiani nominis hostis, cum exercitu suo, quo pacto christianum nomen deleat: quantam calamitatem afferre possit discordia Principum Christianorum in hac contentione matrimonii: et quantum adiumenti, honoris, utilitatis ex animorum coniunctione et benevolentia Principum ipsorum, ac matrimonii ipsius conservatione fides et respublica Chri-

stiana susceptura sit, tuque paci animi tui et animae saluti sis consulturus. Itaque Maiestatem tuam hortamur, in et ex abundantia charitatis requirimus in Domino, ut consiliis nostris paternis sanctaeque matris ecclesiae tuae acquiescere, ac conscientiam, si quam contrariam habes, deponere, et rempublicam Christianam pro tua in illam pietate commendatam habere velis. Datum Romae etc. die VII. Octobris M.D.XXIX. Pontificatus nostri anno sexto.

MIX.

Regi Angliae, ut una cum Caesare et Galliarum rege arma contra Turcas movere velit, et paci in Italia reconciliandae incumbat. Ex originali.

Carissimo in Christo filio nostro Henrico Angliae Regi Illustri, Fidei Defensori.

CLEMENS PP. VII. Carissime in Christo fili noster, Salutem et apostolicam benedictionem. Magnam ostendit nobis Deus misericordiam suam, cum proximis diebus immanissimum sui nominis hostem per expugnationem Viennae Austriae viam sibi ad Germaniae atque Italiae oppressionem imminentem, soluta illinc turpiter obsidione, in Ungariam reiecit: ad cuius laetitiae cumulum accedit spes, quam capimus, venisse tempus, quod iam inde ab initio Pontificatus nostri semper expetivimus, ut constituta inter christianos concordia, arma ad illam non salutarem tantum, sed etiam necessariam expeditionem converterentur. Quamobrem, quod per dilectum filium Paulum Casalium, quem proxime misimus ad Serenitatem Tuam, petebamus, restingendo communis Christianitatis incendio, se sua ac maiorum suorum virtute gloriaque dignum prestaret, id nunc efficacius ab illa petimus, atque eo libentius, quod in magna spe sumus, futurum, ut non modo praesentis, sed futuri perpetui temporis periculum repellamus. Serenitatem Tuam igitur hortamur in Domino ac requirimus, ut nostrum in hoc desiderium suo consilio ac virtute prudentiaque adiuvet, consulatque, quae sibi huius expeditionis incipiendae ratio optima videatur, quod a nobis, quod a caeteris Principibus faciendum putet, quod a se expectare debeamus, atque in omnibus denique sua nos ope, consilio auctoritateque adiuvet. Nam quod ad Caesarem attinet, aliquoties iam cum illo de publicis rebus collocuti magnam voluptatem capimus ex eius virtute, studioque pacis ac quietis christianae, bellique adversus Turcas inferendi: itaque, quod primum est, agimus de pace Italiae, ad quam Serenitatem Suam valde propensam habemus, qua etiam in re Celsitudinis Tuae consilio atque auctoritate adiuvari cupimus. Laetamur etiam cum animo volvimus, Christianissimum Regem idem pro sua pietate esse facturum. In Caesare nihil demptum esse de vetere ac fraterna erga Serenitatem Tuam benevolentia, quod testimonium libenter facimus tum veritati, tum paterno in utrumque vestrum amori nostro, teque omnia ab ipso amantissimi fratris officia expectare posse iudicamus. Serenitatem Tuam ex habundantia nostra charitatis obsecramus, ut uno eodemque animo utentes in sanctissimam expeditionem, dum tempus est, incumbatis. Nihil enim a nobis praetermittitur, quod necessarium iudicemus, ut primo appetente vere arma, Dei optimi maximi auspiciis, adversus eius fidei hostes moveri possint, uti pluribus exponet Serenitati Tuae idem Paulus Casalius, cui fidem habebit. Datum Bononiae die XI. Novembris M.D.XXIX. Pontificatus nostri anno sexto. Evangelista.

MX.

Laurentius cardinalis Campegius pontificem de rebus in Anglia gestis durante sua legatione magnam partem notis secretioribus certiorem reddit. Ex orig. Nuntiat. Germaniae Tom. III. fol. 194—209.

Magnifico et Illustri viro tanquam patri honorando Dño Iacobo Salviato etc. Sñi D. N. a secretis. Romae.

Illustre Signore come padre honorando.

Parigi, 16 Novembre 1529.

Alli VIII. trovandomi in Orliens ricevei la sua de XXI. de Agosto, et alli XIII. ricevei l'altra de XXVIII. con la dupplicata de la precedente, e di poi gionto qui in Parigi per mano del Rm̃o Legato ho havuta l'altra scritta alli III. et molto bene ho inteso quanto in tutto la mi scrive. Del viaggio mio et de li pericoli, et de la infirmità mia et de quasi tutti li miei non ne dirò altro, nè occuparò Vostra Signoria altramente in questa parte, ma solo le scriverò quello che piu mi pare che importi, et prima: Quanto alla negociatione mia ch'io vada adagio. Io l'ho fatto, et quanto mi sarà lecito lo farò per la cagione che ella scrive, di non scandalizare etc., questi oratori qui mi sollecitano al partire, et con me ritorna in Anglia Bathoniense, et resta qui il doctor Talyere, et ecci ancora qui un Messer Francesco Brian de la camera del Re, il quale gia molti giorni venne per accompagnarmi in Inghilterra. Io per ritrovare una lectica, perche gia sento non so che ne li piedi, et per farmi fare alcune veste, non partirò di qua se non fra due giorni. Quanto allo andar pesatamente, io seguirò quanto V. S. mi ordina, et quello che ho conosciuto esser la mente di N. S., et gli promisi di operare, dico per quanto si extenderanno le forze mie, in removere etc., et a quello che la mi dice, che nel risolvere non me oblighi nè prometta, ma avisi etc. io stimo che queste parole non sieno dette per conto mio, perche penso che S. B. sia certa de la fede et servitù mia, et per haverla sempre observata; ch'ella sia certa che nè con tutto il suo regno, nè con quanto tesoro ha mi potrà far prevaricare dal debito mio; sarò advertente nel parlar, non li prometter cosa alcuna circa il dover giudicar etc. il che credo sia stata la mente sua in quelle parole: ma V. S. advertisca, che se la intende che nè al procedere in causa, nè al sententiare habbia a seguir cosa alcuna senza advertirne etc. io non vedo in caso che 'l Re non si potesse remuovere della opinione, come senza scandalizar possa differire, che per virtù della commissione non si habbi a procedere et far el processo, et facilmente gli parrebbe ch' io fussi mandato per uccellarli, et potrebbono sdegnarsi, la qual cosa conosce V. S. quanto possa

importare. Ma s'ella intende quelle parole quanto allo atto della sententia, come piu chiaramente si comprende ch'ella ha voluto intendere per la sua de xxviii., la quale porta il dupplicato della de xxi. la può esser certa, che osservarò quanto la me scrive, et che mai non intenderanno qual sia l'opinion mia, salvo quando sarò sul punto, se pur là si verrà.

Vedo per il scivere di V. S. circa queste materie di Cervia, et di Ravenna, et maxime in quella de iii. la cagione che la muove a commettermi ch'io vada lento, ch'io non prometta, et prima scriva, al che penso inclinaranno ancora piu dopo questo exito che ha havuto la obsidione di Napoli, et pensi V. S. che tanto piu andarò advertito, et non mancharò di diligentia com'io debbo.

Questa Maestà mi mandò ad incontrar fino in Orliens lo Ep̃o Venciense, et uno de li suoi maestri di casa, li quali mi hanno accompagnato fin qui, dove entrai alli xiii. dopo il mezzo giorno, incontrato da tutti li prelati che si trovavano qui, et fui accompagnato fino allo allogiamento senza altre ceremonie, et lo Rm̃o Legato per sua humanità volse ancor egli incontrarmi, et farmi compagnia fino allo allogiamento, dove smontati ragionammo a longo insieme, et lette le lettere di V. S. perche n'era per partire hozzi, come si parte hora concludemo di havere audientia hieri, che fu alli xv., et così S. M. mandò il Rm̃o Barboni con molti altri prelati a levarmi, la qual cosa fece ch'io non puoti andare a levare di casa il Rm̃o Legato, com'io haveva pensato, et quantunque havessimo composto, che di compagnia et insieme ci trovassimo col Re, niente di meno gionse alquanto dopo, sì che di gia havevo fatta la proposta mia a S. M., ancorche io ricercassi di expettar S. S. Rm̃a, ma retirato da S. M. a una fenestra, senza lui cominciai, et S. S. Revm̃a arrivò ch'el Re non haveva ancora cominciato a rispondere. Dopo la salutatione et benedictione apostolica et declarationi del propensissimo animo di N. S. verso S. M., et cose sue, con quelle parole che mi parvero piu accomodate, principalmente le proposi due punti, et il primo fu de la pace universale, et perche la materia è ampla mi estesi lungamente dimostrandogli li mali di tutta la christianità, et danni che si sentono da le guerre, et che sono per seguire non solo nei beni temporali, et ne li stati, ma ne la fede et relligione anchora, et quanto per evitare tanti incommodi fusse necessario venire alla pace, et li beni et commodi che ne può expettar ognuno, et quanto N. S. l'ha sempre desiderata, et desidera, et come non era per lassare di fare ogn'officio perche si havesse, soggiungendo che non essendo stato gran differentia ne li trattati passati, ch'io judicava che potesse tornar a gran gloria et di molto merito appresso a Dio et al mondo tutto, a S. M. et a chi di loro prima rimettesse alcuna cosa de loro ragione a Dio et al ben publico et alla Christianità, la quale hora da ogni banda è afflitta, et ha da temere del suo vecchio nemico, et questo per venire a fine di questo desiderio che ha tutto il mondo de la pace, et saria lungo scrivere tutto quello che la materia da se ricca e copiosa mi porgeva alla lingua in persuadere S. M. a questa cosa.

El secondo punto fu de le cose di Ravenna et Cervia; in questo anchora l'ingiustitia et iniquità in occupar dette terre mi snodava la lingua a dirne il bisogno et exhortar S. M. a interponere efficacemente l'auctorità sua et operar che con effetto questa restitutione si faccia, et qui a bon proposito gli dichiarai quanto iustamente l'animo di N. S. era exulcerato contro Cesare, Spagnuoli, Tedeschi per li danni da loro patiti, secondo che alcuna volta sopra cio N. S. ha discorso meco, dicendoli poi a quelli particolari che tocca V. S. ne la sua de iii., et expressamente li dichiarai che quantunche le iniurie et danni patuti fossero intolerabili, niente di meno che questa ritentione era una iniuria permanente, et che continue stava ne li occhi di S. S. fattali da collegati, et da quelli ch'erano obligati a diffendere le cose sue, et che a niun modo S. B. era per comportarla, dicendoli quello che N. S. mi commandò ch'io dicessi della conclusione fatta in consistorio, et che quando S. M. non operasse la restitutione con effetto, che S. S. non era per manchare alla Sede Apostolica et a se stessa per tutte quelle vie che le paressino expedienti, parendoli homai di essere iustificata appresso Dio et gli huomini.

S. M. mi dette benigna audienza, et attentamente attese a tutto il parlare, et alle salutationi et benedictioni etc. Rispose ringratiando S. S. dicendo, che sempre le era stato buon figliulo, et sempre saria, levandosi il bonetto di capo quando accettava la benedictione. Dipoi circa al primo articolo S. M. con molte parole si sforzò di justificare che da lei non era manchato, et che haveva voluto fare tutto quello che fusse conveniente, pagando doi milioni d'oro etc. discorrendo li trattati havuti in Madrid et altri tempi che si è trattato di pace, et che lui non desiderava altro che questa pace per rihavere li figliuoli, de li quali non haveva cosa piu chara dopo l'honor suo; ma che piu presto era per lassarli là xl. anni, che macular l'honor suo, quale volea, come fin qui ha fatto, guardar fino alla morte, soggiungendo ch'egli havea voluto pagare allo Imperatore scudi 800. mila alla mano, fargli render le polize de l'obligo che ha con Inghilterra, et gli restituisse il primo genito, poiche haveva fatto ritirare il suo esercito, et reso Genova et adempita la capitolatione; che pagandoli poi il resto fino alli doi millioni, gli restituisse l'altro figliuolo, e che in effetto lo Imperatore havea recusato, et che mai non si contentava, et sempre proponeva piu altri partiti, dicendo io sono quel che parlo et offerisco, et egli non risponde, et molte altre parole che saria lungo scriverle in justificatione sua, et in ributtare tutta la colpa in lo Imperatore soggiungendo ch'egli desiderava la pace, et che faceva per lui, et che non mancharia rimettersi sempre al Serm̃o Re de Anglia suo buon fratello, a S. B. et a tutta Christianità. Et quanto posso comprendere lo animo suo mi pare

ben propenso alla pace, et che'l conosca ch'ella fa per lui, et la necessità che vi ha la Christianità, ma comprendo anchora che gli pare havere fatto et offerto tutto quello ch'egli debba. Fu per il Revmo Legato et da me molto exhortato a questa pace, et io lo ricercai, che se mi voleva dare in cio qualche commissione, essendo per andare in Anglia, che non si mancharebbe con quel Re, quale è propensissimo, a questo effetto di farne ogn'opera, et che se fusse necessario che non obstante ch'io sia assai debile et infermo, mi offeriva di volontà di N. S. trasferirmi sino in Spagna, et non manchare con l'autorità di N. S., quale io sapeva che in questo era contento, di fare ogn'opera, perche si venisse a qualche buona resolutione. S. M. se risolse non parerle darmi altra commissione, et questo mi pare che proceda ch'egli existima haver offerto tutto quello che gli pare debito et honesto, et che non sia per l'honor suo fare nove oblationi, et di nuovo promovere questa pratica lui, ben comprendo che se parli col Sermo de Anglia, et che l'auctorità di S. M. sia per poterlo muovere et indurre ad ogni cosa che con honestà et honore si possa fare. Quando sarò in Anglia non mancharò dal debito ancora in questo, dando continuamente aviso do ogni successo et progresso. Lo evento de le cose di Napoli, et la natura de lo Imperatore che non vuol a forza essere inducto con l'auctorità et instancia de N. S. et l'opera del Re de Anghelterra potrebbono forse fare la via a questa pace, alias mi pare che siamo in principio.

Circa il secondo articolo di Cervia et Ravenna, non mancho di me, S. M. detestò quella occupatione, iniuria et iniusticia fatta a N. S. et Sede Apostolica, et disse che per lui non era manchato, nè mancharebbe, che S. S. vedesse quello che per lui si poteva fare et dire che tanto farebbe, et che s'egli potesse commandare a Venetia, o fusse signore di Venetia, ch'egli gia l'haverebbe restituito. Io gli feci intendere, che come cupidi di dominare non erano per far tal restitutione, se non se gli faceva fare, et che stimavo se S. M. con quella efficacia che poteva ne facesse opera, che ne seguirebbe l'effetto, ma che bisognava fare di maniera che conoscessimo che cosi veramente fusse la mente di S. M., et in effetto ritorno a quel ch'io ho detto, che N. S. vedesse quello ch'egli potesse dire et fare che tanto seguirebbe.

Dopo questi ragionamenti havendo havuto la obsidione di Napoli il fine che qui si dice, et tien per fermo, che Francesi siano in tutto disfatti et presi o morti, non mi parve necessario intrare a volere explorare l'animo di S. M. circa il Regno di Napoli, quando ne havesse conseguito la vittoria, sendo da questa hora cosi luntani, oltra che per quello che mi ha detto in cio il Rmo Legato, et desiderio ch'io ho compreso in Soa Maestà de li figliuoli, credo certamente che se havesse ottenuto l'haverebbe restituito per rihaverli: pur è difficile assai iudicare la volontà de l'huomo, nè per hora parmi questo punto da investigare. In luogo di questo gli dimandai se le nuove che si diceano del suo exercito erano vere, mi rispose de sì, che havea nuova de li morti et prigioni, tra li altri del marchese di Saluzzo, prigione d'un fratello del Re di Navarra, et d'altri; et in questo dissi: Ben, Sire, che rimedio et provisione intende V. M. di fare? rispose, che al presente mandava quattro mila Lanzinechi a Mons. di San Polo, et scrivea a Mons. di Turena che mandasse a pagare le genti del Signor Renzo, et de lo Abbate di Farfa, et con le reliquie del suo exercito, se alcune ve n'erano, vedesse mettere a ordine fino a x. mila fanti, et che pensava con aiuto de la lega che in Lombardia et nel Regno si potrebbono subito mettere insieme sino xxiiii. mila buoni fanti, con disegno di farne due teste una contra Antonio da Leivo, l'altra contra quelli del Regno, li quali sapeva ch'anche eglino erano ridotti a molto pochi, et stima non passino da iii. mila tra Spagnuoli et Tedeschi, et che questa invernata non si potrà far altro, per il che la Maestà Cesarea serà necessitata a fare provisione et spesa grossa, alla quale non vedeva come fusse per haverle il modo, et che poi in questo mezo correriano dui quartironi de li suoi et farebbe provisione de denari talmente che a buon tempo farebbe la impresa, et soggiunse che a quest'hora in Italia haveva 300. mila scudi.

Questo è quanto mi pare de sustantia ch'io potessi trahre di questo ragionamento di S. M., la quale benche negasse che parlasse Italiano, come fece, pur molte volte parlava Francese, et per li denti ch'ha persi incappa sì che ne perdeva molte parole, mi rendo certo che il Rmo Legato con piu diligentia di me haverà scritto et supplito ov'io mancho.

Mi restava poi da intendere quel che S. M. sentiva de la principal causa de l'andata mia, ma finiti questi ragionamenti et molti altri super generalibus S. M. mi dimandò come passarebbe questa causa del matrimonio. Io gli risposi ch'io era uno de li Iudici deputati, et che il sententiar procedeva dal processo et secundum allegata et probata, pero non si poteva anchora intendere che risolutione fusse per havere, ma che di iusticia non si mancharia, et li soggionsi: Ben che ne pare a V. M.? et mi rispose, che non era dotto, et che in simil casi usarebbe l'opera di chi intendesse piu di lui, ma che teneva il Re suo fratello per savio et buono, et che quando egli conoscesse che fusse sua moglie, che non attentarebbe simil cosa, quando anche non fusse sua moglie che era gran cosa stare in peccato dove andava la salute dell'anima. Et perche ne lo intrare a S. M. per la calca de le genti non puoti havere alla mano il Breve di N. S., lo presentai dopo tutto questo ragionamento, et lo lesse. Nè altro se disse da S. M., salvo che lo ricercai se era per partire il dì seguente ch'è hozzi, et rispondendo de sì, presi licentia, la quale mi dette con molte amorevoli parole et offerte, et cosi in ultimo loco gli offersi la servitù mia.

Dal Re partendo andamo alla Reina matre, alla quale prima presentato il suo breve, et posti a se-

dere, post generalia, li proposi li doi primi articoli, presente il Rmo Legato, de la pace et restitutione di Ravenna, et in substantia quel medesimo ch'io havea detto al Re, facendoli intendere quanto S. S. confidava ne la bontà et autorità sua, molto pregandola et instando, che oltre la bona mente del Christianissimo suo figliuolo, anche ella volesse interporsi per conservare et augmentare quella mente et buono animo suo, con tutte quelle parole et efficacia che mi parve dextra et oportuna. S. M. rispondendo, perche parlava Francese, fece ch'io ne perdei molte parole, pero mi riporto piu in questo al Rmo Legato, el quale come quello che ha piu in praticha et madama et questa lingua, haverà anche inteso. Io tanto ne ho inteso, che compresi lei essere donna molto sagia et prudente, et che intenda bene li negocii, et discorra le cose molto bene. La cognovi molto inclinata alla pace, et detestare molto la guerra et pronta ad interponere ogni sua opera, perche seguisca, et credo se le si attacchará qualche pratica di pace, et sarà ricercata per risolvere qualche difficultà, che lo farà prontamente. Similmente biasimò assai la occupatione de le terre di S. S., et lè pare cosa molto iniusta et iniqua, et si offerse che appresso il Christianissimo non mancherebbe, dicendo pero ch'ella sapeva ch'il prefato non era manchato di procurare che quelle terre si restituissero, et exhortocci a scrivere a N. S., al quale spetta promover ogni tratto di pace, a non manchare di ogni buon paterno officio, dicendo che conosceva che le guerre erano la ruina de li regni et de la Christianità, ma precipuamente de la povera Italia et la grandezza de Infideli, et certo mi parve havere animo molto christiano et voluntà di fare ogni buona opera in l'una et l'altra proposta mia: cosi pigliai licentia da S. M. offerendole la servitù mia, et per l'absentia sua et del Re non mi parve ch'io potessi fare altro, benche restandoci il Rmo Legato, io non ci fusse ancho necessario. Quando mi trovarò in Anglia seguirò quanto la scrive per la sua de III. et non mancherò per quanto saranno le forze mie.

Lo Illmo Duca di Albania è stato con me, et mi ha fatto intendere il desiderio suo circa le cose di Scotia, al quale secondo el commandamento di N. S. io non mancherò d'alcuna mia opera: lui desidera tornare là per benefitio del regno et del Re, chiamato dal Re et di consentimento del Re di Anglia, ne la qual cosa desidera l'autorità di N. S., et inter cetera che si prometta al Re d'Inghilterra nomine di N. S., che tutto quello prometterà l'osserverà, il che prima ch'io lo propona mi pare necessario haverne il volere et commissione di S. B.

Quando passai per Cavaglio, trovai lì il Rndo Carpentras venuto per incontrarmi, et in quel congresso mi disse alcune cose, che per honor di N. S. et Sede Apostolica mi pare necessario che S. S. gli proveda, alla quale et egli et il Barone del Borgo ne scrivono ad plenum, mi pare per debito mio anche raccomandare quelle cose a S. B., et non havendo altro, humilmente bacio li suoi santissimi piedi, et a V. S. mi raccomando etc.

Londra, 17 Ottobre 1529.

Io scrissi a V. S. da Parigi, nè dipoi ho scritto altro, se non che essendo sotto Londra a 4. miglia, et intendendo che un corriere passava oltre per Italia, scrissi a Mgr. di Feltro, come io era venuto fin lì, et non mi parse di molestare altrimente V. S. con mie lettere, non havendo maggior tempo al scrivere, nè cosa piu importante: hora sono per darle conto del seguito. Mercordì che fu alli VII. da quel luogo donde io scrissi al Feltrino, arrivai in un Borgo di Londra in casa del Duca de Soffolck, et perche era ordinato che il giorno seguente si facesse la entrata solennemente, nella quale veniva anchora il Revmo Eboracense, pero essendo molto stracco et battuto da le gotte, di sorte ch'io non potevo stare nè in letica, nè a cavallo, nè altramente senza gran pena et dolor, pero stetti quella notte, et quasi tutto il giorno seguente in quella casa, et vedendo che non ci era modo di potere sostenire la noia di quella ceremonia, sopra sera de lì portato al fiume, in una barca passai allo allogiamento che mi era disegnato, cioè ne le case de Bathoniense, senza altro strepito o pompa. Dove sino all'hora presente sono stato, et sono in letto con gravissimi dolori maggiori del solito per l'agitacione et incommodi del viaggio, et da li quali non so anchora quando sarò tanto libero ch'io possa andare a salutare la Maestà del Re. Questo Rmo et Illustrissimo il giorno seguente venne a visitarmi, et benche pensassi et desiderassi che non havesse a ragionarmi de negocii, pur dopo le prime parole de le visite entrò ne la materia de la venuta mia, et mostrommi come per mantenere et accrescere qui l'autorità de la Sede Apostolica et di N. S., con ogni studio havea persuaso al Re a dimandare un legato a questo suo desiderio et scrupulo che ha ne la conscienza sua, anchora che da molti de questi prelati fusse detto, che si poteva far senza, di che stimo che per lettere di S. S. Rma Sua Santità habbia piena et abbondante noticia prima che hora.

Ragionando et intendendo questo et S. S. Rma et la Maestà del Re, erano risoluti in questa materia di venire alla dissolutione del matrimonio, le presentai la lettera di N. S. in credenza, de la quale cominciai a dirle che [decifrata] nel partir mio Sua Santità pensava che Sua Signoria Reverendissima in questa materia fusse non che resoluta con la Maestà del Re, ma d'altro parere ch'io non la ritrovavo, cioè ch'ella fusse per affaticarsi meco in persuadere al Re che in questo si havesse a tenere un'altro modo, et per aventura volesse ch'io persuadesse S. M. a levarse questo pensiero, et compor l'animo suo nella perseverantia di questo matrimonio senza altra declaration fatta per iudicio, et che S. S. mi havea date expresse commissioni ch'io m'affaticassi et con Sua Signoria Reverendissima, se bisognava, et con S. M. et qui soggiunsi molte ragioni che moveno la Beatitudine Sua a procurar queste cose si pertinenti alla conscientia, honore et dignità di S. M., et a particular commodo suo et del Regno et di Sua Signoria Reverendissima, come anche a tutti i Christiani, et

alle calamità presenti: le quali ragioni per efficaci che fossero, et da me dette con tutta quella forza maggiore ch'io potessi, non mossero pero un punto Sua Signoria Reverendissima dal parer suo, allegando che se non si seguiva il desiderio del Re, il quale è munito et giustificato da molte ragioni, scritture, et consigli di molti homini litterati et timorati di Dio, che ne seguirà presta et total ruina del Regno, di Sua Signoria Reverendissima, et della reputatione ecclesiastica in questo Regno. Et perche come ho detto sono stato a letto, et sono anchora, Sua Signoria Reverendissima è venuta tre o quattro volte dipoi a visitarmi, et havemo havuto ragionamento di tre et quattro hore insieme, pur sempre sopra questo punto da me in nome di Sua Santità combattuto, et ricercato a tentare di riconciliar l'animo di S. M. con se medesimo et con la Regina, et perseverare nello stato passato; ma finalmente non l'ho mosso piu, che s'io havessi parlato ad uno scoglio, rispondendo pero sempre con fondamento cosi sopra l'invalidità del matrimonio, come alla stabilità del Regno, et alla successione. Et perche sono in questo pensiero tutti abbandonati, sollecitano non pur che si compiaccia loro, ma che presto si espedisca con quella celerità che sia possibile. Ond'io mi veggo in grandissima angustia, et trovomi un gran peso alle spalle, nè vedo come non si habbi a venire a questo iuditio et presto, perche non patiscano indugio, allegando che le cose del Regno tutte stanno erette et pendenti nel fin di questa cosa, la quale mentre sta inresoluta sta con infiniti et grandissimi periculi del tentar l'animo della Regina, et suaderla a voler contentarsi di venir separata et in professione di qualche religione, siamo concorsi in opinione, et a questa via Sua Signoria Reverendissima mi promette ogni aiuto suo, et di tutti li prelati del Regno, et il favor del Re, con farle tutte quelle honorate conditioni che ella sapesse dimandare, et da potere stare come Regina, nè in questo perdere altro che l'uso della persona del Re, il qual pero gia molti anni dice haver perduto, et lasciarli la dote, danaro, ornamenti et assegnamenti per suo vivere, et molte altre cose, et spetialmente di stabilir hora la successione del Regno nella figlia, con ordine et consenso di tutti li stati, in caso che non ci sia altra successione legitima masculina, et han pensato di maritarla con dispensa di S. S. al figliol naturale del Re, se si potrà fare, a che havevo anch'io pensato prima per stabilimento della successione. Non credo pero che questo disegno basti per rimovere il primo desiderio del Re. Et quando ho detto che venendosi a questa dissolutione sarebbe da pensare di non haver mai se non mortalissima guerra con Cesare, et che con questo si perderà in perpetuo la speranza della pace universale, mi risponde che nò, perche non l'harrà cosi a male trattando et risolvendo la cosa con tanto commodo et honore della Regina, poiche non è da credere che Cesare voglia maggior guerra et briga alle spalle per questa, che habbi voluto per due altre sue sorelle cacciate dai loro regni et stati. Et quanto alla pace dice Sua Signoria Reverendissima che ne ha buon maneggio et buona intentione, et stringendomi et facendomi instanza per questa expeditione, et non sapendo pigliar altro expediente, come da me, secondo che S. Santità mi commisse ch'io scrivessi et aspettassi risposta, ho detto che partendo di costà Sua Beatitudine mi domandò che concetto et fantasia havevo in questa cosa, et che io le risposi, che non ero resoluto anchora, ma che resoluto ch'io fussi, le daria aviso prima che io venissi al pronunciare. Di che molto si turbò, et disse, si sic est, nolo negociare vobiscum sine potestate, neque sic agitur cum Rege, et mostrandoli che questo non dicevo, perche non ci fusse la facoltà, ma solo per exeguire quanto havevo promesso a Sua Beatitudine, con altre parole passammo oltre questo punto, ma se ci torna a pensare non so se li piacerà, nè io so come potrò sostenere stando le cose nelli termini che stanno, perche sono abbandonati et affogati tanto in questo che non è possibile rimuoverli. Per quanto mi ha detto esso Eboracense, et da ogni banda intendo, et da varie persone, che se questa cosa si mette in disputa et altercatione, dubito che non riesca d'essa se non male, perche gia nell'ultimo ragionamento che ho havuto con Sua Signoria Reverendissima mi ha detto et replicato in varii tempi piu volte: Domine Reverendissime, ne sicut unius Cardinalis duritia et severitate maxima pars Germaniae defecerit a Sede Apostolica et a fide, dicatur alterum Cardinalem eandem occasionemde disse Angliae, et ita fiat; et spesso mi replica che si hoc non fiat, spacciata è in questo Regno l'autorità della Sede Apostolica, della quale egli certamente si mostra geloso, et ha fatte, et fa di bonissime opere, perche con questa ha congiunta tutta la sua grandezza.

Quando prima potrò stare in piede anderemo al Re, et nel primo ragionamento non farò altro che bene udire et interrogare S. M. di quel che mi dirà per explorare, et vedere quanto sarà conforme lo animo suo alla informatione ch'io ne ho, et col presentarli la lettera di Sua Santità la exhorterò dextramente a quel che ho in mandato. Et cosi habbiamo composto insieme Monsignor Reverendissimo Eboracense et io di fare: poi in un'altro tempo, et altra volta ch'io torni spiegherò la lingua et ogni mio valore a persuaderlo, benche io sia quasi certo che sarà indarno, et con la Regina farò il medesimo, che Dio voglia, in lei trovi minor repugnantia. Et perche la instantia et sollecitudine di costoro vi è nota per quel che han trattato in questa materia, pero mi è parso necessario, ancor ch'io non habbi parlato al Re scriver tutto questo discorso a V. S., accio ch'io tanto piu presto habbi risposta et remedio al travaglio et peso sotto il quale mi trovo, qual son certo di non poter portare molto a lungo. Pero V. S. scriva et diami resolutione di quanto ho da fare circa allo expedir la cosa, perche sopra di me non posso excusare questo trascorrer molti giorni.

Quanto al procurar la materia della pace io ci attenderò con ogni studio, et maggiormente che que-

sto Reverendissimo mi ha detto haverne maneggio et buona intentione per lettere che ne ha d'Hispagnia dal Dario, il quale scrive che il Reverendissimo Generale stava per esser expedito a Sua Santità, et che expedito che fusse, egli sarebbe expedito in qua. Et così farò nella cosa di Ravenna et Cervia, et in quella di Scotia secondo li comandamenti di Sua Beatitudine, et per le prime scriverò poi copiosamente di tutto.

Signor mio, questa cosa è in termine, ch'ella non si può piu tenere in collo, ne è bisogno ch'ella si lasci sopra di me, perche il Reverendissimo Eboracense et tutto il Regno ci hanno tanto interesse, che non sono per aspettar troppo piu. Et V. S. mi creda quanto scrivo. Pero la prego solleciti, mi risponda con qualche risolutione, o a l'uno et a l'altro, et la risposta venga in diligentia et dupplicata. Et perche gia Eboracense vedendomi tanto fermo et saldo in persuadere che non si tenti questa via di separatione, havendo havuti Spagnoli nel Regno il successo che si scrive, è venuto in suspitione, che per camino non habbia havuto nuove commissioni d'intrattener la cosa, et mi ha detto, che «res Italiae etiam quamvis a discessu meo sint inversae, non tamen sunt eversae», et bench'io con ogni efficacia li habbi testato in contrario, pure non so come con questa ombra si potranno menare a lungo, et quel che penseranno, pero è da risolvere.

Essendo questa Maestà desiderosa di darmi audientia, si è trasferita ad una sua casa qui in Londra sopra il fiume, non molto distante dalla mia habitatione, et benche non potessi stare a cavallo, nè in piedi, et con poco commodo a sedere, bisognò alli xxii. andare alla prima audientia, dove fui molto ben visto, et accarezzato da S. M., et in una gran sala essendo convenuti li Oratori, et tutti li Prelati et Principi del Regno, ci dette audientia publica, et in nome di tutti a dui noi legati Messer Floriano mio fece una accommodata oratione, et recitolla di tal maniera che da tutti hebbe attenta audientia, et perche persuadendo la pace universale gli accadette commemorar la calamità d'Italia et di Roma, commosse tutti quelli che lo intendevano usque ad lacrymas, et con tanto effetto, che non si potrebbe dir facilmente. Il Dottor Fox gli rispose elegantemente, et finito questo atto publico S. M. ci trasse noi dui in un altra camera, dove io parimenti li exposi l'optima mente di N. S. verso S. M., et li presentai la lettera di Sua Beatitudine la quale lesse, et non parendomi in questo primo ragionamento di venire a piu strette particolarità, stando super generalibus, solo li dissi della pace universale, alla quale S. M. mostra esser dispostissima et desiderarla quanto sia possibile, et sopra la sua testa mi promise che per lei non mancheria di farne ogni opera: di poi gli lessi lal ettera di V. S. dei iii. di Agosto, qual ritrovai in mano del Rmo Legato in Parigi sopra le cose di Ravenna et Cervia, et fatto diligentia d'intender quello n'haveva ad essere, mi rispose che havea fatta ogni opera, et che S. M. et Eboracense sono molto male edificati di Venetiani; ma poi stringendolo che con il Re Christianissimo facesse opera che con effetto si facesse la restitutione di Cervia et di Ravenna, et delle terre che tiene il Duca di Ferrara di S. S., altramente che fusse per perdere ogni aiuto a favore di S. M., apertamente mi disse che il Christianissimo voleva che si ridichiarasse per la lega, et che in questa cosa del matrimonio si vedesse lo effetto che S. M. desiderava, altramente che non sapeva a che effetto volesse S. M. astringerlo a far questo effetto con Venetiani che erano cosi buoni amici in questa guerra. Ma che loro voleano veder lo effetto circa questo matrimonio, et che satisfatto il Re in questo, promettevano che la detta restitutione si faria omnino, expressamente dichiarando, che fin ch'ella non era expedita, non erano per fare altro, et benche in questi ragionamenti io li dicessi molte cose, et precipue che non era conveniente astringere S. B. a cosa alcuna con la restitutione delle cose sue tolteli tanto indebitamente: Nos, inquit, non abstulimus, sed Veneti; gli risposi che satis erat che erano loro confederati, et multa alia, ma si risolveno in quanto di sopra ho detto. Et in queste et in altre parole sue et modi dimostra S. M. uno ardentissimo desiderio di questa dissolutione, et mi pare tanto persuaso sopra la nullità di esso matrimonio, et cosi fermamente crederlo, che io feci coniectura che fosse impossibile persuaderlo altramente.

Il giorno seguente la Maestà del Re privatamente venne a trovarmi dopo pranzo, et soli stemmo insieme circa hore iii. et tutto il ragionamento nostro fu sopra due capi, l'uno il persuaderli che per solidare et chiarire la conscientia sua, et stabilire la successione del Regno, et evitar li scandali volesse non attentare questa materia, ma se pur egli haveva qualche scrupolo, poteva havere una nuova dispensa, et qui addussi molte ragioni che mi pareano molto efficaci, et tutto fu benignamente udito; poi rispose, come a cose premeditate, et penso che Eboracense lo havesse ben informato, perche a Sua Signoria Reverendissima disse le medesime ragioni. L'altro capo fu il disputare et discorrere, an ista prohibitio esset de iure divino, an Papa posset dispensare, et dato quod possit, an dispensatio fuerit valida et bona. Et in effetto S. M. ha tanto diligentemente studiata questa materia, ch'io credo in questo caso ne sappi piu che un gran Theologo et Iurista, et breviter resolvendosi apertis verbis mi disse, che non voleva altro mezzo, se non che si dichiarasse, an matrimonium sit validum vel non, presupponendo lui sempre la invalidità. Et credo si angelus de celo descenderet non posset ei aliter persuadere. Entrammo poi in un ragionamento di persuadere alla Regina che si contentasse ingredi aliquam religionem approbatam, et questa via extremamente gli piacque, alla qual certo ci sono amplissime ragioni, et fra le altre che la Regina non perde se non l'uso della persona del Re, quale ha perso piu di due anni, nè è per rihaverlo quomodocum-

que res cadat. In reliquis S. M. vuole lasciargli tutto quello saperà domandare, et ante omnia firmare la successione nella figlia, in eventum che non habbi maschi ex alio matrimonio; et in questo si concluse che io con Eboracense il seguente dì parlassi alla Regina. Et così sabato alli xxiiii. pure in nave levato da questo Reverendissimo insieme andammo per questo effetto, ma prima fummo di nuovo a parlare con il Re noi soli, il qual volse vedere la Bolla della commissione della causa, quale gli lessi: poi dimostrò S. M. haver qualche sospetto, che quasi non se li mancasse in questa cosa, dicendo che da mercanti Londresi haveva non erano venti hore inteso, dopo che mi havea parlato, che metteriano pegno che Sua Santità si accorderia con lo Imperatore. Io gli risposi quello di che io son debitore, et posso dire con verità in difesa di N. S., concludendo che io teneva per certo che esso non farebbe cosa indegna d'un buono et optimo Pontefice, ma che li era necessario haver rispetto a molte cose, non solo per sua, ma per l'autorità della Sede Apostolica et conservatione del stato ecclesiastico, onde mostrò restare ben contento. Ultimamente tolta licentia da S. M., il Reverendissimo ed io ce ne andammo dalla Regina, con la quale ambedue noi soli ragionammo circa due hore, et io fui il primo, il quale dopo le salutationi etc. le diedi la lettera di S. S., la quale ricevuta et letta con buona cera, mi domandò quel che sotto la credenza di detta lettera li havevo da dire. Onde io cominciai, che non possendo N. S. denegar iustitia a chi la ricerca, S. S. haveva mandato il Rmo Eboracense et me in qua, per intender il stato di questa causa fra Sua Altezza et la Maestà del Re, ma che essendo la cosa molto importante et piena di difficultà, la Beatitudine Sua per officio paterno et amore che gli portava, confidando molto nella sua prudentia, la consigliava, che piu presto che venire a iudicio volesse con la sua prudentia pigliarci alcun mezo che fusse a satisfation commune, et con gran beneficio suo et delle cose sue, non gli exprimendo altramente il modo, per aspettare che da lei fusse domandato. Il Rmo Eboracense parlò in consonantia per quanto io potessi intendere, perche il piu parlava in questa lingua. S. M. rispose ch'ella sapeva la sincerità della sua conscientia, et che voleva morire in la santa fede, obedientia delli comandamenti di Dio et di Santa Chiesa, et che volea declarare sua conscientia a N. S., et per allhora non voleva dare altra risposta, ma che voleva domandare consiglieri al Re suo Signore et Consorte, et che poi ci udiria et responderia, dimostrando expresse havere inteso a che andava la persuasion nostra, cioè ad religionem. Il che io non gli negai, et mi sforzai persuaderle che in man sua, facendo questo, era di componere il tutto, talmente ch'a Dio, alla conscientia sua, alla gloria et fama del suo nome, et alli temporali beni, et ad ogni cosa si satisfaria, et in specie alla successione di sua figlia, et che non perderia cosa alcuna se non l'uso della persona del Re, qual di gia havea perso, et per quanto io conoscea non era per ricuperarlo, et ch'ella non dovea non pigliar piu presto questa via, che mettersi al periculo della sententia, la quale se venisse contra di lei, considerasse in quanto dispiacere et disturbo saria, in quanto poco honore et reputatione, et che perderia la dote, perche nelli trattati del matrimonio fu concluso, che dissoluto matrimonio quandocumque et quomodocumque non repeteret dotem, li scandali et inimicitie che seguiriano, et e contra; oltre a tutti questi incommodi che si fuggirebbono, conservaria la dote, il danaro, il governo della figlia, et il Principato suo, et tutto quello finalmente ch'ella sapesse domandare harobbe dal Re, nè offenderebbe Dio, nè la conscientia sua, et gli allegai l'exempio della Regina di Francia che fu, et poi fece una simil cosa, et anchora vive con honore et reputatione grande appresso Dio et di quel Regno. Il simile et forse piu gli inculcava il Rmo Eboracense che insta che erano consilii, volesse ben considerare fra se, et conoscere l'importantia, et il bene et il male che ne poteva venire da l'un aparte et da l'altra, sperando che per la sua prudentia si risolverebbe nella migliore. Et così ne partimmo, risolvendoci che volea dichiarare a N. S. la sincerità della conscientia sua, a cho io risposi che mandato da S. B. ero per udire quanto mi volesse exponere, et li direi fidelmente il parer mio, poi che il tutto significherei alla S. S., et per la risposta conoscerebbe ch'io harei fatto il debito synceramente: soggiunse che domanderebbe dei consiglieri al Re suo consorte, et che era femina forestiera et senza alcuno, et che poi ci udiria.

Questa posta si expedisce per la Chiesa Vintoniense in persona del Rmo Eboracense, et per li meriti che ha Sua Signoria Reverendissima col Sacro Collegio et Sede Apostolica in la expeditione la raccommando a S. B.

Quando io partiva di costà N. S. mi promesse che la provision mia della Signatura mi sarebbe pagata, et perche sopra questo disegno providdi a certi miei debiti et bisogni costà, pero prego V. S. che operi con S. S. che detti danari siano pagati a questi miei, perche ne ho grandissimo bisogno per le grandissime spese, et gran disagi che mi sono sopragiunti in questo camino, et che io ho continuamente qui.

Londra, 26 Ottobre 1528.

Io, Signor mio, per quel che fin qui conosco non son fuori di speranza che questa via di persuader la Regina ad religionem possa riuscire, ma la vedo molto difficile, et piu che dubia, ben vi direi, se'l fusse possibile persuader questa via allo Imperatore, et far che S. M. le scrivesse, o piu presto mandasse una voce viva a persuaderla, perche sendo gia presso alli 50. et non perdendo in cosa alcuna, secondo che è detto, et seguendone tanto bene, non vedo perche Sua Maestà non ci si potesse indurre, et per queste universale non si pigli questa via come meno scandalosa et piu sicura, et perche il Rmo Roffense est pro Regina, et credo che lo deputerà

per uno delli suo Consiglieri di voluntà del Re. Alli xxv. sono stato con lui a lungo, et con molte ragioni gli ho persuasa questa via, et mi è parso che sia partito da me contento et bene edificato. Dio lassi correr quello che sia per il meglio. Ritorno a dire che questa cosa da costoro si brama con ogni celerità; pero è necessario che S. S. si risolva, et mi scriva risolutamente quanto ho a fare, et talmente ch'io possa mostrarlo, et non lassare sopra le spalle mie cosa alcuna, perche non posso, ritrovandomi qui, difendermi dalla instantia che fanno, et maxime perche a Natale tutti li Baroni et Prelati del Regno devono esser qui per questa expeditione, et questo movimento non può star suspeso senza periculo. Pero di nuovo humilmente supplico, che talmente mi sia scritto, che io possa respirare, et pensi V. Signoria lo stato mio, che oltre alla indispositione del corpo mi trovo in infinita fluctuatione dell'animo, et Dio vogli che a questa hora non resti stroppiato d'un ginocchio, nel quale ho gia xx. giorni una gomma, che non mi lassa stenderlo con grandissimo dolore.

Hieri scrissi fin qui, questa mattina all'alba standomi in letto non poco tormentato dalle gotte, il Revm̃o Eboracense venne a trovarmi, et mi fece intendere, come il Re havea parlato con la Regina, la quale gli havea domandato Consiglieri, Procuratori et Advocati forestieri, et che per Consiglieri le havea concessi il Rm̃o Archiepiscopo Cantuariense, li Episcopi Roffense, Bathoniense, Landoniense, et il Confessor della Regina Episcopo ...., et lo Episcopo ...., et il Cancellier di Helien, et non havendo voluto compiacerla che habbi Spagnolo forestiero, si è contentata che hobbia di Fiandra un Procuratore, et un altro Advocato et uno Spagnolo ch'ella si ritrova detto Ludovico Vives, quale altre volte è stato in questo Regno, et ha letto in studio Exoniense, et dipoi mi disse che la Regina havea domandato licentia al Re di venire a confessarsi da me, et che glie la havea data. Cosi alle IX. hore, che sono II. del giorno, venne privatamente, et fu meco per lungo spatio: et benche tutto mi dicesse sub sigillo confessionis, pure mi dette licentia, anzi mi ricercò ch'io scrivessi a N. S. alcune conclusioni, et che io pigliassi giuramento dalli miei secretarj di silentio, dicendo che a loco et tempo diria sua intentione. Il discorso del suo parlare fu dal primo advento suo in questo Regno fino al presente. Et prima in conscientia sua affirma che dalli XIIII. di Novembre, ch'ella si sposò con il quondam Arturo, fino alli II. d'Aprile del seguente che morse, non dormì seco salvo VII. notti, et che da lui restò intacta et incorrupta, come venne dal ventre di sua madre. La seconda conclusione havendola io molto exhortata a levare tutte queste difficultà, et contentarsi di far professione di castità, epilogando tutte le ragioni che sopra tal materia si possono dire, mi affirmò che mai non era per farlo, et che voleva vivere et morire in la vocatione del matrimonio, in che Dio l'havea chiamata, et che sempre saria di quella opinione, et che non era per mutarsi, et tanto stretta et deliberatamente lo disse piu volte, ch' io comprendo che cosi sarà, et vuole che tutto per sententia si dichiari, che se la venirà contra di lei, cosi restarà libera come sua Alteza; dicendo che nè tutto il Regno da una parte, nè ogni gran pena da l'altra, ancorche potesse esser laniata a membro a membro la poteva mutar di questa opinione, et che se dopo la morte si ritornasse in vita, di nuovo vorrebbe anche morire. Tertio loco mi pregò, ch' io supplicassi, et anche ch' io operassi con Sua Maestà che si lasciasse levare da S. B. di questa fantasia, et la volesse tenere per sua consorte, come era stata fin qui. Et che ella offeriva il capo suo di operar con Cesare che la pace universale si farebbe, et che S. M. tanto lasciarebbe delle domande che faceva per amor suo, che omnino la pace si faria. Et non havendo io mancato dal canto mio di persuadergli la professione, et trovandola cosi ferma non mi accadette dire altro, et partissi da me, et prometto a V. S. che d'ogni suo parlare et discorso io sempre l'ho giudicata prudente Madama, et hora piu, benche potendo senza perdita, come di sopra ho detto, evitar tanti periculi et difficultà, non mi satisfa multo questa sua obstinatione in non accettare questo sano consiglio.

Londra, 28 Ottobre 1528.

Hieri piacque alla Maestà del Re che Eboracense et io andassimo alla Regina, con la quale si doveano trovare li deputati et sopra nominati consiglieri, et cosi andammo, et in presentia loro et di essa Regina exposi la cagione della legatione nostra, et replicai le commissioni, et tutto quel che prima havevo detto a S. M. et maxime circa le exhortationi et consigli che li havea dati in non tentar questa via del Iuditio, et di contentarsi di una casta professione di vivere in servitio di Dio, et in tranquillità dell'animo et della conscientia sua, con satisfare a Dio et alli homini, et principalmente alla tranquillità di questo Regno et del Re, dal quale era per havere tutto quello che sapesse domandare, ut supra, et dissi molto lungamente. Et havendo io finito, replicò Eboracense, ma in lingua Inglese, et alla fine si inginocchiò alla Regina, et per gran pezzo pregolla et supplicolla ad usar questi buoni consigli, et la buona volontà del Re in honore, commodo et utile suo, pure in lingua Anglica. Et Sua Maestà rispose che niuna cosa era per fare in dannatione dell'anima sua, o contra la legge di Dio, et che faria con li suoi consiglieri, et poi daria risposta. Dopo questi ragionamenti gli feci leggere dal mio secretario la Bolla della commissione della causa che tutti la udirono; vederemo quello che consiglieranno Sua Maestà, et quello ch'ella piglierà, benche come di sopra ho detto non vedo fin qui che l'una parte o l'altra si voglia piegare.

Londra, 1 Novembre 1528.

Pur questo Revm̃o et Illm̃o è risoluto di spacciar questo corriere, il quale secondo mi hanno intimato partirà domane, et hoggi ha mandato per il

secretario mio, et li ha mostro una lettera del Christianissimo de xx. d'Ottobre a Monsig. di Bayona qui suo orator, per la quale manifestamente si vede l'officio che'l Rmo Eboracense in nome del suo Re ha fatto col Christianissimo circa le cose di Ravenna et Cervia, scrivendo che l'Orator Veneto ch'è appresso di Sua Maestà ha fatto l'officio, che non dubita che Venetiani presto non se resolveno a tutto quel che è ragionevole sopra di cio, et piu che di questo ancora ha dato particular carico al Bayli de Robano, qual S. M. manda alla B. S., che di questa materia parli, et faccia gagliardemente con la Signoria et con altri tutti quelli officii che saranno necessari, et questo per accrescere la buona voluntà che S. M. ha, et è per havere verso di N. S., dell'amicitia et benivolenza della quale molto si contenta quando la possi havere. Et perche S. S. Rma non solo ha mostro, come ho detto, dette lettere al mio secretario, ma pel suo me l'ha mandate, si che io l'ho viste et lette, pero di questo posso far tanta maggior fede. Scrive ancora che S. M. vedendo S. B. tanto desiderosa della pace universale, per quanto V. S. ne scrive al Rmo suo figliuolo, et per la venuta del Revmo Generale, che per non perder tanta occasione, nè sia mai imputatogli che per lui non sia successa, manda di presente el Bayli prefato de Robano a S. B. per intendere che maneggio et modo ella ne habbi nelle mani, et con quali conditioni, accio che havendo del ragionevole et honesto, possa col consiglio et consenso di questo Re et Rmo Eboracense accettarla et seguirla, recordando che per altra mano che per questa non è per stabilire cosa alcuna in questa materia. Et piu scrive che al detto Bayli ha dato speciale commissione d'operar che a Firenze sia satisfatto a Sua Santità in quelle cose della Duchessina et de nepoti, et altri che ragionevolmente toccano alla Beatitudine Sua; et perche sopra la venuta del sopradicto Bayli ragiona lungamente et discorre sopra la pace universale, et mostra inclinatione tanto quanto approvarà questa Maestà et Rmo, li quali per altre vie et di Spagna, come per altre mie ho scripto, hanno questo maneggio in qualche speranza, pero conietturando che la cosa non possa havere perfettione se non qui, o dove di qui sarà ordinato, per maggior facilità et manco incommodo de le parti, et per condurre si buona cosa piu presto al desiderato fine, desiderano questa Maestà et Sua Signoria Rma, che N. S. dia una speciale commissione super hoc negotio pacis universalis a S. S. Rma et a me, come a suoi legati coniunctim et divisim, in ampla forma, et un altra commissione particulare a me pur sopra la medesima causa, accio che in evento che la cosa se maturi, et si concludi, non se stia in tempo aspettando mandati et commissioni, et che S. S. Revma non volendo, o non potendo per attenderci passare el mare, io potessi exequire con le commissioni di Sua Santità, et authorità di questa Maestà quanto fussi el bisogno, conducendomi in qualche luogo commodo alli Oratori et Commissarii di questi Principi, nel quale piu facilmente, et in breve tempo si potessino havere risposte et risolutioni da loro principali, et maximamente da questa Maestà, poiche pare che essa habbia ad essere come sequestra et fiduciaria persona de l'una et l'altra parte, et in le cui mani si habbia a deporre quello che rimarrà pendente fino alla perfetta executione di tutto el trattato, se Dio ci presterà tanta gratia che ci veniamo. Et tutto questo scrivo di commissione di questo Reverendissimo et Illmo, non ch'io non sappia che retrovandosi Monsignor Rmo nostro de là persona del valore et prudentia, che in S. Signoria Rma sempre si è conosciuta, non accaderia cercare altro. Di ciò scrivono anchora, et commettono al Cavaliere loro oratore che ne parli in conformità, et desiderano sopra ciò presta et risoluta risposta, in questo mezo si anderà dirigendo la materia, et pensando d'un luogo habile et commodo.

Et perche la via ch'io scrissi essersi tentata con la Regina di far alcuna professione di religione etc., come non n'ho ferma speranza, cosi non ne sono al tutto desperato, secondo che li deputati consiglieri riferiscono, pero in caso che a questo se venisse, questo Re vorrebbe esser certo di havere una dispensa o licentia senza controversia da N. S. di poter poi licitamente transire ad secundas nuptias, benche sin qui non ci sia speranza che debba venire in caso, pur in eventum vorrebbono haver questa cosa resoluta, nè per questo vogliono lasciar di seguire l'ordine et la via del processo. Pero sopra questo anchora V. S. rescrivendo risponderà quanto sarà la mente di Sua Beatitudine.

Questo Revmo et Illmo anchora che da questa Maestà habbia gratia de la Chiesa Vintoniense, pur non sta risoluto di acceptarla, se prima non intende che di costà gli si conceda tal gratia che possa tenerla con poco dispendio, perche il valore non è maggiore di quello de la Dunelmense, cioè ccc. libre di queste: è vero ch'ella è piu propinqua qua, et ne l'umbelico quasi del Regno, pero volentieri la preporrà a questa che hora tiene, purche la spesa troppo non gli gravi, et considerato che è poco tempo che pagò la expeditione de la Dunelmense, et che accettando hora Vintonia di nuovo vacarà la Dunelmense, et per questo qualche altra farà mutatione, pero si potria tanto piu pensare di farli tutto el piacere et gratia in questa expeditione che fussi possibile, et maximamente essendo Sua Signoria Reverendissima benemerita come è di N. S. et de la Sede Apostolica, che in verità eius vigilantia et solicitudine la Sede Apostolica qui et altrove sta anchora nel suo grado et dignità: prego Vostra Signoria che operi con Nostro Signore, che ne mandi S. S. Rma in buona parte contenta, et sia fatta tale dimostratione a quelli suoi che ne parleranno, che intendano quanto anch'io n'habbia scripto caldamente. Et non havendo altro etc.

Londra, 2 Novembre 1528.

Havendo di gia serrato il plico et datolo a questo Revmo et Illustrissimo, per nuovi avisi che ha

dal Christmo in materia pacis universalis, al quale niuna cosa pensa circa cio senza il consiglio et consenso di questa Maestà et Rmo Cardinale, et per il desiderio ardente che ha che tanto bene si conduca a fine, poiche per lettere di V. S. ci è molta speranza ne la venuta del Rmo Generale, ho considerato che accio che nel tempo che si tratta detta pace non si dia nuova materia a maggior guerra, di sorte che in tutto et per tutto poi si confonda et perda questa intentione, che saria molto in proposito che Sua Santità facesse instantia appresso a tutti questi principi che intanto che si tratta et digerisce la materia, silerent prorsus arma, et si havesse quodammodo una sicurezza che non si venisse a nuove iniurie et danni, et fatto questo fondamento senza dubio non sarà da sperarne se non quel fine che si desidera et che bisogna alle tante calamitati de Christiani. Di che commette al suo oratore costì che ne parli strettamente con S. S., et perche la cosa mi pare anchora a me molto oportuna et necessaria, pero ne ho voluto far motto a V. S., accio che la ne faccia con N. S. quello officio ch'ella iudica essere al proposito, et a lei di continuo mi raccomando.

Londra, 12 Maggio 1529.

Con dette lettere di XIX. di Marzo di V. S. non furono alcune lettere a questa Maestà, nè al Rmo Eboracense da li loro oratori, di che restorono molto maravigliati, onde sono di poi stati sempre in continuo desiderio et expectatione di loro lettere fino alli VI. del presente che ne hebbero per Taddeo. Et la mia mala sorte ha voluto che io che ne stavo con poco manco expectatione per quello che V. S. mi havea scripto, che fra pochi giorni la cosa si metteria in consultatione, et che N. S. vi voleva esser presente, quando questi sono usciti di quella solicitudine, io sono entrato in maggiore, per non havere cosa alcuna da V. S. nè per due lettere di Monsignor di Feltro mio fratello di XI. et XV. d'Aprile ho lume alcuno, scusandosi lui per non sapere quanto si fusse determinato, et rimettendosi al scrivere de la S. V., la quale prego che voglia con la sua prudentia stimare in quanto dispiacere et confusione per questo mi trovo, essendo anchora al buio dopo tanta dilatione, et in cosa di tanta importantia, et bisognandomi governare sopra quello che da questi intendo, li quali appena ponno credere che non habbia lettere copiose con risposta a tutte le parti de la mia lettera. Essi mi dicono che in effetto nihil est eis sperandum a Smo D. N., et che Sua Beatitudine omnia reiicit in nos.

Questo Re et Eboracense hanno lettere de Spagna de XXI. et XXIII. d'Aprile dal Auditore della Camera, et dal'altro loro oratore elimosiniero di questo Re, per le quali le certificano quello Breve esser falso, et in multis laborare, et argumentano cose in loro favore, per el tenore del Breve se vede che essi non si sono fidati nè assicurati che la Bolla basti, et questo Breve è falso, ergo etc., et vogliono che si proceda et facci el processo, et spedisca la causa. A che ho risposto che io sono contento, et non manchardò del debito mio. Così credo, fatte queste feste della Pentecoste, si procederà con ogni diligentia, in che etiam tanto piu pendo, perche intendo che li detti scriveno di Spagna che lo Imperatore et quelli de la corte hanno per resoluto che la causa si avocarà da noi, et se metterà in corte.

Nel ragionare di questa cosa quando mi dicevano che non erat aliquid sperandum in hac re a Smo Domino Nostro, mi soggiungevano, che S. S. era d'accordo con Cesare, et nihil volebat facere nisi nutu suo, et che S. B. volea ire in Spagna, si Caesar erat contentus, volebat indicere inducias, si Caesar volebat, et che in questa causa matrimoniale havea rispetto a Cesare. Io li rispondo, che quanto all'essere d'accordo con Cesare io non so cosa alcuna, ma che non posso credere che S. S. sia d'accordo con obligo che habbi da offendere et essere contraria a questa Maestà, ben penso che potesse essere che S. B. pensaria di assicurare et provedere alle cose di quella Santa Sede, ma senza ingiuria o offensione d'altri, et precipue di dette Maestà. Quanto alla causa matrimoniale, ch'io sapea certo S. S. essere optimamente disposta verso questa Maestà, et che il rispetto di Cesare non la faria punto deviare da quello che giustificatamente potessi fare in favor suo, et che S. B. certo desiderava farli ogni servitio, pur che si potessi; ma dovevano considerare che questa materia toccava uno de li sacramenti de la Chiesa, et potria causare gran scandalo, onde S. S. era constretta ad andarvi molto pesatamente, nè poteva farci se non quanto la iustitia comportava, et mi ricorda piu volte in varii ragionamenti sopra questo punto haverli parlato di questo modo. Ben mi disse Eboracense certo ragionamento che li loro oratori anchora non erano disperati di potere ottenere alcuna cosa da N. S., pure il Re, domenica alli IX., mi disse, che volea subito expedire Taddeo costì per fare ritornare Briam, et il Doctor Stephano, et che l'Auditore de la Camera ritorneria in Italia, et saria suo oratore cosi insieme col Cavaliere Casale, et in questo proposito soggiunse: Ego non sum molestus Pontifici pro creatione Cardinalium, ut sunt alii Reges, sed pro praefato Auditore omnino volo, quod ad instantiam meam creet eum Cardinalem; et dimostrò haverne grandissimo desiderio, dicendo molte cose in laude di esso Auditore.

Eboracense m'ha detto che Cesarea Maestà appresso di loro cerca tre cose: la prima è di pace particular fra loro; la seconda, si primum non vult, suspensionem armorum ubique locorum; et se questo non vole, tertio loco una tregua particulare: le prime due parti hanno refutate, alla terza consentirebbono con inclusione Regis Gallorum, et mi soggiunse che lo Imperatore tutto fa, ut separet eos a Gallo, vel Gallum ab eis, perche sono avvisato che da l'altro canto sollecitano accordo col Christianissimo per via di Madama Leonora sorella de lo Imperatore, la quale novamente ha mandato un Portoghese alla corte di Francia, et mi disse che anchora per altra via entavano el Christianissimo. Questi havevano deli-

berato mandare mastro Rossetto della Camera del Re al Christianissimo, poi hanno mutato, et vi mandano el Duca di Suffolco cognato del Re, et mastro Figriel thesauriere de la casa del Re, el quale intendo che è una gentil persona di molta valuta et pratica in le cose della guerra, et li mandano, perche siano in consiglio con sua Maestà Christianissima et habbino autorità et modo di darli aiuto, quando vedano et conoscano ch'el Christianissimo facci da dovere, et habbi bono ordine di fare gagliardemente la guerra et risoluta voglia di farla, et come in secreto m'ha detto Eboracense, pensano ancho di darli una bona banda de Inglesi, et pare se rischino se lo Imperatore verrà in Italia, ch'el Christianissimo similmente vi passi, et in fatto mi pare di vedere che hanno voglia di fare da dovero, et se pure el tempo non passerà in consultatione, et mi pare anche di comprendere che questi non troppo volentieri stanno su questa presa, et credo che quando fusseno resoluti di questa cosa del matrimonio, per la quale pare loro di esser legati alla cintola del Christianissimo, sarebbono per pigliar accordo con la Maestà Cesarea, et Eboracense molte volte mi ha detto: Facta hac dissolutione matrimonii, bene inveniemus modum concordandi cum Cesare, et non erunt ulli clamores. Pensano prima di contentar la Reina lasciandoli il stato che tiene, et tutto ch'ella sapesse dimandare, preter personam Regis, et col Imperatore lasciarli il credito loro, et fare seco novo parentado della figlia de lo Imperatore nel figlio di questo Re amendue naturali, et per molti altri mezzi contentare Sua Maestà Cesarea, ut ipse dicit: parendo poi loro haver guadagnata assai havendo conseguito questo loro desiderio circa matrimonium et liberatosi dalla spesa et suggettione, che per questo par loro havere col Christianissimo, cosi dalle parole et altri segni mi pare di veder che sia lo intrinseco loro.

Sono alcuni giorni che di Spagna passorono alcuni personaggi di conto in Fiandra, dove doveano fare una dieta alli x. di questo di tutte quelle terre et stati, et nomine Caesaris dimandare aiuto di xv. mila fanti pagati per Italia, et 500. de loro homini d'arme: non so quello concluderanno, ma per quello si stima, in ogni modo sono per riportarne grosso sussidio. Io credo che N. S. per altre vie debbia intendere meglio il vero, et non di meno non lasciarò di darne adviso di quanto di qua ne potrò intendere.

Monsignor di Baiona per sue lettere d'Ambosa de duoi di questo scrive che stava a ordine per partire per Roma, che havevano deliberato indugiasse tanto (che) intendessino quello che el Gioacchino havesse operato con Nostro Signore, perche andasse meglio resoluto et informato.

De li Brevi che V. S. mi indirizzò per le sue ultime di xix. di Marzo, il Rm̃o si tolse il suo, essendoli capitato in mano il mazzo, et io mandai il suo a questa Maestà per il mio secretario, et di poi feci la scusa che non si fussi risposta alle loro lettere di mano di N. S. per la indispositione di S. B., et mostrorono restare ben satisfatti.

De la passata di Cesare in Italia qui si stima che non debbia aliquo modo seguire. Per le lettere di Spagna scrivono che pur si vedea qualche preparamento di vettuaglie, ma di nave et d'altre cose nò, et che lo Imperatore a quelli che li sono sospetti in Spagna dice risolutamente che vol passare, et che si mettino ad ordine, alli altri mette la cosa in dubbio: credo costì intendiate meglio el vero.

Avanti che questa vi giunga saranno pur cinque mesi ch'io mi trovo con questa gravissima spesa senza la provisione de la legatione, senza quella de la Signatura per tutto il tempo che son fuori, et senza le distributioni del capello, et con maggior dispiacere che non so quanto tempo possa durare: supplico a V. S. che non mi essendo stato fatto provisione, voglia procurare ch'ella si faccia, et che io non sia in tutto destituto, et mi trovi qui senza lettere et danari. So che N. S. ha benigno animo verso di me, et per altri costì rem esse angustam, pur necessitas non habet legem.

Londra, 20 Maggio 1529.

L'ultime mie furono di xii. del presente mandate per Taddeo cavallaro spacciato di qui apposta come io scrissi, per far ritornare Brian et il Doctor Stephano, il qual Taddeo non partì pero fino alli xiii. ad hora di pranzo. Et quattro hore dopo la sua partita giunse qui Monsig. di Baiona, il quale scrissi che dovea venire a Roma, si come io havea letto in una sua lettera di ii. del presente data in Ambuosa. Et la sua venuta in qua, come io intendo, è stata con molta diligentia, in modo ch'egli si messe a passare il mare per tempo si forte, che alcuni Inglesi non volsono passare con lui. Et per il prefato Monsignore sotto coperta del Rm̃o Legato di Francia hebbi le lettere di V. S. da me tanto desiderate di x. et xxi. del passato con la duplicata de xix. di Marzo. Et certo mi parea cosa impossibile ch'ella non mi havesse scripto.

Queste lettere m'hanno ritrovato pure al solito vexato da la podagra, et la Maestà Regia era (come è anchora) absente ad un suo castello detto Vimdesor discosto di qui xx. miglia. Io mandai subito la lettera di N. S. al Rm̃o Eboracense, et S. S. Rm̃a mi manda a dire che li pareva ch'io mandassi similmente la sua a questa Maestà, et a communicarli quanto havevo di Roma, cosi ordinai che vi andasse il mio secretario, havendo fatto far prima uno estratto de le lettere di V. S. latino, di quelle parti che piu parevano in proposito. Ma alli xiiii. Monsignor di Baiona se ne andò al Re, il quale ritornò il dì medesimo, et di poi il Rm̃o Eboracense essendo chiamato da S. M., che subito postpositis omnibus andasse a lei, lasciò ordine nel suo partire ch'el mio secretario lunedì, che fu il 2. giorno di Pasqua, se ne andasse alla Corte insieme con Messer Francesco, che lo volea fare expedire, et cosi vi andorono, et esso messer Francesco sarà l'apportatore di questa. Et benche venendo lui, il quale ha parlato piu volte con questa Maestà, et col Rm̃o Eboracense, et per lo ingegno et prudentia sua harà potuto cono-

score assai di questi humori, io stimi quasi superfluo questo scriver mio, perche N. S. et V. S. da la sua viva voce intenderanno queste cose forse meglio ch' io non ho potuto significar loro con la penna; pur non ho voluto anco mancare di questo offitio per consolation mia, et per testimonio del parlar suo, dal quale intenderanno anchora in che travaglio io mi truovo et de la mente et del corpo, per la quasi continua infirmità mia causata da la intemperie et inconstantia di questo aere, aggiunta con la poca contentezza de l'animo, pur anderò drieto facendo il meglio ch' io potrò, non mancando quanto si stenderanno le mie forze del debito mio.

Scrive che N. S. si duole et non può immaginarsi come sia proceduto che questi habbino havuto speranza che si fusse per revocare quel Breve di Iulio, et che sopra questa speranza sono stati mandati li Oratori, et che S. S. harebbe desiderato che fusse stata tagliata loro questa speranza etc. Non posso gia, Signor mio, stimare, massime essendo conscio d'ogni mia actione, che Sua Santità et V. Signoria in cio mi vogliono dare imputatione alcuna, et mi stimino di cosi poco conoscimento ch' io non sapessi che non vi era ordine che S. S. facesse tal dichiaratione di nullità, come questi desideravano. Pero con animo piu sicuro rimetto V. S. alle mie lettere, dove rileggendole troverà ch' io ho scripto havere di qua piu volte detto che era impossibile che obtenessino il desiderio loro circa questo da S. S., nè harei potuto con maggiore efficacia dissuader loro che non facessino tal dimanda, mettendoli sotto li occhi tutte le ragioni che mi occorrevano, donde potevano vedere la impossibilità della cosa. Et d'altro canto dicevo loro che se stimavano che il Breve fusse falso, stessino sicuri che in processu la falsità si conoscerebbe, che pure ho studiato tanto ch' io so quello che ne scrivano li doctori, et come si habbia a considerare et ritrovare la falsità de le lettere apostoliche.

Costì si ritruova il Doctor Stephano, il quale mi ricorda che almeno una volta, se non piu, fu presente quando io mostrai loro la impossibilità de le dimande che facevano. Et messer Francesco nostro che viene con questa si ricorderà che in presentia sua, quando il Cardinale a lui et a me replicava le parole che spesso suol dire amore Dei faciat Pontifex pro Sermo Rege meo, et eximat nos ab hiis anxietatibus, io li replicai che le dimande loro erano impossibili, come anco altre volte gli havevo detto. Et non obstante che di nuovo intendano, et si dica loro questa impossibilità, onde è causato che N. S. non habbia potuto satisfare alli loro desiderii, pure stanno in questa fantasia che N. S. possa, et dicono che el dottore Stephano in hoc convincit el Cardinale d'Anchona et el Simonetta, pero prego V. S. che voglia certificare S. B. del vero, quanto si vede per le mie lettere, et che dal canto mio non si è potuto levare questo peso, che io l'harei fatto molto volentieri, et che io non habbi potuto divertire questa piena, credo possiate conoscer facilmente della vehementia di quelli Oratori, considerando se cotesti pene obruunt vos, come mi debbio trovar io che dal Re et Eboracense ogni giorno sono combattuto, et V. S. si renda certa che appresso di costoro ogni ragione è vana et di nessun momento che non facci per loro, et messer Francesco che tutto ha visto et tocco con mani, spero che farà testimonio del vero, io per l'avvenire non mancherò di quanto potrò, come ho fatto per il passato, nè mai si è data loro da me alcuna speranza, solo gl' ho assicurati della bona mente di S. S., del debito che S. B. riconosce, et desiderio (che) ha di satisfare a Sua Maestà, come V. S. piu volte ha scritto, scrive et replica di novo, et come per l'ultime mie li scrissi anchora dicono haver speranza, et interpretano ogni minima parola a loro modo, et inter alia hanno ponderato quella parola in le lettere di N. S., dove dice vellemus statim efficere posse, quod nunc postulas etc. dicendo, nota statim, ergo tempore poterit, non obstante che quello che segue in la lettera denoti la resolutione, et quella parola omnis non nobis minus etc. tacendo dilatio ergo etc. et similia.

Quanto con S. M. et Revmo si è communicato quanto V. S. scrive del Breve che N. S. volea scrivere a Cesare, et che li Oratori non se ne sono contentati, ma lo volevono imperioso etc. si risolvono che più non si curano che S. S. cerchi di haverlo, et che lo Imperatore lo mandi o a Roma o in Inghilterra, et cio perche dubitano che con questi principii si venisse a levare la causa di qui, et impedire l'authorità de Legati, et hanno notato dove V. S., scusa perche non si dovea scrivere quel Breve imperioso, come ricercavano li loro Oratori. Che anch' essi per questo ponno dire che Roma li è sospetta come li Imperiali dicano d'Anglia, et a quanto si è detto, che li Imperiali hanno parati li protesti etc. dimandano che non sieno nè admessi nè uditi. Si è replicato loro opportunamente a questo, che non si può prohibire che le parti non usino le loro ragioni, et maxime circa il protestare, et V. S. si renda certa che sempre si è fatto et si farà, data occasione, ogni opportuno offitio, perche conoscano che S. S. non si è rimasa di fare quanto dimandavano li Oratori per difetto di buona volontà et desiderio, che fusse in lei di gratificare a questa Maestà, alla quale nessuna ragione vuole che S. B. fusse ingrata, per gratificarsi con altri, havendo essa Maestà con lei infiniti meriti, et l'altro piu tosto diversa ragione, ma che cosi volea la justitia. Il mio secretario mi dice che parlando col Re in questo proposito, S. M. gli replicò: Istud quidem admittimus, verum metus quandoque agit homines ad ea, quae ipsi minime vellent; a che lui replicò che in questo potea certificare a S. M., che justitia sola et rei impossibilitas obstabant.

La M. S. disse di poi ad esso mio secretario, che Cesare in Spagna nel suo Consiglio ha trattato di questa materia matrimoniale, et hanno concluso, se N. S. permetterà che la causa si giudichi qui in Anglia, di appellare ad futurum Concilium.

De l'andata del Reverendo Mastro di Casa in Spagna pare non si contentino molto, perche è stato loro dipinto per Imperiale. Io ad altro proposito prima, et hora il mio secretario habbiamo fatto intender loro ch'egli è persona degna et da bene, bon servitore di N. S., et senza altra passione o cura che di servire a S. S. et quella Santa Sede. Et circa le Inducie non ci hanno risposto altro.

Al giunger qui di Baiona subito si levò qui fama che era conclusa la tregua tra Cesare et il Christianissimo per XVIII. mesi, et eraci chi affermava haverla udita publicare in Francia in diversi luoghi, il che pero è stata bugia: ma la causa de la venuta sua è stata per fare intendere a questa Maestà che el Christianissimo ha pratica di pace con Cesare, ma che non vuole far cosa alcuna senza saputa et consenso de la prefata Maestà, la quale per quanto ha detto al prefato mio secretario, et concorda con quello ne ho gia scripto, crede che Cesare in queste pratiche non vada direttamente, perche tuttavia ha pratica anchora con S. M. per levarlo da la coniunctione del Christianissimo, et fa etiam il medesimo con altri potentati et signori de la lega, soggiungendo che dubita molto che Cesare sia piu per nocere amico che nimico, perche spera per concordia havere doi millioni d'oro, con li quali potria seguire li disegni suoi, che forse non seguirà, nè può seguire per falta de danari. Pero S. M. si risolve che quantunque per altre vie intenda di Francia che Cesare ha mandato a Madama Margherita pieno mandato alla pace, et il Christianissimo l'ha dato a Madama la Regente sua madre, con prefixione di tempo a concludere (cioè di XX. giorni dal partir di Baiona, come per altra via intendo, nel qual tempo verisimilmente ponno haver risposta di qui) pure non li pare che tanto negotio degnamente si tratti per mano di donne, et non vuole per niente che si faccia se non per mano di N. S. Per questo effetto la expeditione del Duca di Soffolco et compagno, la quale si andava prolungando, subito si è fatta, et partirono lunedì alli XVII., et credo anderanno in diligentia.

Et perche Sua Maestà ha ragionato ad longum con M. Francesco, V. Signoria da lui intenderà il tutto. Questo è quanto ha riportato il mio secretario. Io mi trasferirò a Ricciamondo per aqua dove viene il Cardinale, et parlando con S. S. Rm̃a spero intendere se ci sono altri particulari, et di tutto darò adviso. Potrebbe esser anchora che questi movimenti de la pace, fussero fatti maggiori per pungere questi a dare il solito sussidio, al quale parevano andare molto lenti, che di gia sono passati piu di tre mesi oltre il termine che dovea essere pagata una parte.

Benche Sua Maestà habbi detto quanto di sopra circa il trattarsi la pace per mano di Nostro Signore, nondimeno dipoi col mio secretario ha molto dannata l'andata di Sua Santità in Spagna, et dice che ella per niente non vi doverebbe andare, ma trasferirsi in Avignone, et principalmente perche questo li pare che sarebbe dar troppo riputatione a Cesare andando là. Poi ha detto, et il Cardinale similmente che Sua Signoria Reverendissima non passarà il mare nisi hac causa expedita et absoluta. Et nondimeno penso pure che se Sua Santità farà questo viaggio, non debbia ricusare di venire a Sua Beatitudine benche dicano cosi, non dico che venga in Spagna, ma in qualche luogo dove si trovi nel stato et forze di Francia, poi piu in là Sua Santità conchiuderà seco quello che li parrà opportuno. Io interim non mancarò di ogni bono offitio in questa parte, come V. S. mi commette.

Scrivendo questa ho inteso che il cavallaro che fu spacciato di qui et portò le mie di IIII. d'Aprile è ritornato questa notte, et andato alla Corte, non so se harà portato mie lettere, et se io ne harò o intenderò cosa alcuna avanti il partire di Messer Francesco, ne darò adviso. Io, benche ne facessi allhora diligentia, non potetti intender la causa principale de la expeditione di detto cavallaro. Hora questa Maestà l'ha detta al mio secretario che lo expedì per augumentare la facultà et podestà de li Legati in questa sua causa, con commissione che se impetravano il desiderio suo, Briam ritornasse per le poste; se non, il medesimo cavallaro ritornasse, si che questa ragione è netta, posso arguire quello che n'è in universali, pur spero prima ch'io chiuda la presente intendere piu avanti.

Ragionando il mio secretario con questa Maestà sopra la parte del Abbate di Farfa, quella gli rispose, che a cio si era provisto per il Christianissimo, et che non fu nè di saputa, nè di volontà sua, et che lo gastigarà talmente, che Sua Santità ne restarà satisfatta. Il medesimo m'ha detto il Vescovo di Baiona ragionandone io seco, et quanto alla cosa del Signor Malatesta era molto solicitata da li Imperiali, onde Sua Beatitudine essendo amica a quella Maestà dovea essere piu contenta che si fussi accostato a lei, che postosi con li Imperiali: sopra delle quali cose il prefato Vescovo m'ha detto ch'el Rm̃o Legato di Francia havea parlato et fatto querela appresso il Christianissimo, et che gli havesse risposto ut supra.

Credo V. Signoria harà inteso che qui si trova uno Oratore del Re Ioanni d'Hungaria detto il Statilio, et nominato al Vescovato di Transilvania, il quale è stato alla Corte di Francia gia è uno anno, et ha riportato dal Christianissimo in contanti ducati XXX. mila per soccorso del suo Re, de li quali lui ha ducati XV. mila in mano, et li altri XV. mila ha uno Spagnuolo detto il Capitano Rincon servitore del Christianissimo, il quale va col detto Oratore, et dicono porta anco modo per lettere et altri mezzi di subvenire a quel Re sino alla summa di c. mila ducati. Hora sono amendue qui per passare di qua in Datia, perche non ponno andar sicuri per Alemagna. Io ho conosciuto il detto Statilio in Hungaria, et mi è parso persona molto assentita. Egli mi è venuto a ritrovare, et dopo un lungo preambulo, dimostrando haver molto pensato se con me dovea far questo offitio et rivelarmi quanto havea inteso, finalmente mi disse che le parole del Christianissimo expresse et del Serenis-

simo d'Anglia non expresse cosi da longe havea, ch'el Christianissimo pensava, quando non potesse tirare Sua Santità al desiderio suo, di fare un'altro papa, al che era suffulto da molti antichi et ampli privilegii, et quando tutto manchasse, che la Bolla di Iulio bastava, et pero pregava el dicto Oratore operasse che in questo caso el suo Re, et per suo mezzo li Re di Polonia et Datia volessero adherire con Sua Maestà, et pregò anche el dicto Ambasciatore, che nel passar suo volesse parlare, et farne opera col Re di Datia, a che lui rispose non potere, ma che operaria bene ch'el suo Re mandasse oratori a questi Re a tentare la opinion loro, et se ne advisaria. Et mi dice che lui come bon Christiano et dissegnato Vescovo non era mancato di dissuader questa cosa, ricordando che era ben forse in libertà di darli principio, ma non saria gia poi di darli fine, et che cio seria mettere una gran ruina su la Christianità, nè altro mancaria ad eius perfectam desolationem.

Io lo ringratiai et commendai molto di questo offitio, mostrandoli che cio era suo debito come persona ecclesiastica, iuxta formam iuramenti, benche lui non sia anchora consecrato, et per esser la cosa de la importantia che è, non ho voluto lasciare di darne adviso; anchora ch'io pensi che facilmente gli potrebbe essere fatto fare questo offitio per incutere maggior timore, pensando con questi mezzi di conseguire quello che intendono: tutto per adviso.

Ringratio summamente Vostra Signoria de l'opera fatta con farmi pagare la provisione de la Signatura, et di quello che per sua benignità mi promette operare per quella de la Legatione, la quale come ella dice, essendo maggior summa, è di maggior importantia, et a me tanto piu necessaria, pure, come per l'altra mia li ho scripto, il bisogno mio non è de l'effetto. Io la prego a pensare in che termine io sono, dove sono, et per che causa sono, et come io mi debbio ritrovare hora, essendo gia passati cinque mesi ch'io non ho un quatrino de la Legatione, nè potendomi (come è chiaro) valere qui di alcuno straordinario. Pero di nuovo con tutto il core me li raccomando, et la prego mi raccomandi alli santissimi piedi di N. S. Et felicissime valeat.

Non havendo anco chiusa la presente, il Rmo Eboracense con una sua lettera mandò a chiamare il mio secretario, che subito montasse a cavallo insieme con M. Francesco et il Dario, et fussino innanzi notte a Windesor, perche havea alcuna cosa di importantia da dirli, et questo fu per la venuta del cavallaro ch'io ho detto di sopra; cosi fecero, et furono là al cadere del sole, et trovarono S. S. Rma a tavola, che tutto il giorno era stata col Re, la quale fece dir loro che era stracca, et pero che tornassino la mattina alle IX. hore, il che fecero, et presentandosi (che fu hiermattina) a Sua Signoria Rma ne lo uscir di camera, essa non disse loro altro, ma li condusse alla Maestà Regia, et essendo Sua Reverendissima Signoria stato prima col Re, li fece chiamare, cioè Messer Francesco et il mio secretario, dove il Reverendissimo trattosi da parte lasciò che il Re parlasse loro, il quale volto a Messer Francesco disse: Non vi ricorda che la prima volta che mi parlaste, mi diceste che Sua Santità era per fare per me tutto quello che poteva, etiam de plenitudine potestatis, et che 'l medesimo anco mi disse il Rmo Campeggio? ricordando il luogo dove si trovarono, et le circumstantie et modi che usarono allora. A che Messer Francesco rispose: Serenissimo Re, io mi ricordo il luogo, et il tempo, et la sustantia di tutto quello ch'io proposi a Vostra Maestà in nome di Nostro Signore, et specialmente ch'ella era per fare per lei tutto cio ch'ella potesse, ne la quale proposta et ambasciata mia, se io mancai in alcuna parte, su ch'io non dissi forse tanto, che la prontezza del animo di Sua Beatitudine verso la Maestà Vostra, quanto mi pare haverne compreso: ma ch'io usassi questa limitata forma di parole gia non mi ricordo, nè manco ch'el Reverendissimo Campeggio lo dicesse. Et qui ricordando l'un l'altro la cosa et disputandolo, sopraggiunse il Cardinale, come in soccorso per ridurre a memoria queste parole, et disse pur a Messer Francesco: Non vi ricorda che quando si diceva che Sua Santità farebbe per il Re mio tutto quello che si potesse, che fu dimandato questo potere, che cosa è? Si può per via di iustitia, et si può di authorità et di podestà: et che fu risposto in qualunque modo si potesse che non mancarebbe, volendo concludere, che se 'l promettere tutto quello che può Nostro Signore include plenitudinem potestatis, si è loro obligata detta plenitudine. Onde Messer Francesco replicò, che con queste parole venga questa plenitudine, o nò, et che questa si arguisca da quello, non disputarei in hora: so bene ch'io non havea questa limitata parola in commissione, nè potevo haverla, perche quando io partì da Sua Santità non si considerava questo punto, et dette piu oltre molte parole sopra questo passo. Sua Maestà disse: Sopra questa promessa de plenitudine io spacciai il Dottor Stephano, et per lui ho dimandata a Sua Santità cosa che li suoi medesimi hanno confessato che de plenitudine può darla, et non vuole concederla, et quando è stretto ad osservare quel che ha promesso, dice che nè lui, nè suoi l'hanno promesso: et sopra questo punto ha mostro a detti miei Oratori una lettera del Rmo Campeggio, ne la quale scrive che nè lui, nè M. Francesco ha promesso una tal cosa, anzi che sempre sono stati super generalibus, et dato parola dove non sia attacco etc. et scrivono le parole formali, come dicano et mostrano: ma in Inglese, et qui il Re, et piu il Cardinale hanno fatto gran querela, et detto che non sono da tenere in parole nè in generalibus, et che non sono termini da usare con un Re, nè con amici; dove Messer Francesco rispose per la sua parte accomodatamente, et dopo lui il mio secretario sentendomi tanto gravare disse: Sacra Maestà, io veggio in questa querela due capi pertinenti al Patron mio, l'uno che in nome di Sua Santità habbia promesso alla Maestà Vostra questa plenitudine, l'altro che habbia scripto che non ha dato a Vostra

Maestà se non parole ove non sia attacco et super generalibus. Al primo dico ch'io non so quello che S. Signoria Rm̃a promettesse a Vostra Maestà in presentia di M. Francesco, ma ella ne darà sempre buon conto et a Nostro Signore et alla Maestà Vostra. Al secondo che habbia dato parole et generali, et trattato con Vostra Maestà malitiosamente, questo non si trovarà mai che habbi fatto o scripto, nè lui è di tal sorte, ma huomo libero et sincero con li piu vili huomini che sieno, non che con tanto Principe quale è Vostra Maestà, et con un tal Prelato quale è il Rm̃o Eboracense. Et essendo questa cosa difesa gagliardemente produssero le lettere del Dottor Stephano, et volsero recitare le parole medesime che li Oratori haveano lette ne la mia lettera, ma come è detto erano in Inglese; pero si diceva che non vi si poteva ben fermar sopra, perche è verisimile che vi fusse differentia et varietà ne lo interpretar costì le nostre, et queste qui, et tanto maggior, quanto ci fusse piu passione. Pure andarono tanto cercando, che trovarono che ne la mia lettera era che noi non havevamo passato li termini, et a questo disse il mio secretario, il non excedere li termini non solo non è crimen lesae Maiestatis, ma è offitio et debito di chi vuole exequir bene quello che gli è commesso. A che dissero che facilmente credevano che in me fusse buono animo, et ch'io fussi buono amico a Sua Maestà, nè credevano ch'io avessi scripto quelle parole, o che le havessi scripto a miglior fine et intentione che non erano interpretate, et che se li suoi Oratori non si fussino opposti gia hareste avocata di qui la causa, et fattone al Rm̃o Eboracense et a me tanto carico, et tanto oltraggio al Re: et qui il Cardinale si distese tanto che non si potrebbe dire, dolendosi di Sua Santità che tenesse poco conto del Re, del Regno, et manco di lui et de la vita sua, ma che nunquam desereret causam istam, et faciet et dicet cum Principibus quello che poi piu commodamente riferirà Messer Francesco a bocca.

Et perche il Cardinale multa egerabat in volere movere invidia dove debbio perpetua obedientia et servitù, il mio secretario finalmente a tante querele et minaccie rispose cosi: Serenissime Rex, et Domine Reverendissime, vos debetis considerare, quod Dominus meus Reverendissimus hic est apud vos Apostolicae Sedis Legatus, Cardinalis, Iudex, servitor et amicus Maiestatis et Reverendissimae Dominationis Vestrae, et quod nullis verbis aut rationibus poterit deduci ab officio Legati, boni Cardinalis, iudicis atque amici et servitoris vestri, ac in his omnibus, et apud ipsum semper potiora erunt et praeponentur, quorum ratio et causa aliis anteferri decens fuerit, se Sua Santità non compiace la Maestà Vostra, se ne scusa perche non è di iustitia, et sarebbe in praeiudicium tertii; et risposono che non erat in alicuius praeiudicium quae petebantur. Hor vedasi se parimente anchora non si potrà dire che'l fuoco non sia caldo. Finalmente non partirono da Sua Maestà ch'ella in summa ad ambedui disse: Sitis mihi boni amici et miseremini mei. Et di molte altre parole che eglino hanno havuto con Sua Maestà et Reverendissimo insieme, et dipoi con Sua Signoria Reverendissima separatamente, non dirò altro a Vostra Signoria, perche da M. Francesco sarà ragguagliata del tutto, nè harei scripto, se non che gli hanno detto che vogliano che lui expetti anchor qualche giorno, et egli è in desiderio di partire, et pare a me che possa venire, et non aspettar piu. Pero dovendo io essere domani a Ricciamondo col Rm̃o Eboracense, farò opera che egli possa venirsene, se non, questa verrà con messer Silvestro Dario, il quale hanno licentiato.

Signor mio, mi restava a dire del mostrar le mie lettere qualche cosa, circa le quali scrivono che Vostra Signoria non volea che si mostrassino, et dicono havervi letto che costoro accrescono ogni minima parola etc. Ma vorrei che la Signoria Vostra da se considerasse dove io sono, et in che maneggio odioso, et quanto incommodo et danno ponno causare cotesti modi a me, et alla causa, et dal altro canto quanto poco frutto, anzi quanto disordine possa seguire, dove costoro m'habbino sospetto, et pensino ch'io dia loro parole. Io ne ho tanto dispiacere et dolore, che non posso parlarne piu. Il resto dirà Messer Francesco al suo arrivare.

Richemond, 22 Maggio 1529.

Hiersera fui qui in Richemond et ritrovai che 'l Cardinale havea expedito un corriere per Roma et il Dottor Bendittus, quale altre volte fu destinato con el Dottor Chenit oratore qui, et poi ritornarono per la venuta del Dottor Stephano, el quale rivocandolo hora mandano costui, accio che adsit rebus eorum. Non si maravigliarà Vostra Signoria se allo arrivare loro non haverà mie lettere, perche non ho saputo de la loro partita, oltra quello che con l'altre mie ho scritto: dirò hora quanto io intendo, et prima com'io ho trovato il Rm̃o Eboracense molto alterato per la citacione fatta alli oratori di questa Maestà, come quello che non intende il stilo de la corte, et pargli la cosa molto strana, nientedimeno havendo inteso da me come passano qui le cose de la Iusticia si è acquetato, et similmente de la denegatione circa la rivocatione del Breve, et mi son forzato in fargli conoscere che'l non havere Nostro Signore satisfatto a questo loro desiderio è processo dal non poterlo fare con iusticia, et senza grandissimo scandalo: di modo che di questo vanno quieti, et come contenti, et interloquendum il Cardinale mi ha detto, che per le parole quali piu volte gli ho detto, havevano detto al Re che quella dimanda non era honesta, et non si poteva fare, ma che Sua Maestà ha voluto, che pur si tentasse. Al presente trovo Sua Signoria Rm̃a, et per relatione sua la Maestà del Re tutti suspesi circa questa avocatione, et mi pare sieno entrati per il scriver de li oratori loro in non poca suspicione ch'io l' habbia sollecitata et solliciti, et sopra questo bravano molto, come piu a pieno intenderà V. Signoria da M. Francesco che serà lo apportatore di questa. Ricercato da Sua Signoria Rm̃a quid credam di tale avocatione, dicendomi che N. S. sapeva la causa et inter quos agenda, quibus committebatur, et in quo loco,

et che oltra di questo per suo scritto promisit non avocare, sed confirmare etc. et che se Sua Santità volendo satisfar a Cesare la avocava, et velit hoc modo destruere Regem, Regnum et Suam Rmam Dominationem, che non lo comporteranno, et farà et dirà multa, come piu a pieno le dirà il prefato M. Francesco a boccha: et in effectu nullo modo possunt sibi persuadere che Sua Santità sia per avocarla, et sono deliberati che si proceda in causa. Io non mancharò dal debito mio, in reliquis mi rimetto al sapientissimo consiglio et deliberatione di Sua Santità, la quale spero per sua prudentia, considerati li gravissimi pericoli in utramque partem, pigliarà la migliore et mancho scandalosa via. A quel ch' io presento, credo faranno sopra cio scrivere al Christianissimo, et ardentemente: et per esser M. Francesco del tutto benissimo informato non sarò piu lungo.

Per l' altra mia le dissi la partita del duca di Soffolck et tesorieri, et cosi fu: il Cardinale mi dice che hanno commissione et modo circa le cose de la guerra, et che se Cesare veniva in Italia, che omnino anco il Christianissimo ci venirà, et gli daranno una buona banda de Inghilesi, de li quali saranno conduttori et capitani li prefati, et che in effetto havendo a seguire la guerra vole fare quello che si può, perche una volta sieno o vincitori o vinti.

Circa quello che le scrissi de la pace, piu et meglio informato de la cosa intendo, che un Guglielmo Barensis Borgognone, favorito di Madama Margherita, ritornò de Hispagna, et alla corte del Christianissimo ha detto havere sufficientissimo mandato per la pace universale con buone condicioni per tutti li confederati del Christianissimo; ma non ha detto altra particolarità, perche essende la cosa commessa alla prefata Madama Margherita, non gli pareva conveniente prima che lei il sapesse procedere piu avanti. Il Christianissimo non gli ha voluto dare orecchio, come quello che forte dubita non sia cosa senza fondamento, ma solo per divertire le provisioni, et come quello che sta determinato passare in Italia passandoci Cesare: nondimeno il prefato fu rimesso a Madama la Reggente, la quale per quanto intendo è ardentissima de la pace, et dopo la partita di detto Guglielmo intendo che hanno expedito un huomo a Madama Margherita per intendere il sunto di questo trattato, et costui deve subito ritornare al Christianissimo, et senza indugio avisaranno qui, perche stanno deliberati non seguir cosa alcuna nisi comunicato consilio et di commune voluntà con questa Maestà, benche per quel poco ch' io intendo il Cristianissimo anch' egli desideri la pace, per rihavere li figliuoli. Per la gionta del detto Guglielmo etc. fu expedito qui Monsignor di Baiona a communicare il tutto, et il Cardinale mi ha detto haver fatto buono officio per Nostro Signore, et che vorrebbono che per mano di Sua Beatitudine seguisse detta pace, continuando Sua Santità nel proposito fatto di voler personalmente venire a procurarla; non vorrebbeno pero come ho scritto che Sua Santità andasse in Hispania, ma che acesse un convento in qualche luogo di confine, et per quello ch'io intendo, non pare che debba essere difficultà ne le condicioni, si fra Cesare et il Christianissimo, come per il ducato de Milano, et de la restitutione di Cervia et Ravenna, perche intendo che benche innanzi il ritorno del prefato mandato a Madama Margarita, Franza non se sia communicata la cosa alli oratori, nondimeno che per buon modo interrogati tutti applaudono a ogni modo che si trovi per haver pace, et che'l Christianissimo sia da li suoi oratori da Venetia, come da quelli di quel Illmo Dominio ha, che Venetiani non recusaranno detta restitutione, vero è che dimandavano esare liberati da un 200 mila ducati che debono al Christianissimo per le contributioni che doveano fare. Et benche questo tentare di pace per via di Madama Margherita non sia senza suspicione che sia cosa vana, pure intendo per buona via che gli è qualche fondamento, et fra pochi giorni spero ne saremo chiari, et Dio voglia che si conduca a qualche buon fine, et omnino mi pare molto al proposito, che la cosa si facesse per mano et con autorità di Sua Beatitudine, che quando per altra via seguisse concordia, potrebbe importare molto, et tanto piu se questa Maestà fusse malcontenta di Sua Santità in questa causa matrimoniale, la quale per il procedere in essa Dio voglia non porti qualche interturbatione a tanto bene.

Hozzi è gionto qui uno mandato da Madama Margherita, forse porta alcuna cosa circa la pace, et lo oratore di Cesare Vesco di Burgos ch' è partito per ritornare in Spagna, scrive da Cales haver lettere de XXI. de Aprile da Cesare, che gli commette che procuri per il mezzo di questo Rmo et questa Maestà di havere salvo condutto da Franza di poter mandare qui un suo oratore, accio che venghi piu presto ch' el non farebbe per li pericoli et via del mare.

Londra, 4 Giugno 1529.

Havendo scritto appieno per Messer Francesco Campano quanto mi occorreva, et venendo lui informato di tutto, non mi accadeva hora molto da scrivere, se non fare certa V. S., che dopo il partire di M. Francesco, cioè alli XXVI. del passato hebbi la sua del primo di Maggio, con le due altre sue di VI. et VIII., le quali tutte vennero sotto coperta del Revmo suo figliuolo, et quanto alli protesti et citationi fatte per li Cesarei alli oratori di questa Maestà, et come li dissi, fu vero che li oratori costi di questo Serenissimo sopra cio expedirono cum gran furia qui, et credo arrivasse quel cavallaro in X. giorni, et ci fu molto che dire sopra quella citatione, come quelli che non sanno il stilo et modo de la Corte, fu loro (come io scrissi) fatto intendere il tutto, et restorono ben satisfatti si de la citatione, come del non havere concesse le loro dimande con il Breve, et nondimeno alla ricevuta de le sopradette di V. Sig. ritrovandomi in Ricciamondo col Cardinale, feci di nuovo l'offitio con S. Sig. Rma, et per parer suo feci ch' el mio secretario andò a Vindesore a fare il medesimo con la Maestà Regia, et communicarli etiam le nuove che V. S. mi scrive, et quelle anchora che mi scrive il Rmo suo

figliuolo, che tutto mostrò li fusse gratissimo, dico a l'uno et a l'altro. Benche il mio secretario mi riferisca che il Re non si acquieta molto sopra la citatione fatta costì alli suoi oratori, dicendo essere informato che non si sogliono citare li oratori de li Principi, a che li fu risposto che era male informato, et che la Santità di N. S. non lo poteva prohibire, et li cursori facevano questo offitio senza licentia et saputa di Sua Beatitudine, per essere offitiali publici deputati a questo offitio. Quamprimum mi accaderà trovarmi con S. Maestà non mancarò di nuovo fare buono offitio, et spero restaranno ben satisfatti. Fu dato loro una delle copie de la supplicatione producta in Signatura, et del protesto, et fatto loro conoscere che havendo li Imperiali avanti la venuta di Messer Francesco fatto instantia sopra la avocatione de la causa piu volte, et ora facendo il simile con protesti, come vedevano, era assai che S. B. fino ad hora non havesse fatta questa avocatione, come V. S. prudentemente scrive. Mi dimanda pur spesso il Cardinale quello ch'io creda di tale avocatione, et mostra potersi per nessun modo persuadere che S. S. la faccia. Io li rispondo ch'io veggio le ragioni che si allegano molto gagliarde, et la instantia che se ne fa essere infinita, sì che non so quello ne habbia da seguire, così li lascio inter spem et metum. Il Cardinale mi dice non potere credere che N. S. rimandi il Doctor Stephano, sì per intendere quanto per l'altra scrissi, et si anchora per vedere se da S. Santità harà riportato altro. Si sono risoluti che omnino si proceda in causa, et così l'ultimo dì del passato facemmo il primo atto, che fu di farci presentare la bolla de la commissione, acceptare onus in nos ob reverentiam Sanctissimi Dñi Nostri, deputare notarii, nuncii ad citandum, et fu decreta la citatione peremptorie per il dì XVIII. del presente, che sarà in venerdì, et così sono stati citati le Maestà del Re et Reina per li Epi Lincolniense et Bathoniense nuncii ad hoc deputati et jurati, et pare che li suoi savj concludano che quanto alla prima parte de la Bolla dobbiamo procedere ex officio, et V. S. sia certa che useranno ogni diligentia che quanto si può piu presto si venga alla conclusione, et intendo benche non lo sappia certo che fanno consultare il caso alla Accademia de Theologi Parisiensi.

Circa l'andata di Cesare in Italia, questi qui stanno in ferma opinione ch'ella non possa seguire, et dicono essere informati che non vi sono preparamenti necessarii.

De la pace molto si ragiona che Madama Margherita et la Madre del Christianissimo conveniranno in Cambrai, et secondo alcuni a mezzo il mese presente. Il Cardinale mi dice di nò, et che prima si risolveranno li particulari, et che etiam lui vi andarà, ma non vuol partire se prima questa causa non è expedita, che aspettano anchora di intendere quello in che si risolverà N. S., dimostrando haver molto desiderio che per mano di Sua Santità si concludesse, potendo quella seguire il suo proposito di venire in persona a trattarla, o non potendo si risolvesse di mandarvi con risolutione di quello che a S. B. paresse che per interesse di quella S. Sede et cose publiche fusse conveniente, et per essere il Revmo suo figliuolo appresso il Christianissimo, mi rendo certo che V. S. piu particularmente intenda in che termine è la cosa. Il secretario Franzese che per M. Francesco scrissi era giunto, ritornò gia sono alcuni giorni, et disse ad alcuni qui, che sperava le cose de la pace passerebbono bene.

Alla sua di VI. non accadde altra risposta, se colui del cui interesse si tratta comparirà, o alcuno per lui: non mancarò di seguire quanto V. S. mi commette, et in tal materia non mi sono capitate altre sue lettere.

Qui è giùnto un gentilhomo Polono che ritorna a servitii del Christianissimo, et è cognato d'uno Lasko Ungherese, il quale è stato a Costantinopoli per il Re Giovanni, costui riferisce dopo la sua partita havere visto lettere di mano propria del Lasko, per le quali scrivea ch'el Turco et tutto el suo exercito, avanti la partita di detto Lasko da Costantinopoli, era di gia inviato con due mila huomini da fatti, et che deliberava mandarne una parte et la minore in Ungheria, et col resto per due vie assaltare la Germania, et ch'el Turco havea intelligentia con molti Principi di Germania, li quali gli promettevano che non si moverebbono, immo che se lui desse qualche cosa piu di stipendio che non fanno Germani, haveria a suoi servitii quanti Alemanni volesse, et scrive ch'el Serenissimo Ferdinando era in grandissimi travagli, et che voleva ire in persona a Cesare, simulato habitu, per exporli in che termine erano le cose, ma che fu dissuaso da li suoi Consiglieri. Se questa venuta del Turco è vera, veggio le cose di Germania in gran ruina, et benche per la loro ribellione da la fede cathollica meritino ogni male, pure est maxime dolendum che la Christianità vada così in ruina conniventibus Principum oculis. Iddio per sua infinita clementia ci metta la mano. Qui andiamo anchora vestiti de le vesti de la invernata, et usiamo il fuoco come di Gennaro, mai non vidi il piu inconstante tempo, et la peste comincia a toccare fortemente, et anco si dubita del sudore. Io non sono hora astretto a stare in letto et a gridare, però mi pare di star bene.

Londra, 16 Giugno 1529.

Con questa sarà il dupplicato de le ultime mie che furo de III., pero non ho bisogno di replicare quello che me indusse alhora a scrivere che fu l'havere dato principio a questa nostra causa con l'havere decreta una citacione a questi Serm̃i Re per li XVIII. di questo mese, lo qual termino non era ancor gionto a quest'hora che scrivea, pero non potevo circa la comparitione dirle altro, se questa lettera non mi uscirà di mano prima che sia gionto il giorno statuito, a piedi di essa li sogiongnerò il seguito.

El Re hieri fu de ritorno a Granvicho credo per essere a questo termino qui propinquo, et la Reina nel passare oltre passò l'acqua, et venne a ritrovarmi, et per gratia de le mie podagre che a questa volta hanno con esse in compagnia un poco di alterationе di febri, sino al letto assai anxia et perplessa

ne casi suoi, et la cagione di questa soa venuta fu per dirmi che li advocati suoi che doveano venire di Fiandra non venivano, perche pareva che Cesare havesse fatto intendere loro che non voleva, perche la plaza non è sicura, et pero che si vedeva destituta de chi dicesse la ragione soa, che benche havesse qui alcuni altri consiglieri assignatili dal Re, pur che era facil cosa a credere che in tutto mirerebbono piu al volere del Re, che al bisogno suo, onde mi dimandava aiuto et consiglio: io rispondendo la confortai ad havere buono animo et ne la iustitia del Re, et ne la conscientia et dottrina de questi Prelati che le sono assignati per consiglieri, et che stesso sicura che da noi Legati non si farebbe se non quanto fusse di iustitia et di ragione.

Poi mi dimandò de litis pendentia, et come si potesse innovare alcuna cosa pendendo la causa in Roma inanzi a Sua Santità, dimandandomi quel ch' io sapessi di questa cosa, et se la causa era advocata, et le risposi che a me constava per lettere de xv. del passato che per instantia che ne fusse fatta, la commissione non era signata, et per questo che la causa non pendeva in corte, et che havendo S. S. deputati duoi Legati a questa cognitione non senza consiglio et fundamento che non la rivocaria, se non in gran discretione et consideratione. La confortai a pregar Dio che la illuminasse di pigliare in questa tanta difficultà qualche bona via considerando bene il stato suo, et li tempi, et il fine de le cose, donando a Dio o tutta, o la maggior parte di questi suoi affanni, et benche sia religiosissima et de infinita patientia, in questa tribulatione pur a questi cenni de relligione non se accosta punto; ha per gran sollevatione la mente soa, et per buono fondamento della soa iusticia. Questo che ab amplexibus primi viri accesserit virgo et incorrupta ad huius coniunctionem, quod persancte iurat, atque olim dixit, et tuttora dice et afferma, etiam ipsi Regi, quae res pare che faccia qualche scrupolo a Sua Maestà. Partendosi da me andette a un suo allogiamento qui in Londra, et lì fu con li suoi consiglieri, nè altro dipoi fin a quest' hora è successo, nè ho inteso.

Letto il tenor delle ultime lettere di V. S. parendomi buono et in proposito lo comunicai col Rmo per il mio secretario, et con la Maestà del Re che era in Amptoncorte, et hora et prima non son manchato di occorrere a quello che sinistramente haveano scritto li oratori la prima volta, quando furon citati, et a quello che poi havessino potuta scrivere, et holli fatti capaci tutti che per niun modo Sua Santità poteva nè dovea vietar che non facessino quello che hanno fatto questi Cesarei, tanto che alcuni di questi nostri qui confessano, che nè il Re medesimo in questo regno potrebbe prohibire un simil atto di iusticia. È vero che pensano che Sua Santità non sia per signare la commissione, nè per avocare la causa, et pero di qua fanno ogn' instantia che si proceda et expedisca.

Che consiglio habbia la Reina in questa comparitione non se intende, pero che alcuni stimano che declinabit locum, alcuni indices, alcuni l' uno et l' altro, altri che non comparirà, altri che allegarà pendentia litis, o altro gravame et impedimento, et fra tre giorni ne saremo chiari; io non ci mancarò con tutto lo ingegno mio per seguir quello che io conoscerò essere l' honore de la iusticia di questa Santa Sede et di Sua Santità, benche in questo stato sia assai impedito del corpo et de l' animo, et che appresso l' altre perturbationi arrivi questa che costì o non sia memoria di me, o si pensa ch' io possa vivere d' aria, o de le facultà che mi avanzarò ne le calamità di Roma. Il miglior et il piu duro azaio che sia non regie o dura piu che può, nè io posso fare altramente, et sono gia su l' extremo, supplico V. S. che a questo faccia qualche viva et pronta provisione, accio che di fatto non cada in qualche gran disordine o dishonore, indebitandomi et mendicando ove non bisogna.

Il tesoriere di questa Maestà che passò al Christianissimo col Duca di Soffolck alli VIII. fu qui di ritorno sopra le pratiche di questa pace, perche a quel che intendo instano che si risolva, et qui non ci è quel calore che potrebbe essere, et vassi a mio parere portando inanzi per vedere il fine o almeno un buono indirizzo a questa causa, et questo Rmo fa ogni opera, perche si concluda con autorità di N. S., et il Christianissimo et il suo Re per quanto mi dice desiderano assai che si conduca a questo trattato in Cambrai, et dicemi che absoluto hoc negocio gli andaremo di compagnia, et non se ne partiremo se non con grandissimo honore et satisfatione di S. B., ma di questo V. S. deve havere amplissimi raguagli per altre vie.

PS. Ragionando con questo Rmo de la pace, et del venire di Sua Santità al luogo dove si facesse convento, per condurla mi disse che Sua Santità secondo li avisi che havea di Franza non si condurebbe, perche domandava alcune conditioni che haveano del duro, et tra le altre di havere per sicurezza sua ne le mani o Marsilia o Roano, et io risposi che non mi pareva verisimile che Sua Santità dimandasse simil cosa, perche nè del Christianissimo, nè di Cesare havea alcuna suspicione, accostandomi a quello che Vostra Signoria altre volte mi ha scritto de la confidentia che ha S. B. in l' una et l' altra de loro Maestà, et cosi passamo oltre: tutto per adviso.

Londra, 21 Giugno 1529.

A questa Maestà et Rmo è molto piaciuto quanto la scrive che le protestationi et commissioni de Cesarei cosi se stavano, et non le haveva signate, et che messer Stefano et Briam dichiareriano, in che termine lasciano la cosa, et S. M. spera molto da li prefati sentir qualche cosa bona per se. Circa le cose Lutherane, sono sopite et non se ne parla: ho fatto lo officio cum Sua Maestà, et cum el Rmo rengratiandoli etc. el Re rispose: Expediamo hoc meum negotium, ut possim applicare animum, et omnia faciam. Credo che S. M. omnino scriverà, come per quella mia de quattro d' Aprile dissi.

De la pace per via de Franza V. S. deve intendere in che termine sta la cosa, qui par se intenda le cose se vadino stringendo, et che Madama Margarita, et la Regente madre del Christianissimo debano convenire in Cambrai, et intendo da ogni parte la cosa havere grandissimo fondamento. Questa Maestà voria che il Revmo Eboracense andasse a questo convento, ma che prima se expedisse questa sua causa, a la expedition de la quale intendunt omnibus viribus, non s'è manchato, nè pro oportunitate si manchará cum questa Maestà et Rmo far lo officio (che) la mi commanda, et sin qui restano ben satisfatti; ma perche pensano che la Regina omnino mandarà a Roma, voleno expedire etiam loro per suplicar a N. S. non volgi far la avocatione de questa causa, et inter alia allega che N. S. est in manibus Imperialium, et che a lui non erit tutum litigare Romae.

Li avisi del Turcho et del Regno quantonche se ne habbi el riscontro per lettere de Venetia, pur molto satisfa a questi intender etiam per avisi da Roma.

Ho havuto grandissima consolatione di quello mi scrive V. S. del ben star de N. S., che per lettere da Venetia se intendevano certo male novele, et che mi facevono star molto suspeso et di mala voglia.

Londra, 24 Giugno 1529.

Io scrissi ultimamente alli xxii. et havendo dato le lettere, la sera medesima arrivò il Dottor Stephano et Messer Brian, et per questo si sostenne il corriere, che fino a quest'hora non è partito, onde ho havuto da fare alle dette lettere questa gionta.

Il Revmo Eboracense mi ha mostrato lettere di mano di N. S. a Sua Signoria Revma et al Re, ne le quali è una clausula credentiale in me super premissis et aliis negociis publicis, et perche nè da esso Dottor Stephano, nè da Tadeo che è arrivato con essi non ho havuto altre lettere da V. S. pero a questa parte non ho saputo che rispondere altro de presenti, se non ch'io non ho lettere, ma che per aventura devono essere in camino sotto indirizzo del Rmo Legato Salviati, et che quanto a quello premissis el quale non mi pareva che si dicesse se non per questi negocii del Re, ch'io non havea che dirle altro che confermarli quello che tante altre volte gli havea detto, cioè che se N. S. non havea fatto circa il Breve et altre loro dimande quello che haveriano voluto, che non procedeva se non che Sua Santità con giustitia et honestà nol potea fare, et quanto alle cose publiche che io gli ricordava che volessino tenere il studio de la protectione et difensione di questa Santa Sede et di S. S., come havea fatto per il passato, et come era la speranza et fede che havea in questa Maestà Sua Beatitudine et maximamente hora in questo trattato di pace lo quale ogni hor piu si stringe a quel ch'io intendo, et circa questo non manco di tutta quella diligentia che mi è possibile.

Intendo ch'el Christianissimo desidera che Monsignor Rmo Eboracense si trovi a questo trattato in Cambrai, et cosi anco questa Maestà, ma non prima che sia expedita questa causa, pero la solicitano oltra modo.

Londra, 29 Giugno 1529.

Hieri si fu alla audientia et fu la quinta, dove procedendosi all'usato in contumaciam Reginae, lo Epo Roffense comparse, et con accommodata oratione disse, che havendo udito in altra audientia la Maestà del Re, che disserendo de la causa havea testificato coram omnibus, che la intentione sua non era se non che si facesse iusticia, et che si levasse il scrupolo che havea in la conscientia, invitando et li iudici et ciascuno altro a portar qualche lume alla investigatione di questa verità, che per questo teneva l'anima soa molto stretta et illaqueata, se a questa oblatione et mente di S. M. egli in publicum non prodiret, et manifestasse quello che col studio vehementissimo de doi anni egli in questa materia havea trovato, onde si per non fare in damnatione de l'anima soa, si per non essere infidele al suo Re et mancharli in cosa di tanta importantia di quello officio che deve alla verità, si apprestava inanzi alle Signorie loro Revme per dirli, affermarli, et con vive ragioni dimostrarli che hoc matrimonium Regis et Reginae nulla potestate humana vel divina potest dissolvi, pro qua sententia asseruit etiam se animam positurum, soggiungendo che Divus Baptista olim extimavit se gloriosius oppetere non potuisse, quam pro causa matrimonii, quod cum eo tempore non esset adeo sanctum, sicuti nunc est per Christi sanguinis effusionem, ardentius et efficacius poterit ipsum ad quodlibet magnum et extremum periculum maiore cum fiducia evocare, con molte altre parole accommodate, et in fine obtulit libellum a se conscriptum super hac re. Et dopo lui Episcopus Assavensis ord. Minorum in eandem fere sententiam, licet oratione non admodum culta et breviori nonnulla dixit, et quosdam commentarios obtulit. Post quos un Doctor dictus Decanus de Arcubus praefectus Curiae Cantuariensis in jure dicendo allegavit ex sacris canonibus nonnulla in favorem matrimonii, quae non multum urgebant. A tutti rispose il Rmo Eboracense primum miratus, quod de repente adeo eos adorti essent, dein quod illic stabant et sedebant omnia audituri ad causam pertinentia, et pro iusticia facturi quod divina sapientia eos inspiraverit etc. Di poi si processe ad ulteriora, decernendo Reginam ob non comparitionem contumacem, et nihilominus eam citando semel pro semper, et decreverunt examinari testes super eam, oblatis articulis quibus Maj. Regia iam respondit et per procuratorem reliquit responsionem apud acta, et cosi si examinano li testimonii et vassi di longo. Questa cosa di Roffense fu inexpectata et improvista, et pero tenuit omnem personam in admiratione, quel che farà, vedremo alla giornata, et voi gia intendete quel che è, pensate quel che può seguire, et perche il messo non dà inducie, et io sono occupatissimo, pero non sarò piu lungo.

Londra, 25 Giugno 1529.

Hieri scrissi quanto mi occorreva. Questa mattina havendomi fatto portare al luogo dove tenemo il judicio per servare il termine d'hoggi, et dovendo dare a questa Regia Maestà il giuramento super positionibus et articulis, la trovammo in una camera li

propinqua, et dopo expedito l'atto, essa Sua Maestà mi diede un pacchetto del Rm̃o Legato di Francia di xviii. del presente con le quali era alligata la ultima di V. S. di iii. detto, et benche io havessi indovinato, pur ritrovandomi in presentia di S. M. li communicai quanto ella mi scrive, et anco le soggiunsi quanto mi parve opportuno in l'uno et l'altro capo. Et quanto alle cose sue, de preteritis, S. M. non dice altro che quanto ho scripto, et mi dice haver risposto alli suoi oratori, che quantunque N. Sig. havesse potuto far qualche cosa per lui, pur resta satisfatto, dummodo Sua Santità non faccia alcuna cosa contra di lui in questa avocatione, et m'ha mostrato una lettera de li suoi oratori de vii. del presente, per la quale scrivono il ragionamento havuto sopra di cio con N. S. in persuaderli che non vogli alterare l'animo di Sua Maestà, che non farà cosa alcuna. Di poi soggiungono in detta lettera che Sua Beatitudine ha ne la Maestà Sua molta fede, che in questo trattato di pace non habbia a mancare di quello che sempre ha fatto in favore et benefitio di quella Santa Sede, et che ipsi iusserunt Sanctitatem Suam bono animo esse, che questa Maestà non mancarà, purche Sua Santità non innovi alcuna cosa in questa causa che habbi ad alterare l'animo suo; che S. B. se scuse loro che non dubitasseno di cio, che piu presto era per patire ogni gran cosa in persona sua. Raccommandandoli io le cose di quella Santa Sede et di N. S. ricercai S. M. se mandaria alcuno a questa Dieta, soprastette alquanto, poi mi disse che non havea anchora deliberato, ma che manderia il Cardinale expedita questa causa: et dicendoli io che non era possibile che questa expeditione si facesse in tempo, mi rispose ch'el Christianissimo havendo lui fatto tanto per S. M. non li mancaria di prorogar la cosa, et parvemi che ponesse questo pro constanti, affirmando ch'el convento di queste Madame non sarebbe alli xxvi. come scriveano di Francia, ma se prorogaria; et mi disse piu che per lo intimare la guerra che esso havea fatto a Cesare tutte le loro capitulationi erano rotte et finite, et pero che non basterebbe che in questa pace dal Christianissimo fusse chiamato come Confederato, nè anco si poteva fare che gli si intendesse compreso con le capitulationi antique, perche non expediebat eis, et manco al Christianissimo, essendovi molte cose che sariano contra di lui, perche quelli trattati furon fatti col trattato del matrimonio de la Principessa con Cesare, et inter alia che li haveano promesso difendere eum in possessis et possidendis propriis expensis. Et in fatto la mente di questa Maestà mi pare tendere quanto può, che cosi presto non si proceda a conclusione in questa Dieta, volere veder prima il fine di questa sua causa, et poi mandare il Cardinale et fare a un tempo medesimo nuove capitulationi con Cesare, et procurare che si concluda la pace universale. Io da ogni parte intendo che Madama Margherita molto insta a questa Dieta, et che ogni dì cresce la speranza de la pace. Io sono stato in qualche opinione che di gia Cesare et il Christianissimo fussino in concordia, et ho presentito che questa Maestà et il Cardinale anco hanno di cio dubitato, pure hora mi pare che molto si promettano de la dilatione, et che non si farà senza conclusion de le cose con Cesare, et interloquendo Eboracense mi disse: Quando Galli aliter facerent, nos haberemus modum providendi, che per comporre con noi sono in Fiandra li mandati ampli. A questa dilatione che loro procurano, pretendono etiam questa causa che par loro che cosi si impedirà la venuta di Cesare in Italia, et non obstante le provisioni che si vedono, dicono che non ha denari, et non può passare senza questi di Francia, et per questo procura la pace ad effetto etiam che l'arme del Christianissimo cessino in Italia, perche uno de li capituli contiene questo. Non so dir altro, salvo che io prego V. R. consideri bene in che travaglio mi trovo, et che non basta dire de la sententia contra el Re, et per la contumacia de la Regina et modo loro di procedere fanno il processo in modo, che secundum deducta non se potrà fare se non al loro modo per molti capi.

Londra, 29 Giugno 1529.

Nella causa di questo Serenissimo Re si procede con tanta solicitudine che ella non potria pensar piu, et pensano omnino fra xx. giorni venirne al fine. La Serm̃a Regina poi che interpose le sue appellationi non compare piu, et pero hanno il campo largo et expedito da fare al lor modo, et concluder il processo con tutti quelli mezi che possono portar la cosa al lor favore. Scrissi che il Cardinale mi havea detto che rivocavano el Duca di Soffolcho, et l'altro oratore thesoriere, poi ho meglio inteso, che in evento che il convento di Cambrai si differisse, ritornassero, et hora si ha per lettere di Francia che ritornano, il che significa, se è vero quanto mi ha detto, che la cosa si debbia differire, di che pero V. S. dal suo Rm̃o figliuolo doverà havere piu certo adviso. In fatto pure intendo che Madama Margherita fa grandissima instantia, et manda continuamente messi a Madama la Regente che voglia venire, et si trova a Valencina. Sin qui per le podagre di Sua Maestà et altre cause si è differito, credo per la instantia di questo Serm̃o Re, il quale non vi vorria mandare questo Rm̃o, ma prima expedire la causa, il che non vedo come sia possibile.

Il Cardinale dopo ch'io mostrai a Sua Signoria Rm̃a et al Re l'ultima di V. S., dove scrive che N. S. con un bordone delibera andare a questi Principi se forse se divertisse questa pace, disse che molto li piaceria che S. S. fusse in questa opinione, et che ella lo facesse intendere al Christianissimo et anco a questa Maestà di volersi ritrovar in questa compositione di pace, perche li daria l'animo con questo intratenere che hora non si facesse conclusione, ma si differisse, et potessino con piu commodità intendere a questa loro causa, et mandarvi poi il Cardinale, il quale mi ha pregato che di cio scriva a N. S., et spacci per la via di Francia.

Il Christianissimo per il suo oratore mi ha fatto fare molte raccommandationi per questa causa matrimoniale in favore del Re, con molte ample oblationi in genere, et mi dice ch'ha mandato per le poste

l'Episcopo Tarbiense a N. S. per questo effetto, a supplicarlo che non voglia rimovere di qui questa causa, con offerirli il stato, persona etc. se forse Sua Santità dubitasse di Cesare o d'altra cosa, io credo che S. B. per sua prudentia in questa cosa non harà rispetto se non a Dio et alla iustitia, postposti tutti li altri rispetti, et lo suplico voglia considerare in che termine mi trovo.

L'oratore di Francia mi dice che il dottor Stefano riferisce che Sua Santità li ha detto el Breve omnino esser falso.

Postscripta. Ho inteso questa Maestà essere in molta consulta col Rm̃o Eboracense, pensando che S. S. Rm̃a piu non possa andare a tempo, di mandare a Cambrai il Vescovo di Londra, persona degna et di valore, et il Moro laico persona di dottrina et valore similmente, non so pero quello sieno per risolvere, se li manderanno non mancarò di procurare quanto potrò, che le cose di quella Santa Sede et di N. S. li sieno raccommandate, et per le prime advisarò del seguito.

Londra, 13 Luglio 1529.

Per le mie lettere di xxi. xxiiii. xxv. et xxix. del passato avisai V. S. in che termine stava questa causa, et come si procedeva con gran celerità, et con maggiore instantia, et cosi per la medesima via siamo caminati a gran passi fino a questo dì, et vassi tuttavia piu che di trotto, di maniera che alcuni aspettano una sententia fra x. giorni, et benche ci siano molte cose da fare, scritture, allegationi et processi da vedere et examinare, pur la instantia et diligentia è tanta, che niuna cosa è sufficiente per fare che con un poco di pausa respiriamo, et non è ch'io non dica il parer mio, et quel che mi pare che fosse piu conveniente, ma poco giova.

Io non mancarò dal debito et officio mio, nec prudens aut volens committam che alcuno di me si possa biasimare, et venendo a sententia non haverò altro che Dio inanzi gli occhi et l'honore di questa Santa Sede.

Partirono di qui il Vescovo di Londra et Mons. Moro al primo del mese oratori di questa Maestà per trovarsi in convento a Cambrai, et hanno havuto particolar commissione di assistere alle cose di N. S. et de la Sede Apostolica, et credo ne faranno buono ufficio, perche et con la Maestà del Re et con essi ne ho fatto tutta quella diligentia che mi è stato possibile: alli ii. fu detto qui de la presa di Mons. di San Polo, la quale poi si è confirmata, non so che mutatione haverà fatta quest'altro successo.

Cantuaria, 7 Ottobre 1529.

V. S. sarà stata molti giorni senza mie lettere, et la causa è stata che havendo io prima scripto piu volte, et capitando qui a diversi lettere senza niuna a me, nè di V. S., nè d'altri, pensai come anchor credo, che elle mi fussino intercepte, benche anchora per l'absentia del Re et Rm̃o Eboracense io non havessi cosa degna d'aviso: havevo anco notitia del avocatione, citatione et inhibitione, etiam per edictum, constito de non tuto accessu, onde aspettavo pur che le lettere et Brevi authentici capitassino, et si potesse fare tale atto, che nobis Legatis essent ligatae manus, che gia altro non mi restava da fare, per poter dimandar licentia, et cosi non mi potevo mettere a scrivere, et stando in questa expectatione fui ricercato dal Rm̃o Eboracense a trasferirmi ad una sua villa detta More, dove ha un bellissimo palazzo, et cosi vi andai, et il dì seguente de la mia venuta, che fu alli v. del passato, da la corte del Re a S. S. Rm̃a furono mandati dui Brevi sotto la medesima data, credo di xix. di Luglio, l'uno sopra la confederatione fatta con Cesare, l'altro sopra la avocatione, et vedendo in l'uno et in l'altro credenza in me, et non comparire altre lettere, mi alterai alquanto, et si fece ogni diligentia per ritrovarle, ma non vi fu ordine, scusandosi essi che a loro mani non erano capitate. Tamen li detti brevi vennero in tempo, perche sopra essi si fabricò modo di fare la intimatione de la avocatione ad effetto che nobis Legatis essent omnino ligatae manus, et qui fu da consultare assai, et pro parte Regis, et pro parte Reginae. Tandem si concluse una forma di intimatione, la quale per un procuratore de la Reina ci fu fatta in buona forma quanto ad hunc effectum quod non possimus, nec aliquis nostrum possit ultra quicquam attentare. Fatto questo mandai a dimandare audientia al Re, la quale per l'arrivo di uno oratore di Cesare in quelli giorni mi fu ritardata una septimana, et intanto capitorono le dupplicate di V. S. di xix. et xxiii. di Luglio tenute fino al primo d'Agosto, et le prime con la capitulatione ch'ella scrive haver mandata, et haver adviso ch'elle haveano passato Fiorenza non comparvero mai. Andai dunque a la Maestà Regia al tempo statuto, et volse la buona sorte che quel dì medesimo avanti che le parlassi hebbi le due ultime di V. S. di xii. d'Agosto et ii. di Septembre col Breve a S. M. circa la revocatione de le censure et pene pecuniarie, et suspensione de la causa fino a Natale, et sopra di queste cose fui a lungo ragionamento con S. M., communicandole et riferendole de le lettere quanto mi parve a proposito: la quale circa la confederatione non fece molte parole, nec laudavit, nec vituperavit. Ma circa la avocatione de la causa per le cose precesse mostrò etiam molto dispiacere, ma ben mostrò di dolersi di N. S. et di me che le sieno state date parole, et quando [in cifra] li diceva le cause de la avocatione mi disse queste parole formali: Vestri optime sciunt accommodare verba tempori, sed et vos scitis, quod mihi fuit significatum ab Urbe, ut deberem procurare sententiam, qua lata res postea esset alterius naturae. Io li risposi prima che quanto a me mai ne direttamente ne indirettamente mi era pervenuto a notitia cosa alcuna di questo, et di N. S. credevo al medesimo, perche pure ne harei inteso qualche cosa: che se da altri li era stato scripto questo, io non sapeva nè poteva renderne ragione, et dipoi sono stato in dubio che quello che scrisse da Roma il Doctore Stefano haver da communicar con S. M. di molta importantia, questa sua cura non fosse una tal cosa, benche io non me ne habbia potuto veri-

ficare: quicquid id sit per star pur S. M. in questa opinione, et essersi persuaso da altri che questo matrimonio de iure divino omnino è nullo, non può esser che l'animo di S. M. non sia alquanto alterato, et non si dolga che la cosa non sia successa a suo modo. In reliquis S. M. sta di buon'animo, et m'ha detto, et certo (come mi pareva vedere) ex corde, che lui non mancaria mai di essere christianissimo Re, bon difensore de la fede, et che si totus mundus deficeret, esso mai non mancaria de l'offitio di buon Re christiano: et in questo ragionamento entrai ne le cose Lutherane, et di questo parlamento che si ha a fare, et li raccommandai molto la libertà ecclesiastica, et certo mi parve molto ben disposto a ben fare, per quanto le sue forze si stenderanno. Dopo questo le presentai il detto Breve, il quale li fu gratissimo, lo lesse tutto con molta attentione, et so che leggendolo alli suoi consiglieri dimostrò sentirne grandissima satisfactione, et inter cetera li piacque quella clausula, per la quale N. S. lo exhorta a trattar bene la Reina, dicendo S. M.: Vide Sua Sanctitas, potest praecipere et hortatur; et in fatto quel breve addolcì molto l'animo suo, et io in questo sumpta occasione di nuovo molto l'accertai de la buona mente di N. S. verso S. M., et che di lei poteva veramente promettersi tutto quello che le era possibile a benefitio suo. Et mi parve expediente ad evitandum maius malum intrattenerlo con qualche speranza, et etiam iudico che non sia male che di costì si faccia el medesimo, et se li satisfarà in tutto quello si può, come a bocca poi dirò a lungo alla B. S. Finalmente mi dette bona licentia, et ritornandomi a casa mi assalì un dolor di fianco con la podagra insieme, che m'hanno tormentato x. giorni continui, ne li quali pure ho fatto colligi sarcinulas, et così alli v. del presente mi partii da Londra, et hoggi mi trovo qui in Canterburi, donde passando il Rmo Auditor de la Camera li do questa mia, et per la celerità sua, et anco perche penso che V. S. da lui intenderà piu appieno de le cose di qua, nè sarò piu lungo, nè per hora farò altra particular risposta alle sue. Ringratio con tutto il core N. S. di quanto V. S. mi scrive de la sua optima mente verso di me, al quale humilmente baso li santissimi piedi, et a V. S. di continuo mi raccommando. Que bene valeat.

Passano hora il Gran Scudiere et il Dottore Sanson Decano della cappella di S. M. oratori a l'Imperatore, per confirmare la confederatione, et di buon luogo intendo che S. M. ha commesso a questi suoi oratori, che etiam se il Christianissimo non ratificaret, ipsi ratificent, et portino la ratificatione de l'Imperatore: mi par ancora vedere che rehavuti li figli del Christianissimo questa pace non sia per durar molto.

Parigi, 5 Novembre 1529.

Essendomi partito fino alli cinque del passato di Londra, et venendomi due giornate dipoi dietro il Signor Auditore de la Camera, per lui scrissi ultimamente a V. S. et per un cavalaro che'l seguiva, replicai il medesimo, onde circa la partita mia non dirò altro fino che anchora ch'io partissi al dì detto, non passai per il mare prima che alli xxvi. per varii impedimenti che mi sopragiunsero da Londra a Dovera, di che piu a pieno poi ragionarò et satisfarò a bocca, se Dio mi conduce a salvamento. Continuando il mio camino, uscito di Bologna incontrai un cavalaro che mi dette le di V. S. de xxv. de Settembre, le quali non trovandomi in tempo non hanno havuto bisogno ch'io faccia con la Maestà de Re de Angleterra quello officio per le cose di Hungaria et Alemagna ch'ella mi ricerca in esse lettere, benche inanzi al partire mio non mancassi di fare tutti quelli ricordi che mi seppi imaginare commodi a tal proposito, et perche di quelle cose era sino al hora gran rumore: pero in compagnia mia passò il mare un gentilhomo di S. M. che andava al Re Ferdinando, credo per tal conto, perche S. M. è molto disposta, et disposta quanto spetta a lei, occorrere et fare che si proveda a quello incendio. Unde io non ho bisogno rispondere altramente alle dette sue de xxv. Hiersera gionsi in Parigi, dove non era il Re, nè per anchora ci è, benche si expetti di giorno in giorno, et volendo far riverentia a S. M., et con lei seguir quanto la mi commette in nome di N. S., mi è forza indugiare tre o quattro giorni, et maximamente che le bagaie et l'impedimenti ch'io conduco, ne hanno bisogno. Hozzi ho poi havuto qui le altre sue de xvii. di Agosto, et de iii. di Septembre con li Brevi de la rivocatione mia, le quali hanno cavalcata la via de qui in Fiandra, et de Fiandra qui, et riposatosi un pezzo, alle quali piacendo a Dio farò risposta a bocca. Li nuncii di S. S. non sono ancor stati meco a ragionamento, con essi farò quelli officii che mi parranno commodi et oportuni, et havendo hora commodità di questo corriere che è Tadeo che de Angleterra viene in costà, et mi dà poco tempo a scrivere, ha voluto brevemente darli questo aviso et conto di me per non tenere V. S. in suspeso.

Subito che fui partito di Londra, quel che si era trattato fino alhora contra il Cardinale Eboracense cominciò a scoppiare con grande impeto, onde prima ch'io passassi il mare intesi come gli haveano levato il sigillo et il maneggio de tutte le cose, et gran parte de li servitori, et fatto inquisitione de suoi danari et altri beni con segni evidentissimi di tendere alla ruina, di che penso che costì ne saranno avisi piu copiosi et piu presti di questo mio. Non faceva gia per la riputatione de le cose ecclesiastiche che in questo tempo egli fusse così battuto, è da credere pero che quella Maestà non correrà a furia, et non farà sì non consideratamente in quello come suole ne l'altre sue actioni. Io farò ogni sforzo quanto prima potrò trovarmi alli piedi di S. S., et un giorno gia mi pare uno anno, tanto è il desiderio che me gli porta, così fuss'io piu fermo et gagliardo, et havessi il camino et la stagione piu agevole et commoda.

(Parigi, 9 Novembre 1529.)

Per un altra mia avvisai V. S. de lo arrivar mio in Parigi, scrivendo quanto all'hora mi occorreva di poi intorno la Maestà Christianissima, la quale volen-

do prima udire li noncii di S. S. et li oratori Anglesi interpose un giorno alla mia audientia, et cosi hozzi son stato con S. M. Christianissima, con la quale ho tocco la materia di che V. S. mi scrive dovessi spianare al Vescovo di Como, ma non mi sono molto exteso, rimettendomi a quello che S. M. poteva havere inteso dal detto Comense, et che alla giornata ne intenderebbe: et ragionando di questa materia ho trovato in S. M. tanta dispositione et tanta prontezza, che è cosa incredibile, et in questo articolo mi ha detto, che se la Maestà Cesarea vuole rimetterli una parte de la redemptione sua che 'l si obligarà a venire personalmente con lo Imperatore alla impresa, et spendervi non solo tutta quella parte che gli fusse rimessa, ma uno milione di piu, et che senza questo sempre farà tutto quello a favore de la impresa che per N. S. sarà judicato che S. M. debba et possa fare, et cosi affirma che vuole che per tutto si dica, come di tutto Sua Santità haverà piu copioso aviso dal prefato Episcopo Comense: mi ha detto ancora che quando Sua Santità si voglia condurre a Piacenza et Cesare in Asti, che lui si condurrà fino a Turino, accio che da quei luoghi si possano condurre ove comodamente possino abboccarsi, come V. S. piu amplamente intenderà per lettere di esso vescovo, di che ho voluto ancho scriverne questi pochi versi, sapendo quanto prima ponno arrivar costi queste mie lettere che non potrò io.

Dimani mi parto di qua et continuarò il camino quanto per la mala via, et per la mia debolezza mi sarà concesso. Intanto mi raccomando humilmente a santissimi piedi di N. S. et a V. S. ancora. Di Parigi alli VIII. di Novembre 1529.

Uti filius
L. Card. Campegius.

MXI.

Rex Angliae cum pontifice de episcopo Wigorniensi nondum in collegium cardinalium recepto amice conqueritur. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementmoque Dño Nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima beatorum pedum oscula. Dum nuncium expectaremus, Revñdum Dñum Episcopum Wigorniensem in novissimo hoc quatuor temporum festo fuisse a vestra Beatitudine in Cardinalem creatum, ex Dño Benet oratore nostro plurimum dilecto, cui hanc dignitatem apud vestram Sanctitatem nostro nomine instantissime procurandam commiseramus, praeter nostram quidem expectationem intelleximus, ingens hoc nostrum desiderium fuisse dilatum, multasque fuisse a multis difficultates iniectas, quo non absque nostri honoris laesione omnino impediretur, illudque etiam Dño Wigorniensi per speciem, re autem vera expectationi huic nostrae plurimum obfuisse, quod non Anglus, sed Italus natione extet. Proinde, Beatissime pater, quum de vestre Sanctitatis paterno in nos animo, et nobis gratificandi voluntate non adhuc penitus desperemus, sciamusque aliorum sententias tum in hoc, tum in caeteris omnibus V. Sanctitatis arbitrio non repugnantes esse debere, soloque nutu in suam ipsam opinionem pertrahere reliquos posse: voluimus iterum atque iterum pro Domino Wigorniensi instare, non antea precibus nostris modum impedituri, quam optatum fructum a vestra Beatitudine reportaverimus, beneficiumque tanto maius in nos collatum putabimus, tanto tenacius pectori nostro inhaerebit, tantoque ad reponendam gratiam promptiores erimus, quanto rebus ipsis voto hoc nostro impetrato manifestius perspiciemus, vestra Sanctitate ex corde iuvante, iniectas ab adversariis difficultates nos tandem superasse. Quod vero adduxerint aliqui, Wigorniensem non Anglum, sed Italum natione esse, leve certe hoc putamus esse nostri reiiciendi desiderii argumentum, in quo refellendo non admodum laborabimus, apud vestram praesertim Sanctitatem, quae sua prudentia potest tam frivolam obiectionem facillime convellere, sed mutabunt illi, nisi omnis rationis fuerint expertes, suam hanc opinionem, si meminerint Rñdum Dominum Wigorniensem Episcopatum habere in hoc nostro Regno, ob suamque prudentiam, et in arduis rebus expertam fidem iampridem esse inter dilectos nostros subditos et consiliarios adnumeratum, nec rationis nomine unumquemque nobis carum esse, sed eos imprimis, quorum virtus commendatos nobis effecerit, et non quos nationis origo ditioni nostrae duntaxat subegerit. Vestram igitur Sanctitatem vehementissime rogamus, ut in Dño Wigorniensi in Cardinalem creando dignetur omnibus omnium obiectionibus se nobiscum opponere, ardentissimoque huic nostro voto benigne adnuere, persuasumque sibi habere, ut non temere ad Wigorniensem commendandum adducimur, ita ad referendam pro hoc accepto beneficio gratiam non tardos aut tepidos nos futuros. Et felicissime ac diutissime valeat Sanctitas vestra. Ex Regia nostra Grenwci die VI. Ianuarii M.D.XXX.

E. V. S(anctita)tis

(PS. mpp. regis.) Rogamus Sanctitatem Vram. ut velit nobis hanc gratiam concedere et honorem nostrum in ea protegere.

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac dominus Hiberniae
Henricus.
Petrus Vannes.

MXII.

Idem rex pontificis consilium generale concilium convocandi impense laudat, promittitque oratores suos ad idem mittere. Ex originali.

Sanctissimo Clementmoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam commendationem et devotissima pedum oscula beatorum. Christiana charitas, que omnes omnium dolores et gaudia communicat, in nobis id effecit, ut semper indoleamus, quotiens aliquid nunciatur, quod vel aliorum quieti et tranquillitati adversari, vel ad bonorum expectationem minus prospere succedere videatur. Itaque quod Sanctitatis V. Breve prima die Decembris ad nos datum significavit, et nos longe antea ex aliorum litteris, ac ipsa deferente fama intellexeramus,

Cesarem etiam, si multam in ea re operam navaverat, non omnia tamen ex sententia cum Germanis composuisse, que ad fidei et religionis causam pertinerent, vehementer sane nos commovit, et ad cogitationes adegit graves molestasque de statu christiani orbis, et multifariis in eodem corruptelis partim ignorantia receptis, partim malicia irrumpentibus, nonnullis vero etiam conniventia admissis atque neglectis, quarum omnium evulsio, ut aliquando contingat, et vinea Domini, omni sui parte, tribulis expurgetur, ac ad illam culturam, quam Deus ipse, data nobis pro instrumento scriptura, constituit, revocetur, non possumus nos generale Christianorum Concilium in Spiritu sancto congregatum non optare ex animo, et Vestre Sanctitatis in ea re studium non vehementer laudare, simulque non indolere, quod frequentiora Concilia hactenus habita non sint, que certe effecissent, ut nec vel illa Germaniae peste, vel alia quavis aegritudine in Ecclesia Christi hodie laboraretur. Hoc igitur Concilium perquam necessarium iudicamus, atque ob zelum, quem erga Christianam religionem et publicam tranquillitatem gerimus, in eo fovendo iuvandoque nulli christiano Principi cedemus, nec nos quicquam omittemus, quod cum Deo publicoque omnium bono esse posse putaverimus. Unum certe est, quod imprimis curandum esse existimamus, videlicet ut is locus de Principum consensu statuatur, qui omnibus ad conveniendum nullo discrimine tutus commodusque re vera extiterit, alioquin multi multorum bene sentientium labores, consilia vigilieque nullo cum fructu periclitabuntur. Quod vero ad nostram in futuro Concilio presentiam attinet, ea de re, quum de loco constitutum erat, ita deliberabimus, ut si minus corpore adesse presentes, ita exposcente rerum nostrarum statu, possimus, eiusmodi certe legatos in nostro nomine mittendos curabimus, qui vices nostras supplere et obire valeant, velintque, ut nihil possit a nobis in ea parte desiderari, quod ut in Rempublicam cedat christianam, Deum semper precabimur, utque presentium calamitatum miseratus Vre. Sanctitatis consilia regat disponatque in melius. Sed super hiis cum eiusdem V. Sanctitatis apud nos nuncio sumus copiose colloquuti. Et felicissime ac diutissime valeat eadem V. Sanctitas. Ex Regia nostra prope Westmonasterium die XIII. Februarii M.D.XXX.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hibernie

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

MXIII.

Cardinalis sancti Sixti de diligentia adhibita in negotio matrimonii Anglici collaudatur. Brev. Tom. 50. fol. 1579.

Cardinali S. Sixti.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili etc. Quod nobis de tua Circumspectione polliciti semper sumus, id in hac causa matrimonii Anglici cumulatissime perspeximus: omnia enim, quae excogitari poterant, et collecta diligentissime, et conclusa prudentissime abs te sunt. Itaque Circumspectionem tuam maiorem in modum collaudamus, quod in re tam gravi Christianam veritatem defenderit, et Nos sua doctrina studioque adiuverit vehementer. Datum Bononiae etc. die 27. Martii 1530. Pontificatus nostri anno septimo.

MXIV.

Rex Angliae pontifici preces pro episcopo Wigorniensi in collegium cardinalium cooptando innovat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementi̅q̅ue Dn̅o nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Etsi confidamus Sanctitatem Vestram adeo benevolo esse erga nos animo, ut (etiam suggerente nullo) petitionis nostre, simulque sui promissi facile recordetur, nullam quidem nobis gratificandi occasionem pretermissura: voluimus tamen desiderium nostrum hiis litteris in Vestre Beatitudinis mentem redigere, ut nostro hoc recenti testimonio non obscure cognoscat, quam constanti pectore in eos exornandos simus, quorum fidem perspectissimam habemus, et quos nostra benevolentia semel dignos iudicavimus. Sextus iam agitur mensis, ex quo Revd̅um Dn̅um Episcopum Wigorniensem, oratorem consiliariumque nostrum plurimum dilectum, ad Cardinalatus fastigium in summam nostram gratiam promovendum ita studiose Beatitudini V. commendavimus, quod neminem utcumque nobis carum potuissemus vehementius commendare. In hoc certe assequendo voto tanto obnoxius nunc contendimus, quanto suis officiis et meritis Dn̅us Wigorniensis in dies charior nobis est. Nostris tunc oratoribus, iussu nostro de hac re apud Vestram Sanctitatem sedulo agentibus, promisit in proxima Cardinalium creatione Dominum Wigorniensem, nostrarum precum interventu, in Cardinalem omnino velle creare, benignissimo deinde suo ad nos brevi multa de virtutibus egregiisque Domini Wigorniensis animi dotibus accumulans ingenue affirmavit, se et desiderii nostri et eius meritorum velle rationem habere: unde spem certam collegimus, hac nos nostra expectatione ad primam occasionem neutiquam frustratos iri. Ceterum ne Sanctitas Vestra suspicetur, optimam nostram erga Dominum Wigorniensem mentem immutatam esse, aut in eo exornando nos esse tepidiores factos, presertim quum in hac causa honoris dignitatisque nostre ratio agatur, quod in aliorum principum gratiam tot iam Cardinales Vestra Sanctitas creaverit, unumque nos Wigorniensem exoptemus, eam, quam vehementi studio animique conatu possumus, rogamus, ut in proxima, quecumque illa fuerit, Cardinalium creatione velit Dominum Wigorniensem in Cardinalem creare, petimusque, si hac in re, quam tantopere cupimus, nobis gratificari voluerit, nostreque existimationis sueque promissionis meminisse, et nobis Cardinalem concedere, ut solum unumque Wigorniensem, pro quo nunc tantopere instamus, nobis concedat, cuius viri ornamentum, quum non temere cupiamus, sitque nostrum de eius virtutibus iudicium Vestre Sanctitatis

ad nos brevi confirmatum, suspicari possemus, parvam istic nostri rationem haberi, si absque fructu, quod non credimus, ab hac nostra nunc petitione repellamur. Et felicissime valeat Sanctitas V., quam Deus Altissimus longevam tueatur. Ex Regia nostra Wyndsore die XXVIII. Martii M.D.XXX.

(E. V. Sanctitatis)

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hibernie

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

MXV.

Idem rex pontifici, ut Gregorium Casalium et episcopum Wigorniensem oratores suos sacra purpura condecorare velit. Ex originali.

Sanctissimo Clementiñoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima beatorum pedum oscula. Nimis longum esset nunc commemorare, quam egregiam fidem studiumque erga nos singulare magnificus Dñus Gregorius Casalius, orator noster quam plurimum dilectus, eiusque fratres omnes iam pridem exhibuerint, quorum in nos officia et optimi fidelissimique animi indicia ita crebro summa nostra cum voluptate experti sumus, ut in eodem Domino Gregorio eiusque familia exornanda voluntate sumus quam maxime propensa, tum ut grati pectoris testimonium aliquod prestemus, tum etiam, ut hoc exemplo in nostri studium alios complures alliciamus. Quocirca summopere impresentia cupimus, Reverendum Prothonotarium Casalium oratorem nostrum, quem ob suam in rebus nostris tractandis fidem ac dexteritatem, ingentemque eruditionem, et claras animi dotes (quas fide dignorum testimonio illi inesse percepimus) carum habemus, ad Cardinalatus fastigium nostra intercessione promoveri. Itaque Sanctitatis Vestre benignitate, paternoque in nos animo et prompto nobis gratificandi studio confisi, eam quam obnixe possumus rogamus, ut cum antea aliis nostris litteris unum Cardinalem petierimus, duos nunc velit nobis concedere, Reverendum scilicet Dñum Episcopum Wigorniensem, quem omni animi pectorisque conatu Sanctitati Vestre sepe antea commendavimus, Reverendumque Dñum Prothonotarium Casalium, eosque precipuo nostro intuitu et precum nostrarum interventu apostolica sua authoritate in S. R. E. Cardinales creare. Duos idcirco petimus, quod ex duplici a Vestra Sanctitate accepto beneficio ad referendam gratiam duplici quoque vinculo adstringi gaudemus, hos viros, ut ob eorum merita caros habemus, ita ob eorum observantiam confidimus Sanctitati Vestre honori, apostoliceque Sedi usui omnino futuros. Petitionis autem nostre fructum eo certius nobis pollicemur, quod Beatitudinem Vestram nostri amantissimam perspicimus, et quod nunc primum pro Cardinalibus nos instamus, quum aliis principibus, quibus devotione et officio neutiquam cedimus, complures nunc ipsa et sepe antea multos Cardinales concesserit. Plura quidem in dicti Dñi Wigorniensis et Dñi Prothonotarii commendationem adderemus, nisi de Vestre Sanctitatis in nos benignitate videremur velle diffidere. Ceterum, ne desiderium nostrum in disputationem attrahi possit, et ne Sanctitas Vestra de voluntate pectoreque nostro ambigue aliquid suspicetur, illi expresse significamus, quod nisi utrumque in Cardinales obtinere queamus, nec Sanctitas Vestra nisi unum nostris precibus concedere voluerit, eo tunc casu unum solumque Wigorniensem in nostram gratiam Cardinalem creari iterum petimus atque rogamus, qui ut est de Sanctitate Vestra Sedeque apostolica optime meritus, et ut cum non temere eidem Sanctitati Vestre sepe commendamus, ita non nisi Wigorniensi in Cardinalem impetrato nostri honoris rationem habitam fuisse putabimus, nec antea ab intercessione nostra assiduisque precibus conquiescemus, quam huius voti nostri Sanctitas Vestra nos compotes effecerit. Que felicissime ac diutissime valeat. Ex Regia nostra apud Morum die VIIII. Aprilis M.D.XXX.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dñus Hibernise

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

MXVI.

Idem rex pontifici de amantissimis sibi datis litteris grates reddit, spondet se decisioni causae suae matrimonialis ad Septembrem venturum usque protractae annuere, petitque, ut eandem sine ulla ulteriore dilatione tandem decidat. Ex orig. in Processu matrim. Henrici VIII. fol. 61.

Sanctmo Clementissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotmã beatorum pedum oscula. Accepimus Breve Sanctitatis Vestrae, datum die XXVI. Marcii, in quo multis gravissimisque sentenciis, amoris etiam, benevolentiae et gratitudinis significationem praeseferentibus, Sanctitas vestra vehementer nos hortatur, ne in hac nostra causa, quam iudiciorum examinatio iamdiu suspensam tenuit, preter solitum morem, quicquam innovare velimus, qua in re, ut que nostra sententia fuerit, intelligere posset, eadem vestra Sanctitas causae nostre processum, quem adversarii multum urgebant, ad quadraginta dies differendum duxit, in Septembrem etiam, et eo amplius, ut nostri quidem Oratores nobis significarunt, dilatura, modo nos nihil interea facturos promittere velimus, quod a communi iusticie ordine videri possit alienum. Ad quas Sanctitatis vestre litteras, ut ingenue atque ex animo responderemus, tam etsi verbis, vultu, litteris nihil unquam pretermiserit Sanctitas vestra, quod paternus amor in filium, vel amicitiae vices in amicum prestare potuerint, quo nomine ingentes gratias habemus, tamen quum ad facta ventum est, non nihil est semper, quod desideramus, et quod conceptam opinionem ita deiiciat, ut in certa aliqua spe et firma animi tranquillitate non liceat acquiescere. Quod cum antehac sepius experti sumus, tum vero nuperrime, quum ad Sanctitatem vestram Dominum Stokesleum Electum Londoniensem mitteremus, cause nostre iusticiam eidem expositurum (neque enim hunc misissemus, nisi id San-

ctitas vestra nostris Oratoribus significasset, multum se animo cupere ea intelligere, que Stoksleus ad cause nostre iustificationem reperisset) et tamen magno suo labore nec minori nostra impensa presentem noluit audire, videlicet de cause meritis disceptantem, quo consilio, certe nescimus, nisi forte, ut ignorantia ad dilationem temporis liceat abuti, et semper de causa secure dubitare, quod dum fit, nostri certe respectum non eum haberi, quem multis nominibus sperare debuissemus, magis in aperto est, quam ut pectoris nostre candor queat dissimulare. Amicitia sincera a fucis abhorret, et quanto magis Sanctitatis vestre personam diligimus, tanto liberius cum eadem quasi nobiscum loquimur, et animi dolores communicamus, factum, si quod doleat, non tacemus, culpam certe ipsam ita cupimus purgari, ut ex futuro in preteritum edita presumptio eam in quidvis aliud, quam in Sanctitatem vestram (quam ex corde semper amavimus) reiiciat. Nos quidem interim sperabimus meliora. Quod si Sanctitas vestra iudicialem cause processum, quemadmodum nostris Oratoribus iam significavit, in mensem Septembrem sistere decrevit, et ne quid istic attemptetur, procurare, a nobis interim nihil agetur, quod cause statum videatur innovare: quamobrem quamcumque securitatem ea de re faciet Sanctitas vestra, parem etiam de nobis sibi posset polliceri, ac nostre in hiis literis promissioni credere, quod curante Sanctitate vestra, in mensem Septembris processum istic differri, atque illud nobis per breve pollicente, ut hactenus fecimus, conquiescemus etiam nos interea temporis, et ad molestiarum cumulum adiicere non gravabimur, ut frustra tamdiu remedia expectantes aliquorum mensium intervallum assueto dolore transigamus. Cuius rationem aliquam habituram Sanctitatem vestram non prius diffidere volumus, quam extrema tentaverimus, et, dum respirandi spatium vestre Sanctitati manet, semper ab amico aequa et iusta sperare, quemadmodum Sanctitati vestre Dominus Electus Londoniensis, Dominus Wigorniensis, Dñus Benet, et Dñus Gregorius, Oratores nostri quam plurimum dilecti, latius exponent, quam ut in omnibus certissimam illis fidem habere velit, impense rogamus. Et felicissime ac diutissime valeat Ex Regia nostra Wyndsore die x. Aprilis M.D.XXX.

E(iusdem) V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

MXVII.

Mandatur et inhibetur omnibus iudicibus ecclesiasticis, coram quibus causam matrimonii Anglici pendere contigerit, et advocatis et ceteris sub excommunicationis latae sententiae, ne in causa ipsa contra conscientiam spe premii, gratia vel odio verbo aut scriptis aliquid allegare, scribere etc. praesumant; sed solum Deum prae oculis habentes, in causa iuxta canonum et iuris dispositionem, et prout eorum dictaverit conscientia, faciant et dicant. Ex orig. in Processu matrim. Henrici VIII. fol. 68.

Clemens PP. VII. Universis et singulis praesentes litteras inspecturis, salutem etc. Cum omnes iudices ecclesiastici, qui causas eorum sententiis habent terminare, ac Iuris periti, quibus interpretandi consulendique est tributa facultas, responsa sua praesertim in causis matrimonialibus iuxta canones, Romanorum pontificum et iuris dispositionem proferre et terminare debeant: eapropter omnium Christifidelium animarum consulere cupientes, omnibus et singulis iudicibus ecclesiasticis, coram quibus causam validitatis vel invaliditates matrimonii alias inter Charissimum in Christo filium nostrum Henricum VIII. Angliae Regem, et fidei defensorem, ac Dominum Hiberniae, et Charissimam in Christo filiam nostram Catherinam Angliae Reginam Illustrem, ac clarae memoriae Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici natam, ex dispensatione apostolica contracti et carnali copula consumati pro tempore pendere contigerit, nec non advocatis, procuratoribus, notariis publicis ac testibus, et quibusvis aliis personis, quae in huiusmodi causa pro aliqua dictarum partium tam in iudicio quam extra illud intervenire, aut pro partibus ipsis verbo vel scriptis allegare, consulere vel in causa ipsa deponere, aut alias publice vel occulte aut secrete, vel quomodolibet de ipsa causa per se vel alium intromittere habuerint, sub excommunicationis latae sententiae pena, a qua ab alio quam a Romano pontifice nisi in mortis articulo nequeant absolutionis beneficium obtinere, mandamus, ne in dicti matrimoniali causa contra conscientiam spe premii, aut prece, odio, vel timore, aut gratia ducti verbo aut scriptis aliquid allegare, scribere aut consulere, aut aliquid aliud dicto vel facto attemptare praesumant, sed solum Deum prae oculis habentes iuxta Canonum et Iuris dispositionem, et quam eorum dictaverit conscientia, faciant et dicant. Volumus autem ad hoc, ut praesentes litterae omnibus innotescant, quod in quibusvis Cathedralibus ecclesiis publicari possint, et illarum transumptis manu publici notarii subscriptis, et alicuius Praelati seu ecclesiasticae Curiae sigillo munitis eadem fides tam in iudicio quam extra illud habeatur, quam praesentibus adhiberetur, si illi essent exhibitae vel ostensae. Datum Romae etc. die XXI. Maii MDXXX. Pontificatus nostri anno septimo.

MXVIII.

Pontifex omnes, qui contra conscientiam spe premii, prece vel pretio ducti in causa matrimonii Anglici aliquid scribant aut faciant, excommunicat. Ex orig. in Processu matrim. Henrici VIII. fol. 62.

Clemens PP. VII. Universis et singulis praesentes litteras inspecturis, sal. etc. Nuper omnium Christifidelium animarum saluti consulere cupientes, per alias nostras in forma Brevis litteras omnibus et singulis iudicibus, coram quibus causam validitatis et invaliditatis matrimonii alias inter Charissimum in Christo filium nostrum Henricum Angliae Regem Illustrem, fidei Defensorem et Hiberniae Dominum, ac Charissimum in Christo filiam nostram Catherinam Angliae Reginam, ac cl. mem. Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici natam, vigore dispensationis apostolicae contracti et carnali copula consumati pro tempore pendere contigerit, necnon advocatis, procuratoribus, Notariis publicis ac testibus, et quibusvis

aliis personis, quae in huiusmodi causa pro aliqua dictarum partium tam in iudicio, quam extra illud intervenire, aut pro partibus ipsis verbo, vel scriptis allegare, consulere vel in causa ipsa deponere, aut alias publice vel occulte seu secrete, vel alias quomodolibet de causa ipsa per se vel alium intromittere haberet, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua ab alio quam a Romano Pontifice nisi in mortis articulo nequirent absolutionis remedium obtinere, mandavimus, ne contra conscientiam spe premii aut prece, odio vel timore, aut gratia ducti verbo aut scriptis aliquid allegare, scribere vel consulere, seu aliquid aliud dicto factove attentare presumerent, sed solum Deum prae oculis habentes iuxta canonum et iuris dispositionem, et prout eorum dictaret conscientia, facerent et dicerent, prout in illis plenius continetur. Et quia (sicut accepimus) a nonnullis nimium curiosis revocatur in dubium, an nostrae mentis et intentionis fuerit, per ipsas litteras excommunicationis sententia omnes et singulos in huiusmodi causa se quomodolibet intromittentes ligari, necnon in causa ipsa ius canonum duntaxat attendi debere voluisse: Nos igitur, ad quos spectat, huiusmodi ambiguitates, cum de mente nostra et resultantibus ex litteris nostris dubitationibus queratur, declarare, Motu proprio et ex nostra mera deliberatione auctoritate apostolica tenore presentium declaramus, illos dicta excommunicationis sententia duntaxat ligari voluisse, qui prece, aut precio seu spe premii contra conscientiam, ac canonum Sacraeque Scripturae dispositionem Sacram Scripturam perperam et male interpretando in favorem aliquarum dictarum partium aliquid scribere, aut in scriptis redigi facerent. Et propterea omnes et singulos Theologos aut in Sacra Theologia eruditos, aut Canonistas, aliosve iuris divini et sacrorum canonum peritos, quoscunque id, quod in dicta causa ex consientia sua divinae legi et canonibus consonum et congruum esse putaverint, libere proferre et pronunciare posse aequum esse censemus. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IV. Augusti M.D.XXX. Pontificatus nostri anno septimo.

Sumptum a minuta brevium apostolicorum per me Evangelistam Tarasconum Smi D. N. PP. Secretarium domesticum, et collatione facta concordat.

MXIX.

Rex Scotiae pontifici oratorem suum commendat. Ex orig. Litt. Principum Tom. VII. fol. 151.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatme pater, post humillimam prostrationem ad pedes Sanctissimos. Quanquam nostra negocia cum V. Sanctitate et Rmorum S. Rom. Ecclesie Cardinalium Collegio in presentiarum agenda Illustri principi Iohanni Albanie duci, consanguineo nostro, ut ab illo bene curentur, commisimus: quia tamen non nunquam quedam secretiora mentis nostre illi suggerenda sunt, que scribere nolumus, poterit is tam variis rebus occupari, ut non semper nostris commode interesse valeat. Igitur Dilectum consiliarium nostrum, Thomam Erskin, equitem auratum, et nobis a secretis primarium, mentis nostre arcanis instructum, illi nostro consanguineo mittimus, ut per ipsum intelligat, que litteris mandare non libet, atque illius vices, quando licuerit, supleat, Cuius fidei et verbis eque atque nostris credat V. Sanctitas, que felicibus annis, vitaque fruatur longisima. Ex oppido nostro Divi Iohannis secundo die mensis Novembris, Anno salutis nostre trigesimo supra millesimum et quingentesimum.

E. V. S(anctita)tis

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES R.

MXX.

Rex Angliae spondet pontifici se ordini hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani in omnibus suis rebus semper praesto fore. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dño Nostro Papae.

Beatme pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Quemadmodum longo usu didicimus, ac semper, posteaquam de rebus publicis quicquam licuit per aetatem iudicare, non obscure perspeximus, omnes omnium ordines prudenti consilio, maturaque deliberatione ad bonum quempiam finem institutos, christianorumque principum authoritate ac tutela, publicoque et inveterato mox consensu stabilitos consuevisse suam Christianae reipublicae tranquillitatem conservare, fidemque catholicam longe lateque propagare, vel saltem in Christi gregem irruentos hostes procul arcere, ita tum nostro, tum parentum nostrorum more non possumus omnis generis ordinis ad laudem Dei, et Christianorum quietem institutos non ex animo fovere, charosque habere, cuiusmodi esse putamus nobilissimum et antiquissimum illum Hierosolymitanum ordinem, qui, ut hactenus in Christiana defendenda religione, multa etiam cum sanguinis effusione, nedum opum, strenuissime se gessit, sic etiam in attritis recuperandis viribus, ut de catholica fide possit assidue bene mereri, tam parum conquievit, ut Christianorum principum favore ac patrocinio dignus nobis videatur, universaeque Christianitati toto pectore gratulamur, optimam Vestrae Sanctitatis in dicto ordine iuvando mentem, plurimumque laetamur, Melitam insulam aliaque nonnulla circumvicina loca fuisse huic ordini a Caesarea Maiestate concessa, tum quod loca (ut audimus) sunt ad defendendam Christianitatem accommoda, tum quod ex dicto ordine in uno loco tandem stabilito non nisi optimi successus sperandi sunt. Proinde, Beatissime pater, quod ad me attinet, in hac conservanda religione nulli unquam Christiani principis officio deerimus, quatenus videbimus ipsius studia, actiones atque conatus ad sancta honorificaque suscipienda facinora, nostramque fidem a communibus Christianae reipublicae hostibus illaesam conservandam esse directos, quos cum Deo semper coniunctos esse precamur. Et felicissime ac diutissime valeat Vestra Sanctitas. Ex Regia nostra apud Hamptoncorte die XXI. Novembris M.D.XXX.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dñus Hiberniae
HENRICUS.

PETRUS VANNES.

MXXI.

Rex Scotiae pontifici, ne ambitiosum archiepiscopum S. Andreae legatum a latere in Scotia constituat. Ex orig. Litt. Princip. Tom. VII. fol. 261.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatme pater, post humillimam prostrationem ad pedes sanctissimos. Certo informamur, quod Iacobus Sancti Andree Archiepiscopus officium legatie cum potestate et facultate a latere per universum Regnum nostrum iamdudum impetrasset, nisi negocium litteris charissimi consanguinei nostri Iohannis Albanie Ducis impeditum fuisset: quanquam enim sepenumero Archiepus ille nos sollicitaverit, ut hanc sibi facultatem cum nostra benevolencia obtineret, numquam tamen, ut nostrum prestaremus consensum, flecti potuimus, donec tandem victi concessimus, ut officium hoc intra suam diocesim gereret, et nunc pretextu nostre signature universalem sibi provinciam delegari cupit, qua in re ut nostre voluntati contrafacere conatur, ita illum omni modo tanta dignitate indignum iudicamus. Quapropter V. Sanctitatem quam maxime rogamus, uti nos magno suo benefitio sibi demereri velit, nullo pacto Archiepiscopo illi hoc legationis officium concedat, quemadmodum mentem nostram idem noster consanguineus aptius declarabit. Preterea non nunquam cancellarium, thesaurarium, ac alios consiliarios nostros ex ecclesiastico statu, uti in presentiarum est, habere oportet, quibus necesse est criminalibus causis iudiciis eciam sanguinis interesse, quod eis consciencie scrupulo non licet, nisi apostolica gracia dispensetur. Igitur dignetur eadem V. Sanctitas eiuscemodi magistralibus nostris, et presertim Willelmo Stewart, Preposito de Lynclowdan, thesaurario seu vicethesaurario nostro, facultates et dispensationes apostolicas hac in re concedere, quales ipsi ad exuendum conscientie metum supplicationibus suis ad vestram clementiam desuper porrigendis postulare duxerint. Beatme pater, Sanctitatem V. quam longissime sospitem velit Deus Optimus Maximus. Ex oppido nostro Divi Iohannis alias Pertka, ultimo die mensis Novembris, Anno domini millesimo quingentesimo trigesimo.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES R.

MXXII.

Rex Angliae graviter cum pontifice expostulat de iis, quae in causa sua matrimoniali perperam acta sibi videntur, petitque, ut ea in Anglia decidenda remittatur. Ex orig. in Processu matrim. Henrici VIII. fol. 66.

Sanctissimo Clementmoque Dño Nostro Papae.

Beatme pater, post devotissima pedum oscula beatorum. Etiamsi videamus vel temporum vel hominum iniquitate fieri, ut postulata nostra, quantumvis equa et naturali ratione subnixa, parum exaudiantur, nihil etiam proficere in causa nostra iustissima Charissimi fratris et consanguinei ac perpetui confederati nostri Christianissimi Regis amicissimas preces, Nobilium autem nostrorum intercessionem non modo contemni, sed etiam derideri, quod eos equo animo non laturos existimamus, denique re ipsa nihil prestari, quod nos afflictos atque vexatos sublevet. Hec omnia licet aperius cernamus quam velimus, tum a vestro isthic oratore, tum autem ex oratoribus nostris, quos apud vos babemus, cognoscamus: Est tamen spei opinionisque nostre tam diversus exitus, ut subinde cogitantibus nobis ac memoria repetentibus omnes cause nostre circumstancias, porro autem singula conferentibus, que processerunt, queque secuta sunt fidem factorum, dictorum atque responsorum Vestre Sanctitatis in hac causa nostra, quam alioquin certam et firmam fidedignorum oratorum et vestrorum et nostrorum relatio constituit, ipsa ratio communis labefactet atque convellat, atque in re certissima tam dubium reddit, ut certo interdum non credamus Sanctitatem Vestram fecisse, que fecisse cognoscimus, quum ea facere non debuisse intelligamus. Nam ut omittamus ea, que longius precesserunt, quod nuperime efflagitavimus de dańdis in Anglia Iudicibus, quis credidisset Sanctitatem Vestram negare voluisse? Longe aliter sperabamus nos, aliter certe credidit Christianissimus Rex, qui nobiscum una id petiit, aliter crediderunt sui consiliarii, quorum suasu id fecit, secus crediderunt nobiles nostri omnes, et omnes omnium ordinum primi, videlicet qui ad nostra postulata suas litteras adiunxerunt, et quem non ad id adigeret ratio, ut crederet Sanctitatem Vestram facturam Dei respectu, quod debuisset, et in Principum gratiam, quod inculpate potuisset, debuisset certe permittere sacrosanctis olim Conciliis id definientibus, ut controversia ibi terminetur, ubi primum nata est. Illic enim Iudices et proprius vident et cernunt certius, ut gloriosissimo martiri Cipriano placuit, et divus Bernardus ad Eugenium scribit: Benefacis tu, quod appellacionum negato suffragio remittis ad cognoscentes, et qui noscere cicius possunt, ibi enim certior et facilior notio, ibi decisio tucior et expeditior esse potest. Potuisset autem Sanctitas Vestra, nam olim se potuisse ostendit, cum Iudices ad nos in Angliam mitteret, quos postea revocavit. Et si debuisset quidem, quod negari non potest, et potuisset etiam, ut quidem factis antea suis de consilio suorum declaravit, quis dubitaret de voluntate, siquidem ut deberet, ipsam liberam, certam et rectam teneat Sanctitas V. non ad aliena arbitria accommodatam, ac humanis respectibus inservientem. Et si ita se habet, ut habet, fuerunt aliquando vices nostre, et nunc, ut videmus, aliorum sunt, non in lege Domini, sed in rerum vicissitudine meditandum est, ut de V. Sanctitatis manu aliquid auxilii expectamus. Sed auxilium nostrum a Domino certum est, et in Domino sperantes non infirmabimur. Nam in conspectu omnium acta probant voluntatem Sanctitatis Vestre totam Cesari addictam esse, illius nutu flecti, ad illius arbitrium attemperari. Si quid petimus, si quid rogamus, quod officii vestri esset, prima ratio est, ut ne quid Cesari displiceat, quem etiamsi amicum habeamus, tamen dominantem in illo nature affectum, ut improbare non possumus omni-

no, ita in hac causa nostra iniquiorem nobis non sine causa refugere debeamus. Et certe gravissimam nobis iniuriam factam, et vestro officio indignissimum dedecus admissum videmus, ut cum Cesar se in hac causa interposuerit, etiam cum se opposuerit defensioni, appellacione interposita, cum se partem publice professus sit, Vestra Sanctitas tamen eundem semper consultorem adhibendum ad illius imperium figat ac refigat, differat, proroget, mutet ac statuat, quandocumque temporis rationi oportunum videatur. Et si quid ab adverso dicatur, statim credere, si quid nos proposuerimus, omnino reiicere: scilicet creditur nunc Regine regnum nostrum Angliae non esse tutum locum, in quo iudicetur. Et creditur nude allegationi sine testibus contra tam clara et aperta documenta, que nos in diversum edidimus non verbis et assertionibus, que fingi possunt, sed rebus ipsis et factis, que non mentiuntur. Nos enim quanta cum libertate atque impunitate audivimus omnes in nos liberius etiam quam oportuit, quod videbatur, proferentes, nemini unquam aliam opinionem extorsimus, quam que animo videretur suo, diversum a nobis sencientes, etiam in ceteris favore et prosequimur et prosecuti sumus. Et tamen post tot argumenta securitatis, et cum nullum signum adhuc aparuerit, cur timeri a nobis merito deberet, credit V. Sanctitas nudam Regine allegationem in diversum. Quo tempore dubitari potuit, qualiter essemus laturi, quod ageretur, et quanta cum equaminitate passuri, quod fieret, si quid contra nos fieret, missi sunt ad nos iudices in Angliam a Sanctitate Vestra. Nunc vero cum amplius dubitari non potest, non modo dubitatur, sed creditur diversum eius, quod nos probavimus: probavimus enim nos, regnum nostrum locum esse tutum, in quo causa nostra iudicetur, videlicet quum hactenus summam omnibus dicendi libertatem permiserimus. Regina vero tantum allegat diversum, et si quas probaciones attulerit, vane sint oportet et false, nec verisimiles. Que quum ita sint, aliud tamen, cur iudices non dederit, non respondit Sanctitas V., nisi quod Regina allegavit, locum suspectum. Et quis crederet Sanctitatem V. ista nobis respondisse, nec aliud dixisse, ne iudices daret, fides certe referentium credulitatem exigit, res vero ipsa negat, nisi sequamur, quod antea diximus, eam persuasionem, ut credamus Sanctitatem V. voluntatem suam ita Cesari addixisse, ut non ex animi vestri summa prudentia prediti sentencia, sed ex Cesaris affectu respondere contendat. Que res facit, ut iterum atque iterum repetitis litteris Sanctitatem Vestram adeamus, expressuri nimirum, si quid aliud moverit Sanctitatem Vestram, cur nostris ultimis desideriis non annuerit, cupidi etiam litteris vestris intelligere, cui cause potissimum denegando innixa sit. Sic enim expressius et certius mentes invicem et animi nostri sententias communicabimus, si in causis hiisce gravioribus et postulata et responsa scriptis mandaverimus: itaque petimus denuo hiis litteris a Sanctitate Vestra, ut causam nostram in Anglia datis Iudicibus illis, quos per oratores tanquam indifferentes et equissimos nominabimus, decidi Patiatur atque permittat. De Iudicibus autem nullam, ut accepimus, facit difficultatem Sanctitas Vestra, tantum de loco questio fuit, quem sacra Concilia iam definierunt. Divus autem Ciprianus et Bernardus, ut prediximus, utique convenientissimum affirmant, ut in eo loco causa terminetur, ubi primum nata est. Durum certe esset probare nudam Regine allegationem de loco suspecto contra ea argumenta, que nos ostendimus. Et facile videt providentia vestra, non levem nobis notam inuri, ut ea infamia aspergamur, quasi in causa tanti sacramenti suspecti haberemur, ne eam ex equo et bono ac divinarum legum prescripto intra regni nostri limites terminari pateremur. Suspicio talis crimen est etiam in infimo homuncione famosum, in principe viro tanto magis augetur facinoris atrocitas, quanto sublimius consurgit fastigium dignitatis. Nec possimus certe pati, nedum equanimiter ferre, ut de suspicione tam gravi immerito accusemur, ac sine teste etiam a Sanctitate V. condemnemur. Que si communis patris ac boni pastoris officio fungeretur, in eo potius laboraret, ne quid temere cuiquam impingi pateretur, ne fama aut opinio cuiusquam sine omni sua culpa ledatur, ne immerito notetur. Atque hoc nimirum est Christi vices in terris gerere conservande charitatis exempla prebere, ita suum vendicare, ne quid alii detrahatur, ex equo et bono omnia disceptare, plane, simpliciter et aperte agere, promissa prestare, non obliquo ductu alio tendere, quam quo cursum aperte institueras. Hec omnia non ascribimus Sanctitati Vestre, ut de occultis sacre littere permittunt indicare, et nos semper temeraria iudicia fugimus, nec in alium libenter admittimus, quod in nos ipsos fieri equanimiter non ferremus. Sed si Vestre Sanctitatis oratores, vestri nuncii, vestri magistratus auctore Sanctitate Vestra faciunt, quod faciunt, cuius rei certum iudicium conscientie vestre sit, clara certe verisimilitudo interim elucet. Sed si auctor est Vestra Sanctitas, si conscia est, si iussit, si facta probat, immo si non improbat aperte, si non corrigit, graviora sunt hiis que supra commemoravimus ea, que in Sanctitatem Vestram dici possunt. Nam cum Sanctitas V. omnibus modis primum conata impedire, ne quis in causa nostra suam sentenciam libere proferret, ac deinde post longas, varias et multas preces, iusticie administrande necessitate adacta, ut suum cuique iudicium liberum permitteret scribendi ac dicendi, quod conscientie videretur, litteris tandem in publicum missis, permiserit omnibus liberam in causa nostra scribendi facultatem. Magistratus interea vestri, vestro etiam nomine, multis gravissime minati sunt, si quid scripserint in potestatem vestram. Hoc Bononie et aliis in locis permultis factum scimus. Cesaris vero oratores ubique in Italia, ac vestris presertim dicionibus, contempto Vestre Sanctitatis edicto, indies non cessant terrores, minas et cetera queque territamenta inculcare, sciente et volente, vel saltem non impediente, sed connivente Sanctitate Vestra hiis,

qui in causa nostra scripserunt, ac scriberent, ni revocent atque recantent. Porro autem qua conspiratione nescimus effectum est, ut litterarum nostrarum nec liber sit commeatus, nec tutus. Christianissimus vero Rex nobis significavit, quomodo orator vester, qui apud illum est, de causa nostra etiam nomine Sanctitatis Vestre, ut quidem asseruit, in Universum pronunciavit, nec veritus est tanto Principi audacter et impudenter magna cum temeritate affirmare, causam nostram contra omne ius et fas intendi, nec ullo iure aut ratione niti. Que verba, si ex animi vestri sentencia protulit, non semper ex animi sui sentencia et scripsit et locuta est Sanctitas V., que causam aliquando iustissimam appellavit. Quod si temeritas illius hominis a Sanctitatis Vestre synceritate remota est, quod libentius vellemus, tamen quum eo munere fungatur, in quo ad mandatorum prescripta agere videatur, saltem aliqua ratione diluenda suspicio est, sicque cum illis agendum, quos splendor dignitatis reddit conspicuos, ne maioris scandali occasionem prestent hiis, quos in obsequio et amicitia continere cupiant. Nobiscum autem sic agat Sanctitas Vestra, ut nature precepta non transiliat, et si suum sibi integrum servari cupiat, ne nostrum attingat, ne recipiat appellationes ad se in causa nostra, et si quas receperit, ne contra iusticiam eas tueri studeat, sed secundum iusticiam eas in regnum remittat; ne exercere conetur inhibitiones suas in hac causa contra nos aut subditos, quos illis modis non convenit deterreri. Sinat leges et prerogativas nostras Regnique nostri Angliae, nec tempore nec auctoritate vestris cedentes sua vi procedere. Inhibitiones istas, si quas fecerit, quod non credimus, maturo consilio revocet, que facta sunt, et cum alieni iuris preiudicio ne deinceps emittat. Summatim autem quod petimus hoc est, ut ne ad se, neve ad curiam Romanam cause illius cognicionem deferri paciatur, que intra regni nostri limites debeat terminari. Nec credat Sanctitas V., ut quum leges certas et fixas habeat hoc Regnum nostrum Angliae, ne cause quecunque Regiam personam aut rempublicam in quoquo modo tangentes extra regni limites iudiciis tractentur, vel permissuros nos eas nobis regnantibus infringi et violari, vel passuros Regni nostri Nobiles tam grave preiudicium huic Regno inferri. Breviter, si nihil moveat persona rogantis, moveat saltem causa rogandi. Rogamus enim nos, quid naturali iuri consonum est, ut quod nostrum est, nobis illibatum conservare studeamus. Rogamus autem auctoribus sacrosanctis conciliis, hoc est vestris legibus, videlicet ut in sua cuiusque provincia causa terminetur. Rogamus ex sententia divorum Cipriani et Bernardi, quibus hoc, ut supra diximus, equm visum est. Denique rogamus, quod leges nostre diversum non patiantur, et nos a contentione abhorremus. Hiis certe non annuere non potest V. Sanctitas, si illum charitatis fervorem habeat, quem et titulus dignitatis pre se fert, et nos etiam optamus. Veruntamen si hec cause rogandi Sanctitatem Vestram parum moverint, ut concedat, quod iustum est: eatenus tamen apud nos valebunt, ne de Sanctitatis Vestre manu patiamur, quod iniustum est. Nec quisque facile patitur, quod suum est, auferri, et nos etiam in aliena illibenter irruimus, sed a contencione non abest detrimentum, et nullius fere compendio semel nate controversie transfiguntur. Quid vero animi habeat Sanctitas Vestra, quid autem nobis respondere decreverit, rogamus, ut per litteras velit significare. Et felicissime valeat Sanctitas V., cui nos humillime commendamus. Ex Regia nostra apud Hamptoncourt sexto die Decembris M.D.XXX.

E(iusdem) S(anctita)tis V(est)re

Devotissimus et obsequentissimus filius Angliae et Francie Rex, fidei defensor ac Dominus Hibernie

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

MXXIII.

Rex Angliae pontifici spondet se omnia studia in promovenda expeditione contra Turcas convertere velle. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctmo Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Breve, quod quarta die elapsi mensis Vestra Sanctitas ad nos dedit, accururate perlegimus, ex eoque intelleximus, quanta animi sollicitudine nuncium illud de Turcico apparatu ipsa nuper acceperit. Hortationes vero, quibus ad tantam perniciem mature avertendam apud nos utitur, sic accipimus, ut quemadmodum toti christiano orbi, nedum Sanctitati Vestrae testatissimum manifestissimumque esse putamus, nihil unquam in christiana defendenda fide, in apostolica conservanda Sede, Turceque apparatibus repellendis officii vel opere a nobis hactenus pretermissum, denegatumve fuisse (quarum actionum cogitationumque nostrarum preter homines ipsum quoque Deum locupletissimum testem habemus). Ita ex animo gauderemus, si nostri labores sumptusque et merita, que in christianam iuvandam Rempublicam totiens antea contulimus, maiori cum fructu prestita extarent, nostraque hec pietas et officium omnibus quam multum profuisset in commune. Consilia autem nostra omnia sic posthac cum Deo disponemus, ut divinam ipsius Maiestatem clementmum potius iudicem, quam iratum vindicem conatibus nostris adfuturam confidamus, et (utcunque cesserit rerum eventus) sedulo curabimus, ne suo loco aut tempore Religiosi christianique principis officio in fide catholica tuenda a preclarissimis et optimis nostris parentumque nostrorum institutis unquam defecisse dicamur. Ad id autem, quod Sanctitas Vestra imminentium malorum, si que acciderint, culpam omnem et occasionem tum in nos, tum in alios christianos principes transferre velle videtur, quodque, tam ardenter vehementissimisque adductis rationibus, subsidium opemque nostram ad Turcicos reprimendos apparatus postulat, priusquam irreparabili excidio inter christianos prorumpant, et si arbitremur, multis antea non obscuris indiciis ex nostris[que] super ea re Vestre Sanctitati iam pridem communicatis consiliis animum nostrum satis compertum, perspectumque sibi esse: post maturam ta-

men consultationem nunc habitam visum nobis est, iterum velle nostram mentem consiliumque nostris apud Sanctitatem Vestram oratoribus super hiis rebus omnibus declarare, id quod impresentiarum diligenter facimus, mandantes, ut Vestrae Sanctitati omnia copiosius ac distinctius nostro nomine exponant, rogamusque nos, ut hanc nostram mentem equi bonique ipsa consulere velit, ac referentibus illis certam indubiamque fidem adhibere. Que diutissime ac felicissime valeat. Ex Regia nostra Grenwici die VII. Februarii M.D.XXXI.

E(iusdem) V(est)rae S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dñus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

MXXIV.

Rex Scotiae pontifici fratres ord. Minorum de observantia impense commendat. Ex originali Litt. Princip. Tom. IX. fol. 33.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam prostrationem ad pedes Sanctissimos. Quoniam ea semper mente et animo fuimus, uti Litere nostre ad Sanctitatem Vestram sepius sunt testate, ut relligionis status in regno nostro, quantum nos curare possemus, augeatur semper et florescat, et cum fratrum Minorum de observantia ordo sanctimonia vite, et puritate in omnium hominum conspectu clarissime luceat et resplendet, et a quondam clarissimo patre nostro et a nobis in maxima semper veneratione habitus, non alienum ducimus a nostro offitio, illum in suis ordinationibus et statutis ab omni malevolorum impugnatione tueri, defendere ac protegere, et quantum rogatu et precibus nostris efficere valemus, id idem a Sanctitate Vestra et aliis omnibus, qui fratribus ipsis auxiliari possunt, expetere. Verum quia pertimescunt, ne subrepant nonnulli, qui ipsorum statum tranquillitatemque perturbent et molestent, Vestram Sanctitatem propensissime rogamus, eis regulas suas, ordinationes, statuta et privilegia a iure et Romanis pontificibus concessa, illesa, ilbata et intaca servet et confirmet, nec quicquam novi in ordine illo suboriri permittat, quod aut scandalum suscitet, aut viros Deo officiosissime servientes inquietiores reddat. Demum iam omnibus constat, quid litis ac dissidii inter eos et fratres Conventuales ortum fuit, et quid in ea re a Leone Decimo Pontifice Maximo diffinitum est, qui desuper bullam suam concordie edidit et ordinavit, ut huius ordinis divi Francisci due tantum essent secte, altera Minorum de observantia, quibus ministrum generalem, altera Conventualium, quibus magistrum suum, qui et Conventualium dicitur, preesse voluit. Cuius quidem bulle formam tam proinde constitutam nichilo immutare velit Sanctitas Vestra, quam decet tam piis et relligiosis patribus, cum summa laude et veneratione vitam agentibus, tutelam suam impartire, quibus nostra nunquam deerit auctoritas, cum Deus ipse defuturus non sit, qui V. Sanctitatem quam longissime sospitem et felicem conservet. Ex arce nostra Sterlingensi sexto die mensis Marcii, Anno ab incarnatione Dominica trigesimo primo supra millesimum et quingentesimum.

E. S. V.

Devotus filius Scotorum Rex

JAMES REX.

MXXV.

Idem rex pontifici, ut ad perficiendam structuram magnifici templi collegii Edimburgensis fidelibus idem visitantibus, et manus adiutrices porrigentibus certas indulgentias elargiri velit. Ex originali Litt. Princip. Tom. VII. fol. 188.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime pater, post humillimam prostrationem ad pedes Sanctissimos. Est collegium non incelebre iuxta oppidum nostrum Edimburgi, ab olim Serenissima principe Maria Regina Scotie, proavia nostra, fundatum, cuius prepositus est Iohannes Dingvalli, vir prudens et probus, Romane Sedis prothonotarius, qui iam secum destinavit choro magnifice extructo reliquum templi equare, unde opus non sine ingenti impensa absolvendum aggressus est, quod ut facilius perficiat, et ut communi iuvetur auxilio, cupit ut V. Sanctitas beneficio gratiose indulgentie omnibus vere penitentibus, contritis et confessis collegum hoc in festo dive Trinitatis, et per octavas devotionis causa visitantibus, ac fabrice eiusdem adiutrices manus porrigentibus pro ipsius prepositi vita tantum concedantur, possitque per se vel ydoneos presbiteros eiusmodi indulgentias consequendi causa concurrentium confessiones audire atque illos absolvere. Quare V. Sanctitatem rogamus, (ut) hiis tam piis desideriis benigne annuat, et indulgencias quam amplissimas, ceteraque omnia concedat, que prepositus ipse supplicanda iuste postulaverit. Beatissime pater, eandem Vestram Sanctitatem Deus Opt. Max. quam longissime felicem conservet. Ex arce nostra Stirlingensi, vigesimo secundo die mensis Martii, Anno ab incarnatione Dominica trigesimo primo supra millesimum et quingentesimum.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex

JAMES R.

MXXVI.

Praelatis Scotiae, ut referant, an impositio subsidii iuxta regis instantiam annuatim decem milia ducatorum per clerum istius regni persolvenda sit utilis et necessaria reipublicae. Brev. Tom. 51. fol. 1441.

Venerabilibus fratribus universis Archiepis, Epis, et dilectis filiis aliis Praelatis Regni Scotiae.

CLEMENS PP. VII. Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem etc. Cum Charissimus in Christo filius noster Iacobus Scotorum Rex Illustris per dilectum filium Nobilem virum Ioannem Ducem Albaniae, affinem nostrum secundum carnem, nobis exponi fecerit, quod ipse pro utili subditorum suorum gubernatione ac Reipublicae Christianae, et in Regni Scotiae tutela et securitate gravibus prematur oneribus, et ad illa iugiter subeunda eius et Regni sui facultates non parum extenuatae non sup-

petant, expediretque pro ipsius Regni tutela et praesidio, ut Clerus et personae Ecclesiasticae dicti Regni ad contributionem subsidii x. milium ducatorum auri de Camera per dictum Clerum et personas Ecclesiasticas sibi, et successoribus suis Scotorum Regibus annis singulis persolvendam teneri (sic), ac per nos Clero et personis eisdem perpetuo imponi. Et licet nos desiderio ipsius Regis pro sui Regni conservatione, quantum cum Deo potest, satisfacere summopere desideremus; praesertim si huiusmodi subsidii impositio pro Reipublicae Christianae conservatione sit necessaria: quia tamen de praemissis certam notitiam non habemus, desiderantes nos per vos certiores super his fieri, per praesentes vobis significandum duximus, ut de praemissis diligenter per vos examinatis per vestras separatim, per vestrum singulos, sive insimul subscriptas, vestro sigillo munitas litteras quantocius nobis significare curetis, an subsidii x. milium ducatorum annis singulis pro Regni et Reipublicae Christianae utilitate et conservatione huiusmodi imposito sit utilis, et necessaria, ut habita super his sententia et voluntate vestra mature deliberare possimus, quid agere debeamus, et quomodo ipsius Regis desiderio satisfacere possumus. Datum Romae etc. die IX. Iulii MDXXXI. Pontificatus nostri anno octavo.

MXXVII.

Rex Angliae pontifici, ut in locum defuncti cardinalis Eboracensis Eduardum Leus eidem sedi praeficiat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctm̃o Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, ac devotissima pedum oscula beatorum. Mature nobiscum deliberavimus, ut Archiepiscopatus Eboracensis, qui per obitum Rm̃i domini Cardinalis Eboracensis in hoc nostro Regno diu vacat, quieti ac solatio prospiceremus, et eum virum praeficiendum (est enim una ex primariis Regni sedes) Vestrae Sanctitati commendaremus, qui eam dignitatem sua virtute, eruditione ac honestate decenter sustinere, suisque actionibus dicto Archiepiscopatui ornamento, caeterisque omnibus usui et quieti esse posset: tandemque in memoriam nobis succurrit venerandus vir Dominus Eduardus Leus, sacrarum litterarum professor ac Elemosinarium noster, vir certe iudicio nostro summa eruditione insignis, suaque probitate, prudentia, circumspectione, morumque integritate, et egregia in nos fide nobis cumprimis charus. Vestram igitur Beatitudinem impense rogamus, ut praefatum Elemosinarium nostrum ad hunc Archiepiscopatum promovere velit, Archiepiscopum et pastorem illic sua auctoritate constituere. Praeterea quum in bullarum expeditione caeterisque hic ex more conficiendis sint ingentes sumptus sustinendi (gravissimo quidem huius Archiepiscopatus detrimento, nisi Vestrae Sanctitatis benignitas adfuerit), eam precamur, ut in annata persolvenda dignetur dicti Archiepiscopatus sedulaeque huius nostrae intercessionis benignam rationem habere, facilemque ac benevolam, ut nostro intuitu semper antea consuevit, in totius negocii expeditione se praebere, quod nobis gratissimum extabit, et huius Archiepiscopatus indemnitati quam maxime consulet. Et felicissime ac diutissime valeat Sanctitas Vestra. Ex Regia nostra de Hamptell die XII. Septembris M.D.XXXI.

E(iusdem) S(anctita)tis V(estrae)

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dñus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

MXXVIII.

Idem rex pontifici, ut Willelmo Benet oratori suo licentiam in Angliam redeundi ad aliquod tempus concedere velit. Ex originali Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementm̃oque Dño nostro Papae.

Beatm̃e pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Quum complures Dñi Willelmi Benet, nostri apud Sanctitatem Vestram oratoris, plurimum dilecti, amici atque affines nuper ipsius nomine a nobis instantissime peticrint, ut privatorum quorundam suorum negociorum gratia bona nostra cum venia ad breve aliquod tempus ad nos illi redire liceat, confidentesque nos partim in aliorum istic oratorum nostrorum fide, prudentia et industria, partim vero in Sanctitatis Vestre bonitate, neutiquam futurum, ut ex illius absentia rebus nostris preiudicetur, non gravatim ob amorem, quo prefatum oratorem nostrum prosequimur, huic eius desiderio et petitioni adnuimus. Proinde Sanctitatem Vestram rogamus, ut petenti illi velit bonam ad nos redeundi veniam concedere, et ea de causa nostra nobis referenda committere, que iustissime expectationi nostre et antique Sanctitatis Vestre in nos benignitati (de qua in summa etiam desperatione adhuc sperare volumus) potissimum respondeant. Et felicissime ipsa valeat. Ex Regia nostra Grenwici die IIII. Novembris M.D.XXXI.

E(iusdem) V(estrae) S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

MXXIX.

Pontifex regi Angliae per eius oratorem in patriam redeuntem significat, in causa matrimoniali se quaecunque ei praestiturum esse, quae religio et conscientia sibi permittant. Brev. Tom. LI. fol. 2098.

Charissimo in Christo filio nostro Henrico Regi Angliae Illustri.

CLEMENS PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Reddidit nobis litteras Serenitatis Tuae dilectus filius Willelmus Benet Orator apud Nos tuus, et iuxta illarum sensum conformitatemque postea locutus, veniam redeundi ad Serenitatem tuam pro suorum affinium urgentissimis negociis a nobis postulavit. Quae postulatio etsi pia et laudabilis, tamen nobis non potuit non evenire molesta, ipsum Willelmum ita amantibus, ut eum vel brevi hoc tempore a nobis abduci aegre feramus. Quod enim eum

semper perspeximus virtute et prudentia, fideque erga te singulari esse ornatum, tuasque res pro debito fidelitatis et muneris sui ferventissima semper cura et amore peregisse, propterea eum tuo quidem maxime, sed propter Serenitatem tuam etiam nostro amore dignum iudicavimus, cum quales esse nostros alibi cupimus, tales apud nos esse tuos libenter videamus. Quamobrem etsi alii duo Oratores tui apud Nos remanebant, quorum eximia virtus et par erga te fides enitet, tamen aegrius ipso Willelmo caremus, quod tui Regni popularis, et istinc a te missus ad Nos est. Sed quoniam illum affinium suorum necessitas, tuaque pietas revocat, et tuae Serenitatis in id consensit voluntas, his rationibus ita cedemus, ut tuam Serenitatem, sicut nobis pollicetur, citius quam fieri possit, eum ad Nos remittere cupiamus: minuetur enim nostra ex eius revocatione molestia, quo brevior fuerit absentia. Quod vero attinet ad Tuae Serenitatis causam, Nosque cum ipso Willelmo multum locuti, ea illi, sicut optabas, tibi referenda mandavimus, quae si aequabili animo, et semotis affectibus a Tua Serenitate accepta fuerint, nostram tibi voluntatem et gratificandi desiderium sint haud dubie probatura. Siquidem ea assidue cogitamus, et vigili cura meditamur, per quae Tuam Serenitatem allevare hac sollicitudine, in qua etiam Nos propter te sumus, et, salva iustitia, solatio afficere possimus. Illud quidem nunquam non tibi praestabimus, quin voluntas nostra omnibus appareat plena amantissimi desideri te quietum et tranquillum videndi, quantumque per Deum nobis liceat, tuae Serenitati eam gratitudinem ostendendi, quam singularibus tuis erga Apostolicam Sedem et Nos meritis et beneficiis debemus. Datum Romae etc. die XIX. Novembris MDXXXI. anno VIII.

UXXX.

Rex Scotiae pontifici supplicat, ut tres filios suos naturales ad quaecunque dignitates ecclesiasticas idoneos esse declaret. Ex orig. Litt. Princ. Tom. IX. fol. 16.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime pater. Devotam ad pedum beatorum oscula obedientiam. Facit singularis illa clemencia, cuius ab ipsis eciam intimabilis provida natura et futurorum gnara tibi nomen indidit, ut omnino nil sit abstrusum adeo aut reconditum, quod quidem Sanctitas V. non audeam propalare et aperire, nimirum secundum Deum optimum maximumque rerum omnium opificem hominum in terris et patri et celesti vicario, cui vel abditissimum quodque committendum est. Igitur quum sint illegitimo toro geniti nobis tres filii, atque horum duo ex libero utroque parente, tercius vero ex soluto tantum patre, culpam propriam (etsi ea quidem facili innuente non immerito possit adscribi) apud Sanctitatem V. fateri cogor, et agnosco humane fragilitatis lapsum. Sed suadet naturalis ille et paternus omni animali communis affectus, quem natura suppeditat, unumquemque non secus liberis quam sibi ipsi consulere ac prospicere. Nam patrem esse et suorum cura non moveri ingratum simul et inhumanum sapit. Petimus ob id per eam, quam hactenus omni in re nostra experti sumus Sanctitatis Vestre clemenciam et humanitatem, cum eisdem nostris filiis ex authoritatatis apostolicae gracia dispensari, ut non obstante natalium defectu predicto, legitimis tamen etatibus eis suffragantibus, possint ad omnes ordines ecclesiasticos maiores et presbiteratus rite extra tempora iuribus prescripta promoveri. Et ex nunc minoritate ac natalium defectu non obstante, postquam clericali caractere rite fuerint insigniti, quecumque, quotcumque et qualiacumque sacerdocia secularia seu cuiusvis ordinis regularia in titulum aut commendam, eciam duo, tria, quatuor vel plura incompatibilia, Dignitates quoque maiores post pontificales in Cathedralibus et Metropolitanis, et primas in Collegiatis, Monasteria quoque, Abbacias et Conventuales, deputatis tamen coadiutoribus, usque ad maturam etatem obtinere possint. Indulgeatque Sanctitas V. ut posthac nulli eorum sit necesse in impetrationibus apostolicis natalium defectum narrare, neque tamen ob id videantur impetrare litere surrepticie. Deinque concedat Vestra Sanctitas, ut quum vicesimum etatis annum attigerint, possint licite ad dignitates Archiepiscopales, Primitiales et Episcopales promoveri. Hoc enim, quantumcumque est clemencie, quod certe multum est, a Clemente tamen expectamus concessum iri, Cuius Sanctitati nestoreos optamus annos. Ex arce nostra Stirlingensi, vigesimosexto die mensis Februarii, Anno ab incarnato Domino trigesimosecundo supra millesimum et quingentesimum.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES R.

MXXXI.

Rex Angliae, iudicio Rotae in causa matrimoniali reiecto, petit a pontifice eandem denuo in Anglia decidi, interiectis insuper minis perseverandi in avita fide aut deficiendi ab eadem, si causa votis suis non cedat. Ex orig. in Processu matrim. Henrici VIII. fol. 69.

Sanctissimo Clementiñoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post devotissima pedum oscula beatorum. Perlecto brevi Sanctitatis Vestre, quod nobis reddidit dilectus Consiliarius noster, unice nobis charus, et Vestra commendatione multo charior effectus Willelmus Benet, qui suis negociis iam expeditis, nostro mandato intermissam legationem repetit. Magna certe animum nostrum subiit admiratio, que tandem vel nostra vel Vestre Sanctitatis sit infelicitas, ut cum animis et voluntatibus, ut quidem litteris profitemur, in iusticiam consenciamus, tamen que fiunt et petuntur utrinque tam sunt diversa atque pugnantia inter se, ut nunquam obtineant peticiones nostre, et semper obtineant que adversentur. Iusticia unica et simplex est. Errorem vero in discernenda iusticia esse oportet, aut affectum intervenire, qui iudicium corrumpat. Humanum a nobis nihil alienum putamus, quo certe factum est, ut in ea causa, in qua honeste et pie afficimur, synceras aliorum sentencias exquisiverimus. Neque enim interesse putamus, an in sua causa quis ut iudex pronuntiet, an partis aut alioqui affecti iudicium seque-

tur is, qui sit pronuntiaturus. Nos vero dicimus, immo doctissimi quique apud nos dicunt, atque adeo illis ipsis legibus iniciati, quas vestri profitentur, aliqui etiam iisdem et vivis et mutis magistris edocti, quibus ii vestri, qui Romae sunt, nos Romam venire cogi non deberi invitos. Iusticia enim inquiunt non suffragatur, sed reluctatur, ut Romam in hac causa aut venire compellamur, aut mittere procuratorem. Consuluimus autem ea de re Academias Orbis celeberrimas; que nostris consenciunt, et eorum iudicia confirmant. Sanctitas vero Vestra, quum nobis iusticiam ministrare cupere se contendat, consulit etiam, non dubitamus, doctos viros, sed Romanos tamen, sed Italos, et eos omnino, quorum interest principum causas ad illa tribunalia pertrahi. Non moventur fortasse sordibus turpisve lucri aut questus gratia, sed est quidam in patriam apud omnes amor et prompta propensio. Aliquid certe esse oportet, quod veritatem dividat atque in diversa secet, que natura sua constans et una est, sed de hiis dicemus postea. Iusticie vero tocies a Sanctitate Vestra nunc verbis, nunc litteris repetita mentio mirum in modum commovit animum nostrum, effecitque, ut cum Sanctitate Vestra, que nostram amicitiam verbis ambire videtur, cuius etiam et personae et dignitati semper in iusticia et veritate bene volumus, animi nostri sensum liberius atque familiarius aperiamus. Primum nimium est, quod arrogant vestri rotales iudices, ut ex sola auctoritate pronuncient, Academiarum et eruditissimorum sentenciis neglectis in re controversa, et que Principem respicit. Iugum est, quod nunquam ferre potuerunt in ulla republica ingenui homines, ut pro voluntate iudicetur indicantium, neglectis legibus, que dant auctoritatem. Nostris et vestris sunt iidem libri, adsunt iidem interpretes, sentenciam itaque vestrorum secus quam oportet latam, postquam ab eruditis reprobata sit, sola auctoritate constantem quis non spernat atque contemnat, futura quatenus licet providemus et cernimus, que certe multum nos conturbent, qui nec iniuriam pati, nec irrogare didicimus. Et quoniam votis nihil proficitur, hec tanquam extrema et ultima tentamus. Itaque meminerit Sanctitas Vestra, que meminisse oporteat omni ex parte: initium et progressum causae nostre consideret, iusticiam perpendat, et quid factum sit, animadvertat. Sola Regine assertio regnum nostrum reddit suspectum, in quo causa iudicetur, videlicet quia timetur a nobis, ne libere iudicetur. Et tamen cum causam hanc Caesar pro sua habeat, et tanquam suam defendat, ubi omnes sui sunt, aut a suis merito timentes, illis videlicet eorum cervicibus imminentibus, eo nos vocamur, citamur, ut iudicium audiamus maximo honoris nostri cum preiuditio. Tota Anglia, horror est, neminem habet dignum, qui iudicet, atque adeo totus in universum clerus reiicitur, nullum Dei respectum habere iudicantur, inidonei sunt, qui rem tantam tractent, videlicet quia homines sunt, quia Angli sunt, quum tamen nec ab angelis iudicetur Romae, nec ab hiis, qui minus vel verentur vel ament, vel timeant Caesarem, quam nostri nos, qui summam veritati libertatem semper permisimus. Et tamen hec, quum fiunt, iusticie nomine ornantur. Appellamus conscientiam Sanctitatis Vestre, non quatenus dignitatis respectu aliorum iudiciis cedit, sed quatenus ipsa recti ratio ex veritate nata merito persuaderet. Mari et montibus a Roma disiungimur, et tamen Romam citamur, quod nunquam auditum est apud nos, Regem Romam fuisse citatum. Si Avinione causam decidendam commisisset, qui locus medium iter dividit atque indifferens est, etiamsi omnibus non fuisset satisfactum, aliqui tamen non ita improbassent, videlicet quod in causis inferiorum personarum etiam solet frequenter id observari. Ceterum vocari Romam, quo nec tuto ire possis, nec sine periculo amissionis instrumenta mittere, etiam in privato durum est, in Principe vero non ferendum. Est modus in rebus, et certi sunt limites, quos qui transgreditur, is certe sibi magnum periculum creare videtur, ne diffluant et pereant funditus, que constituerit: iusticia non ideo minus iusticia est, quod nos non petamus fieri, que fieri oporteant. Videatur, quod equum est: sit modus in potestate, de quo dicti viri consentiant, ne alioqui destruat non edificet. Quod in nos factura sit Sanctitas Vestra, saltem pro veteri amicitia rogamus, ut primum omnium ita iustum esse cognoscat, ut non ex potestate iusticiam, sed ex iusticia potestatem omnes metiantur. Si iusticia ducetur, facile per se ipsam innotescet omnibus, et iusticie nomen obtinebit, quod fiet, sin secus acciderit, et iustum defendatur, quia Romae factum est ab iis, qui formam iusticie absoluta potestate pro arbitrio dare se posse contendunt. Magnum certe generabitur offendiculum, ut ne quid dicemus amplius, non levem habet persuasionis vim rei geste clara et constans veritas, et omnium ora obloquentium obstruit, vincit etiam invicta, quum maxime opprimatur. Expressit hoc a nobis veteris amicitie recordatio, quam interruptam quomodocunque egerrime ferremus, et conservatam in iusticia cupiamus. Si nostra defendimus, etiam cum aliorum offensione naturali iure utimur, quod apud omnes valet. Inviti faciemus, si quid faciemus, quoniam nollemus evenire, quod provocet ad contencionem, et in hoc gaudebit conscientia nostra: habebit enim quo se consoletur, ad quoscunque malum atque incommodum perveniat, omnem certe culpam esse alienam. Itaque in manu V. Sanctitatis est, nos vel indigne alienare, vel in officio continere, atque adeo beneficis devincire. Spei et desperationis sunt mutue vicissitudines, que magnam animi solicitudinem pariunt, ne eveniat, quod nollemus, aut tardius succedat, quod expectamus. Reliqua Sanctitati Vestre ex nobis referent Mr. Willmus Benet et alii oratores nostri, quibus fidem indubiam ut adhibere velit, eandem impensissime rogamus. Et bene valeat Sanctitas Vestra, cui nos humillime commedamus. Datum in Regia nostra de Grenewich xxviii. die Decembris M.D.XXXI.

E. S(anctita)tis V.

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

MXXXII.

Rex Angliae cum pontifice queritur, quod oratoris sui intercessionem in causa matrimoniali non admiserit, petitque, ut eadem tandem ex voto suo decidatur. Ex orig. Litt. Princip. Tom. IX. fol. 17.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et pedum oscula devotissima. Graviter admodum molesteque accipimus, neque minus, quam pro rei indignitate par est, dolemus, quod subditus iste noster Doctor Carve adversariorum quorundam artibus, et pertinacia nimis improba quidem illa a legitimo excusatoris munere impeditur, est certe illud longe preter expectationem ac merita in istam Sedem nostra, et tamen utcumque tolerabile foret, si in nos duntaxat nostramque iniuriam hoc malum recideret. Ceterum cum hac ratione iura omnia cum divina tum humana violenter, naturalis etiam aequitatis et iustitiae ratio pervertatur, et pietatis denique affectus, quem subditus Principi debet, frustretur, vestrae prudentiae ac sollicitudinis pastoralis esse arbitramur, curare sedulo, ut plus apud Tribunal istud vestrum iustitia, aequitas et naturalis quedam pietas, quam fraudes et aliorum potentia valeant. Non hic lubet commemorare et quotidie ad aures Sanctitatis Vestre acclamare, quam iustis fundamentis dicti subditi nostri petitiones nitantur, et de voluntate nostra approbantur ea, que executoris nomine ab eo gesta sunt, satis iam pridem per litteras nostras, quas ad eum dedimus, eidem Sanctitati V. constare nequaquam dubitamus, et tamen prohibere subditum nostrum, quominus erga nos Principem suum id officii praestet, et beneficii, quod subditus in Principem naturali quodam iure collocare tenetur, et quod publice interest, ut ab omnibus erga ceteros praestetur. Illud vero, si non est contumelia, et non toleranda iniuria, Vestra Sanctitas etiam atque etiam viderit. Nos interim, quod unum possumus, quodque antea sepissime fecimus, rogamus Sanctitatem Vestram quam possumus vehementissime pariter et Rmos Dnos Cardinales in Consistorio existentes, ut non amplius differant dictum subditum nostrum pro certissimo excusatore admittere, et causam nostram benigno et paterno quodam favore prosequi, quo nomine gratiam apud Deum optimum maximum, iustitiae assertorem et vindicem, simul et apud mortales omnes laudem et gloriam Sanctitas V. magnam haud dubie promerebitur, quae felicissime ac diutissime valeat. Ex Regia nostra Londini die xxviii. Febr. 1532.

E. S V.

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

HENRICUS.

MXXXIII.

Nuntio apostolico in Scotia, ut regi Scotiae privilegium iam concessum de non evocandis subditis suis in ius in primis instantiis extra regnum innovet. Ex originali Instrum. Miscell.

Dilecto filio Silvestro Dario Capellano et Sacri nostri Palatii Auditori, in Regno Scotiae nostro et Apostolicae Sedis Nuncio.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, salut. etc. Preclara Charissimi in Christo filii nostri Scotorum Regis illustris erga nos et hanc Sanctam Sedem Apostolicam fidei et devotionis constantia nos inducit, ut ad ea, per quae subditorum suorum tranquillo statui ac indemnitati provideri, et periculis obviari possit, nostri ministerii partes favorabiliter adhibeamus. Cum itaque, sicut dilectus filius nobilis vir Ioannes Albaniae Dux, apud nos et Sedem Apostolicam constitutus, nomine Maiestatis suae nobis exposuit: licet inclitum Regnum suum Scotiae a Sede Apostolica plurimum distare noscatur, et Maiestas sua faciat omnibus et singulis, tam forensibus quam suis subditis, de quibuscumque subditis suis ministrari iustitiae complementum, ipsique subditi parati sint omnibus de se conquerentibus coram iudicibus ordinariis et competentibus dicti Regni in iustitia respondere: nihilominus quam plures ex eisdem, et alii non subditi sui subditos ipsos pro causis, in quibus coram iudicibus ordinariis eiusdem Regni possunt iustitiae consequi complementum, pretextu literarum et commissionum apostolicarum non solum extra dioceses ipsorum subditorum, sed etiam extra Regnum predictum et in Rom. Curia ad iudicium evocari faciunt. Propter quod subditi prefati, sic extra regnum predictum tracti laboribus et expensis fatigantur, ac sepius gravia tam terrae quam maris pericula rerum et personarum incurrunt, ac ecclesiae et bona ecclesiastica a potentioribus absque aliquo canonico titulo, sed temere et de facto occupantur, dilapidantur et distrahuntur in grave reipublicae dicti Regni detrimentum et plurium non modicam perturbationem. Quare dictus Ioannes Dux, qui secundum carnem affinis noster existit, eiusdem Maiestatis suae nomine predicto humiliter nobis supplicavit, ut pro Regni et subditorum predictorum a noxis preservatione super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum fidelium comodis, quantum cum Deo possumus, inclinamus, eorumque periculis et dispendiis libenter occurrimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero Vassalli et subditi dicti Regis, ac Communitates, Universitates et singulares personae, tam laici quam clerici, seculares ac regulares, Regni predicti pro quibuscumque causis, tam spiritualibus, quam civilibus et mixtis forum Ecclesiasticum quomodolibet concernentibus, ac etiam beneficialibus, per quoscumque iudices etiam in Romana curia deputatos, et quavis auctoritate fungentes, quarumvis literarum apostolicarum, et quascumque efficacissimas et insolitas etiam derogatoriarum derogatorias clausulas in se continentium, nunc et pro tempore impetratarum pretextu extra Regnum predictum ad quarumvis personarum, Universitatum et Collegiorum tam ecclesiasticorum quam secularium instantiam in prima instantia citari et conveniri, aut alias quomodolibet ad iudicium evocari non possint vel debeant: sed huiusmodi causae in partibus illis per idoneas personas in dignitate ecclesiastica constitutas per ipsum Regem, quoad vixerit, et in nostra et Apostolicae Sedis fide, devotione ac obedientia permanserit, in iudices pro tempore deputandas, quibus super hoc

plenam et liberam facultatem dare possis, in prima instantia cognoscantur, auctoritate apostolica tenore presentium statuendi et ordinandi et super premissis omnibus iudices, de quibus tibi videbitur, qui illa observari faciant, deputandi tibi plenam et omnimodam auctoritatem, facultatem et potestatem concedimus et elargimur. Ac insuper omnes et singulos processus et sententias, quos et quas contra concessa per te vigore presentium quavis etiam apostolica auctoritate, etiam absque concessionis per te facte allegatione et exhibitione, seu productione haberi et promulgari, nec non quicquid aliter a quoquam, etiam per nos et Sedem predictam, etiam quavis auvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, nullius roboris vel momenti existere, ac vigore presentium per te concessis per nos et Sedem predictam, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam de consilio fratrum nostrorum nullo modo derogari posse, neque eis derogatum censeri, nisi id per litteras apostolicas sub plumbo trinis vicibus, ita ut super qualibet vice trimestre intercedat, dicto Regi ad vitam suam dumtaxat significatum fuerit, et non alias aliter, nec alio modo, ita tamen, quod si contigerit personas predictas, aut illarum aliquam sive aliquas, quominus a sententiis in dicta prima instantia latis ad nos sive successores nostros, aut Sedem predictam appellare, ac appellationes huiusmodi devolvere, et illas prosequi possint directe vel indirecte, quomodocumque et qualitercumque impediri, molestari, seu perturbari, ex tunc prout ex nunc gratia et facultas, quam dicto Regi vigore presentium concesseris, nulla et invalida, ac nullius roboris vel momenti esse censeatur, et sit eo ipso, sicque per quoscumque causarum palatii apostolici Auditores, collegas tuos, et alios iudices in dicta Curia et extra eam iudicari, in premissis omnibus et singulis sententiari et difiniri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, eisdem auctoritate et tenore decernas, Contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas, et alia iuris oportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus premissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xx. Septembris MDXXXII. Pont. nostri anno octavo.

MXXXIV.

Rex Angliae pontifici Andream et Gregorium de Casaliis resque eorum impense commendat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Beatissime pater, post humillimam Commendationem, et devotissima pedum oscula. Quanto studio et affectu omnem familiam de Casaliis, quorum in nos officia extant complura et fidelia, prosequamur, Sanctitati Vestre compertius esse arbitramur, quam quod necessarium esse videatur id nunc velle litteris commemorare, summopereque cordi habemus, quicquid nostra gratia vel opera in eorum commodum vel ornamentum effici queat. Quum itaque intelligamus Sanctitatem Vestram in Magnificum equitem et nobis carum Dominum Andream Casalium (qui ut de Sanctitate Vestra eiusque rebus bene mereretur, nullos unquam labores, sumptus aut pericula subterfugit) Comitatum quendam Montis Georgii non admodum magni proventus in sua Bononiensi ditione iampridem contulisse; postmodum vero, non ut illi iniuriam faceret, sed forsan ut ea ratione rebus suis ex animi sui sententia melius prospiceret, huiusmodi omnes tam illi, quam multis aliis in Bononiensi ditione antea concessos Comitatus in suas manus revocasse: dictum nos Dominum Andream, quem ob singulare suum erga nos studium vehementer amamus, nostris nunc litteris voluimus Sanctitati Vestre commendare, rogareque, ut nisi dictum Comitatum ei velit restituere, de aliquo saltem alio in provincia Romandiole precipuo nostro intuitu illi, ut aliis multis iam provisum esse audimus, providere non gravetur: idque eo ardentius a Vestra Sanctitate nunc petimus, quod preter amorem, quo dictam familiam de Casaliis amplectimur, moleste quoque ferremus, ut quisquam ex hac occasione suspicaretur, amicos nostros nostroque tempore suis ornamentis spoliari. In causa vero Domini Gregorii oratoris nostri non possumus non vehementer mirari, quod cum ille sit de Sanctitate Vestra universaque eius familia quam optime meritus, in controversia, quam de uxoris hereditate istic habet, non satis ex aequo et bono, ut intelligimus, tractetur: quod si in hoc negocio parva ipsius forsan ratio habeatur, nostri tamen respectus, quod cum primis illum carum habemus, quod fidelissime nobis inservit, huic cause, quam iustissimam esse putamus, deberet quam maxime suffragari. Sic enim prefatum Dñum Gregorium amamus, ut illius etiam causas defendendas promovendasque libenter suscipiamus, nec potest nobis non esse molestissimum, si orator istic noster sua fide et officiis de nobis tam bene meritis parum iuste in causa iustissima tractaretur. Hoc igitur negocium sic ex animo V. Sanctitati commendamus, ut ex illius eventu iudicaturi simus, quanti sint nostre commendationis apud eam ponderis: Dominoque Benet oratori nostro mandamus, ut has causas Sanctitati Vestre nostro nomine copiosius vehementiusque commendat. Et felicissime ipsa valeat. Ex Regia nostra Grenwici die XVIII. Maii M.D.XXXII.

E(iusdem) S(anctita)tis V(est)re

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Anglie et Francie, fidei defensor ac Dominus Hibernie

HENRICUS.

PETRUS VANNES.

MXXXV.

Idem rex pontifici spondet eius studium res christianas componendi avitamque fidem tuendi se promoturum. Ex originali.

Sanctmo Clementissimoque Dño nostro Papae.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Reddit nuper nobis Reverendus Dominus Ubaldinus Sanctitatis Vestrae Nuncius ipsius ad nos breve, quod ubi perlegissemus, ac omnia accurate audivissemus, quae ille de rebus publicis suae commissa fidei prudenter, distincte et copiose nobis exposuit, non potuimus Sanctitatis Vestrae in iis tractandis promovendisque actionibus, quae commune omnium bonum, publicam tranquillitatem et christianae in primis religionis propagationem et conservationem concernere videntur, flagrans studium, sollicitamque mentem non summopere laudare, optimique pastoris pectore dignam existimare. Licetque omnia officia libenti promptoque animo (ut semper antea) suo loco et tempore praestituri simus, quae in christianae nostrae fidei augumentum et confirmationem cedere posse viderimus: quum tamen negocium istud gravissimi sit momenti, unaque nobiscum extet cum Christianissimo Francorum Rege fratre, et perpetuo confoederato nostro Carissimo rerum omnium mens, firmissima coniunctio eademque voluntas, prius cum eo consilia nostra communicanda esse censuimus, quam de re tam gravi, que omnes omnium causas complectitur, quicquam soli statuere velimus. Matura igitur cum eodem Carissimo fratre nostro super hac re consultatione habita, per eum dicto Sanctitatis Vestrae Nuncio quid agi expediat, et quae communis nostra sit sententia, copiosius declarabitur, quod nostrum responsum, et super his mentem Vestre Sanctitati probata iri confidimus. Nihilque nos umquam omissuri sumus, quod christianae nostre religionis universalisque quietis incremento futurum perspexerimus. Et felicissime ac diutissime valeat eadem Sanctitas Vestra. Ex Regia nostra Grenwici die xx. Maii M.D.XXXIII.

E. V. S(anctita)tis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dñus Hiberniae

Henricus.

Petrus Vannes.

MXXXVI.

Idem rex pontifici Guronum Bertanum Mutinensem in Italiam redeuntem commendat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Beatissime pater, post humillimam commendationem, et devotissima pedum oscula beatorum. Quum dilectus nobis Guronus Bertanus Italus ad aliquot annos honeste apud nos egerit, prudenterque ac diligenter in iis se gesserit, quae suae fidei commissa erant, et ingens quoddam de nobis quam optime merendi studium semper prae se tulerit, non possumus eum non vehementer amare, qui quum bona nostra venia privatarum suarum rerum causa in Italiam nunc redeat, illum commendatione benevolentiaque nostra prosequi voluimus, ex animo cupientes, ut hunc nostrum in se affectum sibi aliquando usui esse perspiciat. Proinde Sanctitatem Vestram impense rogamus, ut praefatum Guronum velit in suis agendis occurrentibusque negociis praeter id, quod illius virtutes quam plurimum merentur, nostra quoque commendatione et intuitu chariorem sibi commendatioremque suscipere, id quod nobis gratissimum acceptissimumque est futurum. Et felicissime valeat eadem Sanctitas Vestra. Ex Regia nostra Grenwici die XXVII. Maii M.D.XXXIII.

E(iusdem) S(anctita)tis V(estrae)

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gratia Rex Angliae et Franciae, fidei defensor ac Dominus Hiberniae

Henricus.

Petrus Vannes.

MXXXVII.

Ferdinandus Romanorum rex pontifici supplicat, ut oratori suo in causa matrimoniali reginae Angliae aures benignas praebere velit. Ex orig. in Processu matrim. Henrici VIII. fol. 70.

Beatmo in Christo Patri et Dño, Dño Clementi VII. Divina providentia SS. Rom. ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Dño nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Reverendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Commisimus Honorabili Wolfgango Prantner, magni Magistri Ordinis S. Georgii Coadiutori, Consiliario et Oratori nostro, Sanctitati Vestrae quaedam in Serenissimae Dñae Reginae Angliae Materterae nostrae carissimae causa nostro nomine referenda, sicut ab eo coram intelligere dignabitur. Quae cum et Sanctitatis Vestrae Sanctaeque Sedis Apostolicae sublimitatem, et conservationem non secus quam Maiestatis Cesareae et nostrum aliorumque Consortium honorem, publicaeque pacis et honestatis rationem concernant: Eandem ideo Sanctitatem Vestram obnixe rogamus, et hortamur etiam, ut eidem Coadiutori plenam nostri respectu fidem habere, seque in eo negotio pro expedita brevique iusticia consequenda ita exhibere et gerere velit, prout eius et dictae Sedis pariter et nostrae videat incolumitati expedire. In quo Sanctitas Vestra rem ut Sedi Apostolicae precipue importantem, ita se quam maxime dignam, et cumprimis Deo gratam, omnique honestati consonam faciet, nostra in eam filiali perpetuaque observantia promerendam. Cui nos quoque offerimus et commendamus. Ex Civitate nostra Vienna die XI. mensis Iulii Anni Domini M.D.XXXIII. Regnorum nostrorum Romani tertio, aliorum vero septimo.

E. S(anctita)tis V.

Humilis et obsequens filius

Ferdinandus.

MXXXVIII.

Idem Romanorum rex pontifici gratias agit, quod oratorem suum in causa matrimoniali reginae Angliae benigne acceperit, petitque, ut eam tandem decidat. Ex orig. in Processu matrim. Henrici VIII. fol. 71.

Beatmo in Christo Patri et Dño, Dño Clementi VII. divina Providentia etc. Summo Pontifici Dño etc.

Beatissime Pater et Domine, Dñe Reverendissime. Post humilem commendationem et filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Ex brevibus

Sanctitatis Vestrae litteris et relatione honorabilis Wolfgangi Prantner Consiliarii et Oratoris nostri ad nos reversi accepimus, quanta sui laude et bonorum omnium applausu Sanctitas Vestra in sententia pro Serenissima Dña Catherina Regina Angliae, Matertera nostra dilectissima, suo in Deum et iusticiam officio functa fuerit. Quod ut aequitate et honestate omni sic poscente cum sacra Cesarea et Catholica Maiestate etc. ceterisque Consortibus toto pectore votisque omnibus expectabamus, ita votivo eius, quod modo fieri potuit, successu ex auctoritate Sanctitatis Vestrae consecuto et obtento, eidem quas debemus gratias reverenter agimus et habemus, in eam quippe hoc insigni eius in Nos pietatis et iusticiae testimonio spem erecti, caetera quoque in negotio principali pro summa animi sui rectitudine, Sanctaeque Sedis Apostolicae sublimitate et honore asserendo, secundum paternam illius oblationem iamdiu speratum et expectatum a nobis finem quoque habitura. Ad quod tantum abest, ut Sanctitatem Vestram presenti causae tam propensam et intentam urgere, aut instimulare, vel minus, ut quidvis potius inpresentiarum agere cogitemus, in summa quidem illius erga nos benignitate et clementia, et quam cordi semper habet, et cui deesse non potest, aequitate et iusticia sua plane conquiescentes. Cui Nos etiam humiliter et devote offerimus et commendamus. Datum in Civitate nostra Vienna die XI. mensis Septembris Anno Domini M. D. XXXIII. Regnorum nostrorum Romani tertio, aliorum vero septimo.

E. S(anctita)tis V.

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

MXXXIX.

Pontificis definitiva sententia super validitate matrimonii Henrici regis cum Catherina regina Angliae. Ex Process. matr. Henrici VIII. fol. 95.

(CLEMENS PP. VII.)

Christi nomine invocato, in throno iustitiae pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, consistorialiter coram nobis congregatorum, consilio et assensu ferimus in hiis scriptis, pronuntiamus, decernimus, et declaramus in causa et causis, ad nos et Sedem Apostolicam per appellationem per Charissimam in Christo filiam Catharinam Angliae Reginam Illustrem, a nostris et Sedis Apostolicae Legatis in Regno Angliae deputatis, interpositam, legitime devolutis et advocatis, inter praedictam Catharinam Reginam et Charissimam in Christo filium Henricum VIII. Angliae Regem Illustrem, super validitate matrimonii inter eosdem Reges contracti et consumati, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, et dilecto filio Paulo Capisucio, causarum sacri Palatii tunc Decano, et propter ipsius Pauli absentiam, Venerabili fratri nostro Iacobo Simonetae Episcopo Pisauriensi, unius ex dicti Palatii causarum auditoribus locum tenenti audiendis, instruendis, et in consistorio nostro secreto referendis commissis, et per eos nobis et eisdem Cardinalibus relatis, et mature discussis, coram nobis pendentibus, matrimonium inter praedictos Catharinam et Henricum Angliae Reges contractum, et inde sequuta quaecumque fuisse et esse validum et canonicum, validaque et canonica; suosque debitos debuisse et debere sortiri effectus, prolemque exinde susceptam et suscipiendam fuisse et fore legitimam, et praefatum Henricum Angliae Regem teneri et obligatum fuisse, et fore ad cohabitandum cum dicta Catharina Regina, eiusque legitima coniuge, illamque maritali affectione et Regio honore tractandam, et eundem Henricum Angliae Regem ad praemissa omnia et singula cum effectu adimplendum condemnandum, omnibusque iuris remediis cogendum et compellendum fore: prout condemnamus, cogimus et compellimus, molestationesque et denegationes per eundem Henricum Regem eidem Catharinae super invaliditate, ac foedere dicti matrimonii quomodolibet factas et praestitas fuisse et esse illicitas et iniustas, et eidem Henrico Regi super illis, ac validitate matrimonii huiusmodi perpetuum silentium imponendum fore, et imponimus, eundemque Henricum Angliae Regem in expensis in huiusmodi causa pro parte dictae Catharinae Reginae, coram nobis et dictis omnibus legitime factis, condemnandum fore, et condemnamus, quarum expensarum taxationem nobis in posterum reservamus. Ita pronuntiavimus. Lata fuit haec sententia definitiva Romae, in Palatio Apostolico, publice in consistorio, die XXIII. Martii M.D.XXXIV.

MXL.

Intercessio et appellatio in praedicta causa Anglica a doctore Eduardum Carve Bononiae die 14. Aprilis 1534. facta. Ibidem fol. 97.

Beatissime pater, licet in causis presertim gravibus altera parte absente et iuste impedita in loco eidem et cause sue notorie non tuto, sicque hoc ad notitiam Sanctitatis Vestre legitime in iuditio deducto, eadem Sanctitas Vestra non deberet contra absentem indefensum procedere, suamque defensionem a iure nature concessam tollere, eadem tamen in quadam pretensa causa matrimonii inter Illmam Dñam Katerinam bone memorie Principis Arturi, Sermi ac Invictmi Dñi D. Henrici Anglie et Francie Regis fratris et germani, relictam ex una, et prelibatum Serenissimum ac Invictissimum Regem partibus ex altera, coram eadem Sanctitate Vestra ut pretenditur mota, post ac contra quasdam materias excusatorias iustas et necessarias absentie causas prefati Sermi Regis continentes, ac inter cetera Curiam Romanam locum notorie sibi et cause sue non tutum ex causis alias per me Eduardum Carve legum doctorem, ac dicti Sermi Regis legitimum excusatorem, coram eadem S. V. sepe alligatis, rite et legitime datas, contra eundem Sermum Regem absentem non contumacem et indefensum nulla cause cognitione saltem legitima premissa, meritis ac iuribus dicti Sermi Regis et cause sue non visis, aut ullo modo per Eandem S. V. intellectis (licet in huiusmodi causis eadem

S. V. debuisset ex equo vicem absentis etiam contumacis veritatem in ea parte inquerendo et indagando suplere) contra omnem equitatem et iustitiam (salva semper reverentia vestrorum beatissimorum pedum) nulliter et inique contra ius tam divinum quam humanum ad malam relationem factam, et permulta minus vere coram eadem deducta et allegata, necnon ad importunam partis adverse instantiam, propterque favores inordinatos, quibus dicta pars adversa, et Serenissimus Imperator modernus ipsi parti adversae, et illius cause assistens apud S. V. prepollere ...... seu saltem timore ac metu potentie Caesaree Maiestatis processit, ac paribus nullitate et iniquitate (salva semper S. V. debita reverentia) in causa, in qua notorie agitur de periculo animarum, male consulta et informata quandam pretensam sententiam diffinitivam in prefata pretensi matrimonii causa contra dictum Serñum Regem, ac pro parte Illñe Dñe Katerine dicti Principis Arturi relicte contra ius tam divinum quam humanum, ut premittitur, inconsulte in dicti Serñi Regis ac Regni sui et omnium subditorum suorum, atque etiam mei excusatoris prefati gravamen, preiuditium, iniuriam et defensionis et naturalis equitatis, divinique iuris subversionem, ac totius Christiane religionis scandalum et ruinam manifestam tulit et promulgavit. Quare ego prefatus excusator, dicti Serñi Regis subditus, sentiens dictum Serñum Regem eiusque Regnum et subditos, et me presertim prefatum excusatorem graviter ac enormiter ex predictis processu et sententia ledi et gravari, ac timens in futurum magis posse gravari, inherendo omnibus et singulis protestationibus, exceptionibus, appellationibus, provocationibus, defensionibus ac aliis iuris remediis antehac per me, aut quemcumque alium in hac causa quocunque modo factis atque interpositis, a quibus nullo modo, si et quatenus faciunt, pro parte dicti Serñi Regis recedens, nec recedere intendens, ab Eadem S. V., sicut premittitur, male consulta et informata, nec in plena libertate tempore dicte pretense sententie, ut premittitur, nulliter et inique late existente, et ab eius sententia licet nulliter et inique lata, si qua tamen est, ad eandem S. V. Sanctamque Sedem Apostolicam plenius, melius, syncerius et securius consulendam et informandam, atque pleniore libertate existentem in his scriptis omnibus melioribus modis et viis, quibus efficacius de iure possum, provoco et appello, apostolosque peto primo, secundo et tertio, instanter, instantius et instantissime. Ac insuper protestor, quod libenter appellasse in presentia S. Dñi N. si potuissem commode habere ipsius copiam seu presentiam, scilicet quia non possum, appello ut premittitur in presentia Clarissimi viri Dñi Andreae de Cassalis Equiti aurati civis Bononiensis, et Venerabilis viri Guilielmi Revett legum doctoris ..... diocesis, apostolosque peto, ut premittitur. Et ulterius protestor et dico, quod non sint decem dies elapsi, ex quo dicta pretensa sententia ad mei prefati excusatoris notitiam pervenit, omni meliori modo etc. salvo iure etc. Bononiae etc. sub die decimoquarto mensis Aprilis 1534.

MXLI.

Ferdinandus rex Romanorum pontifici grates reddit de sententia in causa matrimoniali Henrici VIII. regis pro Catherina regina Angliae lata. Ex orig. in Processu matrimon. Henrici VIII. fol. 79.

Beatiño in Christo Patri et Dño, Dño Clementi VII.
Divina providentia Sacrosanctae Romanae ac
Universalis Ecclesiae Summo Pontifici.

Beatissime in Christo Pater et Dñe, Dñe Rñe. Post humilem commendationem et filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Ex litteris Honorabilis Gabrielis Sanchez nostri apud Sanctitatem V. Agentis abunde cognovimus, Sanctitatem V. de Rñorum S. Rom. Eccl. Cardinalium, consistorialiter apud eam congregatorum, consilio et assensu sententiam in principali causa Serñae Dñae Catharinae Reginae Angliae etc. Materterae nostrae charissimae tulisse et promulgasse. In quo sane Sanct. V. bonum opus operata est, suoque in Deum et iusticiam officio satisfecit. Cui propterea ingentes, ac quas possumus et debemus gratias reverenter agimus et habemus, et vicissim eidem pro honore et commodo suo Sanctaeque Sedis Apostolicae conservando pariter et promovendo Nos et nostra offerimus, semperque studebimus hanc insignem eius benemerendi propensionem iamdiu nobis testatam omni filiali obsequio et amore nostro promereri. Cui Nos devote et enixe commendamus. Datum in Arce nostra Regia Pragae die XV. mensis Aprilis Anno Domini M.D.XXXIIII. Regnorum nostrorum Romani quarto, aliorum vero octavo.

E. S(anctita)tis V.

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

MXLII.

Fragmentum anonymi defensoris sententiae a pontifice in causa matrimoniali Henrici VIII Angliae regis latae. Inter Brevia originalia Clementis PP. VII. Tom. III. fol. 432

Existimare Sanctissimum D. N. Regis litteras alieno consilio et ope acerbius scriptas, quam Rex alioquin prudens et pius mandaverit: eapropter paterno quodam affectu in meliorem partem interpretari expostulationes, criminationes, interdum etiam minas, quae in ipsis litteris continentur: quibus omissis ad alia esse respondendum, quae magis necessaria videbuntur.

Non sprevisse Pontificem litteras, preces et intercessiones tam ipsius Regis Angliae, quam Regis Christianissimi, et Procerum populorumque Regni Angliae, sed respondisse antehac omnibus, et ea scripsisse, quibus lectis (si modo recte extimare omnia velint) merito acquiescere debuerunt.

Quod non ita pro nutu, consilio et arbitratu Caesaris omnia faciat Pontifex, quemadmodum Rex parum aeque criminatur, argumento esse continuas Caesaris et Reginae querelas de Pontifice tam ante confoederationem, quam postea factas, et ex iis, quae sequuntur, facile constare posse.

Nam quum Rex Angliae dispersis per Italiam et provincias oratoribus tum manifestis, tum clandestinis, nulla non ope procuraret diversorum Docto-

rum et scholasticorum sententias in unum congerere in re tanti momenti, et cuius iudicium ad solum Pontificem et Sedem Apostolicam spectat, et illi in maximum dedecus et iniuriam Suae Sanctitatis nullo non astu, et prece et precio subscriptiones aliquorum magistrorum extorquerent (quod multorum fidedignissimis testimoniis et relationibus constat), Pontifex non solum in eos magistros non animadvertit, quod iure optimo facere potuisset, verum etiam reclamantibus et maxime conquerentibus Caesaris Oratoribus, Sua Sanctitas Breve Regis Oratoribus concessit, quo liceret magistris et doctoribus ubicunque sententiam in hac re iuxta animi conscientiam dicere. Quorum plerique quid senserint, et quibus viis se ad Regis voluntatem accommodaverint, aliud fortasse erit discutiendi tempus.

Praeterea post Reginae interpositam appellationem, et iustissimam inhibitionem a Pontifice facta Legatis, ne ulterius procederent in tam gravi causa, quum et Caesar Bononiae multis etiam expostulationibus, et Reginae eiusdemque Caesaris Oratores, ut Romae procederetur in causa, peterent, nullusque Regis nomine compareret: unde merito tanquam in contumacem sententia ferenda videbatur, Pontifex diversis interpositis dilationibus hucusque negotium indecisum produci iussit, nihil motus, quod Rex interim, nulla habita Pontificiae dignitatis et officii ratione, ita omnia clam praepararet, ut si iudicium postea in Anglia committeretur, istis magistrorum frivolis et non authenticis, neque iuridicis subscriptionibus quam vellet, sententiam reportaret. Haec autem omnia fecit Summus Pontifex nullam aliam ob causam, neque ad ullius preces et gratiam, nisi quia Sua Sanctitas non censebat rem tanti ponderis esse praecipitandam, et sperabat divino auxilio et temporis beneficio, maturatis affectibus, posset eam ad aliquem bonum finem perduci, quod melius et sincerius Sanctitas Sua iudicare potuit, quam partes ipsae, quarum iudicium privatus affectus praestingere et obscurare consuevit.

Quod queritur Rex, Pontificem, quos miserat in Angliam, hac de causa legatos non recte, re non illic decisa, revocasse, fatetur id fecisse Pontifex et iure, quia peculiare est hoc Sedis Apostolicae, ubi arduis de causis controversia ulla in provinciis orta esset, legatos illuc mittere, qui si controversiam vel pacate proponere, vel etiam iuridice decidere non ita pro re et loco possint, quidquid in causa perceperint, ad Summum Pontificem referant: id idem Sua Sanctitas Rmo Cardinali Campeggio Legato mandavit, quod et factum est, et fieri debuit, et in sacris Conciliis cautum est.

Quod item obiicit Rex, et toties inculcat, controversiam ibi terminandam, ubi primum nata est, repetitque sepe, id e sacrorum Conciliorum, necnon et Cypriani et Bernardi auctoritate: id quoque fatemur ante Concilia Christiana, et ante vel Bernardi vel Cypriani tempora iuris civilis placitis decerni. Sciat Rex legem hanc multis exceptionibus et limitationibus esse obnoxiam: quarum unam hanc, quam Regina adducit, vel potissimam esse, universa Iurisconsultorum schola et iudiciorum forma indicat, tantaeque esse efficaciae, ut ad hoc soli iuramento partium etiam per procuratorem praestito statur.

Non autem propterea fieri iniuriam Regi, aut Anglis, nec ideo argui eos iniustitiae, aut minus syncerae integritatis (id quod Rex in suis litteris tantopere, sed profecto abs re queritur), quod utpote idoneam et sufficientem Reginae allegationem Sedes Apostolica admiserit, qua se Regina eum locum suspectum habere dicit, cum cuius supremo et potentissimo Domino litigat. Alioquin nisi hoc negocium tantopere Regis interesset, e cuius nutu universum Regnum pendet, nemo est, qui de iustitia et integritate ipsius sinistri aliquid iudicaret, sicuti neque etiamnum iudicat Summus Pontifex: sed res eiusmodi naturae est, ut huic suspicioni apud iudices satis amplam facere fidem possit.

Nam quantum ad Regni privilegia attinet, ea Pontifex semper et ubique illaesa vult et optat, si modo id citra universalis Ecclesiae scandalum, et libertatis ecclesiasticae, quae omnibus legibus antestare debet, praeiudicium et offensam fiat: alioqui nulla fit iniuria Angliae Regno, si causa mere ecclesiastica et tam momentosa apud Sedem Apostolicam iudicetur.

Haec est, quam tantopere petit Rex a Sanctissimo D. N. scire, huiusce rei et consilii ratio, quare Pontifex causam tanti momenti, et cuius iudicium ad solam Sedem Apostolicam pertinet, huc advocaverit: neque enim locus est ullus magis idoneus, minus utrique parti suspectus, aut ubi melius discuti possit huiusmodi causa vel debeat.

In his omnibus Pontifex Deum testem adducit, se nihil fecisse aut cogitasse, quod a iuris semita exorbitaret; sed ad illud in primis attendisse, quo tanti ponderis negotium pacifice terminaretur: et quamvis cognoscat non potuisse tantum efficere ea moderatione et prudentia, qua Sua Sanctitas usa est, quominus saepe Caesar, saepe Regina, saepius etiam Rex Angliae pro suo quisque desiderio decisionem causae requirentes, de Sua Sanctitate sint conquesti; decrevit tamen omnino solum Deum prae oculis habere, et neque dextrorsum neque sinistrorsum declinando, quidquid tantum iustitia dictaverit, iudicare.

Proinde rogat Sua Sanctitas Regiam Maiestatem, ut sepositis aliquorum, qui res novas semper appetunt, non bonis consiliis, eorumit em, qui quum ipsi cauteriatas conscientias habeant, nunquam conquiescere possunt, donec candidioribus animis (cuiusmodi semper Regius fuit) perniciosiorem cauterii sui notam inurant, se ipsum solum, et ingenitam sibi multisque exemplis comprobatam bonitatem in consilium adhibeat, et memor conservandi praeclari et sempiterni illius tituli, quo ut Defensor fidei appelletur, commeritus est maiorem Reipublicae Christianae pacis et salutis, quam privati et momentanei alicuius affectus rationem habeat, et vel causam adeo gravem pacate componat, vel si id fieri nequeat, advocationi ipsius causae, et Sedis Apostolicae iudicio, quod non nisi sanctum et sincerum super ea re feretur, acquiescat. Alioquin si qua inde scandala, odia,

dissidia, calamitates ullae inter Christianos Principes (quod merito timendum est) oboriantur, Pontifex Deum syncerae suae conscientiae testem et iudicem invocat. Deus autem iustus iudex in eos, qui tanti mali auctores fuerint, iustissimae ultionis suae virgam exercebit, id quod videmus iam nonnullis huius discordiae vel auctoribus vel fautoribus accidisse.

¶ «§» «§»

PONTIFCATUS PAULI PP. III.

MXLIII.

Scotorum rex nunthum apostolicum in urbem revertentem pontifici impense commendat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime pater, post offitiosam ad sanctos pedes prostrationem. Nuper nobis significavit Dionisius Huralis, ordinis Servorum beate Marie generalis, ac Vestre Sanctitatis nuncius, se Romam versus illam propediem redditurum constituisse, ex quo nacta scribendi occasione, intelligentes tamen, quum singularem viri probitatem atque prudentiam, tum fraternum erga nos amorem atque fidelitatem, opere pretium nobis visum est, nonnulla, que nobis valde sunt cordi et cure, eidem communicare, ut eadem Vestre Sanctitati nomine nostro cumulatissime referat. Vehementer etiam atque etiam cupientes, haud secus aliam eidem Dionisio nuntio vestro fidem in omnibus adhiberi, ac si nos presentes colloqueremur. Interim vero auguste valeat Vestra Sanctitas et me, ut facit, amet. Ex Sancto Germano vicesimo nono Ianuarii, Anno ab incarnato domino trigesimosexto supra millesimum et quingentesimum.

E. S. V. Devotus filius Scotorum Rex
James R.

MXLIV.

Cardinali legato in Gallia, ut ad litteras et censuras apostolicas in regno Angliae promulgandas tres notarios creare possit. Ex originali.

Dilecto filio Rodulpho S. R. E. presbytero
Cardinali Faventino, apud Regem
Christiññum Legato nostro.

Paulus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Ut Circumspectio tua litteras et censuras apostolicas, quarum publicationem in Regno Angliae seu locis circumvicinis faciendam ei demandavimus, facilius publicari et exequi facere valeat, eidem Circumspectioni tuae duos aut tres Notarios et Tabelliones publicos auctoritate nostra creandi, et de officio Notariatus et Tabellionatus huiusmodi per pennam et calamum investiendi, iuramentumque fidelitatis a Tabellionibus in eorum creatione praestari solitum ab eis recipiendi, licentiam et facultatem dicta auctoritate tenore praesentium concedimus, Volentes et eadem auctoritate decernentes, quod eorundem a te in Notarios et Tabelliones creatos actis et instrumentis, praesertim in testificatione publicationis huiusmodi faciendis, eadem ac plena fides habeatur, quae caeteris auctoritate apostolica quomodolibet creatis Notariis et Tabellionibus haberi solet ac debet, contrariis non obstantibus quibuscumque. Dat. Romae etc. viiii. Ianuarii MDXXXVII. Pont. nostri anno tertio.

MXLV.

Scotiae rex pontifici, ut Iacobum Hamilton quamvis relapsum in haeresim, eadem abiurata, benigne recipere velit. Ex orig. Carte Cervine Filza XXIV. fol. 29. in Tabul. Florentinis.

Beatissime pater, ad sanctos pedes officiosam salutem. Hic Iacobus Hammiltoun ex nobili domo originem trahens, et alias nobis familiaris, iuvenili quadam facilitate et rerum imperitia a priscis patrum institutis antea descivit, vocatusque in iudicium non gravate abiuravit omnem heresim, et cum detestatione execratus est, sese ut orthodoxum decet vivere velle professus. Postea paucis interpositis annis rursum in iudicium vocatus ob quasdam suspiciones metu periculi e nostro regno discessit. Quare iudicum conspectum fugisse, tandem per contumaciam, ut suspectus iudicatus est, in opiniones abiuratas relapsus. Quoniam autem ipse nobis nunc non vulgare exhibet penitudinis specimen, eo libentius adducimur, ut Sanctitatem tuam supplices rogemus, quatenus is, qui insano cuique patet Christi exuperantis clemencie amplexus per tuam Beatitudinem obvius sit: ea tamen lege rogamus, si certe pre se ferre resipiscencie constantieque specimen visus fuerit, quod nobis profecto multis magnisque de causis pre se ferre videtur: in summa oramus hanc nostram petitionem frustra non haberi, etiamsi quedam nostre littere antea forte ad tuam Beatitudinem misse viderentur aliquid durius de homine sentire. Reliquum est, ut diu felixque Christi ecclesie regimen vivas, precemur. Ex Rothomago XXIX. Martii Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo septimo.

E. V. S. Devotus filius Scotorum Rex
James R.

MXLVI.

Idem rex pontifici, ut Gordonio clerico decanatum Dumblanensem conferat. Ex orig. Carte Cervine Filze XXIV. fol. 37. in Tabul. Florent.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime Pater, post humillimam ad devota pedum oscula obedientiam. Postremis nostris litteris a Sanctitate Tua petivimus, ut decanatum Dumblanensem vacare decerneret per promotionem Malcolmi, qui nunc Decanus est, ad prioratum Candidecase. Nunc vero ab eadem petimus, ut Decanatum Dumblanensem decreto suo vacaturum Willmo Gordon clerico nobis ob virtutes suas merito charo conferat. Haec nos omnia ad Revmum Cardinalem Carpensem rerum nostrarum promotorem diffusius scribimus. Sanctitatem Tuam diu servet Christus ecclesiae suae incolumem. Edinburgi XVII. Ianuarii Anno M.D.XXXVIII.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES REX.

MXLVII.

Idem rex pontifici, ut designatum episcopum Lismorensem confirmet. Ex orig. Carte Cervine Filze XXIV. fol. 42. in Tabular. Florentinis.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime Pater, vere Dei Vicarie, post debita ad sacros pedes oscula felicitatem. Sedes episcopalis Lismorensis in presentia vacat, cuius curam et gubernationem, quia montosa et sterilis plane est terra, et redditus exigui, diocesanorumque mores feri et inculti, pauci admodum ambiunt. Est enim ea gens Irlandie et insulanis proxima, et in postrema regni nostri parte degens. Quod cum difficile et laboriosum sit eum populum pridem legibus solutum in ecclesiastica disciplina continere, Guilielmum Cunynghame iuvenem annos sex et viginti natum, ex nobili et potenti familia illi genti vicina ortum, delegimus, quem Sanctitati tue commendaremus. Huius eximia indoles non exiguam nobis spem ostendit de illius populi ecclesia optime merendi, et in suo erga nos officio retinendi. Tuam ergo Beatitudinem rogamus, ut hunc Guilielmum dicto episcopatui propter religionis et fidei christiane cultum, quo nihil nobis neque prius neque antiquius usque fuit, preficiat, cenobiolo de Sagadul ordinis Cisterciensis ob mense episcopalis tenuitatem, ut multo antea tempore fuerat, illi unito et incorporato: qui diu felix vivas ad reipublice christiane stabilitatem et augmentum. Ex Edinburgo ad Calend. Februarii M.D.XXXVIII.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES REX.

MXLVIII.

Idem cardinali Carpensi supplicat, ut Henricum Berton Anglum, ob fidem catholicam exulem, pontifici commendet. Ex originali.

IACOBUS Rex Scotorum Rmo domino Rodulpho Cardinali Carpensi, consanguineo ac rerum nostrarum promotori dignissimo, salutem. In omni rerum perturbatione solent optimi quique maxime periclitari: cui rei praeter alios plurimos Henricus Berton Anglus, vir non illiteratus, et ortodoxae fidei constantia perspectus, esse documento potest, qui proxima aestate ex Anglia per varia discrimina elapsus, in nostrum diffugit regnum, ubi aliquoties de fide ad populum concionans prope per annum sincero versatus est. Is, quia isthic non longe a generali Concilio celebrando abfuturus statuit tragediae finem expectare, supplicavit suam constantiam integritatemque per nostras litteras Sanctissimo testari ac commendari, cui certo scimus, ut quisque excellentissimis pollet virtutibus, solere ita per se maxime commendari. Tuum itaque erit, verbis nostris hunc Henricum tam apud Sanctissimum, quam ubi opus erit, qualem supra audisti et testari et predicare, eidemque prodesse. Vale. Ex Edinburgo ad quartum Nonas Martii M.D.XXXVIII.

JAMES REX.

MXLIX.

Idem rex card. Farnesio significat se cardinalem S. Andreae ad regem Galliae pro regni negotiis misisse. Ex orig. Carte Cervine Filze XXIII. fol. 52. in Tabul. Florentinis.

IACOBUS Dei gratia Rex Scotorum, Rmo in Christo Patri Dño, Dño Alexandro Cardinali Farnisio, consanguineo nostro, salutem. Rme, pergratum nobis fecisti, quod Rmum Sancti Andreae in summo honore assequendo opera et studio singulari iuveris. Cum itaque te tam promptum et propensum ad nostram rogationem ostenderis, verendum est, ne posthac tibi molesti simus. Latinus ille Iuvenalis, cui te quaedam ad nos dedisse mandata scribis, gravibus et necessariis quibusdam de causis a Christianissimo rege, patre nostro charissimo, ut nobis idem ille rex et nuntiis et literis significavit, retentus in Gallia substitit. Ad quae mandata tutius et certius intelligenda, aliaque seria et ardua regni nostri negotia cum eodem rege communicanda, ipsum Rmum S. Andreae Archiepiscopum in Gallias mittimus, qui abunde postea quicquid Latino aut a Sanctissimo aut a Paternitate tua creditum fuit, nobis significabit. Quod reliquum est, tam promptos et propensos ad te ornandum augendumque, quam tu te in nostris exhibuisti rebus, volumus, existimes. Vale. Ex Linlitqw ad octavum idus Martii M.D.XXXVIII.

JAMES R.

ML.

Idem pontifici gratias de episcopo Mirapicensi (i. e. card. S. Andreae) in sacrum cardinalium collegium assumpto agit. Ex orig. Carte Cervine Filza XXIV. fol. 40. in Tabul. Florentinis.

Sanctissimo Domino Nostro Papae.

Beatissime pater, post debitam ad sacros pedes reverentiam. Significarunt Vestrae Sanctitatis ad nos litterae, Mirapicensem Episcopum in summum illud Cardinalium Collegium nostro rogatu coaptatum esse, quae res dupplicem nobis voluptatem attulit: tum quod nobis apud Vestram Sanctitatem, quod unice semper optavimus, plurimum valuisse agnovimus,

tum quod illius in causa nostram commendationem non vulgarem fuisse intelleximus. Maximas gratias Vestrae Benignitati semper debuimus, quam nobis et obviam ubique sensimus et faventem: nec ignoramus, quid nunc pro tam raris, tamque augustis honoribus debemus, quos ut ad Regni nostri decus et amplitudinem petierimus, gravissimis ad id agendum caussis adducti, ita Mirapicensem in omnes partes conaturum arbitramur, ne aut ei temere delati, aut ulla in re abusi videri possint: quem ut hoc dignitatis genere ornatum optaremus, non id fecit privatus noster in illum affectus, sed probitas hominis et animi magnitudo, nobis iam diu multis in rebus cognita et probata, quem nos Sanctissimae etiam Sedi usui et ornamento futurum semper speravimus. In qua nos quoque colenda et observanda ut nulli unquam principi cessimus, ita ne post ab ullo superemur, multo conabimur vigilantius, tamque prestandi officii occasionem cupimus, quam Vestra Sanctitas documentum expectat, quam ad res humanas superstitem atque incolumen servet Christus Optimus Maximus. Datum apud Linlitqw ad octavum idus Martii M.D.XXXVIII(XXXIX).

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex

James R.

MLI.

Idem rex cardinali Farnesio preces innovat, ut episcopo Mirapicensi cardinalatus et legati dignitatem conferendam curent. Ex orig. Carte Cervine Filza XXIV. fol. 75. in Tabular. Florentino.

Reverendissimo in Christo patri Cardinali Farnesio sacrosancte Romane ecclesie Vicecancellario, consanguineo nostro charissimo.

Iacobus Dei gratia Rex Scotorum, Reverendissimo in Christo patri Cardinali Farnesio, sacrosancte Romane ecclesie Vicecancellario, Salutem. David Mirapicensis Episcopus summa sua prudencia parique felicitate in nostris negotiis domi forisque transigendis effecit, ut nobis merito charissimus esset. Hunc cum omni benevolencie genere prosequi statuissemus, et quibuscumque possumus augere honoribus: ita ratio temporis tulit, ut ille potius ad honores, quam ullus honor illi esset expetendus. Nam cum hec regio, vicinis undique a Romane Sedis obediencia desciscentibus, ecclesiastice potestatis authoritate solito maiore egeat, que maiestatis sue amplitudine homines in offitio contineat: hic nobis potissimum visus est idoneus, quem Sanctissimus non tam ob nostras preces, quam ob suas virtutes in Cardinalium collegium cooptet, Legationeque hic fungi iubeat. Hunc ut tu quo potes favore graciaque apud Sanctissimum iuves, vehementer oramus, persuasumque tibi esse volumus, nos quibuscumque poterimus in rebus, quum se offeret occasio, tibi gratificaturos. Hec eo familiarius ad te scribimus (etsi multum antea literarum inter nos commercium intercesserit), quod ob eximias tuas, quas passim predicari audivimus, virtutes aliene virtuti fautorem te fore speramus: ob summam vero doctrinam et pietatem ecclesiasticum negocium totis viribus promoturum non dubitamus. Ceterum totam rem prolixius ex familiari nostro Georgio Hay aut presentium exhibitore accipies. Reverendissime pater, bene vale. Ex palatio nostro de Linlithqw XV. die mensis Augusti, Anno supra Millesimum et quingentesimum trigesimo octavo.

James Rex.

MLII.

Idem rex, obtestatus constantia in avita fide et zelo in evellendis Scotiam tam infestantibus haeresibus, supplicat pontifici, ut David episcopo Mirapicensi, mox ad dignitatem primatialem Scotiae promovendo, sacram purpuram et legationem conferre velit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime Pater, post obedientie ad sacratissimos pedes oblationem. Commendavimus non vulgariter Sanctitati tue, Beatissime pater, per nostras litteras Davidem Episcopum Mirapicensem. Merebatur id quidem in maximis nostris negotiis eius explorata fides, summa prudentia et perspecta integritas. Huic nostre commendationi summopere cupiebamus, ut tue Sanctitatis accederet authoritas, ut paterne tue indulgentie testimonio summa hominis integerrimi virtus ornata apud omnes esset clarior, et eius erga nos offitii memoria testatior. Tuam quoque Sanctitatem arbitramur, iniquissime huius tempestatis ratione inita, in eo omnibus virtutum premiis ornando nobiscum consentire, quamvis per summas tuas occupaciones nondum fortasse licuit animi sententiam apostolico confirmare diplomate, dum indefessus vigil in Christianam excubas concordiam, dum summorum principum odia lenis, nectis amicicias, dissidiorumque semina penitus extirpas. Nunc vero Dei benignitate tuaque virtute iacto saluberrime pacis fundamento, non possumus nobis temperare, quin rursus nostram sive affectionem, seu potius pietatem in hanc apostolicam sedem declaremus. Huc enim nostre preces tendunt, huc nostra spectat peticio, ut quod in nobis est, catholice ecclesie maiestas ubique terrarum sacrosancta observetur: hec nos arma potissimum paramus adversus insurgentes heresis procellas, et semper renascentia sectarum dissidia, ut ea non solum nostre potentie terrore compescamus, sed supreme dignitatis ecclesiastice dignitate obruamus. Hoc omnes, qui bene volunt Rom. sedi, petunt, hoc exposcunt tempora, necessitas efflagitat, ut sit videlicet quispiam apud nos Cardinalitie dignitatis amplitudine decoratus, qui ecclesie maiestatem in his regionibus referat, qui furentes insanis erroribus animos ad sanitatem non minus reducere possit, quam velit. He nos potissimum rationes cogunt, ut hunc Davidem, toties iam Sanctitati tue commendatum, et primatem Scotie mox futurum, in Cardinalium collegium cooptari velimus, Legatumque apud nos esse, quem certo scimus eadem dexteritate atque adeo felicitate, qua nostra sibi commissa negotia confecit, in hac dignitate versaturum. Oramus itaque vehementer, ut nunc, gravioribus negotiis confectis, Sanctitas tua hac iamdiu expectata spe tan-

dem nos perfrui sinat, veniamque nostre festinationi tribuat, id presertim exposcenti, quod et hominis virtus meretur, et ecclesiastici status necessitas efflagitat. In ceteris fusius et particulatim Sanctitati tue nostram voluntatem declarabit familiaris noster Georgius Hay, siquidem is praesens fuerit: sin autem ille iam abierit, is, qui has deferet ad Sanctitatem tuam, quam ut incolumem servet, Christum incolumitatis omnis authorem obsecramus. Vale, pater beatissime. Ex Regia nostra de Linlithqw xv. die mensis Augusti Anno salutis supra millesimum et quingentesimum trigesimo octavo.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES REX.

MLIII.

Idem rex Scotiae pontifici, ut abbati S. Crucis episcopatum Rossensem conferre velit. Ex orig. Carte Cervine Filza XXIV. fol. 86. in Tabulariis Florentinis.

Sanctissimo Domino Nostro Pape.

Beatissime Pater, post devotam ad sanctorum pedum oscula submissionem feliciter ecclesiam regere. Cum per obitum Iacobi Episcopi nuper defuncti Rossensis ecclesia pastore sit orbata, nostri muneris esse duximus tuam Sanctitatem commonefacere, quem huic functioni maxime idoneum existimemus. Dispicientibus id nobis imprimis occurrit Robertus Abbas Sancte Crucis ordinis regularium Canonicorum divi Augustini, vir sane gravis et in negotiis regni nostri tractandis diu versatus et perspectus, quem Sanctitati tue commendandum duximus, ut eum in demortui locum surroget, pensionemque annuam quingentarum marcarum monete Scotie ei Episcopatui adiiciat, quam quo ad vixerit ex decimis parrochialium ecclesiarum de Falbkerk Levingstonn et pagi de Brochtonn, que ad id, cui nunc preest, cenobium attinet, percipere debeat, ab omni onere liberam et immunem, quicquid etiam ex sui monasterii fructibus ei debebitur, donec Apostolice bulle super Episcopatu Rossensi ad manus eius venerint, ei integrum reservari volumus, quam nostram voluntatem tue Sanctitatis nutu confirmari cupimus. Id nobis ita visum est, quod is Episcopatus ita tenuis sit, ut ex propriis suis proventibus egre tueri possit Episcopi dignitatem. Tuam Sanctitatem oramus, ut in hoc homine ornando voluntati nostre subscribat, eum ecclesie orbe cum dicta pensione cenobii, quod nunc obtinet, preficiens eidem indulgeat, ut communem et consuetum ferat habitum cum aliis Scotorum Epis, qui ante Episcopale fastigium Canonicorum regularium institutis obnoxii nunquam fuerunt. Et in hac re Iacobo Salmond negotii huius procuratori fidem tua Sanctitas adhibere dignetur, que feliciter et sibi et ecclesie Dei diu vivat.

Ex Regia nostra Falklandie decimoquinto Decembris Anno M.D.XXXVIII.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES REX.

MLIV.

Idem rex pontifici preces ad sacram porpuram Davidi Betonio episcopo Mirapicensi conferendam innovat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime pater, post debitam ad sacros pedes observantiam feliciter ecclesiam moderari. Iam bis antea scripsimus ad Sanctitatem tuam de Mirapicensi Episcopo in collegium cardinalium cooptando, legationeque ei mandanda: posteriores litteras non perlatas racio temporis persuadit; prioribus vero per breve extra muros Nicienses decimo octavo Iunii datum tua Sanctitas ita respondit, ut urgentiores et propriores cure componende pacis inter summos Christiani orbis Monarchas in causa fuisse viderentur, quominus ad nostre peticionis expedicionem animum intendere posset. Nobis vero, etsi non dubitamus, si tue Sanctitati vacaret, ut ecclesie nostre statum penitus interospiciat, quin ultra efferret id, quod non in presentia tanto, ut ita loquamur, ambitu rogamus, multe tamen et graves cogitationes sepe incurrunt, ut non nisi perfecta re quiescere possimus. Agitur enim non solum fidei negotium, sed ordinis ecclesiastici dignitas (que precipua nostri regni porcio est). Iam pridem enim inimicus ille homo non in vicino modo agro, sed in proximis etiam sulcis suas seminat zizanias. Impendere videtur gravior rerum moles, quam ut totum onus nostris humeris soli sustinere queamus. Nec patiri tamen id possumus, nisi ei, qui auctoritatis commendatione illustratus cum dignitate res tantas obire possit. Ponat ante oculos, oramus, Sanctitas tua, quemadmodum apud vicinas nobis gentes, hac dignitate incolumi, religionis sinceritas in suo statu permanserit, eadem rursus collapsa corruerit. Consideret eadem Sanctitas, quanto facilius sit ecclesiam adhuc stantem sustinere, et in possessione pristine dignitatis servare, quam ut labefactatam firmare, aut lapsum erigere. Meminerit, quanto longius a Romane lucis claritate dissiti sumus, tanto magis egere, ut ex eius immensitate radius aliquis ad nos promanet, qui suborientium paulatim tenebrarum discuciat caliginem. Meminerit eciam nos in inanem dignitatis titulum ad secundarum rerum illustrationem, sed potestatis vim ad dubias fulciendas expetere. Quare a tua Sanctitate iterum atque iterum petimus, ut, condicione rerum nostrarum proprius animadversa, litteras nostras priores diligenti expediat trutina, neque ullo pacto nos existimet, hec toties temere et inconsulto scribere, sed circumspicientes omnia, que humanitus accidere possunt, sobolescentem sensim pestem in herba adhuc opprimere conari possemus, charissimi soceri nostri Galliarum Regis, aliorumque principum, quorum plurimum apud tuam Sanctitatem valet, ut iure debet, authoritas litteras commendaticias impetrare, que probatam in rebus maximis Mirapicensis Episcopi virtutem et animi magnitudinem testificarentur, nisi pluris apud tuam Sanctitatem existimaremus futurum ecclesie causam, quam cum universam tam acri diligentia pastoralique vigilantia tua Sanctitas et gubernet et ornet. Oramus, ut hanc eius particulam, etsi longius dissi-

tam sua paterna indulgentia non destituat; de nobis vero sic habeat, quicquid quacunque racione possumus aut poterimus, id totum ad istius apostolice sedis dignitatem et authoritatem tuendam collaturos. Tuam Sanctitatem incolumem servet Christus, felicesque rerum et consiliorum successus et semper fortunet. Ex Regia nostra Linlithqw XXIIII. die mensis Septembris, Anno ab incarnato Domino supra millesimum et quingentesimum trigesimo octavo.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES REX.

MLV.

Idem rex pontifici, ut designatum episcopum Rossensem confirmare, et abbatiam S. Crucis eam ob rem vacantem Roberto Stewart conferre velit. Ex orig. Carte Cervine Filza XXIV. fol. 79. in Tabul. Florent.

Sanctissimo Domino Nostro Papae.

Beatissime Pater, post humillimam ad sacros pedes obedienciam foelices in Dei ecclesia moderanda successus. Multis eisdemque gravibus de causis, Sanctissime Pater, Robertum Sanctae Crucis Abbatem ad Episcopatum Rossensem traducendum duximus, sicuti prioribus nostris litteris ad Sanctit. Vestram scripsimus. Nunc vero ab eadem petimus, ut coenobium Sanctae Crucis, cui ille praefuerat, vacare decernat, solitaque S. Sanctitatis indulgencia usa, idem perpetuo commendet filio nostro naturali Roberto Stewart, iam quintum agenti annum, puero quidem illi, sed de cuius indole non dubia nunc spes elucet, quae ne expectationem fallat, nobis erit curae. Poterit id videri naturali necessitudini tributum, a qua nos affectione nequaquam sumus alieni, quippe qui homines communique cum aliis sorte geniti, naturaque duce, liberos charitate non reprehendenda prosequimur. Quibus si honesta aliqua ratione citra ecclesiastici status iacturam provisum cuperemus, non illiberati, nec ab humano sensu alieno desiderio teneremur. Verum hac commendandi ratione cum plurimum authoritatis ordini ecclesiastico adiiciatur, nihil vero penitus emolumenti decedat, non videmus, quo pacto non potius publicae utilitatis, quam privatae affectionis ratio habita videatur, neque nova censeri debet huius coenobii commendatio, quod etiam nuper ei, qui hunc proxime Abbatem praecessit, commendatum fuisse meminimus. Idcirco tuam indulgentissimam Paternitatem oramus, ut reservata tantum ei, qui nunc Abbas est, annua pensione quingentarum mercarum, quemadmodum aliis litteris a Sanctitate tua petivimus, Roberto filio nostro hoc coenobium commendet, et aetatis et natalium defectum sua solita in nos liberalitate suppleat. Quod si quid ex ea promotione religioni sacrorumve ritibus meminerit periculi, non simplici nos reprehensione arbitraremur obnoxios, quibus et publice et privatim id oneris incumbit. Tuam Sanctitatem nobis et Ecclesiae suae diu servare dignetur Christus incolumem. Falklandiae decimoquinto Decembris Anno M.D.XXXVIII.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES REX.

MLVI.

Rex Scotiae, intimis animi sui sensibus in avitam fidem et sedem apostolicam pontifici significatis, eidem de dignitate cardinalitia David episcopo Mirapicensi collata grates reddit, petitque, ut eundem legatum a latere in regno Scotiae constituere velit. Ex orig. Carte Cervine Filza XXIV. fol. 74. in Tabular. Florentinis.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime Pater, post devotam ad sacratissimos pedes obedienciam feliciter ecclesiam moderari. Ex binis brevibus eodem tempore scriptis litterisque Reverendissimi Cardinalis Carpensis, et sermone Georgii Hay propensissimam in nos voluntatem singularemque suam beneficenciam facile intelleximus, cum et Mirapicensem Episcopum ita splendidis honorum titulis illustrandum sibi duxerit, ut hinc regnum nostrum honoratius existimemus, et tam constantem de nostra erga se observantia conceperit opinionem. Verum cum ista nobiscum diligentius excutimus, non minus in altero oneris nobis impositum videtur, quam in altero honoribus solitis adiectum. Nam ut vere magnificum, et ut dicam augustum illud fatear, esse apud nos virum primarium in summo honorum, qui ab ecclesia Dei concedi solent, culmine collocatum, quo nullum superiorem, nec sperare (nec) optare phas sit: ita duplici ex adverso premi onere videmur, et ne hunc amplissimum dignitatis gradum non minus honorifice tueamur, quam cupide petierimus, et ut Sanctitatis V. de nobis expectationi satisfaciamus, quae promissionum nostrarum se scribit expectare effectum. Illud vero nos et sepenumero promisimus et perpetuo promissum volumus, nos nulli, nec Regi, nec Principi, nec cuiquam etiam mortali in ista sanctma Sede Apostolica et observanda et colenda concessuros unquam, id cum facimus, proprium sane et legitimum huius regie functionis beneficentia divina nobis commisse nos facere arbitramur officium, et cum se idonea nobis offeret occasio, ostendere conabimur, quid ecclesie Dei, quid regio muneri, quid sanctissimis maiorum nostrorum debeamus vestigiis, nec aliunde quam ex hoc fonte manere nobis persuademus, si quid nobis nostrisve subditis aliquando prospere successit. Huic nostre voluntati etsi ab equissimo iudice premium speramus repositum, non possimus tamen non gaudere V. S., que vices eius gerit in terris, optima de nostris moribus opinione velut certissimis eterni aliquando fructus primiciis, quam opinionem omni studio, diligencia officiisque tueri ac indies augere intendimus. Tantum vero abest, ut quicquam nobis petere in mentem venerit, quod aliquando in fraudem istius Sanctissime Sedis redundet, ut commodorum nostrorum potius rationem non habeamus, quam huiuscemodi suspicionis vel levissimam scintillam suboriri permittamus. Quod autem V. Sanctitas legationem, quam eidem Mirapicensi Episcopo, homini plurimis iisdemque iustissimis de causis nobis charissimo, petebamus, ut nos quidem interpretamur, non abnuerit, sed distulerit, in presentia boni consulimus, certo nobis persuadentes, Sanctitatem V. sedatis fortasse gravioribus ecclesie procellis, cum ei commodum erit, considerare quam necessariis evidentibusque causis eam petendam censuerimus,

facilius exorabilem futuram, in hiis presertim, que salva summe Sedis dignitate ad ecclesiastici ordinis amplitudinem ac incrementum spectare videbuntur, queque aliis principibus concedi solent, quibus nos, ut videmur, nec fide, nec observancia, nec ullo in istam Sedem officiorum genere concessimus unquam iidem, queque de ceteris nostris postulatis cogit V. Sanctitatis humanitas sperare, quod si forte exactiore trutina liberetur, ratioque distancie, loci circumstancium periculorum difficillimorumque temporum habeatur pleniore in hiis, quam quivis aliis Sanctitatis V. indulgencia prosequendi essemus et fovendi. Sanctitatem V. servet Christus incolumem. Edinburgi decimosexto Decembris Anno M.D.XXXVIII.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES REX.

MLVII.

Idem rex pontifici, ut Thomae Erskyn monasterium de Dryburg conferat. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino nostro Papae.

Beatme Pater, observantis filii salutem. Monasterium Drysbourg Praemonstratensis ordinis Sancti Andreae diocaesis, quod paucis ab hinc mensibus caepit vacare, a quodam Scoto theologo, luminibus orbato, istic temptatum occupari antea audivimus, quam nobis idem per Sanctitatis tuae breve significatum est. Pater Sancte, ubivis magis quam in solvendis legibus benefici videri cupimus. Constat enim omnia fere huius regni monasteria a Regibus maioribus nostris fundata, dotata et propemodum extructa, a quorum electione simulatque cessatum fuit, statim apostolica sedes huic regno spatium octo mensium concessit, infra quos liceret regibus nominare, quos vellent monasteriis vacantibus a Rom. pontificibus praefici. Hoc quoque indultum Clemens VII. vestrae Sanctitatis praedecessor, nobis ipsis posterisque nostris non solum renovavit, verum etiam quatuor mensibus auxit, ut integrum annum haberemus ad nominandum. Nostri sane regni studium observantiaque erga istam sedem ab illo Clementis tempore aut unquam antea obscura non fuit. Quare ut nulla indulta aut nostra merita extent, tamen tuae Sanctitatis munificentiam non veremur, et maxime in Drysbourg monasterii collatione, quod in regni finibus situm est, qua primae Anglorum incursiones sentiuntur, quodque virum flagitat, qui non solum praefecturam claustri novit gerere, verum etiam qui foris fortem, liberalem et circumspectum patremfamilias didicit agere. Thomam igitur Erskyn, qui illis virtutibus proxime accedit, adolescentem nobilem, animi et corporis viribus pollentem nominamus, cui hoc Drysbourg placeat tuae Sanctitati commendare, velisque nostram iustam honestamque rogationem potius considerare, quam ambitiosas quorundam preces. Nos enim regni nostri maiestatem per istam sedem auctum iri, non imminutum, studebimus. Caeterum, Pater Sancte, de his et aliis nostris rebus ex Revmo de Ghinnutiis plura audies, qui diu in Christianae Reipublicae per te instauratae gloriam et fructum unias. Ex Edinburgo vigesimo secundo die mensis Februarii Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimonono.

E. V. S.

Devotus filius
JAMES REX.

MLVIII.

Rex Scotiae pontifici preces innovat pro conferendo cardinali S. Andreae legationis munere. Ex orig. Carte Cervine Filza XXIII. fol. 13. in Tabular. Florentinis.

Sanctissimo Domino Nostro Pape.

Beatissime pater, post debitam ad sacros pedes reverentiam. Ut antehac persepe Vestre Sanctitati supplicavimus, ut illa in regno hoc nostro Reverendissimo Sancti Andree Cardinali legationem a latere concederet: ita nunc quoque perspecta reipublice nostre utilitate, subditorumque precibus adducti maiorem in modum supplicamus, ut pro solita sua in nos benignitate eidem Rmo Cardinali eam elargiri non gravetur, quam nos illum, qui hominis ingenium experti sumus, ad regni nostri simul et ecclesie christiane decus et emolumentum administraturum polliceri non dubitamus. Quod si Vestra Sanctitas a se impetrari patiatur, quamquam iam nunc perpetue illius liberalitati nichil est quod nos non debere existimamus, hac tamen petitione impetrata, nos vinculo adhuc longe arctissimo devinciet, quam sibi sancteque sedi apostolice ad omnia obsequentissimum semper offendet, ac si quando sese occasio offerat, neminem omnino reperiet, qui pro sua Sanctitate et Christiana religione libentius aut alacrius quam nos omnia, que christianum principem deceant, facturus sit. Christus Iesus Vestram Sanctitatem ad res mortalium constituendas, suamque Sanctam Ecclesiam moderandam diu superstitem servet et incolumen. Ex palatio nostro Falklandie decimo die mensis Augusti Anno Domini Millesimo quingentesimo trigesimo nono.

E. V. S.

Devotissimus filius Scotorum Rex
JAMES R.

MLIX.

Idem rex pontifici per oratorem suum supplicat, ut Thomam Erskyn ad abbatiam de Dryburg nominatum confirmet. Ex originali.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime pater, piam salutem. Initio, quum Dryburgh monasterium cepisset vacare, Thomam [de] Erskin illi preficiendum Sanctitati tue ex animo commendavimus, ut temere ab ea sententia nollemus recedere, quod is Thomas et cultui divino et rebus regni, quarum nobis ratio negligenda non est, iuxta accommodus videretur. Proinde de ea re sepius ad Sanctitatem tuam dedimus litteras. Itidem ab ipsa nobis reddita sunt plura brevia, inter que a Rmo Cardinali de Ghynutiis paulo ante hac accepimus litteras, quibus scribit se a Sanctitate iussum admonere et affirmare nobis, Sanctitatem tuam nostra privilegia presturam(?) illesa: eisdem quoque litte-

ris idem Rm̃um addidit, nostrum ad secundum Sanctitatis tue breve responsum solum retardare Dryburgh expeditionem. Hinc certae spei et expectationi nobis, tuis verbis per Cardinalem (de) Ghynutiis ostensae, recens hiis diebus redditum est breve non simillimum, quo tua Sanctitas significat, Nos sinistra informatione adductos iudicare, te velle nostra imminuere privilegia, simulque indicat theologum istum a nobis existimari affectasse monasterium. Pater sancte, ea sane in hoc Thoma ad monasterium deligendo adducti sumus informatione, qua in regno administrando, et orthodoxa fide hos perpetuos sedecim annos tutanda usi sumus, quorum neutrius non est quod peniteat. De tua vero Sanctitate nunquam non et pie et optime iudicavimus. Illud autem non diffitemur, nos tum sensisse et adhuc sentire, tum scripsisse, nos non posse adduci, ut ab indigenis patiamur iura nostra labefactari: quod tue Beatitudini tam cupimus statutum et persuasum, quam nobis est. Si Sanctitas tua tantum illis, quos nominatim nos caverimus, et non isti theologo, similibusque in nostris rebus curandis fidem habueris, magna laboraveris molestia. Proinde posthac non erit, cur alium quam Thomam Erskin ad dictum monasterium nominemus, ac ne perpetua litterarum nostrarum multitudine infesteris, de hoc ceterisque nostris negociis familiaris noster Georgius Hay Sanctitatem tuam edocebit, que diu sospes in diuturnum ecclesie regimen vivas. Ex Edinburgo decimoquarto Augusti Anno Dñi millesimo quingentesimo quadragesimo.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES R.

MLX.

Idem rex pontifici supplicat, permittat cardinali Sancti Andreae ad res publicas curandas in Scotia remanere, eumque ab itinere Romano dispenset. Ex orig. in Tabul. Farnes. Neapolitanis.

Sanctissimo Domino nostro Papae.

Beatissime Pater, post humillima ad beatos pedes oscula. Legimus nuper Sanctitatis Vestrae breve ad Revm̃um S. Andreae Cardinalem consanguineum nostrum, quo illa eidem, ut quam primum iter Romam ad eam arripiat, praecepit. Qua in re cupit ille quidem mirifice Vestrae Sanctitatis mandato obtemperare, utque nos idem comprobare, ac fieri velimus, vehementer exoptat. Id quod nos haud illibenter faceremus, nisi illius operam, consilium et prudentiam in praesentia esse, moxque etiam fore adeo nobis necessariam perspiceremus, ut cum hoc tempore a nobis rebusque nostris abesse commode ferre non possumus. Quare V. Sanctitatem enixe rogamus, ut eidem Revm̃o Cardinali consanguineo nostro ad tempus istic abesse, nobisque ac nostrae Reipublicae inservire veniam ac facultatem impartiatur, Nosque erga se Sanctamque istam Sedem Apostolicam ita animatos esse sibi certo persuadeat, ut in ea colenda atque observanda nihil, quod quidem a christiano principe servari aut expectari potest, unquam sumus praetermissuri. Beatm̃e Pater, Christus O. M. Vestram Sanctitatem ad suam sanctam ecclesiam moderandam superstitem servet et incolumem. Datum Edinburgi XV. Februarii Anno M.D.XLI.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES R.

MLXI.

Cardinalis S. Andreae pontificem de gloriosa Scotorum ab Anglis relata victoria, deque novis regis Angliae in Scotos eorumque avitam fidem evertendam machinationibus certiorem reddit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime Pater, post humillima ad beatos pedes oscula. Quamquam ad Sanctitatis Vestre Datarium ac apud Christianissimum Regem Nuntium de iis rebus, que hic geruntur, abunde scripsi, eumque Vestre Sanctitati omnia relaturum esse confido: tamen ne in tanta occasione negligentior videri possem, ad eandem a me quoque scribendum esse existimavi. Sciat itaque V. Sanctitas Anglorum Regem a Iulio usque mense perpetuis nos regnumque nostrum incursionibus lacessisse, quas tamen Serm̃us Dominus meus fortiter hactenus, atque adeo animose represserit, ut cum fine Augusti Anglus X. armatorum millia in regnum nostrum immisisset, universi a nostris victi ac deleti profligabantur. Nec multo post idem triginta naves bellicas simul et exercitum ad XXXX. hominum millia instructissimum in nos paravit. Cui ducendo Duces de Northfok et Southfok cum tota pene regni sui nobilitate, intimisque familiaribus preposuit. Quare audita Serenissimus Dñus meus haud sibi in tanto casu cessandum esse ratus, exercitum nec numero militum, nec ullo denique apparatu bellico inferiorem instruxit. Verum cum Angli parum ultra duo milliaria regnum nostrum ingressi essent, quinto quo venerant die, audito regii exercitus adventu, trepidi in Angliam refugiunt, nulla re memorabili aut mari aut terra perpetrata. Rex abeuntes ac statim a fuga exercitum solventes, quamquam eo anni tempore, ut volebat, commode non potuit persequi, misit tamen equitatus sui partem, qui acceptum ab Anglis damnum maiori damno compensavit: iamque utriusque regni limites valido presidio roborati, mutuis quotidie incursionibus se affligunt. Tanti autem belli causa non alia sane existit, nisi quod Serenissimus Dominus meus a sancta ista Sede Apostolica deficere, illiusque insaniam sequi voluerit, Christianissimique Gallorum Regis, soceri sui, partes deserere, suasque contra illum sequi recusarit. Hec quum ita se habeant, Vestra Sanctitas, quod sibi ea in re faciendum sit, pro sua sapientia facile intelligit. Reliquum est, ut illud de me Vestre Sanctitati pollicear, nulla me in re, in qua Christiane reipublice prodesse potero, officio meo defuturum, omnemque semper daturum operam, ut quam Vestra Sanctitas mihi personam imposuerit, eam graviter et honeste sustineam. Christus Optimus Maximus V. Sanctitatem ad res mortalium constituendas, suamque sanctam

ecclesiam moderandam diutius superstitem servet et incolumem. Edinburgi x. Novem. Anno M.D.XXXXII.

E. V. Sanctitatis

Devota et humillima creatura
D. CARDINALIS S. ANDREE.

MLXII.

Scotorum rex pontifici supplicat, ut Ioanni Danyelston archidiaconatum Dumblanensem vacantem conferre velit. Ex orig. in Tabular. Farnes. Neapolitanis.

Sanctissimo Domino Nostro Pape.

Beatissime Pater, quam pium decet filium salutem. Hoc mense Novembri Dunblanensis ecclesiae Archidiaconatus decessu Iohannis Cheisholme vacat, ad quem ut Vestra Sanctitas, quam fieri poterit uberrime, cubicularium nostrum Iohannem Danyelston provehere dignetur, impense rogamus, quo rem non solum nobis pergratam, verum etiam sedi Dunblanensi valde profuturam ex tam idonei viri promotione prestabit. Bene valeat Vestra Sanctitas. Ex Edinburgo XXI. Novembris Anno M.D.XLII.

E. V. S.

Devotus filius Scotorum Rex
JAMES R.

MLXIII.

Cardinalis S. Andreae pontifici intimos doloris sensus exprimit, quod ob publica Scotiae negotia ad concilium Tridenti indictum se conferre nequeat. Ex orig. in Tabul. Farnes. Neapolitanis.

Sanctissimo Domino Pape.

Beatme Pater, post humillima ad beatos pedes oscula. Sanctitatis V. breve, quo illa mihi, ut in festo nativitatis D. N. I. C. ultime elapso ad concilium universale Tridenti celebrandum apud illam adessem, mandaverat, non ante XIII. insequentis Aprilis accepi, quod etsi in tempore huc perlatum fuisset, tamen tum ob Serenissimi atque optimi Regis decessum, tum ob assiduam Anglorum invasionem, variasque preterea rerum ac temporum difficultates haud sane istic sine magno huius Reipublice iactura abfuisse potuerim. Nec V. Sanctitatem latere arbitror, in quantum ipse discrimen inciderim, dum contra impios pro ecclesia Dei eiusque fide ac libertate starem, omnemque Anglicane impietatis labem et contagionem arcere et propellere contenderem: quod cum agerem, nihilque mali suspicarer, dolo et fraude circumventus, in captivitatem et custodiam ad tres menses cum dimidio arripior, instigante ad id ac nonnullos corrumpente Anglorum Rege. Ceterum quamvis ab inimicorum invidia atque odio non plane liberor, tamen eodem rege invito gementibusque adversariis ad pristinam libertatem sum restitutus, idque non sine maximo omnium bonorum desiderio et gratulatione, summaque mee innocentie testificatione. Sed hec aliaque nonnulla a Davide Vonar familiari meo V. Sanctitas plenius cognoscet. Quo hoc unum sibi certo persuadeat, me omnem operam, curam, vires et diligentiam intensurum, ut quem V. Sanctitas in ecclesia Dei mihi locum tribuerit, eundem graviter et honeste sustineam, nihilque, quod quidem aut vires nostre efficere, aut vigilantia previdere poterint, pro illius incolumitate et commodo ulla unquam in occasione pretermittam. Christus Iesus V. Sanctitatem superstitem et incolumem diutissime conservet. Ex Sancto Andrea secundo Maii Anno Domini M.D.XLIII.

E. V. Sanctitatis

Devota et humillima creatura
D. CARDINALIS S. ANDREE.

MLXIV.

Scotiae gubernator pontificem de luctuosa regis morte certiorem reddit, eique res regni et ecclesiae Scoticanae impense commendat. Ex orig.

Sanctissimo Domino nostro Pape.

Beatissime pater. Quum esset Idibus Decembris repentino morbo sublatus Iacobus Rex noster, incredibile est, Pater Sancte, in quam varias angustias fuerit coniecta gens Scotorum. Hinc enim angebat omnium animos strenuissimi principis desiderium, quem dura nimium et immatura mors in ipso adolescentie flore, unica relicta filia et herede, sustulerat. Instabat illinc Anglus cum exercitu numeroso, et redire rursum in Scotiam minabatur, unde, vivo Rege nostro, fortissime depulsus fuerat. His tantis malis, ut quam optime occurreretur, rerum summam et antiquissimi regni huius tutelam atque administrationem ad nos detulit non solum Scotorum omnium consensus, sed ipsa quoque sanguinis propinquitas et nature lex. Quo quum esset perventum loci, nos pro maiorum instituto nihil omnino prius faciendum esse iudicavimus, quam ut per legatos Sanctitatem tuam, post Deum Optimum Maximum, in terris patrem salutaremus, revereremur, agnosceremus. Sed hec quominus fierent, hactenus impedierunt innumere ngotiorum et molestiarum turbe, que profecto sunt eiuscemodi, ut de regni huius libertate conservanda, atque omnium nostrum liberis et fortunis ab hostium iniuria et servitute perpetua vindicandis agatur. Quod igitur nondum officio defuncti simus, dabit tua Sanctitas gravissimis nostris occupationibus, que sic obruunt, ut respirare vix liceat. Interim tamen, ut innotescat Sanctitati tue nostrum erga sacrosanctam sedem apostolicam singulare studium, hasce damus fidei et benevolentie nostre testes, quibus fidelissimi regni huius tutelam et administrationem Sanctitati tue libenter communicamus, petimusque, ut et libertatis et privilegiorum defensionem suscipias, quorum alterum ab hostibus oppugnatur acriter, alterum a civibus ita tenetur, ut non desint, qui palam Dunkeldensem Episcopatum, inconsultis nobis, et resignare et impetrare audeant. Verum id ne fiat, illico Sanctitatis tue edicto caveri cupimus. Iam quo facilius hostiles impetus perferantur, Sanctitatem tuam rogamus, ut que pueris regiis commendata sunt, monasteria nostre dispositioni usque ad puerorum legitimam etatem, idest annum etatis XXII. sic cedant, ut novos, si opus fuerit, administratores deligere, et fructus, qui tum ordinariis oneribus tum iustis commendatariorum impensis superesse poterunt, in publicos usus

convertere valeamus per Sanctitatis tue dispensationem. Sed quoniam ista fusius explicabuntur a Rm̃o promotore nostro, hic finem faciemus, si prius Sanctitati tue felix faustumque precati fuerimus ecclesie moderamen. Vale, Pater Sancte. Ex arce nostra Hammyltonie decimo Maii, Anno salutis supra millesimum et quingentesimum quadragesimo tertio.

E. S. V.

Humillimus servitor
JAMES GOVERNOR.

MLXV.

Idem gubernator, enarratis iniquis Anglorum regis contra Scotorum avitam fidem et libertatem molitninibus, supplicat pontifici, ut res Scotiae publicas quodam subsidio pecuniario sublevare, et cardinali S. Andreae munus legationis pontificiae conferre velit. Ex orig. Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino Nostro Pape.

Beatissime Pater, ad beatorum pedum oscula prostrationem. Etsi non dubium est, quin abunde omnia, que hic geruntur, ad Sanctitatem Tuam perscripserit Marcus Grymanus Patriarcha Aquileiensis, vir ut natura providus, ita rerum usu atque exercitatione apprime solers: tamen arbitramur non esse alienum a nostro officio Sanctitatem Tuam admonere de reipublice nostre statu, quam unice adamasti semper. Itaque, Beatissime Pater, sublata omni spe atque conditione pacis, adversum nos totis viribus bellum gerere decrevit Anglus: nec vero libertatem solum nostram opprimere atque oppugnare statuit, qua nihil charius hominibus esse potest: sed religionem quoque et sacrosanctae Sedi Apostolicae fidelissime prestitam tot seculis obedientiam summo studio evertere conatur, habetque tam invisam Scotorum gentem, ut posthabitis rebus aliis hoc unum cupiat et spectet, qua potissimum ratione et libertatis nostrae et religionis iura tollat: quo magis annitendum est omnibus, quos vel cura religionis tangit vel libertatis amor, ut impia hostis consilia fugantur. Sed quoniam ad eam rem duo sunt precipua, virtus et divitiae, dabitur a nobis opera, ut ne virtute ullo tempore cessisse videamur, ut vero tanti regis opibus et copiis belligerando respondeatur, pecunia est aliunde petenda, sine qua metuendum est, ne graviter nimis laboret respublica nostra, que cum huc discriminis adducta sit, in Sanctitate Tua reponit auxilii spem magnam, rogatque, ut cuius experta est semper in se benevolentiam prope paternam, Eius nunc quoque sentiat in summo suo periculo benignitatem et opem, ut latius ex ipsius Patrarche literis intelligat Tua Sanctitas, quem hic aliquantisper considere cupimus, ut si quod a Sanctitate Tua periclitanti reipublice nostre supplementum mittetur, id pro temporis et discriminis ratione distribuere possit. Est et aliud, quod a Sanctitate Tua summopere exoratum cupimus, ut Rm̃um Cardinalem S. Stephani, virum quo nec habet Tuam Sanctitatem fideliorem quemquam, nec respublica nostra nosve chariorem, Sedis Apostolice legatum constituere digneris. Quod si impetrabitur, addiderit Tua Sanctitas rei ecclesiastice inter nostrates non solum ornamentum, sed emolumentum permagnum. Nos autem pro sanguinis ratione, qui cum illo nobis intercedit, Sanctitati suo devinctissimos reddiderit, cui foelix faustumque ecclesiae moderamen perpetuo optamus. Vale, Pater Beatissime. Ex Edinburgo octavo Decembris Anno salutis nostrae supra millesimum et quingentesimum quadragesimo tertio.

E. V. S.

Humillimus et devotissimus filius
JAMES GOVERNOR.

MLXVI.

Cardinalis S. Andreae cardinali S. Crucis (Marcello Cervini postea Marcello PP. II.) res Scotiae attritissimas significat. Ex orig. Carte Cervine Filza XXXVIII. fol. 9. in Tabular. Florentinis.

Rm̃o et Illm̃o Dñ̃o Card. S. Crucis in Hierusalem, Domino meo observandissimo.

Revm̃e et Illm̃e Dñ̃e semper Colm̃e. Sepius de statu huius regni et rerum nostrarum fuisset certior facta tua Illm̃a D., nisi literas nostras hac de re scriptas intercepissent inimici, qui vias omnes obsident et intercludunt, ne quid rerum nostrarum uspiam perferatur. De afflictione regni huius scripsi pluribus ad Sanctissimum. De meis laboribus pro communi salute susceptis quid attinet scribere, facultates meas impendi, vitam transegi laboriosissimam in magnis et gravibus angustiis, ut meis periculis aliorum pericula declinarem. Nullum recuso laborem, sumptum, periculum, ut paci studeam, ut concordiam inter principes alam, ut scismata tollam, ut hereses evellam: ut denique omnium commodis consulam, libenter fero incommodum, nec dubito, quin meus labor sit Sanctissimo Domino nostro gratissimus, cuius auxilium ad regni nostri defensionem adversus Anglos veteres inimicos ut promoveat tua Paternitas Rm̃a, summo affectu contendo. Regni huius afflictionem variam illius Beatitudo abunde intellexit ex verbis Patriarche, ex relatione Adami Mori, qui nobis est a secretis, novissime autem ex hisce nostris literis, quas impresentiarum mittimus, monere illius Sanctitatem, cum multa debent pro regni huius defensione tum Regine infantis tenella etas, Regis immatura mors Scotis omnibus luctuosa, inimicorum summa vesania cum pari coniuncta crudelitate, nostra denique obedientia perpetua erga Sacrosanctam Sedem Apostolicam, illorum ex adverso cum inobedientia, tum pertinax pervicatia: his si tua accesserit benevola humanitas, speramus, fore, ut a Sanctissimo atque ab aliis iure honesti federis nobis coniunctis adiuti hostium pervicatiam non retundamus modo, sed etiam domemus et evincamus. Hac in re si Paternitatis tue favorem senserimus, lubenti animo fatebimur, nos illi plurimum debere, qui de nostra republica fuerit quam optime meritus. Interim omnia fausta ac felicia Celsitudini tue exopto, quam florentem servet Christus, in cuius manu sita sunt omnia. Scriptum Edinburgi XXIIII. Decembris M.D.XLIIII.

E. V. Rm̃e et Illm̃e Dñis

Humillimus servitor
D. CARDINALIS S. ANDREE.

MLXVII.

Idem gubernator a pontifice petit, ut abbatem Pasleti ecclesiae Dunkeldensi in episcopum praeficere velit. Ex originali in Tabular. Farnes. Neapolitanis.

Sño Domino Nostro Pape.

Beatissime pater, fœlicem ecclesiae administrationem optamus salutis loco. Scripsimus ad Sanctitatem tuam semel atque iterum de re Dunkeldensi, idque Regine principis nostrae domine, cuius vices ob teneram illius aetatem Scotorum omnium consensu, et naturali quadam lege ac sanguinis propinquitate nobis sunt delatae. Quae res in caussa fuit, ut vacanti sedi Ioannem Pasleti Abbatem germanum nostrum pontificem designandum Sanctitati tuae proponeremus, simulque peteremus, ut iniquo cuidam competitori, qui in principis nostrae regiaeque dignitatis contumeliam incommendatus ambire non cessat, silentium imponeres. Istud ut erat imprimis aequum, ita sperabatur a Sanctitate tua quam citissime factum iri. Sed rumor est, largitione rem protrahi et in discrimen vocari. Hoc si verum est, non possumus non gravissime ferre. Nam et indignum est, ut a Sede apostolica tale quidpiam committatur in principis nostrae contumeliam, et nobis pro eo, quod sustinemus, munere gravissimam infamiae notam adferet, si in nostro magistratu de regio iure et privilegiis quodque decidere patiamur. Quamobrem Sanctitatem tuam iterum atque iterum rogamus, ut servata privilegiorum ratione, regiis litteris commendatum Pasleti Abbatem Dunkeldensi Episcopatui preficiat, et iniquum illum competitorem surreptitiis nostris litteris fidentem omnino repellat. Etenim quum aliunde satis superque laboremus pro Sedis apostolicae dignitate tuenda, et a vicinia nostra gravissimo impetamur bello: propterea quod in Sanctitatis tuae observantia maiorum more perseveremus, te decet rursus, Sanctissime Pater, non solum equis nostris petitionibus annuere, sed et ab iniuria defendere, et libertati tuendae opem prestare. Reliqua, quae ad hanc rem atque alia nostra postulata attinent, fusius exponet Sanctitati tuae Ioannes Steinson, cui ut fidem habeat atque annuat, vehementer petimus. Datum Edinburgi xv. Kalendas Iulii M.D.XXXXIII.

S. T. Devotissimus filius

JAMES SCOTIE GUBERNATOR.

MLXVIII.

Idem gubernator pontificem de gloriosa ab Anglis relata victoria, deque iniquis archiepiscopi Glasguensis in regnum molitionibus certiorem reddit. Ex orig. in Tabular. Farnes. Neapolitanis.

Sanctissimo Patri PAULO III. Pontifici Maximo Iacobus Arraniae Comes, Dominus Hammylton, regni Scotiae Gubernator et Princeps, ad sanctos pedes prostrationem. Beatissime Pater, Etsi non dubium est, quin fama ipsa, quae solet omnem celeritatem antevertere, nuncium istuc pertulerit earum rerum, quae apud nos gestae sunt, tamen non alienum esse putamus a nostro officio Sanctitati Tuae indicare, quis sit regni status. Igitur cum pridie Kalendas Martii non sine manifesto Dei numine deletus esset ad Iedburgum Anglorum regis exercitus, tum nihil prius faciendum esse studuimus, quam ut hostis consilia aperta et manifesta nobis essent. Itaque missis exploratoribus hoc demum cognovimus, Anglum statuisse sub initium Augusti copias omnes in nos educere, Scotorum gentem nomenque delere. Huius tam impii conatus duas esse causas: quarum prima est vetus in Scotos odium et recens acceptae cladis vindicta; altera sacrosanctae Sedis Apostolicae observantia, et vel durissimis temporibus retenta fides atque obedientia. Omnibus malis sic obviam iri posse speramus: primum si veterem atque hactenus observatam, et fidem et fortitudinem praestemus; deinde si gerendo bello sumptus non defuerint, sed illud, ut prestetur, pro veteri gentis gloria abunde satagemus. Hoc autem ne nos deficiat in Sanctitatis Vestrae situm est manu, cuius causa non minus hic agitur quam nostra. Est preterea Sanctitati Tuae prestandum pro ea, quam semper observatam esse diximus, erga Sedem Apostolicam observantia, ut ne quid te sedente detrimenti accipiat Scotorum respublica, neve tantillum imminuantur nostra privilegia, et si quid sit ab ecclesiastici ordinis quoquam admissum, quod regni huius dignitatem et regiae Maiestatis auctoritatem laeserit, tuum imprimis est, Sanctissime Pater, providere, ut ne impune abeat. Haec eo dicuntur, quod superioribus diebus, dum comitia haberemus in urbe Glasguensi, quae civitas est Archiepiscopalis, Gavinus Dunbar sedis illius Archiepiscopus non veritus Dei conspectum, in cuius aede res gerebatur, spreta etiam regni autoritate, tantas concitavit turbas, ut nos, qui regias vices gerimus, permultosque alios magni nominis viros graviter offenderit. Quod factum, nisi ordinis ecclesiastici reverentia nos cohibuisset, extremo supplicio expiari oportuit. Tantum tamen valuit ordinis dignitas, ut rem omnem Sanctitati Tuae permiserimus, quam fusius intelliget Tua Sanctitas ex litteris Rmi Cardinalis Legati sui, cuius merita in sacrosanctam Sedem Apostolicam atque hanc nostram Rempublicam tanta sunt, ut et conservatae libertatis et extinctae haeresis laudem, aut certe laudis partem non parvam meruerit. Caeterum, Beatissime Pater, te rogamus, ut tantae audaciae, quam supra demonstravimus, modum facias, neque permittas scelus istud ab ecclesiastici ordinis homine admissum impunitum abire, ne et aliis peccandi exemplum praebeat, et nos ad duriora consilia cogat. Beatissime Pater, Deus O. M. te servet incolumem. Ex Linlythquhon XIII. Kal. Iunii Anno Christi M.D.XLV.

E. V. S. Humillimus et devotissimus filius

JAMES G.

MLXIX.

Cardinalis S. Andreae pontificem de bello in conventu Striviliagiano contra regem Angliae, avitae fidei et Scotorum hostem decreto certiorem reddit. Ex orig. in Tabular. Farnes. Neapolitanis.

Beatissime Pater, Sanctorum pedum humili et devota osculatione praemissa. Quum scio Sanctita-

tem V. de statu huius regni Scotiae, cuius praecipuam curam semper habere dignata est, ut saepe ac saepius certioretur summopere optare, propterea oblata mihi Nuncii occasione has meas ad eam scribere atque destinare curavi, ex quibus Sanctitas V. intelliget omnia in hoc regno in statum longe meliorem mutata esse, quam antea fuerat. Nam nobilium huius regni divisiones et discordiae sedatae, variaque circa christianam religionem, atque haereticae opiniones, quae per antea vigebant, Dei O. M. clementia pene extinctae sunt. Itaque ubi alias discordia et animorum dissensio, haeresesque atque diversi abusus inoluerunt, nunc pax, concordia, religioque ac verus Dei cultus reperiuntur. Sed quia ad hanc Rempublicam in pristinum statum reponendam nihil aliud deerat, nisi ut audacia Anglorum regnum istud infestentium aliquid reprimeretur. Propterea postquam Christm̃us Francorum Rex mense Iunii proxime praeterito quasdam militum (equitum scilicet quingentorum, peditum vero circiter duorum millium quingentorum) copias, ductore domino de Lorges, ad nos misit, Ego, qui ut aliquo tempore contra Anglum communem hostem bellum indiceretur, semper optavi, quod certa nobilium huius regni conventio in aliquo loco idoneo fieret, procuravi: quo factum est, ut die XXIV. mensis Iunii Illustrissimus Dominus Gubernator, et ego una cum caeteris omnibus huius regni nobilibus in oppido Strivilingii conveniremus, ubi post nonnullas consultationes, denique quod magnus omnium procerum atque nobilium, militumque electorum exercitus hoc instante mense congregaretur, concorditer decretum fuit. In quo quidem negotio nihil, quod ad huiusmodi sanctam in Anglum ipsum expeditionem ineundam et prosequendam opportunum mihi visum fuit, praetermisi, nec sum in posterum praetermisurus. Quae quidem omnia Sanctitati V. significare, eamque certam reddere volui, quod ego pro huius regni Scotiae defensione Sanctitatisque Vestrae, cui semper obsequentissimus atque devotissimus ero, Sanctaeque Sedis Apostolicae honore, sic exigentibus multis et magnis in me (licet immeritum) collatis beneficiis, huic expeditioni non tantum consilio et opibus, verum etiam vita et sanguine assistam, in Deo, cuius causa agitur, certam et indubitatam fidem deponens, quod ipso Anglo per nostros milites superato huius belli victoriam atque palmam reportabimus. Nec alia, bene valeat Sanctitas Vestra, quam Deus V. M. diutissime incolumen servet. Ex Litcho pridie Nonas Iulii M.D.XLV.

E. Sanctitatis V.

Humillima creatura

D. Cardinalis S. Andree.

MLXX.

Idem cardinalis pontificem de iniquis archiepiscopi Glasguensis facinoribus certiorem reddit, eique per oratores suos processum contra eundem instructum transmittit. Ex orig. in Tabul. Farnes. Neapolitanis.

Sanctm̃o ac Beatm̃o Dño Nostro Pape.

Beatm̃e Pater, Sanctorum pedum humili et devota osculatione premissa. Multa sunt et magna Sanctitatis V. in me, licet immeritum, beneficia, quibus si non omnino satisfacere, tamen pro viribus (quoad possum) respondere semper conabor. Hanc ob rem nullis vigiliis, laboribus atque sumptibus parco, ut pro libertate ecclesiae, ac S. Sedis Apostolicae dignitate, regnique huius incolumitate omnem operam curamque meam impendam. Quo factum est, ut omnia in hoc regno sint in statum longe meliorem mutata, quam antea fuerat. Verum dum assiduis et indefessis laboribus publica subeo negotia, ut aliorum consulam otio et quieti, Gavinus Archiepiscopus Glasguensis modernus manifestum scandali initium praebuit. Nam cum ego in comitatu Serm̃ae Reginae et illm̃i gubernatoris ad civitatem Glasguensem profectus essem, dictus Archiepiscopus crucem suam me praesente deferri fecit, ac populo benedicere non erubuit. Ego autem, ut huius reipublicae tranquillitati consulerem, ne quis tumultus ob hanc causam suboriretur, licet privilegiis Sanctitatis V. munitus de iure, ac etiam de facto suae temeritatis atque audaciae penam infligere potuissem, nihilominus illum quanta potui humilitate atque modestia, ut ab incoeptis desisteret, admonere curavi. Ille autem non tantum monitis meis minime obtemperans, sed etiam, quod dicto gubernatori de ipsa cruce non ferenda promisit, non observans, armatis militibus instructus Glasguensem ecclesiam ingressus, ubi ego audiendi sacri causa conveneram, me cum aliquo vitae meae discrimine invadere conatus est, adeoque gubernator ipse facti turpissimi indignitate offensus, et alia per ipsum Archiepiscopum per antea perpetrata facinora memoria repetens, eo ipso die supplicium fieri decreverat, nisi precibus contendissem, ut totum negotium huiusmodi ad Sanctitatem V. perferretur. Quapropter Venerabilibus in Christo Roberto Orchadiensi Episcopo, et Georgio Abbati de Donfermelin dedi in mandatis, ut aliquos testes graves et idoneos super praemissis, et aliis criminibus, de quibus dictus Archiepiscopus diffamatus existit, reciperet et examinaret, quorum depositiones per dictos commissarios in scriptis redactas et ad me transmissas ad Sanctitatem V. per praesentium latorem destinare volui, ut causa ipsa cognita de remedio provideat opportuno, neque haec gravissima facinora temere perpetrata in Sanctae Sedis Apostolicae contemptum, huius regni detrimentum, ac ovium Christifidelium scandalum impunita remanere permittat. Nec alia, bene valeat Sanctitas V. quam Deus Opt. M. diutissime incolumem servet. Ex Litcho pridie Non. Iulii M.D.XLV.

E. Sanctitatis Vestre

Humillima creatura

D. Cardinalis S. Andree.

MLXXI.

Idem Alexandrum Thedaldinum suum nuntium commendat pontifici. Ex orig. in Tabul. Farnes. Neapolitanis.

Sanctissimo ac Beatissimo Dño Nostro Pape.

Beatissime pater, Sanctorum pedum humili et devota osculatione premissa. Cum ob aliqua publica

atque privata mea, et necessariorum meorum negotia aliquem ex familiaribus meis ad pedes Sanctitatis V. meo nomine mittere decrevissem, Alexandrum Thedaldinum praesentium latorem, bon. mem. Patriarchae Aquileiensis, cum viveret, auditorem, nunc familiarem et secretarium meum, ad illam destinare volui, qui licet anno praeterito, dum in Galliam pro meis et huius Reipublicae negotiis proficisceretur, a piratis Angliae captus et per menses aliquot in ipso regno detentus fuisset, et non sine maximo vitae suae discrimine ad partes transmarinas se conferre possit, nihilominus ob eius in Sanctitatem V. et Sedem Apostolicam fidem et devotionem, quae illum mihi, praeter eam, qua me prosequitur, observantiam charissimum faciunt, hoc munus subire non recusavit. Quapropter eandem Sanctitatem V. humiliter et devote rogo atque obsecro, ut ea, qua erga omnes et praesertim nuntios meos, ut solet, benignitate dictum secretarium meum ad eius pedes accedere, et ea, quae habet in mandatis, illi nomine meo exponere permittat, cuius verbis Sanctitas V. illam fidem, quam mihi, si eam coram alloquerer, daret, praestare dignabitur, meque et regnum istud Sanctitati V. devotissimum illi plurimum commendo. Ex Sancto Andrea XII. Kal. Ianuarii M.D.XLV.

E. Sanctitatis Vestre

Humillima et devota creatura

D. Cardinalis S. Andree.

MLXXII.

Scotiae gubernator pontificem et sacrum cardinalium collegium de impia caede cardinalis S. Andreae, deque afflictissimis regni ab Anglis invasi rebus certiores reddit, petitque per oratorem suum subsidium ad repellendos Anglos fidei hostes. Ex orig. in Tabul. Farnes. Neapolitanis.

Sanctissimo Patri Paulo III. Pontifici Maximo et sacrosancto Cardinalium Senatui Iacobus Arraniae Comes, Regine et Regni Scotorum gubernator, salutem precatur et felicitatem. Beatissime et Consultissimi Patres. Quum esset Reverendissimus pater Cardinalis S. Andreae ad quartum Kalendas Iunii in ea arce, quam toto biennio summa cura munierat, perditissimorum hominum insidiis de medio sublatus, quumque non arcem solum occupassent facinorosi illi homines, sed etiam liberorum nostrorum natu maximum, qui tum forte apud Reverendissimum Cardinalem educabatur, dici non potest, quantum doloris ex ea calamitate animo conceperimus. Videbamus enim summo scelere extinctum esse virum optimum, rei publicae amantissimum, et sanguine nobis coniunctissimum, laboris omnis periculique comitem et socium, apud quem omnia nostra consilia, cogitationes omnes effundere solebamus, et eum denique amissum, quem patris loco coluissemus. Quo infelici casu preter ipsam mortem acerbius potuit nihil nobis accidere, sed urgebat eodem tempore alia calamitas: Anglorum enim presidium occuparat arcem totius regni munitissimam, sitam in occidui maris faucibus, cui nomen est Dunbertan, cui quidem nisi magna celeritate provisum foret, in magnam incidebamus rerum omnium perturbationem. In tantis itaque angustiis constituti diu multumque deliberavimus, utri prius malo manum admoveremus: sed visum est satius Anglorum presidium ex arce illa ante deturbare, quam cardinalitie cedis vindictam tentaremus. Interim quoniam legibus nostris statutum est, ut graviorum criminum rei quadragesimo die causam dicant, dies dictus est XXVIII. Iulii, quo capitis et fortunarum omnium sententiam subirent scelerati et sacrilegi sicarii. Nos interea arcem illam, quam in Angli Regis potestatem venisse dictum est, obsidione cinximus, et, quod pro miraculo habetur (est enim ipso situ naturaque inexpugnabilis), vigesimo demum die recuperavimus. Inde ad comitia reversi, quibus de Rm̃i Cardinalis interfectoribus iudicari oportebat, de tam cruento scelere procerum sententiam exquisivimus. Ibi tametsi nemo omnium erat, qui factum illum non perhorresceret, quique tam impie cedis auctores punitos ex animo non cuperet: multa tamen in alteram partem occurrebant argumenta, que impedire videbantur, quo minus in reos pro meritis statueretur. Primum, quod nulla vi ad commerita supplicia extrahi possunt. Deinde arcem tenent vix quatuor horarum navigatione Anglia distantem, cui subsit civitas amenissima, et multis magnisque nominibus celebrata: hanc si semel occuparit Anglus, quod per arcis deditionem erit facile, et vel unius mensis munitionibus firmaverit, futurum est, ut Fissiam totam, regni huius provinciam fertilissimam suo subdat imperio. Tenent etiam filium nostrum natu maximum, in quem secundum Serenissimam Reginam quartum adhuc annum agentem sceptri huius hereditas et successio iure sanguinis derivatur: hic si in Angli Regis manus pervenerit, quod timetur, illis Anglo sese dedentibus, futurum est, ut non modo perniciem, sed aliquando servitutem huic regno adferre possit. Que quidem argumenta etsi nos iusta quadam ratione revocare poterant ab extrema iudicii severitate, ab altera tamen parte in reipublicae nostrae viri memoria, deinde status ecclesiastici violata immunitas, quae non solum humanis, sed diviuis etiam legibus precipitur, postremo coniuratorum summa crudelitas usque adeo indignatione nos permovit, ut neglectis omnibus reipublicae incommodis, posthabita potentissimi Regis potentia, adversum quem totum quadriennium continenter bellum gerimus, spreta denique patria pietate, quae vel feras ipsas movere solet, facinorosos illos homines lese Maiestatis reos, et publicatis bonis reipublicae hostes iudicaremus, et confestim ad arcis illius oppugnationem properaremus, a qua non ante recedere statuimus, quam sit in sicarios illos iure animadversum, quos in Anglia misisse quesitum opem iam certo scimus. Etsi ante non dubitabamus, quin fama ipsa hoc mali Romam pertulisset, multo ante quam has daremus, tamen existimavimus nostra quoque interesse, Sanctit. Tuam, sacrosanctumque Senatum ista ex nobis intelligere, quibus hoc plane recipimus, nos vel in hac ipsa vindicanda cede status ecclesiastici immunitatem, quam in Rm̃i Cardinalis nece sublatam et extinctam credebant impii, ingenue asserturos, vel saltem effecturos, ut intelligat Tua Sanctitas atque universus or-

bis, nos peculiarem illam atque a natura inditam omnibus hominibus paterni animi erga liberos benevolentiam religionis dignitati adeo postposuisse, ut ultionis famam aliquando istuc usque perventuram speremus. Superest, ut Sanctitatem Tuam amplissimumque senatum rogemus, quo in rebus nostris istic tractandis miserrimi huius et per quadriennium afflictissimi regni rationem habeatis, neque sinatis, quod fertur, Rossensis Episcopatus expeditionem diutius impediri, aut regni huius privilegia a sacrosancta sede antea concessa ulla in re imminui. Sed ista latius exponet familiaris noster Patritius Lydell, cui in rebus nostris a vobis fidem haberi cupimus. Te interim, Beatissime Pater, vosque omnes, consultissimi Patres, Deo optimo maximo commendamus. Ex obsidione S. Andree Kal. Septembris M.D.XLVI.

E. S. V.

Humillimus et devotissimus filius Mariae Scotorum Reginae tutor et gubernator

JAMES G.

Informationes Sño D. N. Papae et S. Collegio de regno Scotiae datae a Patritio Lydell oratore Scotiae gubernatoris.

Reverendissime Dñe. Quia Dominatio V. Rña (ut puto) non ignorat, quantopere Scotorum universus populus tam ecclesiasticus quam secularis his quotuor proximis annis assiduis illis bellis, que cum Anglis, etiam huius S. Romane Ecclesie atque etiam Christi hostibus, habuerant habentque, et intestinis etiam discordiis laboraverint et laborent, et quam insigniter attrite sint tam publice quam private omnium opes: ideo ne tedio sim D. V. Rñe, ab illis repetendis abstinebo.

Tantum significabo eidem, quod, prout eadem intelliget ex litteris Illñi D. Gubernatoris illius regni in sacro Consistorio per Rñum D. Decanum recitandis, idem Illñus D. Gubernator, sicut est huius Sancte Apostolice Sedis devotissimus servitor, satagit regnum ipsum non minus in huius Sancte Sedis devotione, et Catholice fidei unione, quam in sua pristina libertate ab Anglorum hostium servitute conservare, nec cessat propterea ubicunque opus esse arbitratur, una cum aliis regni Primatibus etiam propriam suam et filiorum vitam et bona periculis apertis exponere. Presertim ex quo post alia mala bone memorie Cardinalis S. Andree fuit interfectus a nefariis illis siccariis, quos iam pro lesa Maiestate et ecclesiastica libertate imminuta capitali pena damnatos, nunc (tanti sceleris vindicandi causa) idem Illñus Gubernator in munitissima arce inclusos obsidet.

Verum quia valde (ut dixi) attrite sunt opes, frigescentibus ceteris fere omnibus amicis, idem Illñus D. Gubernator recurrit ad hanc Sanctam Sedem, que sola pro refugio superest, humiliter supplicando Sño D. N. Pape et sacrosancto Collegio, ut dignentur (quod est huius Sancte Sedis erga illius devotos consuetum) misero illi regno tam contra hostes Anglos ad bellum sustinendum, et proprios fines tuendum subsidium aliquod impartiri, quam ad sedandas in bona parte intestinas discordias privilegia per hanc Sanctam Sedem regnicolis illis concessa inviolata preservare, initio facto a provisione Ecclesie Rossensis, ut iuxta dicta privilegia concedatur, repulsis hiis, qui res novas curant extorquere.

Super quibus Dominationi V. Rñe regnum predictum humiliter commendo.

Rñe Domine.

Ut animum Principis mei, quicquid ab eo mihi commissum sit, latius explicem, hanc addo informationem, quam peto Sanctissimo D. N. Pape et sacro Collegio a Tua Rña Paternitate recitari.

Rñe Dñe, Anno 1543. ad octavum Decembris et Illñi Gubernatoris et bone mem. Marci Grimani quondam Patriarche Aquilegiensis litteris Scotorum regni calamitates Sanctño explicabantur, uti etiam Anglus non solum regni libertatem opprimere, sed religionem quoque et Sacrosancte Sedi Apostolice fidelissime prestitam tot seculis obedientiam summo studio evertere conabatur, prout de presenti conatur.

Hec eadem idem Grimanus et nuntius Illñi Gubernatoris huc subsidii causa missus in sacro Consistorio paulo post egerunt, et si tunc temporis littere et exhortationes huiusmodi apud hanc Sacrosanctam Sedem parve aut nullius erant auctoritatis, idem Illustrissimus, hoc posthabito potentissimique Regis potentia contempta, non minus studebat, ut debita huic Sedi reverentia in omnibus prestetur, reipublice, regni et religionis status indemnis conservetur.

Preterea, ne presentes littere apud Sanctissimum, Sanctamque Sedem iterum vulgares habeantur, idem Illñus enixe postulat a Sanctissimo per eam, quam reipublice nostre pollicitus est, benevolentiam, ut in hoc summo periculo nonnihil subsidii ad regni religionisque tutelam concedere dignetur, hocque huius Sedis memorie commendetur. Scoti ab anno a Nativitate Christi 263., quo Christi legibus se induebant, in hunc usque diem ab omni heresis labe immunes steterunt, Sanctissimum Sanctamque Sedem ea cum reverentia quo decet agnoscentes, nec ullo unquam tempore eos a quovis Dei Vicario suppetias prius postulasse constat: constat tamen hanc Sacrosanctam Sedem anno 1220. Iohanni Angliae Regi non solum pecuniis contra Scotos subvenisse, sed etiam spirituali gladio adversus Alexandrum Regem Scotie et totum regnum usam fuisse, licet prefatus Illñus Rex secundum vulgatam regulam iuris, scilicet vim vi repellere, se regnumque suum defendebat: hic enim spiritualis gladius executioni demandatus erat per Suoalum legatum apostolicum, qui pro absolutione Regis et relaxatione regni ab interdicto non parvam pecunio summam recepit. Omitto etiam huius interdicti eo, quod longa est historia recitanda, sed interroganti delucidata erit et forsan digna, ut cognoscatur.

Petit preterea, ut indultum a fel. record. Innocentio VIII. et Leone X. Regibus et successoribus regni gratiose concessum, et per Sanctissimum confirmatum et prorogatum, inviolatum conservetur, secumque gratiose agatur, et ut provisiones beneficio-

rum vacantium secundum suas litteras, et non aliter expediantur.

Ad hec Sanctissimi sacrique Collegii responsum humiliter peto, ut illius Illmum Principem meum admoneam.

MLXXIII.

Iacobus Mariae Stuart reginae Scotorum tutor et gubernator pontifici, ut causam rectoriae de Strabrok in rota Romana decisam de novo ab ipsa rota examinari iubeat. Ex originali Instrum. Miscell.

Sanctissimo Dño Nostro Papae.

Sanctissimo et summo Pontifici Paulo Tertio Maria Regina Scotorum officiose filiolae salutem. Quum Georgius Benedictinus commendatarius Dunfermling, et Iacobus Leich diu in rota romana de Strabrok rectoria contendissent, et Leich videret absolutoriam latam secundum Georgium, statim reliquum suum ius cuidam Davidi Bonar cessit, cui Bonar (hoc cesso iure prorsus neglecto) symoniam inferenti rota ipsam Strabrok adiudicavit, quasi illa contracta fuerit in compensatione fructuum Inchbriok parrochialis per ipsum Georgium non rite perceptorum, hanc Inchbriok iure ordinario obtentam Georgius possidebat, ad quam etiam Matheus Stevart per provisionem apostolicam ius pretendebat: quodquidem in ipsum Georgium transtulit Moffet, canonicatu Glasguensi accepto. Pro fructibus autem Inchbriok male perceptis et litis sumptu convenit pecuniam dari equum, vel eius certum precium: que quidem conventiones fuerunt a duobus sinceris notariis in nostram vernaculam excepte: hinc illa symonia, hinc illa Strabrok adiudicatio. Pater sancte, mos est hic communis, ut omni clero et laico tam eos, vel ipsorum conventum pretium in mercedem locatorum reddituum, quam pecunia numeretur. Propterea placeat Tue Sanctitati iubere rotam hoc negotium symoniae ante acceleratum iterum examinare, et remissorias in pleniorem patrie consuetudinis probationem huc mittere. Pater sancte, facit sincere ante acta Georgii vita et nostris omnibus cognitum eius erga rectam vivendi rationem singulare studium, denique quod in tractandis rebus nostris eximie probitatis specimen prebuerint semper, ut de tali viro nostro consiliario tam leve ferre iudicium, tam fedam haberi notam ex re non ferre non possumus. Quamobrem huius causae reexaminationem a Sanctitate Tua summopere efflagitamus: que foelicissime et diutissime in terris iustitiae presit, precamur. Datum Stirlingi, et ab Illustri Principe Iacobo Arraniae Comite in arcis Sanctiandreae obsidione subscriptum, ad xvii. Kal. Octobris Anno M.D.XXXXVI.

E. V. S.

Humillimus et devotissimus filius, Mariae Scotorum Reginae Tutor et gubernator
James G.

MLXXIV.

Idem gubernator Scotiae pontifici, ut Iacobum Hamylton designatum archiepiscopum Glasguensem confirmare velit. Ex originali Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino nostro Papae.

Sanctissimo Maximoque Pontifici Paulo Tertio Maria Regina Scotorum officiosissime innocentis filiolae salutem. Beatissime Pater, quoniam Archiepiscopalis sedes Glasguensis viduatur Gavino suo novissimo sponso, nobis non importunum visum est commendare Iacobum Hammylton, fratrem naturalem Illustris nostri gubernatoris, quem Tua Sanctitas eidem viduae sedi coniungat, deductis tamen inde mille libris nostrae monetae Davidi Hammylton et Clodio Hammylton assignandis: quae quidem duo negotia, ubi intellexerimus confecta, erunt nobis gratissima. Caeterum Tua Sanctitas auspicatum vitae cursum diu foeliciterque continuet. Datum Stirlingi, et ab Illustri Gubernatore in secunda Sanctiandreae arcis obsidione signatum, pridie Kalendas Augusti Anno Christi M.D.XLVII.

E. V. S.

Humillimus et devotissimus filius
James G.

INDEX VIRORUM ET LOCORUM PRAECIPUORUM.

A.

B.

C.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

W.

Y.

Z.

NIHIL OBSTAT

D. Bernardus Smith Ord. S. Benedicti Censor Deputatus.

IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli Ord. Praed. Sac. Palatii Apostolici Magister.

IMPRIMATUR

Petrus Villanova Castellacci Archiepus Petrae Vicesgerens.